BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — C
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

71
10
D
15

35-G-18

51.2.9

Raynaudi Hoplotheca

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — C
25/1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

71
10
D
15

3G-18

51-29

Raynaudi Hoplotheca

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.
THEOPHILI
RAYNAVDI
HOPLOTHECA.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. THEOPHILI

RAYNAVDI

SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

HOPLOTHECA

CONTRA ICTVM CALVMNIÆ.

ROBVR

Et æs triplex circa pectus, à Patientia & Fide Sanctorum.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

LVCVBRATIO,

QVA SANCTI DEI HOMINES TETRIS QVIBVSQVE calumniis, citra noxam, nec niſi cum labe temporaria, patuiſſe demonſtrantur.



LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LI.

CVM APPROBATIONE, & PERMISSV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSIMO

D. D. CASSIANO A PVTEO, ABBATI

S. MARIÆ DE CABVRRO, EQVITI, &c.

THEOPHILVS RAYNAVDVS
Ex Societate IESV F.

PVTEORITAS, [a] alios à Samiis, quibus puteos pro pluteis, [b] luſcioſitas vel oſcitantia obtruſit, ſuperſtitioſo puteorum cultui addictos, altè effodiſſe, aquam ſaluhauſturos, proditum eſt, & ſtupidæ obe-tis notatum. Sed quid ſi in ea putei imagi-, prototypum omni cultu & veneratione di-ſſimum, habuere propoſitum. Sanè Chri-iæ ſapientiæ myſtas eximios, diuinum nu-, *puteum viuentis, & videntis*, Moyſi [c] deſ-criptum

[a] Philaſtr. hær. 20.
[b] Theod. Canter. 2. var lect. c. 25.
[c] Geneſ. 16.

criptum, interpretatos [d] liquet. Iiſdem [e] Deus, puteus vitæ, puteus viſionis, vnde ſcaturiunt ad eum habitantibus benedictiones, puteus altus cuius omnia demerſa, [f] incomprehenſum profundum, fluminis ſui fons abditiſſimus, [g] in quem demiſſa ſitula noſtra, vix aliquid haurit præ eo [i], quod ſuperat & inexhauſtum dimittitur. [h] Ipſum myſteriorum Chriſtianorum apicem, diuiniſſimam Triadem, tres vnius fontis puteos, audire memini; Hæc deſideratur Verbi æterni luto noſtro conſerti facta cum puteo contentio: [k] vt non abſurdè fortaſſis ſuſpicari liceat, in hæc Dei viui ac veri ſimulachra ſpectantes Puteoritas, criminationi ſubduci.

At ſiue puteum diuinitatis imaginem, collimantes in Deum, cultui ſuo obiecerunt Puteoritæ, indemnes propterea habendi; ſiue exertarunt per ruditatem, mihi putei tui EQVES ILLVSTRISSIME, veneratione, Puteoritam audire, non innoxium modò labiſque purum fuerit, ſed etiam glorioſum. Enimverò cum generis illuſtriſſimi puriſſimos latices, non collectitios, ſed ex vno domeſtico fonte profluos ſpecto; non lacus aut ciſternæ, vel dyoricis, non niſi externa confluge diuitis; ſed putei ſuis opibus affluentis ſpeciem, nunquam illaudati nominis (vt vir ſapientiſſimus [l] obſeruauit,) iuſtum venerationis

[d] Orig. hom. 11. in Geneſ. Gilleber. ſerm. 27. in Cant.
[e] Orig. hom. 12. in Numer.
[f] Hilar. 11. de Trinit.
[g] Paſchaſ. de Spir. Sācto lib. 2. c. 7.
[h] S. Maxim. cent. 2. ex variis c. 29.
[i] Orig. homil. 11. in Geneſ.
[k] Bern. ſ. 2. de Annūc.
[l] S. Baſil. in Pſal. 7.

nerationis ſolidæ argumentum deprehendo. Magna ex vtroque ordine nomina, laudari in hanc rem poſſunt. E ſacro, Humbertus, iam olim ſedente ad Eccleſiæ clauum Ioanne XXII. & Iacobus ſedente Iulio III. Cardinales ampliſſimi: Antonius Archiepiſcopus Barenſis, Carolus Antonius Archiepiſcopus Piſanus, (ſcientia, pietate in Deum, charitate in egenos, rerum vſu, magnificentia in ſacris ſubſtructionibus & inſtitutionibus, æuo ſuo in optimorum Præſulum exemplum datus;) Ioannes Lucas Rhegij Lepidi, & Alfonſus Sancti Domnini Antiſtites lectiſſimi. Alterius ordinis illuſtriſſima ſpecimina ſunto, Franciſcus Marchio Romagnani, Comes Poderani, & Iacobus Senator quem Iaſon Iuriſperitorum princeps, Magiſtrum agnouit.

Fruſtra plures gentilitij putei tui venas aperuerim, quaſi in te vno non habeam, vnde ſymbolicas quaſque putei expreſſiones ad veritatem datas, teſtatum faciam. Sanè docente Hebræorum Platone, [a] & noſtris quoque ſapientibus adſcriptis, didici, eſſe puteum, fontem indeficientem, non abſque labore effoſſum, & viuis laticibus redundantem, exquiſitæ literaturæ ſymbolum. Nec defuit [b] qui tres humanæ ſapientiæ partes, rationalem, naturalem, moralem, triplici puteo

[a] lib. de profug. & lib. de plāt. Noë.

[b] S. Ambr. prol. in Luc & l. de Iſaac c. 4.

criptum, interpretatos [d] liquet. Iiſdem [e] Deus, puteus vitæ, puteus viſionis, vnde ſcaturiunt ad eum habitantibus benedictiones, puteus altus cuius omnia demerſa, [f] incomprehenſum profundum, fluminis ſui fons abditiſſimus, [g] in quem demiſſa ſitula noſtra, vix aliquid haurit præ eo, quod ſuperat & inexhauſtum dimittitur. [h] Ipſum myſteriorum Chriſtianorum apicem, diuiniſſimam Triadem, tres vnius fontis puteos, [i] audire memini; Hæc deſideratur Verbi æterni luto noſtro conſerti facta cum puteo contentio: [k] vt non abſurdè fortaſſis ſuſpicari liceat, in hæc Dei viui ac veri ſimulachra ſpectantes Puteoritas, criminationi ſubduci.

At ſiue puteum diuinitatis imaginem, collimantes in Deum, cultui ſuo obiecerunt Puteoritæ, indemnes propterea habendi; ſiue exerrarunt per ruditatem, mihi putei tui EQVES ILLVSTRISSIME, veneratione, Puteoritam audire, non innoxium modò labiſque purum fuerit, ſed etiam glorioſum. Enimverò cum generis illuſtriſſimi puriſſimos latices, non collectitios, ſed ex vno domeſtico fonte profluos ſpecto; non lacus aut ciſternæ, vel dyoricis, non niſi externa confluge diuitis; ſed putei ſuis opibus affluentis ſpeciem, nunquam illaudati nominis (vt vir ſapientiſſimus [l] obſeruauit,) iuſtum venerationis

[d] Orig. hom. 11. in Geneſ. Gilleber. ſerm. 27. in Cant.
[e] Orig. hom. 12. in Numer.
[f] Hilar. 11. de Trinit.
[g] Paſchaſ. de Spir. Sãcto lib. 2. c. 7.
[h] S. Maxim. cent. 2. ex variis c. 29.
[i] Orig. homil. 11. in Geneſ.
[k] Bern. ſ. 2. de Annũc.
[l] S. Baſil. in Pſal. 7.

nerationis ſolidæ argumentum deprehendo. Magna ex vtroque ordine nomina, laudari in hanc rem poſſunt. E ſacro, Humbertus, iam olim ſedente ad Eccleſiæ clauum Ioanne XXII. & Iacobus ſedente Iulio III. Cardinales ampliſſimi: Antonius Archiepiſcopus Barenſis, Carolus Antonius Archiepiſcopus Piſanus, (ſcientia, pietate in Deum, charitate in egenos, rerum vſu, magnificentia in ſacris ſubſtructionibus & inſtitutionibus, æuo ſuo in optimorum Præſulum exemplum datus;) Ioannes Lucas Rhegij Lepidi, & Alfonſus Sancti Domnini Antiſtites lectiſſimi. Alterius ordinis illuſtriſſima ſpecimina ſunto, Franciſcus Marchio Romagnani, Comes Poderani, & Iacobus Senator quem Iaſon Iuriſperitorum princeps, Magiſtrum agnouit.

Fruſtra plures gentilitij putei tui venas aperuerim, quaſi in te vno non habeam, vnde ſymbolicas quaſque putei expreſſiones ad veritatem datas, teſtatum faciam. Sanè docente Hebræorum Platone, [a] & noſtris quoque ſapientibus adſcriptis, didici, eſſe puteum, fontem indeficientem, non abſque labore effoſſum, & viuis laticibus redundantem, exquiſitæ literaturæ ſymbolum. Nec defuit [b] qui tres humanæ ſapientiæ partes, rationalem, naturalem, moralem, triplici puteo

[a] libr. de profug. & lib. de plätat. Noë.

[b] S. Ambr. prol. in Luc & l. de Iſaac c. 4.

puteo in diuinis literis celebrato, adumbratas ſtatueret. Docuit me quoque vir maximus, & nominis ſui implens menſuram, [c] puteos dicere diuinam Scripturam, *corda ſuſceptiua cœleſtium chariſmatum ſcientiæ ſanctæ, ſolido verbo mandatorum exciſa, quæ delectabilem affectionum amorem & habitudinem naturalem erga ſenſilia auerſantur, tanquam occæcatione cordis; & plena ſunt ſpiritali ſurſum tendente ſcientia, quæ & affectiones abſtergit ac viuificat; eſtque veluti virtutum alumna.* Non eſſet grandis operæ, ſi per modeſtiam tuam liceret, comprobare in te vno, harum putei myſtici notionum veritatem; cum & ſapientiam tuam, omnium huius æui eruditorum ſcripta ſimul ac voces prædicent, & virtutes ſapientiam inoculantes, omnium & amorem & obſeruantiam, grata vi extorqueant, veriùs quàm concilient.

[c] S. Max. cent. 2. ex variis c. 29.

Ad hunc puteum (ſi annuis,) accurro, opellam afferens ariditate laborantem, ſed vt ad puteos aſſolet [d] inhalato benignè humido ſuffundendam. Et quia pro aſylo fuiſſe puteos non ſecus ac templa vel Principis ſtatuam, in confeſſo eſt; [e] captantibus in autoritate tua perfugium à calumnia quam nullus euaſit bonus, nullus non intulit malus, pro humanitate tua non negabis. Eos ego triplici digeſtos ſerie, tutelam apud puteal

[d] S. Bern. l. 2. de Annunc.

[e] M. Mantua 10. polymat. c. vlt.

teal tuum comprecantes, conſtituo. Facies quod ſolitus es, ſi ſub clientelam præſidij tui quam efflagitant, te beneuolo, auſpicatò ſuccedant. VALE.

¶ APPROBATIO

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs in ſacra facultate Pariſienſi Doctores Theologi librum R.P. Theophili Raynaudi, Societatis IESV Theologi, *Contra ictum Calumniæ*, examinauimus & fructuoſiſſimum reperimus ad declinanda ſanctorum exemplo calumniarum tela. Datum Lugduni die tertia Auguſti, anno 1650.

F. M. MICARD. Minor.

FRANCISCVS LORNET. Prædicator.

CONSENSVS.

HVnc librum Doctorum approbatione munitum typis mandari & in lucem edi hac in vrbe, Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD, Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis in Præfectura Lugdunenſi Procurator non impedio, die 4. Auguſti 1650.

LORIN.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu hunc librum typis mandari ſupradictis Lugdunenſibus Bibliopolis concedimus, & ne quis vltra dictam facultatem denuò excudat prohibemus, Lugduni die 4. Auguſti 1650.

SEVE.

INDEX

INDEX SECTIONVM, ET CAPITVM.

PROTHYRON.

SECTIO I. PROTHEORICA.

De Præcognitis circa naturam & varia adiuncta calumniæ. pag. 3

CAP. I. *CALVMNIA quid, & quotuplex.* *ibid.*
C. II. *Virus, & malignitas calumniæ.* *pag. 7*
C. III. *Eadem calumniæ malignitas, æſtimata ex acerbitate quâ immerentem perfundit.* *pag. 16*
C. IV. *Malignitas calumniæ veſtigata ex pœnarum atrocitate, calumniatoribus omni iure ſtatuta.* *p. 20*
C. V. *Fontes calumniæ.* *p. 24*
C. VI. *Genius calumniatorum.* *p. 28*
C. VII. *Qui maximè calumniatores.* *p. 32*
C. VIII. *Qui maximè calumniæ pateant.* *p. 36*

Digitized by Google

SECTIO II. HISTORICA. p. 36

Series I. De calumniis quibus falsò imponitur noxa in Deum. ibid.

Cap. I. DE *Atheiſmo.* *ibid.*
C. II. *De Idololatria.* *p.* 43
C. III. *De Iudaiſmo.* *p.*49
C. IV. *De Apoſtaſia & plena defectione à fide.* *p.*54
C. V. *De Hæreſi formali.* *p.*57
C. VI. *De Hæreſi materiali.* *p.*79
C. VII. *De Schiſmate.* *p.* 90
C. VIII. *De ſocietate cum hæreticis, aliiſve impiis, de quibus hactenus.* *p.*93
C. IX. *De Blaſphemia.* *p.*101
C. X. *De Periurio.* *p.* 109
C. XI. *De Superſtitione.* *p.*113
C. XII. *De Simonia.* *p.*124
C. XIII. *De Sacrilegio.* *p.* 129
C. XIV. *De Magia & Societate cum Satana.* *p.*135
C. XV. *De Apoſtaſia à Religioſo ordine.* *p.*152

Series II. De calumniis quibus falsò imponitur culpa in proximum. p. 154

Cap. I. DE *Homicidio.* *ibid.*
C. II. *De Homicidio penes occidendi modum tetriore.* *p.*168
C. III. *De Monſtris fœditatum in corpus alienum.* *p.* 173
C. IV. *De inceſtu.* *p.*179
C. V. *De commixtione ſacrilega viris impacta.* *p.* 187
C. VI. *De eadem commixtione ſacrilega, ſexui molliori impoſita.* *pag.* 201.
C. VII. *De Adulterio.* *p.* 205
C. VIII. *De ſimplici fornicatione.* *p.* 217
C. IX. *De calumnia alteri ſtructa, & quibuſuis in alienam famam graſſationibus, falsò impactis.* *p.* 221

C.X.

C. X. *De iniquo iudicio.* p. 230
C. XI. *De furto, & rapina ac damno dato.* p. 238
C. XII. *De Plagio.* p. 250
C. XIII. *De violata fide data.* p. 256
C. XIV. *De mendacio & impoſtura.* p. 258
C. XV. *De Preuaricatione, & ſuppreſſione veritatis neceſſariæ.* pag. 269
C. XVI. *De aſſentatione.* p. 271
C. XVII. *De auerſo à piis & Religioſis affectu.* p. 274
C. XVIII. *De ingratitudine.* p. 278
C. XIX. *De Principis odio & inhonoratione.* p. 279
C. XX. *De proditione, ſeditione & molitionibus in Rempublicam.* pag. 284
C. XXI. *De Damno obiectiuè illato communitati.* p. 295

SERIES III. De calumniis quibus falsò imponitur labes ſpectans illum ipſum, cui infertur. p. 298

CAP. I. DE *Labe generis & humilitate natalium.* ibid.
C. II. *De Otioſitate & deſidia.* p. 304
C. III. *De ſuperbia & ambitione.* p. 310
C. IV. *De Hypocriſi.* p. 324
C. V. *De nouitatum captatione.* p. 330
C. VI. *De Auaritia.* p. 341
C. VII. *De Prodigalitate, & improuida rerum dilapidatione.* p. 346
C. VIII. *De Guloſitate, & ingluuie.* p. 351
C. IX. *De Perpotatione & bibacitate.* p. 355
C. X. *De ſpurcitiis luxuriæ, abſque participe.* p. 360
C. XI. *De inuidia.* p. 365
C. XII. *De Ira, & animi impotentia, ac Zelo non ſecundum ſcientiam.* p. 368
C. XIII. *De Remiſſione iuſto molliore, & ſtulta benignitate.* pag. 372
C. XIV. *De ſimplicitate hebeti & aſinitate.* p. 375
C. XV. *De Infania & deliratione.* p. 380

Digitized by Google

C. XVI. *De ſui blanditia & mollitudine immodica per iuſto auctiorem carnis curam, & captatas deliciolas.* p. 390
C. XVII. *De Ignauia.* p. 393
C. XVIII. *De deſperatione & perditione ſuſtinentia.* p. 401
C. XIX. *De ſui ipſius truncatione.* p. 407
C. XX. *De Curioſitate.* p. 410
C. XXI. *De Ignorantia.* p. 416
C. XXII. *De obfirmatione & pernicacia.* p. 426
C. XXIII. *De animi leuitate & inconſtantia.* p. 428
C. XXIV. *De malo pœna repenſo peccatis.* p. 430
C. XXV. *De Morbis & paſſionibus probroſis.* p. 436
C. XXVI. *De horrenda morte.* p. 443

SECTIO III. DIDACTICA.

Quomodo exemplo ſanctorum gerere ſe poſſit aut debeat paſſus Calumniam. p. 453

CAPVT. I.

QVAESTIVNCVLAE. De Modo quo ſe habere debet aut poteſt grauatus calumnia. ibid.

QVAESTIVNC. I. *Num fas ſit calumnia grauatum, obmuteſcere, & ſilere à bonis, nihil excuſando, nihil in ſui defenſionem allegando.* ibid.

QVAEST. II. *An licitum ſit calumniam admittere & probrum falsò impactum vt verum agnoſcere.* p. 460

QVAEST. III. *Fas ne ſit calumniam verum dedecus inferentem repellere.* p. 461

QVAEST. IV. *Sit ne licitum calumniatorem proſcindere. pagin.* 463

QVAEST. V. *An liceat ſtructa calumnia calumniam trudere.* pag. 466

QVAEST. VI. *An preuenire calumniam qua opprimendus ſis calumniatorem*

Digitized by Google

calumniatorem infamando,eúmve necando ſit licitum. p.468
QVAEST. VII. *Faſne ſit apprecari calumniatoribus mala.* p.469
QVAEST. VIII. *Liceat ne contra calumniam ad diuinum Iudicium prouocare.* p.471
QVAEST. IX. *An teneamur orare pro calumniantibus nos.* p.472

CAPVT II.

De licita & illicita Purgatione Calumniæ p.473
QVAEST. I. F*Aſne ſit purgare calumniam interpoſito iuramento.* ibid.
QVAEST. II. *Quid ſtatuendum de purgatione per crucem.* p.475
QVAEST. III. *An purgatio per ſuſceptionem diuinæ Euchariſtiæ ſit legitima.* p.478
QVAEST. IV. *Num purgatio calumniæ per Monomachiam labe vacet.* p.480
QVAEST. V. *Faſne ſit ad calumniæ purgationem pyram ſubire aut prunas vel ferrum candens contrectare manibus aut pedibus calcare.* p.482
QVAEST. VI. *An purgatio calumniæ per aquam feruentem ſit improbanda.* p.485
QVAEST. VII. *Num purgatio per aquam frigidam licita ſit & admittenda.* p.486
QVAEST. VIII. *Quid cenſendum de purgationibus ad quoſdam fontes, noxæ vel innocentiæ indices.* p.488
QVAEST. IX. *Num purgatio per panem & caſeum, labe vacauerit.* p.490
QVAEST. X. *Crocodilina probatio, cuiuſmodi.* p.491

CAPVT III.

De calumniæ occaſione data vel accepta vitioſè. p.492
SECTIO IV. TROPOLOGICA. p.500
CAP. I. V*Erba & voces quibus exemplo ſanctorum dolor ex falſi probri impactione leniri queat.* ibid.

I. *Non eſt miſer qui patitur, ſed qui infert calumniam.* ibid.
II. *Qui calumniam ſubit, non dehoneſtatur.* p. 502
III *Diſpar calumniantium poteſtas; & voluntas.* p. 504
IV. *Euaneſcit ſeriùs ocyùs calumnia.* ibid.
V. *Oratio, potens munimentum contra calumniam.* p. 506
VI. *Dei iudicium, forte in calumnia ſolamen.* ibid.
VII. *Ingens meritum patientis calumniam.* p. 508
VIII. *Chriſtus calumniis oppreſſus, patientium calumniam munimentum.* ibid.
IX. *Omnes Sancti & Sanctæ Dei, calumniis ſemper patuerunt; maximè verò qui Sanctiores & Eccleſiæ fructuoſiores; Magno quorumuis, calumnia grauatorum, ſolatio.* p. 510
X. *Cur tot ſuorum calumnias, patiatur Deus.* p. 512
XI. *Dei & conſcientiæ teſtimonium, pectori æs triplex in irrogatione calumniæ.* p. 514
XII. *Vno obtrectante, alium innocentiæ præconem prouidet Deus.* p. 515
XIII. *Non rarò calumniam paſſis prouiſum ſupra naturæ ordinem.* pag. 516
XIV. *Micat ſplendidiùs poſt calumniam, obſcurata aliquandiu virtus: & ſicut veritas ventilata, plus rutilat.* p. 517

CAPVT II.

Paræneſis ad calumniatorem vt calumnia abſtineat, illatam eluat, ac deinceps mentem mutet. p. 518

CAPVT III.

Monita Auditoribus, de non temerè credendo calumniæ. pag. 522

R. P.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

IOANNES Gayet Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant, permittit PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD, vt librum, cui inſcriptio eſt, *Robur & æs triplex circa pectus contra ictum Calumniæ à patientiâ & fide Sanctorum*, Auctore P. THEOPHILO RAYNAVDO eiuſdem Societatis Sacerdote ad ſex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni die 18. Octob. Anni 1649.

IOANNES GAYETVS.

Digitized by Google

R. P.
THEOPHILI RAYNAVDI
SOCIETATIS IESV THEOLOGI
HOPLOTHECA CONTRA ICTVM
CALVMNIÆ.

PROTHYRON.

VERBVM Eccleſiaſtis eſt c. 7. æquè verum ac quotidianis exemplis comprobatum, ***Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius.*** Adeò atrox malum eſt Calumnia, vt etiam ſapientem, qui velut rupes immota in medio ſalo perſtiturus eſſe videbatur, poſſit quatere & conturbare, & robur cordis eius elidere, neruoſque ſuccidere. Hunc *ſapientem* iuxta Græcam lectionem aliqui transformant in pauperem, itavt ſenſus ſit; Calumnia conturbat *pauperem*, id eſt, minùs bene à virtutibus conſtitutum. Quam loci huius interpretationem Iacobus Bilius ad orat. 15. Nazianzeni num. 19. confirmat ex verbis illis Hierem. 5. *Fortaſſe pauperes ſunt, ac propterea non audiunt.* vbi Propheta *pauperes* appellat, ſenſu imminutos, & ſcientiæ penuria laborantes. Hac ratione Calumnia conturbaret tantùm pauperem ſpiritu, nec ſatis intelligentem rerum diuinarum. Et ſine dubio qui eſſet firmiſſimè aduerſus eorum impetus communitus per virtutem copioſam & vberem lucem ſapientiæ, non conturbaretur per Calumniam. Tamen quia noſtra virtus non eſt adamantina, & ſapientia noſtra non eſt obnoxia ſuffuſionibus, vtrumque in hac ſapientiæ ſententia comprehendi notat S. Baſilius epiſt. 79. ad Euſtathium. Verè enim perditur robur cordis, & con-

Digitized by Google

turbatur ſapientia, etiam in eo qui pro fragilitate & tenuitate noſtra, ſapiens & virtute præditus haberi poterat, cùm calumnia impetitur; itavt plerunque frangatur eius vis animi, & labefactata ſuccumbat: Non eſt quòd de exemplis in hanc rem conquirendis, fruſtra ſimus ſolliciti. Abundant enim vbique; nec minùs frequens eſt calumniarum impactio (eſt autem vbiuis quotidiana, & fere perpetua) quàm conturbatio ſapientis, & emollitio cordis eius à calumnia.

Aduerſus hanc ſubneruationem cordis in ſapiente, & roboris eius attritionem, ſuppetias afferre, & labantem fortitudinem validè communire, conſilium eſt. Sed non puto id poſſe meliùs aptiúsve præſtari, quàm petitis ex hoplotheca Chriſtiana munimentis; propoſitis inquam exemplis patientiæ ac fidei Sanctorum; in quæ contuentes, ad eandem mentis firmitatem atque conſtantiam animemur. Cùm enim calumnia (quod infrà euincam) ſit opus Diaboli aduerſus Sanctos & pios, Diabolus autem idem nunc ſit, qui ab initio defectionis ſuæ fuit, nec genium & nocendi artes mutauerit: iiſdem planè calumniarum telis nunc impetit Sanctos, quibus olim appetiuit. Fructuoſiſſimum igitur ac iucundiſſimum erit agnoſcere, qua ratione Sancti anteriores tela illa declinauerint, & aduerſus hoſtilem virulentiam illæſi ſteterint. Quæ erit non modò doctrinæ moralis ſeges vberrima, ſed etiam Sacræ hiſtoriæ amœniſſimum florilegium. Vt autem ordine rem exequamur, præmittenda in primis erunt nonnulla ad naturam & multiplicitatem, eiuſque virus, & corruptos fontes ſpectantia. Itémque nonnulla ad genium calumniatorum, ac quorundam procliuitatem ad calumniandum pertinentia. Tum ſingillatim recenſebuntur probra, quorum quis per calumniam notari poteſt, & quàm tetra ſint, & quomodo pridem in Sanctorum aliquem ceciderint, demonſtrabitur. Ad extremum ex Sanctorum dictis & factis panarium aduersùs calumniæ virulentiam conficietur, & quomodo quiſque calumniam paſſus, imitatione Sanctorum gerere ſe debeat, inde item communiri, & roborari animo valeat, explicabitur.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I. PROTHEORICA.

De Præcognitis circa naturam, & varia adiuncta Calumniæ.

SVmimus hîc *Calumniam*, iuxta communem vſum, pro falſa inſimulatione, vt mox diſtinctiùs exponetur. Tametſi ſunt aliæ præterea eiuſdem vocis notiones. Quod enim aduertit ad Iuonem Iuretus aliquando Calumnia ſumitur in bonam partem; vt cùm in Epiſt. 47. ait debitam Calumniam nuptiis facere, id eſt licitis viis contradicere. Quo item ſenſu Epiſt. 268. meminit calumniæ catonicæ. Vt plurimum verò vox *Calumnia* Malè ſonat; & tunc non vno modo vſurpatur. Nam vt admonet Remigius Antiſſiod. in illud Amos 12. *Calumniam facientes in penetralibus eius*; interdum *Calumnia* ſonat oppreſſionem quamcunque & violentiam. Apud Tullium verò 1. de offic. & optimè in orat. pro Cecinna, vt notat Polletus l. 4. fori Rom. c. 5. Calumnia accipitur pro callida, & malitioſa iuris interpretatione vel pro cauillatione, vt Valla contendit. 6. Elegant. c. 50. refragante Alciato l. 4. de verb. ſignif. & nominatim calumnia dicitur cùm quis ex certa ſcientia aut dolo, iniuſtè agit, aut excipit, quæ eſt Calumniæ notio. l. 1. ff. ſi mulier vent. nom. & l. 2. C. de Iureiur. propter calumn. Plenè de ea calumniæ notione Bargalius lib. 5. de dolo c. 15. Quæcunque item ingenioſe eludendi ratio, nominè calumniæ quandoque venit. In quo ſenſu Tullius referente Honio dixit. 2. de Repub. Carneadem, optimas cauſas ingenij calumnia ludificari ſolitum. Apud Baſilium Seleuciæ Orat. 19. Malus Chriſtianus dicitur calumnia nomen ſuum afficere. His ergo (& ſi quæ ſunt aliæ tales) infrequentibus calumniæ acceptionibus prætermiſſis, inſiſtam calumniæ populariter dictæ, cuius genuinam notionem nunc ſubiiciam.

CAPVT I.

Calumnia quid, & quotuplex.

CAlumniari (vt definit Marcian l. 1. ff. ad Senatuſconſ. Turpilianum) eſt falſa crimina intendere, ac proinde calumnia nihil aliud eſt, quam falſi Criminis impactio. Minùs itaque feliciter grammaticari videntur, qui cum Priſciano, calumniam deriuant ab eo quod eſt *Caluire*, ſiue decipere, aut fruſtrari. Aut qui cum Alciato l. *ſi Calumnietur* ff. de verb. ſignif. ita à verbo *caluire* deducunt calumniam, vt ſit metaphora ſumpta à caluis, qui eos fruſtrantur, à quibus per capillos prehendi putabantur: Affinia habet Heſichius in c. 19. Leuit. extendens calumniam ad fraudationes. Non eſt hæc notatio apta calumniæ ſumptæ populariter, vt fit in Marciani definitione; ſed in calumniam potiùs cadit, ſumptam pro malitioſa & callida iuris peruerſione. Iuxta receptiſſimam verò calumniæ notionem, quæ ſita eſt in falſi criminis impoſitione, is qui per Calumniam grauatur, propriè non decipitur, aut fruſtratur, ſed iniquè appetitur, & falsò probro oneratur. Sumpſit planè hoc modo calumniam S. Auguſtinus conc. 27. in pſal. 118. ad illud *redime me à calumniis hominum.* [ſi vera (inquit) illi homines crimina obiiciunt, non calumniantur: ſi falſa, quid eſt quòd ſe redimi deſiderat à calumniis, id eſt à criminibus falſis, quæ illi nocere nō poſſunt? Crimen quippè falſum, quod eſt calumnia, reum non facit hominem,

niſi apud Iudicem hominem. Vbi autem Deus iudex eſt, nullus falſo crimine læditur, quia non cui obiicitur, ſed obiicienti potius imputatur] Apertè D. Auguſtinus calumniam accipit pro falſo crimine; aut ſi actiuè ſumatur, pro falſa criminatione. Hoc autem ad eum locum S. Ambroſius ſerm. 17. in pſal. 118. ad verſ. 6. Ait enim calumniam falſa componere, & ea quoque quæ piè geſta ſunt decolorare; nempè falsò in crimen vertendo, quæ ſanctè, & piè ſunt admiſſa: vt cùm Ioſeph (quo exemplo vtitur S. Ambroſius) Adulterij obiectione tentatus eſt, compoſito inſuper elogio, quod comprehenſus in ſceleris molitione, exuiſſet veſtem, ne fraudis indicium atque inſigne criminis teneretur; Cùm tamen ideo fugiens reliquiſſet amictum, vt laqueos vim ferentis, & nexus illecebroſæ artis euaderet.

Ex his liquere poteſt, aut non neceſſariis additamentis oneratas, aut ab hoc inſtituto alienas videri poſſe, alias quaſdam Calumniæ deſcriptiones, quæ leguntur apud nonnullos, aut ex eorum dictis colliguntur. Sic Nazianzenus Iambico. 15. quo definitiones minus exactas complexus eſt, Calumniam, & ſycophantiam hoc pacto ſecernit.

Conficta ſi ſint crimina, eſt ſycophantia:
Id ſi latenter; tum vocem Calumniam.

Itaque ad Calumniam exigit criminis conficti inuſtionem clàm & occultè factam. Quò referri poteſt quod Orat. 24 agens de procellis ac vexationibus orthodoxorum, opponere videtur accuſatorem & alienum, Calumniatorem autem vocare, eum qui clandeſtinas inſidias ſtruit, & in ſpeciem noſter eſt. Æquè Lucianus Dialog. de nō remerè credendo calúmniæ, affirmat calumniatorem [id maxime moliri, vt lateat: perinde atque illi qui ex inſidiis, & ex tranſuerſo hoſtem adoriuntur, iaculis in eum contortis inde ex obſcuro, quò vel remittere ſolùm, vel manu armata contrà tendere non licet, adeóque is ignarus aduerſarij, inſidiarúmque, miſerè pereat.] Videtur igitur Lucianus quoque admittere, de ratione calúniæ eſſe, vt clàm & latenter petat; videri poteſt acceſſiſſe aliquatenus ad hanc calúniæ & calúniatoris notionem tametſi non vera; ab ea longè abiit S. Hilarius in pſal. 118. littera B. ad illud *redime me à calumniis hominum.* Sic enim ſcribit de Calumnia, & Calumniatoribus [Calumnia eſt vel cùm bono operi facinoris mali nomen adſcribitur, vel cùm ſpecie blandiente internæ malitiæ virus occulitur. Neque enim eius, detectæ maleuolentiæ opus eſt, ſed fallax & ſubdolum; & ſub ſpecie bonæ voluntatis, malitiæ operatione deſæuiens; Et difficile eſt cauere à talibus qui ſub nomine fratrum inimici ſunt; ſub nomine amicorum hoſtes ſunt; ſub filiorum ſpecie, parricidæ ſunt; ſub ſpecie vnanimitatis coniugum ineuitabile malum ſunt. Abel iuſtum Cain ſceleſtus, per familiaritatem fratris occidit: Noë Deo probatum. Chàm filius eius irriſit: Eſau, Iacob exulem eſſe paterna domo fecit. Validiſſimum præliatorem Diaboli Iob, ſola vxor eius tentauit inflectere. Hunc ipſum ſanctum Prophetam quoties Calumniæ hominum fefellerunt? Quoties Sauli proditus eſt? Vbique ei Calumniantium inſidiæ. Nouit hæc dominus, domeſticæ calumniæ ſcandala grauiſſimum ſolere fidei excidium afferre, dicens: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizet te, & ſi pes dexter aut manus ſcandalizet te, erue & abſcinde abs te.* Non de membris corporū hîc locutus eſt, cū ſcandala nec pes nec manus poſſit afferre, ſed de coniunctiſſimis nobis ac maximè neceſſariis membris, quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto. Hæc iubet, ne domeſticis calumniis ac ſcandalis penes nos manentibus aliqua nobis vitiorum labes adhæreat. Ergo Propheta ſi ab his redemptus eſſet, cuſtoditurum

ſe præcepta Dei pollicetur, quia iſtæ domeſticorum calumniæ impedimentum fidei frequenter afferrent.]

Aiebam S. Hilarium aliquatenus viſum accedere ad doctrinam propoſitam de latente nocumento irrogato per Calumniatorem, ita vt de ratione calumniæ ſit latenter inferri, Nam qui ſic operatur, ſpecie blandiente, internæ malitiæ virus occultat. Quamuis autem iſta vtcunque conſentiant cum ea deſcriptione calumniæ per latentem ictum, tamen re vera S. Hilarius aliò ſpectauit, & calumniam ſumpſit pro domeſtico ſcandalo. Quod S. Gregorius. 26. Mor. c. 9. & 10. extendit ad omnem mali exempli exhibitionem. Tractans enim illud *propter multitudinem Calumniatorum clamabunt.*[Calumniatores (inquit) rectè dicere poſſumus omnes iniquos: Non ſolum qui exteriora bona rapiunt, ſed etiam qui malis ſuis moribus, & vitæ reprobæ exemplo, interna noſtra diſſipare contendunt. Illi namque ea quæ nobis extrà ſunt, inuadere ambiunt, iſti verò nos prædari interiùs quærunt. Illi amore rerum, iſti non ceſſant odiis ſæuire virtutum. Illi inuident quod habemus; iſti quod viuimus. Illi ſtudent rapere bona exteriora, quia placent; iſti ſatagunt interiora bona diſſipare, quia diſplicent. Quantò igitur moriū vita à rerum diſtat ſubſtantia, tantò grauior calumniator eſt, qui malè viuēdo vim noſtris infert moribus, quàm qui violenter opprimendo damna ingerit rebus. Nihil iſte de noſtra ſuſtentatione ſubtraxit, ſed exempla nobis perditionis appoſuit. Eò ergo grauiorem calumniam intulit, quò quietum cor in tentatione commouit. Qui & ſi nequaquam nobis actionis ſuæ opera perſuaſit, pugnam tamen tentationis ingeſſit. Grauem igitur de vita eius ſuſtinemus calumniam; quia nimirum intus patimur, quod cum labore vincamus. Et quia in hoc mūdo abundat malorum vita quæ cruciet, rectè dicitur; *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt.*] Addit paulò poſt [Quiſquis malè viuere ſuo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce calūniatoris vtitur, &c. Dum ergo exēpla malæ actionis aſpicimus, quaſi ſtrepitum Calumniatoris audimus.]

Sunt hæ notiones calumniæ, ab hoc inſtituto alienæ, ac proinde his dimiſſis, ſiſtendum eſt in ea Calumniæ notione, quam proponebam, quæ videlicet in falſi probri impoſtura conſiſtit. Ad quam Calumniæ notionem parum refert quòd clàm, vel apertè fiat, quòd ab ementientibus amicitiam vel ab hoſtibus, quòd adiuncto impoſturæ blandiloquio, vel abſque eo, & cum aperta maleuolentia imponatur falſum dedecus. Dummodo enim imponatur, vera & germana calumnia inferetur, quæ eadem planè eſt cum ea labe, quam Græci vocant *Sycophantiam*, vt patet ex definitione Sycophantiæ à Nazianzeno aſſignata. Niſi quod vt bene monuit Polletus l. 4. de foro Rom. c. 5. analogia vtriuſque nominis eſt diuerſiſſima. Nam latinum nomen *Calumnia*, trahi volunt *à caluitio*, aut ab eo quod eſt caluire, ſicut verbū *Cauillandi* indidem trahi volunt. *Sycophantia* autem à ficubus dicitur, eo quòd ficuum furta, quæ Autore Feſto Athenienſibus erant capitalia, deferrentur à ſycophantis & ſycophantantibus, vt Plautus in Trinummo loquitur, ſycophantarum impoſturas, & ſordes, ac locatam ad imponendum operam graphicè æquè ac feſtiuè deſcribens. Quia ergo his ſurreptarum ficuum delatoribus, ſolemne erat multa mentiri, & falsò imponere, nomen eorum ad quoſuis falſi criminis impoſtores nuncupandos, extenſus eſt à Græcis; & quilibet *Calumniatores* dicti paſſim *Sycophantæ*. Ita quidē Feſtus l. 18. & ex eo Eraſmus V. *Sycophanta*. Quanquam non me latet quàm vanè de huius vocis originatione pronuntiatum ſit à variis apud Athenæum l. 3. dypnoſophyſt. c. 3. Nec

eſt inueriſimile , optimè cenſuiſſe qui dixerunt , inde petitam ſycophantæ denominationem, quòd è Græci cuiuſdam ſeruis, alter, ficus domi paratas cùm abſumpſiſſet , quærenti domino quid eis factum eſſet, malignè impoſuerit ſurreptas,& voratas eſſe à ſocio : ſed Calumniæ reuictus eſt , cùm vterque ſubtepidam aquam haurire iuſſus eſſet. Nam qui verè ficus comederat , & falsò ſocium quaſi comediſſet detulerat , reiectis vomitu ficubus agnitus eſt reus. Inde *Sycophantæ* nomē increbuiſſe voluerunt nonnulli pro impudenti reiectore falſi probri. Holophantam dixit Plautus in Curcul. (ita enim legendum eſſe, non *balophantam* vel *ſalopantam* , vt aliqui Codices mendosè habent,rectè obſeruauit Turnebus l.x i.Aduerſ.c.5.)perinde ac ſi diceres, *omnia mentientem* , nec circa ficus duntaxat , ſed circa quidlibet , imponentem falſum alteri innoxio.

Impoſturam porrò dixi eſſe calumniā, & calumniatorem impoſtorem ; quia in omni rigore,non ſufficit ad Calumniā, vt alicui quomodocunque tribuatur falſum probrum,ſed neceſſe eſt interuenire malitiam tribuentis , quæ rectè inſinuatur voce *impoſturæ* & *imponentis*. Vnde ſi per errorem inculpabilem , & hallucinationem humanam , contingeret falſum probrum tribui innoxio , non eſſet ea attributio , vera calumnia. Quis enim V. G. calumniatorem dixerit S. Gregorium Nazianzenum , quia S. Cyprianum Carthaginienſem confundens cum Antiocheno , dixit gemmam illam Pontificum atque Doctorum ſorduiſſe magiæ crimine ? Et tamen certum eſt S. Cyprianum Afrum , non fuiſſe magum , nec præſtigiis egiſſe, vt S. Iuſtina impuros ignes conciperet, quod ei tribuit S. Gregorius. Neque Baronium dixero Calumniatorem, quia Hildebertum Turonenſem ſui æui lumen, luxuriæ inſimulauit deceptus à codice deprauato, in quo legendum erat *Adelbertus* non Hildebertus , vt notauit Iuretus ad Iuonem Epiſt. 277. Igitur ad rationem calumniæ , exigitur malitia infingentis falſum probrum; alioqui Calumnia non erit , niſi materialis. Quanquam ſi poſtea deprehenſo errore homo firmetur in attributione ſemel facta, & præ pudore, aliave de cauſa renuat remouere probrum , quod ſemel bona fide attribuit , ſicut ſoluetur eius bona fides , ita incipiet eſſe verè ac formaliter calumniator ; & non retractatio dicti prioris incipiet habere rationem veræ Calumniæ.

Ex dictis facile eſt ſtatuere de Calumniæ multiplicitate. Cùm enim Calumnia ſit falſum probrum innoxio impactum, tot ſtatuendæ ſunt calumniæ , quot erunt falſa probra , quorum aliquis inſimulari poteſt. Vnde quia omne falſum probrum , vel omne crimen innoxio intentatum , eſt de aliquo , aut Deum , aut Proximum,aut ipſum operantem violante ; meritò calumnia ſtatuetur trimembris pro triplici illa probrorum falſorum ſerie. In prima locabitur atheiſmus , idololatria , hæreſis , blaſphemia, & omnia alia, quibus numen, & religio erga illud impetitur. In ſecunda omnes iniuriæ erga corpus , aut bona externa , vel famam , & honorem proximi , ſiue priuatim, ſiue publicè ſpectati ; inferri enim poteſt falſum probrum per iniuriam , vel alteri priuato , vel toti communitati malè irrogatam. In tertia denique ſerie ſedem habebunt probra omnia , quibus quis falsò oneratur abſque ordine ad alios ; ſiue corpus , ſiue animam , aut adiuncta aliqua eius qui calumniam ſubit, afficiant. Omnibus his falſorum probrorum impoſturis , communis eſt explicata germanæ calumniæ ratio. Et quamuis ſpecies criminationis falſæ , penes materiam ſiue probrum falsò inuſtum, diuerſa eſt in ſingulis illis criminationibus ; tamen omnes in eo conueniunt,

quod

Digitized by Google

quòd ſint impoſturæ, & falſi probri inuſtiones: quæ eſt germana calumniæ ratio, vteſt demonſtratum.

CAPVT II.

Virus & malignitas Calumniæ.

TRactauit hoc argumẽtum, luculenter V. CL. Iuſtus Lipſius Oratione de Calumnia, quæ apud eum legitur in calce quintæ Centuriæ Epiſtolarum: Sed iis quæ ibi tradit, prætermiſſis, ex conſtituta germana notione Calumniæ, erui generatim poteſt, quanta ſit Calumniæ malignitas & virulẽtia, ſiue intenſiua ſiue extẽſiua. Intenſiuã dico, quæ ex eius ſpecie & quidditate ducitur, ipſique calumniatori inſiſtit; Extenſiuã verò, quæ petitur ex varietate eorum, ad quos calumnia diffundi poteſt, imponendo eis falsũ crimen. Non dico ex varietate eorum qui per Calumniam quamcunque læduntur: hoc enim ad intenſiuam Calumniæ virulentiam pertinet, quæ iuxta S. Baſilium Epiſt. 75. & Orat. de patientia per Simeonem Magiſtrum ex variis ſancti viri dictis contexta eſt telum triſulcum, vno & eodem ictu feriens eum qui calumniam facit, & qui patitur, & qui audit. Extenſiua igitur calumniæ malignitas petenda eſt à varietate eorum quibus impingi poteſt falſum crimen. Sunt autem omnino multi, imo omnes quantumuis labis puri & ſancti, ne ipſo quidem Deo Sanctitatis fonte, excepto. Vtraque calumniæ malignitas, generatim expendenda eſt hoc loco.

Ac quoad intenſiuam quidem, video Patres adeò calumniæ atrocitatem auerſati, vt dicant eſſe peccatum Diabolicum. S. Athanaſius in Apolog. ad Conſtantium, id perſpicuè voluit, cùm dixit, Calumniari, eſſe vri Diaboli moribus. Eóque pertinet, quod Origenes hom. 3. in Exod. falſis teſtimoniis & detractionibus ac calumniis grauantes proximum, os ait habere apertum à Diabolo. Cyrillus Monachus in actis S. Sabæ, Arſenium Samaritanum Chriſtianorum apud Iuſtinianum Calumniatorem, vocat *linguam Diaboli.* 3. Reg. 21. Calumniatores Naboth dicuntur *filij Diaboli.* Eodem nomine calumniatores deſignat S. Chryſoſtomus hom. 79. in Matth. Operæpretium porrò videtur, id diligentiùs expendere. Etenim quandoquidem omnia peccata, Diabolo fere ſemper incentore & conſultore peſſimo admittuntur, neceſſe eſt ſpeciale quid eſſe in calumnia, propter quod peccatum Diabolicum nominetur, præ omnibus aliis. Inde autem eius atrocitas & ſumma virulentia deprehendi poterit.

Exiſtimarim ergò, calumniam peccatum diabolicum præ cæteris cenſeri, non modò ob inſignem & præcellentem malitiam, ſed etiam ex ſpeciali ſua & peculiari ratione. Eſt enim mendacium, & falsò impoſitum probrum. At Diabolus vt Chriſtus ipſe Ioan. 8. pronuntiauit, mendax eſt & pater mendacij. Ille (inquit agens de Satana) *homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo: Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater eius.* Odium acerbiſſimum quo Satan in hominem flagrat iam ab orbis initio, ſemper exinde in eius exitium & cladem intentus, mendaciis exprompſit quorum eſt feraciſſimus; idque eſt eius veluti quarto modo proprium. Imò cùm fuerit primus autor mendacij, idque ſit eius inuentum, pater mendacij dici poteſt, cuius veſtigiis inſiſtunt omnes qui mentiuntur. Et hoc eſt quod Chriſtus dicit, *mendax eſt & pater eius:* non patrem Satanæ inſinuando, qui nullus eſt, ſed patrem mendacij: ad quod antecedens, ſpectat relatiuum *eius*, vt optimè gloſſat S. Dorotheus doctr. 9. num. 1. & latè Petrus

Petrus Simonis l. 4. de verit. c. 17. Cùm ergo calumnia ex ſua natura ſit mendacium, quod eſt peccatum maximè proprium Diaboli, meritò calumnia appellatur peccatum Diabolicum, & calumniator cenſetur quidam Diabolus.

Hoc vt meliùs illuſtretur, conſiderandum eſt Diaboli nomen, & vnde petatur. Immenſa quidem eſt ſylua nominum quibus Satan in Scripturis & alibi denominatur, vt videre eſt apud Caſſianum collat. 7. c. 32. Spurcus Vuierus l. 1. de præſtigiis cap. 21. & 22. diligentiam hîc probauit. Nullum tamen videtur eſſe decantatius & magis protritum nomen, quàm *Diaboli*, quod eſt à calumnia deriuatum; etiamſi non me latet ab aliis alias huius vocis originationes proferri: vt ab autoribus Mallei p. 1. q. 4. qui deriuant nomen *Diaboli* à διὰ & βόλος, quia facit duos bolos, ſiue morſellos, vnum de corpore, & vnum de anima. Sed hoc eſt iocari non etymologiam reddere. Minùs ineptè Amædeus Lauſanenſis hom. 8. de B. Virg. aliam nominis huius notationem proponit dicens; [Diabolus id eſt *Deorſum fluens* appellatur, quia defluxit ex ſupernis; & ſtantibus inuidens, quos valet adhuc ſecum ad inferiora demergit.] Idem habet Rupertus l. 1. de Victor. verbi Dei cap. 26. id referens ad eius è cælo & iuge ad peccata defluuium. Putatque Rupertus illud Heb. variè ſonans *deorſum fluens* idem eſſe acſi diceretur *clauſus Ergaſtulo*. Tamen hæc vocis notio non eſt ſolida. neque enim Diabolus dictus eſt à verbo διὰ & ἄλλειν provt deſcenſum aut defluxum ſonante. Quanquam Clyctouæus in Elucidat. Eccleſ. ad illud hymni de S. Michaële, *in virtute conterentem Zabulum*, ei vocis originationi ſubſcripſit, quatenus Diabolum dici cenſuit *Zabulonem*, voce ſonante fluxum noctis, vt eſt apud S. Hieronymum lib. de Nom. Hebr. & in pſal. 67. & in c. 1. Aggæi, ac in c. 6. ad Epheſ. vbi ſic ſcribit. [Diabolus nomen Græcum eſt, quod interpretatur *criminator*. Iuxta Hebræi verò ſermonis proprietatem, quia & tribus Zabulon quandam ſimilitudinem huius vocabuli habet, κατοῤῥέων ideſt *deorſum fluens*, dici poteſt quòd ſcilicet paulatim de virtute ad virtutem fluxerit & de cæleſtibus ad terrena corruerit.] Perſpicuum tamen exiſtimo S. Hieronymum allegari extra rem, cùm dicitur aſſerere Diabolum hebraicè dici Zabulum quaſi defluentem. Imò apertè videtur agnoſcere, hanc non eſſe veram originationem vocis *Zabulus*, pro quo malè Clycthouæus legit & profert *Zabulon* cùm de ſatana agitur, ſicut & Læuinus Torrentius ad Suetoniũ in Claudio c. x. putans Zabulonem Iacobi Patriarchæ filium in typum Diaboli à Patribus aſſumptum eſſe, indeque Diabolum dictum *Zabulum*, ſiue *Zabulonem*. At hæc omnia nutant, imò planè conciduntur. Nam Zabulon Iacobi filius, fere ſemper benè audit apud Patres, nec Diaboli typus habetur. Nec Diabolus dicitur *Zabulus*, quaſi *Zabulon*; quæ vox *habitaculum fortitudinis* ſonat, vel *fluxum noctis*, iuxta hebreæ vocis corticem. Sed dicitur *Zabulus*, vel à βάλλω cum *Za* particula augente ſignificationem, quod placuit Brovvero ad 9. Rabani carmen, aut Zabulus appellatur ζα pro δια errore ex ſimilitudine conformationis elementariæ breuiatæ enato, vt nonnullis viſum. Adi Iuſtellum ad Cano. 78. Aphricanum pag. 79. vel Zabulus dicitur à διαβόλοι, qui Heſychio διπλοὶ δίβολοι id eſt duplicis conſilij & verſipellis, vt implanet atque decipiat. Aut quæ ſyncera & ſolida ordinatio eſt, dicitur *Zabulus* a verbo διαβάλλω, Æolicè ζαβάλλω, particula *Za* non adaugendum adhibita, ſed loco præpoſitionis διὰ, vt ſæpè alibi, *Zanium* pro *Dianium* apud S. Iſidorum l. 14. Ethym. c. 6. *Zarrhytum* pro *Diarrhytum* in Antonini Itinerario. *Zeta* pro *Diata*, & *Zetarij* pro *Diatariis*

Dietariis, de quo pluribus Catanæus ad l. 2. Epiſtolarum Plinij. Lipſius de recta pronunt. c. 16. Raderus ad Martialem libro. 2. Epigramm. 43. Molanus ad Vſuard. 26. Martij, Laurentius Pignorius l. de ſeruis pag. 144. Commodianus *Zacones* dixit pro *Diacones*, eo Carmine. *Miniſterium Chriſti Zacones exercere caſtè.* Similiter ergo Zabulus apud antiquiores Patres præſertim Cyprianum, Hilarium, Ambroſium, Paulinum, dicitur pro *Diabulus*: aut per frequentem v. & o, commutationem, *Diabolus*, ab eo quod eſt διαβάλλειν, id eſt accuſare ſeu criminari; quod quia ſtructis falſis criminationibus & impactis falſis probris præſtat, idque eſt *calumniari*, calumniator quoque appellatur, & hoc eſt quod *Diaboli* nomine præfertur, vt affirmabam, & paſſim agnoſcunt Doctores, nec non Grammatici, vt Macrobius. 7. ſatur. c. 3. cui διαβάλλειν ſonat calumnioſam delationem. Confirmaturque optimè, ex eo quòd Apoſtolus notas hæreticorum aſſignans. 2. Timoth. 3. præter cæteras tradit, fore *criminationes*: Græcè eſt διάβολοι, vt ibi rectè notauit Eraſmus. Eoque pertinet, quod Satanas latinè aliquando *accuſator*, aliquando *Calumniator* audit in Scripturis.

Latinis nominibus *accuſatoris*, & *calumniatoris*, deſignatum aliquando in Scripturis Satanam, liquet. omitto illud Ioannis. 8. de Diabolo *ille homicida erat ab initio*, vbi Petilianus referente D. Auguſtino l. 2. contra eum c. 13. legebat, *ille accuſator erat ab initio*. Quam lectionem vt inſolitam carpit S. Auguſtinus. Hoc igitur omitto, vt probatos textus adducam. Sic Apocal. 12. *Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri, die ac nocte.* Vbi videtur alludi ad librum Iobi c. 1. & 2. in quo narratur accuſatio calumnioſa Satanæ aduerſus virum ſanctum. Et ex eo loco S. Gregorius 2. Moral. c. 9. declarat, quomodò Satan dicatur nos accuſare die ac nocte, quatenus nos accuſabiles oſtendere nititur in vtraque fortuna. Quod enim erga Iobum fecit, æquè ſeruat erga pios omnes. Ait ergo. S. Gregorius [Scriptura ſacra ſæpè diem pro proſperis, noctem autem pro aduerſis ponere conſueuit: In die ergo & nocte accuſare non deſinit: quia modò nos in proſperis, modò in aduerſis accuſabiles oſtendere contendit. In die accuſat, cùm proſperis malè nos vti inſinuat: In nocte accuſat, cùm in aduerſis nos non habere patientiam demonſtrat. Beatum ergo Iob, quia nec dum flagella attigerant; quaſi adhuc vnde in nocte accuſare poſſet, omninò non habebar. Quia verò in proſperis magna ſanctitate viguerat, pro eiſdem proſperis bona illum egiſſe ſimulabat: verſuta aſſertione mentiens, quod non ad vſū Domini ſubſtantiā poſſideret; ſed ad vſum ſubſtantiæ, dominum coleret. Sunt enim nonnulli, qui vt fruātur Deo, diſpenſatoriè vtuntur hoc ſæculo. Et ſunt nonnulli, qui vt fruantur hoc ſæculo tranſitoriè vti volunt Deo. Cùm ergò bona diuini muneris narrat, putat quod fortis operarij facta leuiget: vt cuius vitam reprehendere de operibus non valet, eius mentem, quaſi ex cogitationibus addiſcat. Mentiens quod non amore Domini, ſed temporalis proſperitatis appetitione ſeruierit, omne quod innocuè exterius vixit.] Præmiſerat c. 8. S. Gregorius, quàm accuratus & intentus accuſator noſter ſit Satanas. [Antiquus (inquit) Aduerſarius, cùm quæ accuſet mala, non inuenit, ipſa ad malum inflectere bona quærit Cúmque de operibus vincitur, ad accuſandum verba noſtra perſcrutatur. Cùm nec in verbis accuſationem reperit, intentionem cordis fuſcare contendit, tanquam bona facta bono animo non fiant, & idcirco perpendi à Iudice bona non debeant. Quia enim fructus arboris eſſe, & in æſtu viri-

Digitized by Google

des conſpicit, quaſi vermem ponere ad radicem quærit.]

Non ab huiuſmodi accuſationibus tractum eſt Diaboli nomen, ſed ab aliis iuxta S. Baſilium hom. quòd Deus non ſit autor malorum *ſub finem*. Cùm enim præmiſiſſet, cur Angelus apoſtata dicatur *ſatan*, Subdit. [Diabolus verò dicitur, quoniam idem & in peccato nobis cooperatur, & accuſator noſter eſt. Gaudet ex interitu noſtro, noſque eorum gratia quæ commiſſa ſunt, traducit.] En S.Baſilius, ex eo *Satanæ* nomē *accuſatoris* adſcribit, quod criminetur & incuſet nos ob peccata quæ ipſomet ſuadente committimus. Impellit enim quantùm poteſt in foueam; tum de noſtro caſu gaudet, & pœnas à Deo expoſcit. At hæc eſt ſimplex accuſatio: quæ quamuis poſſit eſſe maligna, ſi ex odio aliouè malo affectu fiat, tamen non eſt Calumnia, quia non eſt impoſtura probri falſi. Vnde idem S. Baſilius Epiſt. 77. huiuſmodi accuſatorem à calumniatore ac Diabolo diſertè ſecernit, rogans vt qui infeſtus ipſi eſſe vellet, eius que culpas viruperare, non eſſet Diabolus, ſed accuſator: cuius eſt culpam noxij vrgere apud Iudicem citra calumniam & falſi probri impactionem.

Nihilominus S. Baſilius facilè accommodari poteſt ad antedicta, itavt ſenſus eius ſit, Diabolum dici ab accuſatione cumulata mendacio, aliqua ſaltem ex parte. qua ratione epiſt.75. accuſationem accepit; cùm dixit ſcribens ad Neocæſarienſes. [Apertæ ſunt aures & expoſitæ calumniari conantibus. Itaque tantò altiùs ingemiſcere debeo, quantò magis, quod illi ſategerunt effectum eſſe video. Quandoquidem relationis opus, manifeſtum habet magiſtrum ac doctorem, qui cum ex multis ſit malefactis notus, ab iſta tamen deferendi malitia deponatur; itavt & hoc peccato nomen inuenerit. Vos verò mihi permittite vt liberè loquar; vtraſque aures delatoribus noſtris reſeratis, ac quidquid illi ad vos deferunt, ſine omni examinatione admittitis, nemine exiſtente, qui falſum à vero diſcernat. Quis vnquam in accuſandis viriis nemine contradicente defecit? Quis deferendo, mendacij conuictus eſt, non coram conſtituto eo, quem falsò detulit? Quidquam dici poteſt quod credibile non ſit auſcultantibus, ſi dum criminator itavt aſſerit habere contendit, criminis accuſatus nec adeſt, nec calũnias audit?]
Delatorem & accuſatorem S.Baſilius hoc loco, apertè confundit cum criminatore falſum probrum imponente, & inde petitum ait nomen Diaboli Calumniatum parentis. Ac proinde non diſſentit ab ea notione *accuſatoris*, ex qua tractum nomen Diaboli confirmabam, & rectè aſſeritur à Ruperto l. 1. de Victor. verbi Dei cap.16.

Quod addebam, Satanam, latinè in actu ſignato, *Calumniatorem* quandoque dictum in Scriptura; habetur ex pſal.71. vbi Dauid prænunciat, Chriſtum ſuo aduentu humiliaturũ calumniatorem, quod Theodoretus, & paſſim Græci ibidem, nec non S.Auguſtinus, & S.Bernardus ſerm. 17. in Cant. & alij communiter, exponunt de Satana in quem nomen *Calumniatoris* antonomaſticè cadit. Eum autem Chriſtus ſua humilitate & deiectione tantopere humiliauit, imò contriuit, vt caput deinceps non potuerit ſuſtollere. Triplicem calumniam, à qua Satan dictus eſt eo nomine, ſecernere licet cum Toleto in cap 6. Ioan. annot.36. Prima eſt qua Deum apud homines calumniatus eſt. Secũda, qua homines apud Deum calumniatus ſemper eſt, à mundi exordio. Tertia, qua hominibus apud homines, texuit texitque etiamnum calumnias. De Calumnia qua dæmon Deum apud homines falsò inſimulauit inuidiæ & mendacij, extat exemplum protritum Gen. 3. & ab ea calumnia tractam eſſe *Diaboli* appellationem, S.Iuſtinus in Paræn. notauit.

cauit. Hæc ea Dei apud homines per Satanam calumnia obſcura eſt, quam S. Chryſoſtomus obſeruauit hom. 2. in 2. ad Cor. nempè quod Deum falsò apud homines inſimulauerit incuriæ & improuidentiæ erga res humanas. Et ſimiles multæ calumniæ notari poſſunt, quoad omnia Deo erga nos falsò negata, aut falsò adſcripta. Omnes quippè illæ impoſturæ, ſunt partus Satanæ Deum Calumniantis. Sed ea maximè eminet, qua in Deum referens ſui exitij cauſam, ſe iuſtum, iniuſtum verò Deum ab initio ſui lapſus mentitur, vt notat Rupertus l. 1. de Victor. c. 26.

Calumniæ qua Satan homines apud Deum calumniatur, luculentum exemplum eſt quod refertur in Iobi hiſtoria, vt expendit S. Chryſoſtomus homilia illa 2. in 2. Cor. & hom. 3. de Patien. Iob. necnon S. Auguſtinus in pſalm. 71. Nam Satan impoſuit Iobo apud Deum, quòd ex amore tantùm concupiſcentiæ, ac intuitu mercedis, piè ſe geſſiſſet; defecturus illicò ſi proſperitate excideret. Tertiæ denique calumniæ qua hominibus apud homines falsò ac malignè famam deterit, exempla proſtant vbiuis in Chriſtiana hiſtoria, ſi agatur de calumniis per ſuffectos ſibi cooperatores iniquitatis adornatis. Nec deſunt exempla calumniatum quas ſatan hominibus apud homines ſtruxit per ſe ipſum. Inſigne eſt quod ex actis S. Hieronymi refertur à Radero part. 3. Virid. c. 1. §. 15. de Syluano, cuius externam formam dæmon eſt ementitus, vt ei infamiam crearet apud ſuos.

Ex omnibus igitur quæ hactenus ſunt diſputata, quibus Diaboli genium calumniatorium expreſſimus, & quomodo inde *Diaboli*, & *accuſatoris*, ac *calumniatoris* nomen traxerit; perſpicuum eſſe videtur, rectè calumniam dici peccatum Diabolicum: & qui calumniam loquuntur per os Diaboli loqui, iuxta modum loquendi S. Chryſoſtomi hom. 79. in Matth. vbi multa prælocutus de iis qui ſeparantes pretioſum à vili, ſunt quaſi os Chriſti, loquentes vt Chriſtus, nec niſi manſuetudinis, humilitatis, charitatis verba profundentes, qualia Chriſtus loquebatur; addit è contrario, eſſe qui os Diaboli habeant, & linguam Satanæ, quia loquūtur quæ Satanas loquitur, maledicentes, conuiciantes, peierantes, & ſcilicet calumniantes. Hæc enim loqui, eſt os implere eodem cœno verborum lutulentorum, quæ familiare eſt Diabolo profundere; quod idioma negat à Chriſto intelligendum eſſe, cùm ante eius tribunal ſtabimus. [Quemadmodum enim ſi Romanus fuerit fortè Iudex, non percipiet rationes tuas, niſi latinè loquaris: ſic etiam Chriſtus non audit neque attendit, niſi lingua ſua vtaris.] Linguam verò Diaboli, quæ mendaciis & commentis in aliorum damnum ſtructis continetur, Chriſtus ab ea in vſu ſuo alieniſſimus, non intelliget in eo iudicio. Hæc mihi ad perſpiciendum virus calumniæ quaſi intenſiuum, quod explicandum ſuſceperam, videntur per quàm apta.

Operæpretium verò inſuper eſt, calumniæ natales & tetros effectus, conſiderare. Vtrinque enim, eius malignitas & virulentia admodùm expeditè deprehendetur. Natales optimè expreſſit Apelles pictor, apud Lucianum, *ferè initio* dialogi, de non temere credendo calumniæ. Quod enim ab æmulo Antiphilo reus actus eſſet proditionis, quæ Tyri aduersùs Ptolemæū autore Theodota Phœniciæ præfecto facta erat; (quanquam neque Theodotam nouerat Apelles, neque Tyrum vnquam viderat;) inſidiis calumniantis Antiphili eò deductus eſt, vt ægerrimè diſcrimen euaſerit; donec Rege errorem dedocto, Apelles Antiphili calumniam, hac expreſſione & imagine calumniæ, eſt vltus. [Ad dexteram conſidet quiſpiam, auribus prælongis inſignis;

Digitized by Google

quales ferè illæ Midæ feruntur ; manum porrigit procùl accedenti calumniæ. Circumſtant eum mulierculæ duæ, Ignorantia ni fallor, ac ſuſpicio. Adit aliunde propera calumnia , eximiè compta , vultu ipſo & geſtu corporis efferam rabiem & iram æſtuanti conceptam pectore præ ſe ferens , ſiniſtrâ facem tenens flammiuomam : dextrâ ſecum adoleſcentem capillis prehenſum, manus ad ſuperos tendentem , proteſtantemque immortalium Deorum fidem rapit. Anteit vir pallidus, in ſpeciem impurus , acie oculorum minimè hebeti , cæterùm plane iis ſimilis, qui ſordido aliquo morbo contabuerunt. Hunc facilè coniicias liuorem eſſe. Quin & mulierculæ aliquot , Calumniam ſequuntur comites, quarum eſt munus, inſtruere , comere. Interpres picturæ aiebat inſidias , ac fallaciam eſſe. A tergo lugubri habitu , pullata laceraque , Pœnitentia ſubſequitur , quæ capite in tergum deflexo , cum lacrymis ac pudore procùl venientem veritatem excipit. Hac Apelles tabula caſus ſuos luſit.]

Ex parte Lucianus , inter referendum hanc Apellis picturam, expoſuit quid eius externa ſpecies præferret. Nimirum quæ ſint adiuncta calumniæ , qui adminiſtri, quæ arma & tela , eorúmque intorquendorum modus. De armis hæc inferiùs ſubiicit, exponens ſimilitudine vrbis obſeſſæ , qua parte petantur à calumniatoribus , quos calumnia adoritur. [Arma ſunt iſtis aduersùm abſentem , fallacia, mendacium , periurium, ſupplicium, impudentia: denique innumeræ impoſturæ, ac malitioſæ cautiones. Omnium maximè præſens & longè efficaciſſima aſſentatio , Calumniæ cognata , imò ſoror, Quippè nemo hominum tam generoſo eſt pectore , etiam adamantino ſeptus muro, qui cùm calumniæ contendat, non idem aſſentatione vincatur. Hæc foris recti iudicij , ſeu fundamenta ſuffodit ac ſubruit , intus coniurati cum hoſtibus proditores , irruentes adiuuant , manus porrigunt, portas aperiunt, & modis omnibus connituntur , vt auſcultatorem calumnia ſibi ſeruum faciat. Sunt autem proditores , de quibus dico, nouandi cupido , naturâ humanis ingeniis conſita; præſentium item faſtidium ; ſequax eorum animus , quorum admiratione capitur. Neſcio enim quî fit, vt omnes amore ſui immodico admiratio furtim rapiat, & ſuſpicionibus illectet.]

Quid boni ex his calumniæ natalibus exiſtere poſſit fruſtra quæratur. Imò verò ex tam diſtorta & à recto auerſa peruerſione , non niſi ſummitas quædam malitiæ expectari poteſt. Nec minorem in calumnia malitiæ gradum arguunt effectus. Hic enim eſt gladius, quauis bipenne penetrabilior , vt optimè docet S. Chryſoſtomus in pſal. 51. ſtatuens quæ de Doëc Idumæi valentiſſimi calumniatoris malitia , & damnoſitate , ac denique calamitate ibi dicuntur, ad omnem æquè calumniatorem pertinere. [Quemadmodum enim veritatis præco ſermone ſuo, innumeris hominibus ſalutis cauſam præbet: eodem modo is quoque, qui in iniquitate potens eſt, eadem ſermonis vi & facultate, mortem pleriſque ac perniciem acceſſit , præcipitationis verba proferens , ac ſermonis gladio ad hominum exitium abutens. Ac præſertim cùm per calumnias ſuas, non tantùm corpora ſed etiam ipſas animas interimit ; nimirum per fraudulentam linguam ad falſas & impias opiniones eas deiiciens , Vnde etiam quodam loco dictum eſt ; *filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Qui quidem maiore ſtudio, ac diligentia cauendi ſunt , quàm qui in calamitatibus inferendis ſceleratè ac fraudulenter ſe gerunt.]

Haud aliter S. Athanaſius Apolog. ad Conſtantium ſic ſcribens de ſtrage quam infert calumniator. [Qui lapide feritur, quærit Medicum : ictus autem calumniæ, grauiùs

grauiùs quàm lapides feriunt. Eſt enim calumnia claua, & gladius, & iaculum incutabile, vt dixit Salomon.] Vbi hoc Salomon? Haud dubiè Prouerb.25. cum ait: *Iaculum, & gladius, & ſagitta acuta; homo qui loquitur contra proximum ſuum, falſum teſtimonium.* Hoc enim teſtimonium falſum nihil eſt neceſſe in iudicio ferri, ſed quiuis impoſtor, eo ipſo quo falſum crimen impingit, teſtimonium falſum loquitur, quo homo innoxius, in priuato ſaltem auditorum iudicio, cauſa cadit. Talis ergo criminator falſiloquus eſt iaculum. 70. vocem adhibent quæ latina voce *claua* exprimitur. Et ſicut clauæ vſus eſt ad contundendum, ac comminuendum caput, ita calumnia in primis mentem & intellectum innoxij quem petit, miſerè euertit. Adeò namque illum obnubilat & confundit, vt quid conſilij capiat, prorſus ignoret. Inſuper habet rationem gladij, quo guttur deſecatur. Qui enim calumniam patitur, ita plerumque impeditur, vt vix verba ſuppetant quibus innocentiam ſuam tueatur. Ad extremum ſicut ſagitta acuta pectus córque transfigit, ita calumniator innocentis cor transfodit, & ad vitæ vſque ereptionem tranſuerberat. Secernit tria iſta damnorum genera in illis Salomonis verbis Ianſenius, quanquam ſimpliciùs fortaſſis, germaniúſque dixerimus, omnibus illis vocibus diuerſimodè exprimi eandem calumniæ malignitatem nocentiſſimam, & ſupra quæuis tela acuta ferientem. Hæc ſunt malignarum tela linguarum, quæ inter Chriſtianos poſt extinctos ignes, & retuſum Ethnicorum ferrum, perſecutionum ſæuitiam ſupplent, vt optimè dixit S. Leo epiſt.92. Diſſerit quoque perbellè de iiſdem telis, & eorum extimeſcendo acumine Valerianus Cemel. hom.5. Et iactauit quidam apud Ariſtophanem in Pluto. Seplaſiarius medium aduerſus omnia mala pancreſtum; ſed reſponſum eſt aduersùs ictum Sycophantæ non ineſſe pharmacum exitij per hæc tela transfigentia inuecti; reus eſt calumniator, vt non ſit proinde ambiguum, quin exitialis ſit calumniæ culpa, & veluti ad ſummum prouecta malitiæ ac damnoſitatis verticem.

Vidit hoc inter Ethnicos Charondas Turius, quem Diodorus l.12. in calumniatorem, tanquam in apicem iniquorum omnium animaduertiſſe ſcribit.[Calumniæ (inquit) ſeu falſæ criminationis conuictio, hanc pœnam irrogauit, vt myrica coronati per vrbem circumducerentur, quo manifeſtè ad ſummum nequitiæ gradum illos perueniſſe ciuibus appareret. Nonnullos ergo ob hoc flagitium condemnatos, quod tantæ ignominiæ dedecus perferre non poſſent, violentis ſibi manibus ſponte vitam abrupiſſe tradunt.] Petrus Gregorius l.32. Syntagm. c.20. hanc Charondæ legem referens, transformauit in myrtum. Sed perperam: Cum textus Diodori diſertè myricam ad has calumniatorum coronas dicat adhibitam, & myrtus fructu ac virore perenni commendetur, baccáſque habeat ſuauiſſimas. Quibus de cauſis myrtus olim Veneri ſacra erat, & vſus eius celeberrimus. Coronas myrteas non ouantes modò, ſed triumphantes quoque geſtabant, vt Plinius. l. 5. cap.29. annotauit; addens pleráque alia ad myrti decus facientia, de quibus diffusè alij plantarum Tractatores. At myrica, vt alia huc non facientia prætercam, eodem Plinio teſte l.24. cap.9. lignum eſt infelix & ἄκαρπον, illatumque in domos, mortes miſeras conuehere & difficiles partus cõciliare proditur. Quod eſt planè contrarium virtuti ſymbolum, cuius fructus Philo voce latinis inadæquabili ὁλοκαρπώματα, tanquam omni ex parte veſcos appellauit. Itaque infelicitas & omnis boni elongatio à calumnia, optimè exprimitur myricarum ſymbolo: idque attendentes Perſarum ſacerdotes,

vt Strabo l. 15. ſcripſit, quoties aliquem diris diuturnis feriebant, tenuium virgarum myricinarum faſciculum tenebant manibus. Corona autem (vt multis illuſtrat Paſchalius in opere de Coronis) ſummum cuiuſque rei gradum, & veluti apicem notat; vt propterea infamiſſimi quique, præcellentiæ in ſceleribus notam & teſſeram præferrent coronam v. g. Xenocrates apud Laërtium ob longam compotationem proceſſit coronatus. Et de voluptatum lenonibus apud Sybaritas, idem tradit Athenæus l. 12. Quare quod Charondas, calumniatores coronari myricis voluit, rectè à Diodoro acceptũ eſt, de ſummæ in eis nequitiæ expreſſione.

Quamuis autem veriſſimum ſit, quemcunque calumniatorem ad ſummum iniquitatis verticem prouectum videri; tamen ſi in ipſo vertice locus aliquis eminentior & veluti ſupremus apex cogitari poteſt, adſcribendus omninò eſt ſanctorum calumniatoribus, iuxta doctrinam S. Gregorij. 15. Moral. c. 15. ſic ſcribentis. [Grauius eſt ſi quis iuſtis potiùs quàm peccatoribus noceat. Vnde & per Prophetam dicitur. *Sanguis eius in medio eius eſt, ſuper limpidiſſimam petram effudit illum: Non effudit illum ſuper terram, vt poſſit operiri puluere.* Per terram videlicet & puluerem, peccatores; per petram verò limpidiſſimam iuſtum ſignans qui grauibus peccatorum contagiis non exaſperatur. Sanguis ergo ſuper limpidiſſimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione iuſtæ animæ graſſatur..] Contrahit haud dubiè calumnia ſicut ex cauſa efficiente, iuxta Saluianum l. 4. de prouid; ita ex ſubiecto quoque, ſeu paſſo malignitatem. Vnde quò quis eſt iuſtior, ac proinde dignior veneratione, eò indignius eſt illum imperi falſis probris, & calumniis grauari. Eſtque ea noxa apud Deum valde grauis, & pœnis acerbiſſimis obnoxia, vt dicam in Tropologia.

Hanc tantam calumniæ malignitatem, non ignorarunt ſolo naturæ lumine ducti ethnici, vt ex nonnullis quæ præmiſimus & ex aliis quæ ſubiiciemus, conſtare poterit. Neque refert quod ethnici quidam Calumniam recenſuerint inter numina vt Lilius Gyraldus Sintagm. 1. hiſtor. Deorum notauit, allegato Theophraſto apud Diogenianum. Idque eſt eſt quod Zenobius Centur. 4. num. 36. Theophraſtum adducit libro de Legibus referentem Athenienſes contumeliæ ac impudentiæ aras poſuiſſe. Fana iiſdem Athenis ſtructa Tullius l. 2. de Legibus dixit, addens ita factum ſuadente Epimenide. Id quod etiam memorat Clemens Alexandr. in Protreptico. Et quanquam Græca Zenobij non habent διαβολὴν ſed ὕβριν, tamen per excellentiam calumnia *iniuria* abſolutè dictæ nomine deſignari potuit. Igitur tametſi ethnici quidam calumniæ aras & fana poſuerunt, non ſunt cenſendi malignitatem eius ignoraſſe decernendo ei diuinos honores. In more enim fuit ethnicorum, etiam teterrima quæque habere pro numinibus, vt ratum eſt de Febri ex multis quos adducit Iunius l. 3. Animaduerſ. c. 1. déque pauore ex Liuio lib. 1. Item de furiis ex Plutarcho in Solone & Clemente in Protreptico quorum ſic *Deas ſeueras*, ille *Deas venerabiles* dictas teſtatur. Hæc & alia huiuſmodi numina non colebantur & pro numinibus habebantur vt prodeſſent, ſed ne obeſſent. Similiter itaque in cenſum numinum venit calumnia, quòd tametſi feralis eſt ac exitialis, tamen placandam ac veluti mulcendam cenſerent, vt abſcederet, eſſentque ab ea indemnes. Quo ipſo eius potiùs atrocitatem & expaueſcendam virulentiam profitebantur, quam ſupplices deprecarentur & omni ſtudio auerſam vellent. Vt in ſimili de aliis plerique Diis notare memini in Nat. Theol. d. 7. num. 26.

Hactenus de quaſi intenſiuâ calumniæ malitia,

malitia. Superpondium verò eius aliquod eſſe videtur, malitia extenſiua per diffuſionem ad tam multos. Sicut enim bonum quò diffuſius eò melius, ita malum eò nequius cenſeri debet, quò eſt protenſius. Nam quaſi vires acquirit eundo, & propagatione ac multiplicatione, non tantum ſoboleſcit, ſed acuitur etiam atque perficitur eius virulentia. At cùm cætera peccata ad certum quoddam genus paſſorum ferè reſtringantur, furtum enim erga diuites tantùm admittitur, inuidia erga ſolos ſublimes, intactis abiectis, cædes non eſt niſi corporum; nec concupiſcuntur, niſi quæ viſu pulchra; & ita in ſimilibus: calumnia tamen, in omne æquè perſonarum genus graſſatur, malas & bonas, ſuperiores & inferiores, ſuperſtites & vita functas, locupletes & egenas. De Philoſophis & quibuſuis inter Ethnicos eximiis, per calumnias dehoneſtatis, inſigniter Dio. orat. 37. & Iulianus Apoſtata orat. 7. Sed dimittamus ea caliginoſa lumina. Sunt ſancti lucernæ ſupra candelabrum, & ciuitates ſupra montem poſitæ. [Sed quæ vnquam Ciuitas (ait Rupertus in vita S. Heriberti c. x.) ſic ſuper Montem poſita, non inuidiam paſſa & oppugnata eſt, à ciuitate Cain terrena & in valle poſita, cuius Princeps eſt Satanas? aut quæ vnquam lucerna ſic ſuper candelabrum poſita fuit, & nullus ei nequam oculus inuidit? Quod vt iam manifeſtius dicam, quis vnquam ſanctorum ædificatus in monte virtutum, verboque & exemplo lucens ad ædificationem videntium & audientium, nullam ab ingratis & inuidis paſſus eſt tribulationem? Quis inter ſupernarum gaudia gratiarum, propriam non habuit menſuram eiuſmodi lacrymarum, quas faciūt filiis lucis habitatores Cedar, id eſt tenebrarū? Nā hoc eſt quod in Pſalmo gementes ſinguli dicunt: *Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*] Chriſtus ipſe, de ſe valere hunc Pſaltis verſiculum, pronuntiauit Ioan. 15. quia verè tametſi ſanctus, innocens, impollutus, ac ſegregatus à peccatoribus, tamen immenſis calumniarum molibus obrutus eſt, ac ſecundùm carnem oppreſſus. Audiuit vorax & potator vini, audiuit ſeductor & commotor populi, blaſphemus, furioſus, inuaſor diuinæ filiationis, ac reus mortis. Quę omnia tātùm à vero ac recto aberant quātùm Chriſtus à noxa; atque adeo fuerunt immanes calūnię quibus ab iniquis odio illū gratis habētibus, eſt appoſitus.

Quid mirum Deum in humanitate nobiſcum verſantem, patuiſſe calumniæ, cùm indigniſſimi homuli, Deo in ſua maieſtate ſpectato obſtrepere ſint auſi, & in eum quoque totius Sanctitatis fontem pellucidiſſimum, calumnioſa ora armarint? Fuit qui otioſum Deum & rebus humanis nullum, mentiretur. Non defuit qui illi circa orbis rectionem obſtreperet, calumniatus rerum ordinem, quo nihil reuera concinnius, nihil elegantius, cogitatione pingi potuit. Sed hoc ſibi licere noluit in Alphōſo Rege humana peruerſitas, vt Dei ea in parte decreta, vocaret ad examen, & tanquam incongrua & abſona, calumniaretur. In his ſeculorum fecibus, extremum Satanæ excrementum calumniatorum, per os Caluini vomuit Erebus. Auſus quippè eſt nequam ille & planus improbiſſimus, Deum calumniati maligniſſimè, autorem illum faciens ſcelerum omnium, quæ mortales præ affectu aliquo incondito abſtracti & illecti admittunt. Omnes inquam innoxiorum cædes ad quas horreſcimus, omnia periuria atque blaſphemias, omnes turpitudines quantumuis ſacrilegas vel inceſtas, & ipſo naturæ lumine horrendas, quicquid denique vſquam impium ac immane deſignatur,

ſignatur; (heu infelices aures noſtras, quas talia audiendo inceſtari contigerit!) Deus vt cauſa primaria ac præpotenter adigens, per mortales vt inſtrumenta, velint, nolint, obſecundantia, Caluino iudice, ab initio mundi ad hanc vſque diem eſt operatus, ac etiamnum operatur. En verè veſtigium peccatoris. Satan (quod ſupra ex Iuſtino in Paren. admonebam,) Deum calumniatus eſt tanquam inuidum ſcientiæ boni & mali in primis parentibus. Quod proximum erat, ſed à Satana intentatum, primogenitus ſatanæ non ita pridem auſus eſt, calumniam Deo impingens acti in foueam hominis, adſcribendo numini inobedientiam quam vetuit, & meritiſſimò vindicauit: quod eſt teterrimum omnino probrum, & iniuſtitia crudelitate macerata formatum. Cain in fratrem innoxium inſurgit, & Deus parricidalis facti calumniam ſuſtinet. Ammon ſororem fœdat, Deus turpitudinis auctor iactatur. Fratrem Abſalon ſuper epulas mactauit, vini crateres permiſcens ſanguine, & Deus reus fit per Caluini calumnias. Abſiſto prolixiore infamium propudiorum recenſione, nec ſtercus calumniarum quo lectiſſimum illud ſatanæ organum Deum ipſum contaminauit, fortiùs emoueo parcens piis auribus.

Hinc tamē perſpicuè habetur, non eſſe quòd quis ſecuritatē ſibi à calūniis ſpondeat: cùm Deus ipſe per impiorū nequitiam indemnis non euaſerit. [Quid mirum ſi grauare homines poteſt, qui perui caci ſpiritu nec Deo cedit?] Ait S. Ambroſius ſerm. 16. in pſal. 118. agens de ſummo calumniatorum. Itaque de extenſiuæ ſumma calumniæ malignitate, non eſt relictus dubitandi locus. Atque ita vtcunque explicata & euoluta videri poſſunt duo illa quæ exponenda receperam, malignitatis in calumnia capita, videlicet dignitatis quaſi intenſiuæ & extenſiuæ. Quod hic deſideratur ad virulentiam calumniæ perſpiciendam ſigillatim, reliqua vniuerſa tractatio ſupplebit. Hîc enim generatim duntaxat, rem iſtam executi ſumus.

CAPVT III.

Eadem calumniæ malignitas, æſtimata ex acerbitate qua immerentem perfundit.

QVandoquidem ex virulentia effectuum pronuntiare licet de malignitate cauſarum meritò ſcrutantes malignitatem calumniæ, illum eius fructum teterrimum ſpecialiter cōſiderandum ſuſcipimus, qui acerbitate, immerenti ac iuſto, (certè innoxio, malitioſè illata continetur. Calumnia enim ei innititur qui purus eſt ac mundus à probro ſibi per malitiam impacto, Qui quamuis alia ex parte, bonus eſt ac iuſtus. At Deus maximè exoſam habet iuſti vexationem: ita vt Ezechielis 13. expoſtulet quod mœrere feciſſent iuſtum, quem ipſe non contriſtaſſet. Et c. 18. præmium non vulgare decernat ei, qui iuſtum non contriſtauerit, ac mœrore perfuderit. Ex eo igitur quòd calumnia iuſtum sauciet atque transfodiat, pertingens ad interiora ventris animæ, deprehendere licet, quàm tetrum ſit eius virus, quantaque malignitas. Ac proinde conſequenter ad antedicta, de hac acerbitate innoxio per calumniam irrogata, agendum venit.

Acerbitatem calumniæ, agnoſcit S. Chryſoſtomus homil. 12. in 2. Cor. ad illud *per infamiam & bonam famam.* [Non enim (inquit de S. Paulo) ſolùm generoſè ferebat quæ corpori accidebant, vt porè afflictiones, & quæ enumerat, ſed etiam ea quæ animam angebant. Non enim hæc parum turbare ſolent. Vnde Hieremias multis tentationibus perlatis, ab his abhorrebat, & quoniam confun

debatur, dicebat; Non prophetabo, neque nominabo nomen Domini. Et Dauid ſæpius exprobrationem deplorat. Et Eſaias poſt multa, hæc deprecatur, dicens. *Opprobrium hominum ne timueritis, & improbitati illorum ne ſuccubueritis.* Inſuper & Chriſtus diſcipulis dicit. *Quando dixerint omne malum verbum contra vos, mentientes; gaudete & exultate, quia merces veſtra multa eſt in cælis.* Alicubi autem dicit σκιρτήσατε, id eſt *cum lætitia geſtibus quibuſdam exultate.* Non autem tantam poſuiſſet mercedem, niſi magnum eſſet certamen. Nam in tormentis quidem, corpus diuidit cum anima dolores: eſt enim corporis & animæ labor. Ille autem ſolius eſt animæ. Vnde multi propter has ſolas ceciderunt, & animas ſuas perdiderunt. Etenim Beato Iob. amicorum opprobria, vermibus & vlceribus moleſtiora viſa ſunt: nihil enim eſt dolentibus intolerabilius, ſermone qui animam lacerare poteſt. Propterea cum periculis & ſudoribus, etiam hæc ponit, dicens *per gloriam & ignominiam.*]

Hæc S. Chryſoſtomi ratio, ad probandam calumniæ acerbitatem, videri poteſt minùs firma. Nam diuiſio illa cruciatuum in corpus & animam, ratione cuius ait acerbitatem tormentorum mitiorem videri, non eſt reuera diuiſio doloris in partes duas, quarum vna corpus, altera animam excruciet. Si enim ex eadem ſumma ac veluti cumulo doloris, portio vna corporis, alia animæ obtingeret, verè fieret doloris imminutio in vtraque facultate dolorem excipiente. At non ita res habet in tormentorum irrogatione, quicquid in contrarium ſupponat D. Chryſoſtomus. Fit enim ibi diffuſio & extenſio doloris ad binas facultates; quarum vna animæ inexiſtit, corpori altera. Vnde non ſequitur doloris imminutio in alterutra facultate, ſed diffuſio extenſiua. &, noui doloris ex protenſione accretio, duriùs diuexans. Sicut in damnatis, cum reſument corpora non minuetur pœna animæ, ſed extenſiuè augebitur damnatorum dolor, accedente noua pœna ſenſus, aſcitis in doloris ſocietatem eorum corporibus, vt rectè ſtatuit Durandus in 4. d. 49. q. 7. num. 13. Continget enim proportione damnatis, ſicut beatis. Hi reſumentes corpora, perficientur acceſſu nouæ gloriæ accidentalis. Damnati autem per iteratam animæ cum corpore conſertionem, nouo ſenſibilis ſupplicij auctario, abſque prioris cruciatus ſoli animæ inexiſtentis imminutione cumulabuntur. Quæ cauſa eſt, cur damnati interdum legantur refugere reſurrectionem; & eius apprehenſione cruciari. Indidemque Patres petunt cauſam iuſtè conſtitutæ corporum reſurrectionis, vt Nyſſenus Orat. 3. de reſurr. *ad finem* S. Dionyſius c. 7. Eccleſ. hier & alij.

Vnica via eſt, qua communicatio doloris interni cum corpore dici poſſet eum minuere. Si nimirum perceptio doloris per corpoream facultatem, auerteret aliò vires internas animæ, ita vt non paterentur vniuerſas exſugi à voluntate ſola triſtante. Qua ratione experimur animam cum variis ſenſibus cooperantem, minùs ad vnumquemque intendere; ita vt operatio in vtroque ſenſu ſit debilior, nec tarò in aliquo ſenſu fiat iuſtitium. At hæc via minuendi dolorem animæ non habet locum in irrogatione tormentorum, cum qua S. Chryſoſtomus componebat acerbitatem calumniæ. Nam protenſio illa doloris ad ſenſum, non auertit ad aliud genus operationis, quandoquidē actio quę in vtraque facultate exercetur, æquè eſt triſtitia; etiamſi in corpore non denominetur *triſtitia*, ſed *dolor*, ſi voces ad vigorem vſus recepti exigantur. Præterea ratio cur auerſio ſiue diſtractio animæ ad aliam operationem corpoream, minuat functionem animæ in alia corporea

porea facultate, ex eo ducitur, quòd non ſuppetat animæ ſatis virium, vt cooperetur vtrique facultati corporeæ, ad cuius vtriuſque functiones, exiguntur ſpiritus animales, qui ſæpè non adeò abundant, vt poſſint ad vanas illas operationes ſufficere, & æquè plenè corriuari ad vtramque corpoream facultatem. Itaque ea ratio, & quæ ex ea ducitur imminutio operationis, non habet locum, niſi ſi ſermo ſit de duabus facultatibus corporeis operantibus interuentu ſpirituũ animalium. At in ratiocinatione D. Chryſoſtomi quã excutimus, dolor ſolus animæ confertur cum dolore enato in corporea facultate, vi tormentorum. Quare declinatio tacta argumenti in eam ratiocinationem intorti, non eſt accommodata; manetque veſtiganda commodior ratio, exponendi acerbitatem calumniæ.

Id verò facilè ac ſolidè præſtare licebit, conſiderando malum quod homini infertur irrogatione calumniæ; Acerbitas enim doloris, admetienda eſt malo quod aduehitur, & facultate mali ſenſum ſubeunte percipitur. Conſtat autem malum quod calumnia irrogat, eſſe longè maximum inter humana mala, quippè exſcindens bonum, cui apex humanorum bonorum iuxta multorum æſtimationem, ſine dubio de dignitate concedit. Opes enim propter commoda quæ ſubminiſtrant paſſim cenſentur occupare bonorum verticem. Vnde eadem ſubductio cenſetur ingens malum, & multi mœroris conciliatiuum. Atqui iudice Spiritu ſancto, nomen bonum quod per calumniam violatur, melius eſt quàm diuitiæ multæ. Itaque infamatio calumnioſa quæ eſt boni nominis dilapidatio, acerbior eſſe debet, quàm quæuis opum direptio, cui tamen adiungi acerbiſſimum doloris ſenſum, nihil attinet docere. Neque ex eo quod tanti boni detritio à calumnia proficiſcatur, minuitur detritionis illius aculeus: imò augeri videtur & moleſtiùs fodicare, quàm ſi infamatio non fieret per calumniam. Nam tametſi infamatio non calumnioſa ac etiam iuſta, dolorem infert; tamen eo ipſo quòd iuſta eſt, minori cum faſtidio concoquitur: quia quod quis ſibi intriuit, minùs difficulter abſumit, agnoſcens ſe id eſſe commeritum, nec inficiari audens, quin iuſtum ſit vt qui fecit quod non debuit, audiat quod minimè vellet: conſentaneè ad illud, *Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.* At cuius per calumniam fama profligatur, non ignorat nitorem ſuum. Hincque S. Chryſoſtomus ſub finem libri tertij de Sacerdot. infert, nihil eſſe procliuius, niſi validum gratiæ præſidium ſuppetat, quàm hominem calumniis appoſitum concidere animo, vel impatientia frangi. [Etenim qui meritò incuſatur, facilè tulerit eum à quo incuſatur: Quippe cùm accuſator, minùs quàm conſcientia ipſa infeſtus ſit, efficitur, vt quoties ab ea quæ omnium moleſtiſſima eſt, deprehenſi conuictique prius fuerimus, accuſatores extraneos tanquam manſuetiores, facilè poſtea patiamur. Porrò qui nullius ſibi culpæ conſcius eſt, dum iniuſtè accuſatur, continuò ad iram propenſus fertur, nec non animum facilè deſpondet, niſi idem ſic ſe priùs animo comparauerit, præparaueritque, vt multorum inſipientiam patientiſſimè ferat. Fieri enim vix poteſt, vt qui ſe temerè calumniam pati atque iniquè damnari intelligit, non aliquo modo aduerſus tantam hominum iniquitatem, atque abſurditatem commoueatur.] Videt nimirum quàm immeritò audiat quod audit, & quàm procul ſit ab impacta ſibi labe. Obſeruauit id quoque Apuleius Apol. priore aggrediens ad depulſionem impactorum ſibi (vt cauſabatur,) calumnioſè probrorum, rationem ſoluti ſilentij reddit; [Eſt enim pudentis animi & verecundi, (vt mea opinio fert) vel falſa vituperatione grauari: cùm

etiam

Digitized by Google

etiam ij qui ſibi delicti alicuius conſcij ſunt, tamen cùm malè audiunt, impendio cõmoueantur & obiraſcãtur. Quanquam exinde vbi malefacere cœperũt, cõſueuerint malè audire. Quòd ſi à cæteris ſilentiũ eſt, tamen ipſi ſibimet conſcij ſunt, poſſe ſe meritò increpari. Enimuero bonus & innoxius quiſque, rudes & imperitas aures ad malè audiendum habens, & laudis aſſuetudine cõtumeliæ inſolens, multò tamen ex animo laborat, ea ſibi immeritò dici, quæ ipſe poſſit aliis verè obiectare.] Quid quòd Chriſtianus innoxius, (quò Apuleij quippe D. Auguſtino teſte & plani nocentiſſimi, & Ethnici cogitatio non peruaſit) ſuam violationem cum Dei gratiæ autoris iniuria damno ſuo nexa coniungens, habet vnde cumulet mœroris ſui acerbitatem. Quare calumnia eſt malum acerbiſſimum, & quidem innoxio inflictum, ac proinde virulentiſſimum.

Nec ille aculeus prætereundus eſt, qui ex plagæ per calumniam illatæ diffuſione progignitur. Cùm enim alia damna & mala, vno certo tempore ac loco definiantur; malum per calumniam illatum, etiam poſt mortem eius qui violatus eſt, perſeuerare integrum poteſt: nec illo vno loco in quo eſt illatum concluditur, ſed nihil facilius quàm vt orbe toto peruagetur. Meritò igitur homo qui immortalitatis eſt cupidus, nec probroſum apud poſteros, vel alibi dum ſuperſtes eſt, ſortiri nomen deſiderat, ægerrimè fert dehoneſtationem falſi probri afflictione malignè inuſtam, qua videt ſe tot locis ac temporibus, nomen bonum, (rem vtique pretioſiſſimam & cum nullis externis rebus conferendam,) amittere.

Ablatio famæ per calumniam, coniuncta eſt cum ablatione amicitiæ, quæ bonum eſt dulciſſimum & nullo pretio æſtimandum. Notauit hoc Hippias, Plutarcho teſte. Mirabatur enim nullum aduerſus calumniam ſtatutũ eſſe ſupplicium, ſicut aduersùs furtum: cùm tamen calumnia amicitiam deprædetur, bonum vtique fructuoſiſſimum. Quis enim amore proſequi inducat in animum perſonam, cuius improbitatem calumnia vulgarit? Sanè obiectum amoris eſt bonum, & nemo probus velit amicus audire illius quem calumnia pro facinoroſo ac ſceleſto traducit, metuens affricare ſibi eius probra, eadémque fuligine denigrari. Rectè igitur aſſumebat Hippias, calumniam deprædari amicitiam; indéque inferebat, furem licet maleficus ſit & iniuriam inferat, iuſtiorem tamen, id eſt, minùs iniuſtum eſſe quàm, calumniatorem; quia bonum longè optabilius deprædatur calumniator, abalienando omnium animos ab eo quem dehoneſtat, ſicque omnium cum eo amicitiam profligando. Quid ſi hoc quoque ſpectabat Ageſilaus, cùm diceret, calumniatores maiore odio proſequendos eſſe, quam fures?

Iure itaque amariſſima cenſetur calumnia, tam pretioſis bonis exturbans hominem nihil tale commeritum; & oppoſitis malis eum afficiens, redigenſque ad vaſtitatem maiorem, quàm poſſit fur aut quantumuis importunus graſſator: Vt mirum non ſit, præ tanta calumniæ acerbitate, etiam ſapientes quos alia damna non mouerint, conturbari, & humanum aliquid pati ad irrogationem calumniæ. Iob ſanè, ad omnes ſatanæ plagas fuit adamantinus, vt loquitur S. Chryſoſtomus homil. 5. de patientia Iobi. Non illum fortunarum diſſipatio, non filiorum obitio, non vxoris abalienatio, non vlcera quibus toto corpore ſcatebat, de arce mentis & propoſiti conſtantia deiecerunt, ſuccutiunculam tantùm nonnullam viſus eſt excipere, cùm amicorum calumniis eſt pulſatus; ita vt qui ad alias plagas perſtabat planè immotus agnoſcens diuinam ma-

num, fixuſque ab vnius Dei nutibus pendere; Tamen appetitus amicorum malè pro Deo ſatagentium calumniis, longas texuerit apologias, probra diluens, ſéque iniuria calumniis grauatum, ſtudioſè demonſtrans. Tam durum, tamque acerbum eſt, calumnia onerari, nullius probri ſibi conſcium ac immerentem.

Quæ ergo adeò amaros fructus procreat calumnia, & dulcedinem conſcientiæ hominis innoxij tanto acore corrumpit, radix amaritudinis & fel iniquitatis, (quo nomine Apoſtolorum Princeps ſumma crimina denotat,) audire meritò debet. Nec ſunt ab huiuſmodi amara radice fructus dulces expectandi, quales ſpondebat ex amara ſtudiorum radice Tullius. Literarum ſiquidem ſtudia, ob adiunctas extrinſecùs difficultates, radicem amaram habere dicuntur, cuius amarities euictis difficultatibus abſtergitur; tuncque innata literis dulcedo ſe prodit. Aliter res habet circa calumniam, cuius intima veluti ſubſtantia, teterrimi & inſuauiſſimi amaroris malignitate vitiatur. Quod mirum eſt, Achilles Statius Alexandrinus lib. 6. de Amor. Clitophontis & Leucippes, ineſſe ſimul calumniæ acerbitatem ſummam cum fallaci delinitione conteſtatur. Ait enim. ἡ διαβολὴ ξίφους τομωτέρα, πυρὸς, καυστικωτέρα, καὶ τῶν Σειρήνων ἐςὶ εὐπειθεστέρα. h. e. Calumnia enſe acutior, igne ardentior, (quibus nihil ad cruciandum & exciendum acerbum, efficacius;) & Sirenibus ad Suadelam potentior, Dulcedo verborum Sirenes, adeò decantata eſt, vt Philoſtratus in Iſocrate, dulcedinem ab oratione eius manantem exprimens, dixerit, Sirenem linguæ eius inſediſſe. Hanc ergo fallacem & illecebroſam dulcedinem, qua omnes capiuntur, calumniæ in tanta eius amaritudine & acerbitate conſociari, tradit Achilles, quæ mira ſanè eſt coniugatio.

CAPVT IV.

Malignitas calumniæ, veſtigata ex pœnarum atrocitate, calumniatoribus omni Iure ſtatuta.

Dignum planè ac iuſtnm eſt, calumniatorem, qui tanta amaritudine & acerbitate perfundit innoxium, repenſa acerbitate, & amaritudine per pœnarum irrogationem, mulctari. Id quod in præſentia conſiderandū ſuſcipio, quia ad detegendam calumniæ virulentiam non parum conducere poteſt. Neque enim legiſlatores adeò concitati eſſent aduerſus calumniam eiúſque autorem, niſi virus calumniæ, pluſquàm vulgare eſſe deprehendiſſent. Verum eſt, non vbique ſimiliter feruere ſtudium mulctandi grauibus pœnis calumniatores. Nec deeſſe Iudices, etiam ſacros & Eccleſiaſtico foro præfectos, qui torpeant in plectendis calumniatoribus; nec rarò cum eis diſſimulent atque conniueant, ne ſit accuſationum parcitas; expoſtulat Segura in directorio Iudicum Eccleſ. part. 2. cap. 2. num. 5. In omni tamen benè conſtituta Republica, viguiſſe ſemper contrarium vſum Ariſtoteles teſtis eſt, lib. 6. polit. cap. 5. ipſumque Domitianum, tametſi trucem & barbarum aduerſus peſtem calumniatorum egiſſe exactiſſimè, docemur ex Suetonio in Domitiano cap. 9.

Vt autem monſtremus, calumniam omni iure damnari, ac multiplicibus pœnis affici: attingenda ſunt quæ iure ciuili (non Romano duntaxat, ſed aliarum quoque gentium,) irémque iure Canonico & diuino poſitiuo, in hanc rem præſcripta leguntur, libando quæ pluribus proſecuti ſunt Menoch. lib. 2. de arbitrat. caſu. 322. Couarr. 2. var. cap. 9. Farinac. lib. 1. titul. 2. quæſt. 16. Iulius Clarus l. 5. recept. ſentent. §. final. quæſt. 81.

quæſt. 81. Ægid. Boſſius tract. de cauſ. criminal. titul. calumniator. num. 8. & paſſim alij Iuriſperiti, agentes de pœnis criminum, aut in particulari de pœna calumniæ, ad titul. C. de calumnia.

Iure igitur Ciuili Romano, ſtatuta erat Calumniatoribus pœna inuſtionis frontis inſcripta initiali litera nominis *Calumniator*, vt dixi in tractatione de ſtigmatiſmo ſect. 2. c. 3. Eóque ſpectabat, quod apud Papinianum l. 13. ff. *de teſtibus*, homo calumniæ damnatus opponitur homini frontis integræ. Eodem pertinet, quod apud Tullium orat. pro Roſcio Amerino, intentatur calumniatoribus, affigenda ad caput ipſorum litera. Hoc Caſſiodorus in Pſal 71. *ad verſum* 4. videtur accepiſſe de nuda condemnatiotione. Ait enim, antiquos Iudices literam K apponere ſolitos in ſignum condemnationis. Verum id qnidem. Nam etiamſi alibi traditur, Iudices ad damnandum adhibuiſſe literam C. (ſicut ad abſoluendum literam A. & ad ampliandum literas N. L.) tamen literæ C & K. ſæpè confundebantur. Itaque verè ait Caſſiodorus, Iudices literam K. pro damnationis teſſera adhibuiſſe. Sed quod inde factum addit, vt calumniator litera K. notetur, non eſt accommodatum: quia ea damnandi nota, communis erat omnibus condemnationibus, vt videre eſt apud Polletum, Sigonium, & alios de Iudiciis agentes, ex quibus Hermannus Hugo lib. de prima ſcribendi origine cap. 22. quod eſt de notis Iudiciariis. At K. calumniatorum fronti affixum, erat peculiare eorùm ſupplicium, quo frontes eorum ferro candenti, forma litteræ K. inurebantur. Duplex KK. eo ferro impreſſum, voluht Petrus Diaconus l. de notis & Aldus Manutius libello eiuſdem argumenti: ita exponentes illud KK. vel K. C. vt ſonet *Calumniæ cauſa*. Olim quippè vox *Calumnia* exarabatur per K. vt Lipſius annotauit l. 2. Elector. cap. 15. De hac apud Romanos calumniatoris pœna; videndi Cuiacius tom. 2. ad titul. qui teſtam. facere poſſ. leg. *is cui*. Pithœus in comparatione Legum Moſaicarum & Romanarum. titul. 4. §. ſine calumniæ pœna, adducens Iuliani Antiochicum, & Hermannus Hugo, ſupra c. 19. Præterea verò calumniator, deiectus quandoque è ſaxo Tarpeio legitur vt eſt apud Gellium leg. 20. cap. 1.

Item obnoxius fiebat pœnæ legis Memmiæ aut Rhemmiæ, quæ eſt prima in titul. ff. ad S. C. Turpilia. Quæ lex ferebat, vt qui falsò ordinatium crimen impegiſſet, pœna talionis plecteretur, iubens ſupplicium in cuius diſcrimen conieciſſet alium falsò accuſarum. Qui autem falſum crimen extraordinarium malitiosè impegerat Iudicis arbitrio plectendus extra ordinem decernebatur. eidem noxæ flagella & traductionem per Amphitheatri arenam indixit Titus apud Sueto. cap. 8.

Exilium apud Romanos calumniatori quandoque illatum eſſe, liquet ex Tacito lib. 5. Annal. Quod autem Corraſius leg. 1. epiſtol. cap. 13. exiſtimauit non aliam apud Romanos conſtitutam fuiſſe pœnam calumniatori, quàm infamiæ, eſt contra omnia proximè dicta, neque rectè à Corraſio ſtabilitur autoritate Tullij qui l. de diuin. dixit. (Nulla ſalus Reipublicæ maior eſt, quàm eos qui alterum accuſant, non minus de laude, de honore, de fama ſua, quàm illos qui accuſantur de capite, ac fortunis ſuis pertimeſcere.) Hoc verè à Tullio dictum eſt, & conſentanea eſt lex 3. C. de calum. vbi calamniatori infamia irrogatur. Nihilominus tamen aliæ præterea pœnæ conſtitutæ erant calumniatori, vt præmiſimus, videtéque eſt apud Paulum Manutium leg. de leg. Rom. C. Polletum l. 4. hiſtor. fori Rom. c. 5. Apud Græcos, calumniatores exquiſitè plectebantur. Quid Charondas in eos ſtatuiſſet,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ruiſſet, adductum eſt cap. 2. ex Diodoro leg. 12. qui vſurpatam ab eis quandoque fuiſſe in calumniatores pœnam talionis, demonſtrat lib. 4. vbi Idæa, Phineos Thracum Regis vxor, priuignos calumniata, comperta calumniæ, mulctata eſt infoſſione, poſt acrem verberationem: quam pœnam, in priuignos innoxios ipſa deuocarat.

Aliæ gentes diuerſimodè mulctarũ: calũniatores & plerunque incruēto ſupplicio, ſed cuius tanta eſſet infamia vt mors poſſet videri mitior, quod de pœna Calumniatori conſtituta à Charonda dixit Diodorus. lib. 12. Nec aliter apud alias aliquas gentes vſu receptum conſtat. Poloni certè (vt ſcribit Cromerus lib. 15. referens Gneuoſſij Daleuicij calumniam in Hediſuigem Vladiſlai Regis Vxorem adulterij cum Gulielmo Auſtrio inſimulatam, & lib. 16. narrans calumniam à Clemente Moſcoronio Cracouienſi Præfecto, impactam) damnabant calumniatorem retractatione publicè facta, qua calumniator, ſe mentitum eſſe, clara voce profitebatur, adiuncto canino latratu ſubter ſcamnum edito. De quo rurſus infrà agendo de calumnia adulteri impacta Heduigi Polonæ. Hoc apud illam gentem adeò acerbum eſt calumniatori vt mors minus amareſceret. Mahumetis lege, calumniator, (vt refert Ioannes Antonius Menauinus lib. 2. c. 6. & ex eo Petrus Follerius Tract. de contract. Cenſuariis V. *Nicolaus* n. 124) aſino imponebatur auerſa ad caudam facie eaquepro loro prehenſa, amictus putridã equi bouiſve pellem, vrbẽ circumerrare adigebatur, pueris cœnum & ſannas iactantibus in miſerum, cui denique frons, & vtraque mala ſtridulo cauterio inurebatur.

Ius eccleſiaſticum quibus pœnis afficiendum decernat calumniatorem, intelligere licet, cùm ex Clementis conſtitutionibus tum ex Vulgato Iuris Canonici corpore, & Variis Pontificum eccleſiæ Rectorum decretis. Clementis quidem conſtitutiones propter mixturas, & adulterationes, quibus ab Hæreticis ſunt deformatæ vt eſt in Cano. 2. Trullano, non ſunt tanti, nec faciunt certam fidem ſenſus antiquæ Eccleſiæ. Tamen negari non poteſt, quin apud veteres magni fierent idque ſaltem euincit, qui pro illius operis defenſione ſolliciriſſimè egit Turrianus. Itaque non inutiliter, vel incongruè, pœnas in veteri Eccleſia calumniatoribus decretas, ex illis conſtitutionibus, tanquam Iuris antiqui eccleſiaſtici aliquali promptuario reperemus. Ibi igitur l. 2. c. 42. & 43. ſic ſtatuitur [Vos Paſtores cum Diaconis, cognoſcetis eum qui proximum ſuum per calumniam mendacis teſtimonij, accuſauit; & oſtenderis eum eſſe calumniatorem, inuidum, interfectorem, ſuis repugnantiis perturbantem, vt malitioſum, ſermone inconſtantem, dictis ſuis contrarium, & oris ſui verbis captum. Fuerunt enim ei laqueus fortis labia ſua; quem tu poſtquàm falſitas teſtimonij eius conuicta fuerit, iudica rigidè, & gladio ignis trade, facque ei quod ipſe proximo ſuo ſceleratè machinatus eſt. Quantum enim in eo fuit, fratrem occidit, aures iudicis occupando, &c. Itaque eiice eum ex Eccleſia, tanquam fratris interfectorem. Deinde interuallo temporis, ſi dixerit, pœnitere ſe, premite eum ieiuniis: ac poſtea per manus impoſitionem recipite, cauentes tamen illi, ne quem iterum turbet. Quod ſi rurſus ingreſſus, ſimiliter ſeditionem & diſcordiam concitarit, neque deſinat turbare & conuicia facere fratri, vituperationibus ex contentione nequiter ſtudens, eiice eum tanquam peſtilentem, ne Eccleſiam Dei vitiet & fœdet. Qui enim huiuſmodi eſt, turbas conflat ciuitatibus idemque tametſi intra Eccleſiam eſt, tamen quia Eccleſiam dedecorat, ſuperuacuus & inanis eſt: qui quidem quantum in ſe eſt, corpus Chriſti ſordidat.]

Digitized by Google

ſordidat.] Pergit monſtrare, quomodò calumniator ſit membrum ſuperuacuum, & Eccleſiæ corpus dehoneſtans, per calumnias quæ ſunt Diaboli opera : ad quæ exercenda, ab ipſo Diabolo eſt electus. Itaque eum iterato abſciſſum vult à corpore Eccleſiæ quam confirmat reciſo hoc inutili & ſuperuacuo ac probroſo membro, fore venuſtiorem. Non potuit duriùs excipi calumniator :] quandoquidem excommunicatione, quæ ſummum verticem occupat in pœnis Eccleſiaſticis, multandus decernitur. Cur autem excommunicationem vocauerit Clemens, *gladium ignis*, expoſui in opere de monitoriis parte 2. c. 9. n. 4. comparans excommunicationem cum electione Adami è paradiſo per romphæam igneam, quæ eſt multorum Patrum allegoria, vt ibidem retuli.

Sed dimiſſo iure apocrypho conſtitutionum Clementis, nouum ius canonicum maioris pœnæ dignum pronunciat calumniatorem, quàm alium quemuis noxium, vt videre eſt apud Innocentium & Abbatem ad c. vltimum de calumniator. Notanda nominatim in hanc rem ſunt aliquot capita apud Gratianum, vt cap. *qui in alterius* & cap. *quidam maligni* 23. q. 4. & cap. *deteriores* 6. q. 1. nec non cap. *Epiphanium* 5. q. 6. ac denique cap. *Delatori* ibidem. His locis, calumniatores fiunt infames, & caſtigandi verberibus; officióque & beneficio ſi quod habeant, priuandi decernuntur; ac etiam omni communione Chriſtiana extorres habendi, pronuntiantur. Linguam eorum capulari debere, aut caput amputari, Adrianus Papa ſanxit. Pius V. conſtitutione ſua V. innouauit in calumniatorem pœnam talionis, vt notauit Farinacius q. illa 16. num. 5. Quid ad has pœnas addere poſſet ius Canonicum, cæteroqui mite, equidem non video. Cauſam autem cur adeò in calumniatores ſit concitatum, inde repetit Menochius caſu illo 302. quòd alia tametſi atrocia crimina, non rarò, imo fere ſemper impetu quodam animi, aut ob fragilitatem, vel neceſſitatem aliquam admittuntur, vt homicidum præ iræ feruore, blaſphemia ex impetu linguæ lubricitatem abripiente; furtum ob indigentiam. Sola calumnia, ex deliberatione, & mera malitia concinnatur innoxio; itaut verè redoleat modum peccandi Diabolicum; in quo non fragilitas, non indigentia, non cæcus impetus propellit ad peccandum, ſed mera malitia. Vt fortaſſis hanc ob cauſam, Saran pſal. 71. *calumniatoris* nomine ſit antonomaſticè inſignitus.

Diuino iure poſitiuo, quòd proſtat Deuter. 19. ſic decernitur contra calumniatorem. *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prauaricationis, ſtabunt ambo quorum cauſa eſt ante Dominum, in conſpectu Sacerdotum & Iudicum qui fuerint in diebus illis Cúmque diligentiſſimè perſcrutantes, inuenerint, falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non miſereberis eius, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Hæc eſt pœna talionis, qua ſcilicet tale rependitur, quale illatum eſt, vel inferendum fuit, calumniam paſſo. Ariſtoteles 5. Ethic. c. 5. excuſſus lib. 3. de virtu. num. 176. appellat talionem, *contrapaſſum* ſiue vt habet alia interpretatio, *repaſſum*: eóque aduocat illud Radamanthi, *ſi qua fecis, patiatur & ipſe, rectum fuerit iudicium.* Pugnat pro huius legis iuſtitia Soto l. 5. de iuſtit. q. 5. articulo 4. Quod vix neceſſarium eſt, cum eo ipſo quòd lex à Deo eſt lata, non poſſit de eius iuſtitia & ſanctitate dubitari. Imò fuiſſe humanitatis refertam, tradit S. Iſido. Peluſ. l. 4. Epiſto. 86. Rectè tamen addit Soto, per-

perám

peram aliquos ex eo quòd lex talionis à Deo ſit lata contra calumniatorem inferre modò eam pœnam eſſe de iure diuino. Non enim ita eſt, quandoquidem ea lex non erat moralis de iure naturæ, ſed iudicialis; cuiuſmodi leges ſunt á Chriſto abrogatæ, ſaluis ſolis præceptis moralibus quæ erant de iure naturæ. Nunc certè, pœna talionis vix vllibi retinetur, abiitque fere in deſuetudinem, vt habetur Inſtit. de iniur. §. *pæna*, & tradunt omnino multi D D. quos adducit Menochius caſu illo 302. num. 3. ac Farinacius q. 16. citata num. 3. necnon Iulius Clarus dicta q. 81. num. 3. vbi allegato Matthæo de Afflictis affirmante, hodie pœnam talionis calumniatori iure conſtitutam, non eſſe ſublatam; addit Clarus, ſpectatis iuribus, etiam nouiſſimis, pœnam illam hodieque habere locum, vt patet ex l. fin. C. de accuſat. iuncta l. *qui non* C. de calumniator; Attenta tamen conſuetudine, pœnam talionis olim calumniatori conſtitutam, hodie ferè aboleuiſſe, quod omnino multorum Doctorum ſuffragio confirmat. Et ratio abolitæ ferè per contrariam conſuetudinem legis prædictæ, ea paſſim refertur; quod plerique veriti atrocitatem pœnæ, retraherentur ab accuſando: ne ſi contingeret, ipſos in probatione deficere, haberentur pro calumniatoribus; ac capitis ſui periculo, noxarum punitionem vrgerent, ex quo fieret, vt delicta, interclusis accuſationibus, impunita remanerent. Haud tamen ita abolita cenſeri debet lex talionis, calumniatori olim conſtituta, & priſca VViſigotorum lege firmata, vt nunquam habeat locum. Sunt enim euentus aliqui iure expreſſi, in quibus pœna talionis iuxta ius ciuile etiamnum viget; puta in euentibus tituli ff. *quod quiſque iuris*. Et cùm quis reuincitur, innocentis vitæ falſa accuſatione inſidiatus, vt notat Petrus Gregorius l. 31. ſyntagm. c. 10. num. 3. Deus ipſe, vt plurimùm, talione repenſo, mulctat, cùm alios noxios (vt latè proſequitur Antonius Guelfius in opere de Talione,) tum nominatim calumniatorem, quod hiſtoriæ probatæ quas copioſè infrà referemus, ſatis ſuperque confirmant. Optabatque Paulus Ghilandus Tract. de relax. carcerator. Tit. de calumniator. c. 2. num. 4. inſtaurari in calumniatorem, iure humano, hanc legem vt fons malorum obſtrueretur.

Ex tanta pœnarum mole calumniatoribus conſtituta, perſpicuè habetur, malignitatem calumniæ omnino inſignem eſſe. Neque enim legiſlatores ex eorum numero ſunt, qui vt Humbertus dixit, muſcam vultui moleſtam, impacta validè ſecuri repellunt, ſæuientes vltra omnes iuſti ac decori leges: ſed qua fuerunt æquitate atque prudentia, admenſi ſunt pœnas ſceleris malignitati ac virulentiæ. Ac proindè cum pœnis omnino grauibus calumniatorem multarint, cenſendi ſunt calumniæ malitiam, & cladem quam infert, habuiſſe perſpectiſſimam.

CAPVT V.

Fontes Calumniæ.

GEneratim quidem loquendo, aſſerere licet, fontem calumniarum omnium eſſe cæcitatem humani generis, vt bene vidit Lucianus in calce libelli de non temerè credendo calumniæ. Multa enim prælocutus de virorum bonorum appetitione per calumniam, & multorum leui credulitate, addit: [At verò horum omnium cauſa, vna eſt ignorantia, tenebræque illæ quibus ſuæ cuiuſque hominis rationes, moreſque abuoluuntur. Iam ſi Deorum quiſpiam vitæ noſtræ lumen afferat, futurum eſt vt euaneſcat calumnia, fugiatque in altum barathrum, vel vſquam in humanis locum inueniat, reddita nobis luce omniũ vitæ ſtudiorum.

ſtudiorum, veritatis beneficio.] Hoc quamuis verè dicatur, tamen alios hîc calumniæ fontes quærimus, & ſpecialiores ac ſe tenentes ex parte calumniatoris; cum ignorantia vel potiùs obſcuritas innocentiæ quæ in viro probo delitelcit, teneat ſe ex parte paſſi, ſitque potiùs occaſio cur calumnia concinnari poſſit, quàm fons & cauſa eius. Qui igitur ex parte calumniatoris ſe teneant, & rationem cauſæ verè habeant, tres cœnoſos calumniæ fontes, & cauſas originis eius remotas, latè aperit Cælius Calcagninus toto commentario de calumnia. Primus eſt inuidia. Secundus odium vel vltio iniuriæ acceptæ. Poſtremus vtilitas ſperata ex alterius dehoneſtatione. Aliũ (ſi tamen alium, nam per inuidiam ſcatet,) aperit S. Ambroſius ſermone. 16. in Pſal. 118. ad verſum 2. nempe ſuperbiam. Attingamus lutulentos hos fontes; quod ad penitiùs perſpiciendam calumniæ fœditatem & malignitatem, erit peropportunum. Certum quippè eſt, de fonte cœnoſo, fruſtra puros latices expectari.

Liuor & inuidia, tabificum malis venenum, fons calumniæ plerunque exiſtit. Dum enim ſplendore alieno præſtrictus inuidus, cœcutientes oculos ſuos liberare ſatagit, lucis ab altero offuſæ vbertatem diluere mendacio ſollicitus, leuamen ſibi à calumnia perit, impactis falſis probris denigrans, quem efferri ſupra ſe dolet. Sanè primæ omnium & antiquiſſimę calũniæ, qua Satan Deum apud homines appetit ſapiens, initia ab inuidia reperit, profeſſus, mortem inuidia Diaboli ſubiiſſe orbem terrarum. Per inuidiam ergo, qua ex hominis apud Deũ gratia cruciabatur, factum eſt, vt implanando ac euertendo homini, Satan calumniam ſtrueret, qua Dei ſanctitatem nitentiſſimã decoloraret. Chriſtũ immanibus calumniis proſciſſum à Iudæis, ex inuidia qua in eum exardeſcebant, Euangeliſta notauit, docens compertum fuiſſe Pilato, quòd Principes Hebræorum, per inuidiam tradidiſſent eum. Egregiè verò Petrus Bleſenſis Epiſt. 87. agens de calumniis quibus Gulielmus Clienſis Epiſcopus gradu motus fuerat, de hoc calumniarum fonte diſſerit in hũc modum. [Præſens eram, vobiſque prædixeram, qualiter æmuli veſtri iam contra vos arma iniquitatis in inuidiæ fornace conflabant. Inuidia eſt, quæ Chriſtum in mortem tradidit. Inuidia Caïn armauit in fratrem, Saül in Dauid, Ioab in Abner & Amaſam. Per inuidiam dicit Salomon, mors intrauit in orbem terrarum. Hæc eſt beſtia ſaltus quæ deuorauit exercitum Abſalon. De illa ſapiens dicit, *non ambules & non comedas cum homine inuido. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non erit tecum. In oculis tuis*, dicit Eccleſiaſticus, *lacrymabitur, & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas.*] S. Anſelmus l. 1. Epiſto. 54. calumnias Hugoni Priori ex inuidia irrogatas deſcribit De huius fontis cœnoſitate, fruſtra diceremus. Conclamant in inuidię fœditatem Patres paſſim, preſertim verò Cyprianus Opuſculo de Zelo & liuore, ac Baſilius hom. de inuidia, omnino multa & præclara, intorquentes in tabificum hoc venenum. Quę & alia nunc miſſa facio, contentus indicaſſe, quanta virulentia in ſcaturiginem huius fontis deriuetur, monſtrato obiter principij vitio; Calcagninus opuſculo citato, multus eſt in aperienda deriuatione calumniæ ex inuidia. Sed hoc puto nõ egere illuſtratione; cùm ſatis notum ſit, inuidum rebus alterius opimis macreſcentem, conari tenuare proximi bona, tanquam ſibi incommoda. Quod autem per veritatem non licet, procliue eſt vt obcœcatus inuidia animus, per mendacia & calumnias conſequi moliatur.

Fontem ſecundum calumniæ, ſtatuebam odium, vel vltionem iniuriæ acceptæ. Qui enim ab alio violatus eſt, inde-

que odio in illum flagrat, niſi animum, patientia obduret, & odium excutiat, procliue eſt vt ad explendam vltionis cupiditatem, nectat hoſti calumniam. Nec id mirum de calumnia eſſe debet, cùm Apoſtolus ipſe teſtetur, omnem qui odit fratrem ſuum, homicidam eſſe. Hoc Autor libri de Malis Doctoribus Sixto Papæ malè adſcripti, ita accipit, vt ſit ſenſus; oſorem fratris eſſe homicidam; quia quiſquis odio flagrat, habet homicidij affectum, concupiſcens mortem eius, quem odiô habet, tametſi necdum illi ſicam intentat. Id quod ferè etiam ait ſanctus Hieronymus Epiſtol. 36. Quia tamen omne odium proximi, non habet ſecum adiunctum alienæ cædis affectum; videtur potius dicendum, oſorem fratris dici homicidam, quia ex genere ſuo, odium angeri poteſt vſque ad proximi cædem: & ideò maturè extinguenda eſt ſcintilla, ne in immane ſurgat incendium. Mirum igitur eſſe non debet, quòd ex odio exiſtat calumnia, ex quo aptum eſt progerminare homicidiū. Nempe vſque adeò excæcat odium, præſertim anteriore iniuria, (vt ferè fit,) exacerbatum; vt dum in vltionem improuidè fertur ac cœco impetu, furor improbus arma iniqua plerunque miniſtret. Liquidò id cernimus in hera Ioſephi, quæ impatiens repulſæ quam ſanctè à Ioſepho tulerat, amore in rabiem verſo, vltura prætenſam contemptionem, innocentiſſimo iuueni ſtruxit calumniam, ſuas in eum ſordes malignè referens. Idem videmus in ſpurcis ſenibus, qui verbum malum de S. Suſanna diſſeminarunt, iuſtiſſimam repulſam vlturi.

In tertium calumniarum fontem initio aſſignatum, nempe ſpem commodi ex alterius dehoneſtatione, multis conclamat S. Ambroſius. l. 3. offic. cap. 3. & 4. demonſtrans, quàm indignum ſit, vt quis captet commodum ſuum, per alienum inconmodum. Cùm tamen humanitas ſpecialis & domeſtica virtus hominis, omnino aliud ferat, noſque prouocet ad iuuandos omni ope alios, nocendum nemini. Sicut humus, (inde nomen ſumpſimus omnes, & inde appellata eſt humanitas,) nihil cuiquam eripit, ſed omnia largitur omnibus. Vrget etiam S. Ambroſius, partiū eiuſdem corporis vnanimem varietatem, apprimè officioſam adinuicem, ita vt nullum membrum alteri ſit noxæ aut fraudi, alterum verò alteri deferat, ſeque inuicem iuuent citra omnem inuidiā. Oſtendit denique ferinum eſſe, & contra naturæ iura, alieno incommodo, ſuo commodo proſpicere. Igitur valde turpe eſt, alterius decremento falſiloquiis ac impoſturis inducto, crementum affectare, quod tamen eſt frequentiſſimum calūniarum principium, dum mortales præ nimio ſui amore, vt deturbent alios faciantque depontanos, impactione falſorum probrorum non abſtinent; tantum accedere ſibi gloriæ rati, quantum decedit alienæ; & per aliorum proſtrationem ſcandulas ſibi ad gloriā & commoda captata machinantes. Hac maximè ex cauſa, Regum ac Principum aulas ſcatere calumniis, dum quiſque Palatinorum per ſocij deiectionem ſua commoda & ſubuectionem curat, dicam infra ex Luciano dialo. de non temerè credendo calumniæ.

Ad hunc tertium calumniæ fontem, pertinet cupiditas immoderata; qua interdū cupidus fertur ad euertendos alios fortunis ſuis per calumniam. Quo ex capite, ſummates ipſi portantes Orbem, vt ſuppetat ſemper vnde prodigè in aliquos effundant, exſugunt alios per calumniā. Notatum id à Victore Vticenſi in Hunerico l. 2. perſec. Vandal. *ipſo initio*. Ait enim, eum cæterà principio laudabilem, in eo diſplicuiſſe; [Quia cupiditati inſatiabili

tiabili vehemétiùs inhiabat,& Prouincias Regni ſui variis calũniis atque indictionibus onerabat, vt de illo præcipuè diceretur, *Rex egens, magnus eſt calumniator.*] E contrario Theodoricus Rex apud Caſſiodorum l. 1. epiſto. 21. Marcellum fiſci aduocatum admonet, ne calumnia innocentes grauet. Nouerat enim familiariſſimum eſſe publicis hiſce aucupibus, pedicas nectere ſimplicibus; vt interuentu publicæ autoritatis quam habent ad manum, commandant egenum & pauperem eiuſque ſubſtantiolam, cupiditatis ſuæ prædam efficiant. S. Ambroſius l. de Nabuthe, egregiè id expreſſit in Iezabele Achabi vxore, quæ 3. Reg. 21. marito de alterius recula inuadenda ſollicito, calumniam obtruſit qua occideret innoxium & eius ſubſtantia potiretur. Iezabelem S. Ambroſius eo libro c. 9. interpretatur *vanum profluuium*, quod omnia fluuij more rapit, & nulli vſui profutura traducit. Hoc vanum profluuium, Reges ſeculi atque magnates, in humiliores plerunque per calumniam abripit, vt extorqueant quod effundant, & ſin minùs iure, at quacunque via aliunde creſcant. Itaque S. Ambroſius inducit Iezabelem, (quam quotidie Achabo obrepere dixerat c. 1.) poſſeſſionem quam concupiſcebat, offerentem marito, his verbis vtentem. [Tu triſtis es, quia vis menſuram conſiderare iuſtitiæ, vt alienum non eripias. Ego habeo mea iura, meas leges. Calumniabor vt ſpoliem, & vt poſſeſſio eripiatur, vita pulſabitur.] Eundem calumniatorium animum, exhibuit Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, Iudith. 1. qui inhians prædæ, & omnes, quæ in circuitu erant nationes, cupiditatis ſuæ pabulum facere proponens, miſit ad eas nuncios, vt vltro ſe dederent: quibus gentibus cùm vno animo auerſatis, *indignatus Nabuchodonoſor Rex aduerſus omnem terram illam, iurauit per thronum & regnum ſuum, quòd defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Quid hoc, *vt defẽderet ſe?* In quo enim læſus fuerat ab illis regionibus, vel quid in Nabuchodonoſorem molitæ fuerant, poſt deuictum ab ipſo potentiſſimum Medorum Regem Arphaxad? Nemo in victorem mouetur. Sed eius cupiditas inflammatior & flagrantior, poſt exciſum hoſtem potentiſſimum, & res eius rebus ſuis appoſitas, adiecit oculum in reliquam illam prædam, cui accumulandæ cùm titulus idoneus non ſuppeteret, arreptum eſt calumniæ ſubſidium. Commentus eſt Nabuchodonoſor ſe læſum, & quaſi regionum illarum populi, imminerent ipſi; propulſandam abs ſe iniuriam finxit. Itaque iuramento confirmat quod vlciſcatur ſe: Hoc enim eſt *ſe defendere* vt apud Paulum *Non voſmetipſos defendentes*, id eſt vlciſcentes. Rom. 12. & pſal. 8. vbi nos legimus *vt deſtruas inimicum & vltorem*; vetus lectio Diuo Auguſtino ibi probata, & S. Paulino Epiſto. 2. habet, *vt deſtruas inimicum & defenſorem.* Quare Nabuchodonoſor, præ cupiditate dominandi, prætexit ſe læſum, & calumniam impingit innoxiis.

Hi igitur ſunt primarij fontes è quibus ſcaturit calumnia. Cum autem ſint admodùm venenati, (quid enim virulentius inuidia, & odio, ac ſuperbia vitæ, per quaſcunque vias meteoriſmum captante?) nemo non videt, quantum riuum inde profluentem dimanare neceſſe ſit. Iuuerit etiam hos fontes annotaſſe, vt iis obſtructis aut ſiccatis, exareſcat etiam riuus. Si enim meritò aduerſanda eſt calumnia tanquam terrum quid & horrificum, ſatagendum eſt pro declinatione inuidiæ & odij, & cupiditatis alienorum commodorum, ex quibus principiis exiſtit calumnia.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Genius Calumniatorum.

QVid dicatur vniuſcuiuſque genius, Dio Pruſæus fusè proſequitur orat. 4. de regno, *à pag.71.* Hîc genium intelligo modum agendi quem calumniatores ſeruant, vt telum calumniæ fortiùs & ſeueriùs vibrent. Itáque percurrendæ erunt notæ quædam & velut characteriſticæ, quibus calumniatores, calumniæ adactionem conueſtiunt. Sunt autem illæ ipſæ, quibus mendaces fucum facere, & mendacio tectorium veritatis obducere, nituntur. Nam cùm calumnia ſit ſpecies mendacij, haud aliter obſtetricante nequitia educitur, quàm mendacium, cuius futura facies per mendaciloquos inducta, callidè veritatis ſpecies & quaſi perſona occulitur.

S. Baſilius hom. 10. Hexaëm. vniuerſè calumniatoris genium delineare viſus eſt, componens calumniatorem cum ſcorpio. Expendens enim illud Geneſ. 1. *& præſit beſtiis*, & varias beſtiarum ſpecies variis peccatoribus accommodans; ait inter cætera. [Quiſquis ad concinnandam calumniam compoſito eſt & peracri ingenio, iſne tibi meritò videri debet ſcorpius?] Appoſitiſſimè. Nam ſcorpius venenatum animal eſt, quod brachiis amplectitur, & cauda ferit. Exterior ſpecies & quaſi vultus, gratum quid præfert; ſed interiora, plena ſunt dolo; qui mox cum minùs timetur, ictu clanculario proditur. Hanc ob cauſam S. Gregorius homil. 9. in Ezech. ad illud *Subuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas*, ſubuerſores quidem eos ait dictos, qui irridendo, deſpiciendo, minando; & quaſi aperta vi, ad malum abducunt. At ſcorpiones, eos eſſe appellatos cenſet, qui apertè virtutem non inſectantur; ſed quaſi ex inſidiis & mulcendo, non vim inferendo. [ſcorpius enim palpando incedit, ſed cauda ferit, nec mordet à facie, ſed à poſterioribus nocet. ſcorpiones ergo ſunt omnes blandi & malitioſi, qui bonis quidem in faciem non reſiſtunt, ſed mox vt receſſerint, detogant; alios quos valuerint inflammant, quæque poſſunt noxia immittunt; mortifera inferre occultè non deſinunt. ſcorpiones ergo ſunt, qui blandi & innoxij in facie videntur, ſed poſt dorſum portant, vnde venenum fundant.] En genuinam calumniatoris formam. Si enim infrunitè, & quaſi vi aperta irrueret in alterius famam, & vultum hoſtilem præferret, fidem non inueniret apud audientes. Itaque amica ſpecie & blandiloquio fucato imponit; exhibet beuolentiæ indicia, non vult hoſtis ſed amicus apparere. Mox tamen vbi inter hoſce blandos quaſi amplexus ſecuritatem cogitas, ictum excipis; nec qualemcunque, ſed lethalem. Nec eam perfidiam, vel ſummi quique declinant. Nam etiam ſcorpius, tantulum animal, cuiuſcumque molis, & animi animantes adoritur ac perdit. [leo quidem Rex ferarum (ait S. Ambroſius 6. hexaëm. cap. 6) exiguo ſcorpionis aculeo exagitatur, & veneno ſerpente occiditur. Eximia leonis pulchritudo, comantes ceruice toros excutit, vel ſublato pectore attollit ora. Sed quis non miretur tam breui ſcorpionis aculeo vt incorporeum pures, ingentium corporum exire mortem?] Haud aliter ergo res habet in negotio de quo agimus.

Graphicè huiuſmodi calumniantium blandiloquium deſinens in aculeos punctionum, deſcribit Bleſenſis epiſtol. 87. ſic ſcribens ad Gulielmum Elienſem Epiſcopum, à blandis calumniatoribus circumuentum. [Sapiens dicit, *ne ambules & ne comedas cum homine inuido. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non erit tecum. In oculis tuis*, (dicit Eccleſiaſticus,

ſiaſticus) *lacrymabitur, & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas.* Filius ille perditionis, qui nunquam poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed confiſus eſt in verbis mendacij, mel & lac habebat in ore, caudam verò ſcorpionis abſcondebat in corde. Ipſe & complices eius, quorum os amaritudine plenum erat, qui os ſuum ſemper docuerunt loqui mendacium, linguis ſuis doloſè agebant Sirenes vſque in exitium dulces; eorumque nequiſſimam ſimultatem prudentia veſtra deprehendere potuit, ſed inter amicum & hoſtem proſperitas non diſtinguit. Vidi, vidi reuerendiſſime Præſul, quando illi detractores Deo odibiles, illi venditores olei, dicebant tibi, euge, euge, humiliantes ſe nequiter, & in tuum exitium excubantes. *Eſt* enim *qui nequiter ſe humiliat,* (dicit Eccleſiaſticus,) *& interiora eius plena ſunt dolo.* Hos quidem domeſticos & vnanimes tibi fecerat linguæ meretricantis aſtutia; nunc autem eſt gladius in labiis eorum.] Hic eſt dolus labiorum quæ Dominus diſperdet, vt habetur Pſal. 11. Hi latices in ſpeciem puri, ſed acidi, & triſti herbarum ſapore conditi, vt expendit Valerianus Cemel. homil. 5. *ſub finem.* Hic eſt Mundus iniquitatis, & ſimul ignis, de quo S. Iacobus cap. 3. *lingua* (inquit,) *ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.* Græca habent κόσμος ἀδικίας. Quæ verba Iſidor. Peluſ. leg. 4. epiſtol. 10. exponit de lingua incedente ac perdente, per ſpeciem ornati & fucati eloquij. Circumuentus enim blando & ornato calumniatoris eloquio auditor, calumniæ aculeum incautiùs excipit, & ſub falſa ſpecie haurit venenum.

Eſt & ille calumniatorum ſolemnis vſus, obſeruandi qua parte audientium credulitas ſit commodiùs labefactabilis. Sunt enim nonnulla, quæ irrito & caſſo conatu tentarentur. Itaque explorant qua ex parte minùs munitum & imbecilliùs firmatum ſit pectus audientis, & eò dirigunt calumniæ machinas. Inſigniter hanc calumniatorum artem deſcribit Lucianus dialo. de non temerè credendo calumn. [Iam (inquit) vti probabilem & dignam fide calumniam faciant, non quod fortuitò caſus oſtendit, prehenſant. Sed in hoc toti ſunt, vt accurato delectu obſeruent, ne quid abſonum, aut alienum à cauſæ fide incidat. Adeò rationes eius quem criminantur, vniuerſas in peiorem partem trahunt, ſuſpectas reddunt, quò fidem addant accuſationi. Medicum inſimulant veneficij; magnificum ciuem affectatæ tyrannidis; tyrannum proditionis: interdum auditoris affectus, ſua calumniis diſcrimina ſuppeditat, cum quo ſi veteratores iſti & nugiuendi ſuas technas comparent, aptè illuditur. Quòd ſi auditorem zelotypum norint: annuit, (inquiunt,) ille vxori tuæ inter epulas, & defixis in eam oculis alto ſuſpiria pectore duxit; vxor viciſſim ſuaue quiddam & amatorium retulit: alia item quæ ad ſuſpicionem adulterij faciunt: Sin poëticæ ſtudioſus, ea ſibi arte præter modum placeat, Philoxeno, (aiunt,) carmen tuum non probatur; hiulcum, lege ſolutum, cenſetur. Ad religioſum; en ille de pietate, deque Diis malè ſentit, ſacra deteſtatur, prouidentiam vniuerſi gubernatricem pernegat. Tum auditor, ceu œſtro in auriculam immiſſo, excandeſcit, vt pro re coniicere licet: & amicum abs ſe, impos animi re ipſa nondum contentè cognita, miſſum facit. Talia ferè ſunt quæ ab impuris iſtis confinguntur, videlicet ad irritandos audientium animos maximè accommoda. Tum qua parte ſinguli præſtant; eam potiſſimùm iaculis ſuis obnoxiam ij faciunt, ne quod auditor ſubitâ inturbatus irâ, vero cognoſcendo collocet otium: deinde ſeſe purgaturo non fiat hominis copia, quem criminis admiratio ſpecieſque veri occuparunt.]

Imitantur Diabolum in ea agendi ratione, qui ſunt ex parte illius. Diabolus enim in eo totus eſt, vt pronitates eorum, quos impetit, perſpectas habeat, impetum facturus ex parte quæ aptior fuerit ad excipiendam hoſtilem impreſſionem. Notauit hoc optimè S.Leo ſer.7. de Natiuit. Dom. cap. 3. & S. Gregorius 14. Moral. cap. 6. ad illud, *decipula illius, ſuper ſemitam*, ac Petrus Cluniacenſis leg. 1. epiſtol. 20. quæ eſt ad Giſelbertum *ante medium*. In quo agendi modo, ſatan (vt ſæpè alibi,) minius eſt Dei. Nam Deus pro ea reuerentia qua diſponit nos, cùm voluntatis liberæ aſſenſum captat, non adigit vi illata voluntatem, ſed exploratis (vt humano more loquamur,) latebris voluntatis, & quò eius natiua propenſio ferat, liquidò perſpiciens, congruos & contemperatos ſenſus & affectus immittit, quorum interuentu voluntas liberè & fallibiliter, ſiue ductabiliter, ſed certò in partem quæ Deo placuit permouetur, vt vberiùs proſequitur S. Baſilius Seleuciæ orat. 28. & præclarè vt omnia tradit D. Auguſtinus quæſt. 2. ad Simplic. Haud aliter ergo, ſed malignè & peruersè, Satan vt hominem implanet, aptat, & attemperat machinas, ad eius in quem agit propenſiones: quas vbi perſpectas habuerit, fingens ſe ad eius nutus, proſternit leui opera, parietem inclinatum, & maceriam depulſam. Calumniatores itaque, lectiſſima æmulatorum Satanæ portio, in concinnatione calumniæ, quæ antonomaſticè Diabolicum peccatum eſt, explorant; qua ex parte, & auditor, & is qui probro notandus eſt, faciliùs ictui pateant, eóque obuertunt machinas.

Solemne item eſt calumniatoribus, Zelum ementiri, & falſa ſpecie promouendæ honeſtatis, ac exterminandi vitij ſpiculum figere. Hoc eſt quod Dauid Pſal. 51. Sub alia imagine de ſtrenuo calumniatore Doëc Idumæo pronuntiauit, dicens; *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Nouaculæ enim munus aſſumit calumniator, quatenus nouacula adhibetur ad reſectionem ſuperfluorum: & tamen inter reſecandum nocet, & dolum facit, niſi dextrè & cautè adhibeatur. Similiter igitur Doëc, ſpecie tollendi machinationes in Regem Saul, vt S. Ambroſius lib. 3. de officiis cap. 11. benè expendit, calumniatus eſt Achimelec; dicens, eum Dauidi fugienti panes ſanctos ſuppeditaſſe, & conſuluiſſe pro eo Dominum contra Regem, quorum vtrumque falſum erat. Excuſauit enim Achimelec, ſe prorſus ignoraſſe Dauidis fugam, & eum habuiſſe inter filios Regis amicos. Pari malignitate, recti ſpecie, omnes calũniatores dehoneſtant innoxios. Hæretici ſanè, quibus quarto modo proprium eſt, calumniari, prætexunt ſemper calumniis honorem Dei: V. G. rapacitati qua in opes Eccleſiæ graſſari auidiſſimè expetunt, abuſiones Eccleſiaſticorum hominum ſemper obducunt. Iudas calumniæ qua Magdalenam onerabat, prætexuit curam egenorum de quibus reuera non curabat, ſed de infarcienda crumena per ſacrilegium. Idem ferè in omnibus calumnia grauantibus innoxios, notare licet. Idque ferè eſt blandiloquium oleo peccatoris expreſſum, quod à ſe procul fieri, poſcebat Dauid Pſal. 140. Quanquam ſolet etiam calumniæ adiungi oleum quoque mollium verborum, de quibus Pſal. 54. *diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.* Hoc eſt iuxta gloſſam Martini à Roa l. 1. ſingul. cap. 5. omnes eius vultus imagines, redolent blanditias & ſemotionem ab ira, viſuſque eſt habere cor amicum, quod proinde in ſpeciem appropinquauit; & tamen *molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Hanc ergo ſermonum blandorum multitudinem, exprimit quoque nouacula, radens & velunti abblandiens, quandoquidem

doquidem cutem duntaxat criſpat, donec dolum faciat, & manus titubantis vitio, lethalem plagam infligat. Similiter calumniator per ſpeciem blandiloquij fauciat ad mortem. Sed de oleo peccatoris ſic intellecto, iam ſatis dictum eſt ſuperiùs. Nunc autem agimus de eo peccatoris oleo calumniatoribus perfamiliari, quod continetur ementitione Zeli, ſpecie quidem externa æſtuantis pro honeſtate virtutis, & idcirco graſſantis in famam innoxij. Nec aliud ferè quærunt, qui malignitati ſuæ erga eum quem calumniantur, Zeli pro virtute ſiparium obducunt, vt ſeueriùs noceant, & commodiùs ad optatum finem pertingant.

Cognati ſunt famigeratorum, calumniatores. Quare æquè vtrique, feſtucas augent in trabes. Vel quia ea proportio minùs Facundo placuit l. 6. cap. 5. [Quia feſtuca (inquit,) & trabs ſi non eiuſdem quantitatis, eiuſdem tamen ſunt generis;] dicamus cum eodem Facundo Ibam excuſante & tegente à calumniis, contemptibilem ſtipulam à calumniatoribus verti in arietem ingentem, quo alienum nomen quatiatur, & funditùs euertatur. Si quid igitur minutum & exile occurrat, quod poſſit in nomen alterius intorqueri, per auxeſim grandefactum, magno cum bombo intentatur, vt famigeratoribus mos eſt, apud quos micæ attolluntur in montes, & atomi in moles immanes amplificantur. Nimirum vt eſt apud Tertullianum in Apologetico cap. 6. fama plurimùm mendax, ne tum quidem cùm aliquid veri affert, ſine mendacij vitio eſt: detrahens, adiiciens, demutans de veritate, & quantacunque ambitione diffuſa ſit, quantacunque aſſeueratione conſtructa, tamen ab vno aliquando principe exorta, exinde in traduces linguarum & aurium ſerpit, nouis ſemper cumulata acceſſionibus, iugibus & variationibus permutata. Igitur ita ſe habent famæ initia & crementa per famigeratores; Nec aliter calumniæ progreſſus, per famigeratorum germanos calumniatores, quæ optimè perſtrinxit S. Hieronymus epiſtol. 10. illis præter cætera. [Rumores turpiſſimos ferunt, & quod ab ipſis egreſſum eſt, id ab aliis audiſſe ſe ſimulant; iidem autores & exaggeratores. Exit fama de mendacio, quæ cùm ad matronas peruenerit, & earum linguis fuerit ventilata, prouincias penetrat. Videas pleraſque rabido ore ſæuire, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis, carpere Chriſtianos.] Illud in calumniatorum ratione agendi eſt valdè præpoſterum quòd circa ea aliis probrum falsò inurere plerumque notantur, quibus ipſi maximè ſordent. Familiare id eſt ſcortis, quæ vbi primùm rixa illis cum alia honeſta muliere exoritur, non dubiæ quin auditura ſint quod ſunt; anteoccupant probrum, & faciem eius cum qua rixantur, implent ignominia. Non ſecus accidit calumniatoribus, qui quò ſe iuſtè in aliorum criminatione falſa culpandos norunt, eò flagrantiùs & æſtuoſiùs concitantur aduerſus perſonam cui imponunt falſam maculam, rati eò credibiliorem fore dicentium orationem, quò plus præ ſe tulerit ardoris in arguenda falsò impoſita turpitudine; & eò magis elongandam ab ipſis ſuſpicionem propriæ culpæ, quò acriùs eam aduerſantur in aliis. Quis enim credat eum labe aliqua ſordere, quem videt in alio eam damnare tanto cum æſtu, & concitatione? Et tamen non rarò deprehenditur, quod Satyricus deteſtabatur Satyr. 2.

Clodius accuſat mœchos, Catilina Cethegum.

Qui inquam maximè delinquunt in aliquo genere, non rarò per mendacium infamant alios circa illud ipſum cuius ſunt maximè rei. Hæreticos (quorum oratio ex calumniis contexta eſt atque

conflata,)

conflata,) hanc abſurditatem habere perfamiliarem, fusè, & egregiè monſtrat Thomas Boſius l. 12. de ſignis c. 13. ſignatis plurimis exemplis oſtendens, eos in quo Catholicam Eccleſiam calumniantur, ſeipſos condemnare. [Solet falſa religio (ait S. Chryſoſtomus hom. de Petro & Elia,) ſuos mores veræ religioni tribuere : quod proſtitutæ faciunt, vt ipſæ priùs, ingenuas, meretrices vocent, ne probrum illæ reliquum habeant quod è diuerſo iaciant.]

Octauius apud Minutium, eundem genium ethnicorum in concinnandis aduerſus Chriſtianos calumniis, annotauit; docens, eos impoſuiſſe Chriſtianis ea, quorum ſibimet conſcij erant: cœnas nimirum Thiæſtæas, & promiſcuos inceſtóſque concubitus. Nec aliter in Apologetico Tertullianus eaſdem calumnias depellens, & Athenagoras in legat. *ſub finem*, vbi poſt multa diſputata de ſanctitate profeſſionis Chriſtianæ, retorquens calumniam, ait. [Cœterùm tales cùm ſimus (quid dico tacenda ?) non deſunt, qui hæc crimina nobis obiiciant, & vt prouerbio dicitur, meretrix pudicam ; nam qui libidinis mercenariæ ceu forum ſtatuunt, & diuerſoria nefanda omnis obſcenæ voluptatis adoleſcentibus proponunt, & ne maribus quidem abſtinent; maſculi cum maſculis ſcelus perpetrantes : corpora quæque ſpecioſa multis violantes modis, in pulchritudinem à Deo factam contumelioſi : (neque enim pulchritudo vllius in terra rei, per ſe exoritur, ſed manu & voluntate Dei immittitur.) Illi inquam facinorum de quibus ipſi ſibi conſcij ſunt quæque in ſuos etiam Deos referunt, déque ipſis eadem tanquam præclara prædicant, nos accuſant. Itaque adulteri & puerorum corruptores, in eunuchos, & ſemel nuptos nos, inuehuntur: quum ipſi piſcium inſtar viuant. Nam & piſces obuium quemque deuorant; & qui inter eos validior fuerit, imbecilliorem perſequitur. Hoc nempe eſt (quod nobis obiicitur ab illis;) carnibus humanis veſci, quum præter leges, quas vos & maiores veſtri rebus omnibus iuſtiſſimè perpenſis, ſanciuiſtis, innocentium fama violatur.] Haud aliter cũ Ethnicis, Chriſtianos ea ex parte criminantibus ex qua ipſi maximè ſordebant, agit Iuſtinus in Apolog. ad Senatum, & fortiſſimè Tertulianus c. 9. Apologet, Lactantius & Arnobius paſſim, & quotquot pro Chriſtianis aduerſus ethnicos texuere Apologias.

Hoc ipſum igitur in pleriſque innoxiorum calumniatoribus frequenter notatur; cùm tamen indigniſſimum ſit, carpere in alio labem qua quis ſordeat. Vnde exclamabat Satyricus loco annotato,

Nónne igitur iure ac meritò vitia vltima fictos
Contemnunt Scauros & caſtigata remordent?

Et creditus Proſper carm. de prouid.

——————*mendacia fallax.*
Furta rapax, furioſum atrox, homicida cruentum.
Damnat, & in mœchum gladios diſtringit adulter.

Videndus in huiuſmodi indignitatem Seneca l. 1. de ira c. 14. & l. 2. c. 28. Plinius l. 8 epiſto. 22. Tullius Verr. 5.

CAPVT VII.

Qui maximè calumniatores.

ET gentes aliquæ, & aliqui ſtatus hominum hac infamia flagrarunt. Quoad gentes, ſicut ferè omnes laborant aliquo ſibi peculiari vitio, vt attigit Saluianus l. 7. de prouid. & ibi clarè verſat Conradus Ritterhuuſius, ita aliquæ nationes notatæ ſunt proniores eſſe ad calumniandum. Malè hac in parte audiet

runt in primis Ægyptij. Seneca l. de conſol. ad Heluiam c. 17. Ægyptum idcirco vocat, *loquacem, & ingenioſam in contumelias prouinciam; in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam.* Quid mirum ſorduiſſe calumniis Ægyptum, quam hoc ſemper in more habuiſſe, vt perditè & iniquè ſe gereret, ait Iſidorus Peluſ. l. 1. epiſt. 152. Concinit notatio Hebrææ vocis *Miſraim*, qua Ægyptus denominatur. Nam S. Hieronymus in c. 19. Iſaiæ; vocem illam ait Græcè verti θλίβοντα: quod perſequentem & tribulantem, (vtique bonos & probos,) denotat. Et ſuſcribit ei vocis *Ægyptus* notioni, S. Ambroſius l. de fide reſurr. At ea perſecutio & tribulatio, maximè fit per calumnias: & qualiſcunque ſit, nunquam abſque calumnioſa impoſtura peragitur. Accedit, quòd in Scripturis Ægyptus nonnunquam ſuperſtitionis & maledictionis elogio, vniuerſus cœtus impiorum intelligitur, vt notat Tertulianus l. contra Iud. c. 9. & è contrario, virtutes & ſancta quæque opera, vocantur *abominationes Ægyptiorum*, vt docet S. Gregorius l. x. moral. c. 23. & 27. Nihil autem procliuius eſt, quàm vt oſor & perſecutor viri probi, ac virtutum queis ſplendet, falſis probris impoſitis dehoneſtare moliatur virum bonum. Sunt igitur hæc de Ægyptiis, etiam in Scripturis, non dubio argumento, quòd Ægyptij, vt Seneca affirmabat, fuerint maximè calumnioſi. Notari id poteſt in Pharaone per calumniam opprimente Hebræos, in hera Ioſephi.

Iudæorum calumnioſum ingenium, notare ſæpè eſt in Scripturis. Baſilius Seleuc. orat. 33. tractans multiplicationem panum, præmiſſa ſuſpectione in cœlum; [Iudæorum (inquit,) calumniam opprimere occupat: ſemper enim Iudæus, amans eſt criminationis, & ex quibus fructum capit, querelas captat. Cùm igitur olim in ſolitudine Deus Iſraëlitis manna ſuggereret, & terra iret habentibus cœleſtem explicaret menſam, nec non petram doceret imbrem emittere, & prærupta ſaxa nubis ingenium imitari, ingratis eorum vocibus repercuſſus eſt. *Quoniam percuſſit petrã & fluxerunt aquæ, nunquid & panem poterit dare?* Chriſtus eorum poſteris, ne ex miraculi magnitudine calumniandi caperent occaſionem, quòd ſe per ambitionem patre ſuperiorem oſtentaret, néue quòd patri parem ſe faceret, ſuetam rurſus calumniam excogitarent; Iudæorum loquacitatr eripiens accuſationem ſublatis in cœlum oculis, Patri hoc præclarè factum acceptum refert. Semper enim Chriſtus, hac ratione tractat Iudæorum nequitiam. Sic aliàs quoque curato leproſo, & ob ægritudinem depulſam poteſtate innoteſcente, liberatum à morbo remittit ad legem. *Offer* inquit, *munus tuum ſacerdoti in teſtimonium:* Sit mihi lex teſtis curationi, & iniquitati lingua occludatur. Ideò quoque modò cœlum ſuſpicit, ne ſe Deo iactetur æquiparare os accuſatori obſtruens.]

Inter Græcos fuiſſe aliquos ad calumniandum ſtrenuos & nauos, quibus inde nomen φαγολοιδόρους, Pamphilus martyr, ſiue Euſebius ſub ementito Pamphili nomine, ſub initium Apologiæ pro Origene, eſt autor. Verè tamen dicere licet, vniuerſam Græcorum gentem, genij fuiſſe apprime calumniatorij; quòd, vt cætera taceam, vniuerſa eorum ſacra hiſtoria clamat. Quibus enim calumniis mendaciſſimè grauatus non eſt S. Chryſoſtomus? Quadraginta ſex capitum ſyllabum mendaciſſimè in ſynodo ſancto viro impoſitum recenſet Photius Cod. 59. S. Cyrillus, ob Neſtorij damnationem, mole calumniarum grauatus, & ad tempus oppreſſus, S. Ignatius Conſtantinopolitanus, per Photium euiratum, ſupra omnes impios malignè eſt dehoneſtatus. Quæ Græci poſteriores contra Latinos

 calumnioſè

Digitized by Google

non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè iactant; vt quia ipſam diuinæ Scripturæ veritatē, qua vbique diffuſa Chriſti Eccleſia cōmmendatur, criminari, & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, poſſunt.

Vt autem omnium qui vnquam ex Erebo eruperint Hæreticorum virulentiſſimus eſt Caluinus, ita in calumniando fuit ſtrenuiſſimus, vt non abs re qui gentilitio nomine *Cauuinus* dicebatur, maluerit dici & audire *Caluinus*, voce deducta à verbo *Caluire*, vnde Caius I. C. Cōment. ad ll. 12. tabul. & refertur l. 233. ff. de verb. ſignif. *calumniæ* vocem deriuat, exponens priſcam illam legem, *ſi caluitur, pedémve ſtruit, manum endoiacito.* Ait enim *caluire* idem eſſe quod falsò imponere atque decipere. Itaque Caluinus, iuxtà nomen ſuum totus eſt ex calumniis concretus: nec falſitatis inſimulari iure poterit, qui eius Alcoranum (Inſtitutiones dico) *calumniarum centonem* vocauerit, cum Nicolao Rōmæo in Caluini effigie colore 31. qui eſt de Caluino ſycophanta. Ibi hic Autor, decem palmares Caluini calumnias, ſpecimen reliqui operis, ſigillatim & diſtinctè proponit, vt oſtendat nihil Caluino fuiſſe familiarius, quàm falſis maculis dehoneſtare quos haberet exoſos, & grauare ſuis figmentis atque mendaciis Eccleſiam, præſertim verò Doctores ſacros & vniuerſum Ordinem Eccleſiaſticum.

Eſt hæc labes (vt dixi,) Hæreticorum maximè propria, ſed huius Hæreticorum noſtratium Anteſignani, propriiſſima. Et quidem cum omnibus adiunctis quibus ſordere ſolent ſtructæ ab his nequitiæ artificibus calumniæ. Sunt porrò ea adiuncta, multiplicia. Specialiter verò admonet Facundus l. 9. c. 5. hæreticos ita calumniari ſolere, vt ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt, malè interpretentur: cùm par potiùs fuiſſet, ex indubitatis atque euidentibus, & firmare ambigua & latentia declarare, vt ſolitum eſſe prudentiæ ac pietatis Catholicæ, ibidem monet Facundus. Iam item ſuprà admonui ex Thoma Bozio l. 12. de ſignis c. 13. perpetuum eſſe Hæreticis, illa Catholicis falsò impingere, quibus ipſi reuera ſordent. Solitos conducere homines emptitios, per quos calumnias diſſeminent, habetur ex S. Cyrillo ſub finem Apologiæ. Eoſdem religionis nomine tegere artem calumniandi, notat Franc. Balduinus l. 2. de hiſtor. cui inter Hæreticos aliquandiu profeſſo, & experto, credendum eſt. Omnes hæ maculæ calumniarum ab hæreticis ſtructarum in Caluino maximè eminent; de quo prouoco ad Romæum in Caluini effigie.

CAPVT VIII.

Qui maximè calumniæ pateant.

CVm fontes calumniarum (vt ſuprà eſt conſtitutum,) ſint inuidia erga eminentem perſonam, eiúſve odium, aut ſpes eminendi ex eius deiectione, ij maximè ſunt calumniæ obnoxij, qui cæteris præcellunt, & odiis incenſis ſubiacent. Attigit iſta perpulchrè Lucianus Dialo. de non temerè cred. calumniæ, agens de iis qui calumnioſè deferuntur. [Porro (inquit,) defertur is plerumque, qui honore quodam aliis præſtat, nempè iis inuidioſus, qui ſpe illius fruſtrati ſunt. Quò fit vt omnium telis affectetur, ceu obex qui viam aſſequendæ dignitatis aliis intercluſerit; ſeque primos tū ſinguli fore confidunt, ſi ſublimem iſtum loco demoliti ſint, & ab amicis abalienârint. Tale quiddam in gymnico curſu fieri conſueuit, vbi ſi quis eſt curſor ingenuus, ſtatim ruptis carceribus primas affectans, & animum ad ſtadij metas adiiciens, ſpe victoriæ

victoriæ

Digitized by Google

victoriæ è robore ſuo contemptæ, neque ſequenti incommodat, neque omnino laboris huiuſce ſociis quicquam ſtruit remoræ. Contrà qui malitioſus, imbellis, enervis, contendit curſu cum aliis; deſperatis viribus in fraudem intentus agitur, atque in vniuerſum hoc vnicum ſpectat, qua currentem occupet, impediat ac intercludat: & vi ſuccedat actus, non eſt vt vllo alio modo vincere poſſit. Haud aliter in ambiendis magnatum amicitiis accidit: vbi ſi quis feliciter anteuertit, in medias continuò labitur inſidias, & incautus ab æmulis captus diſcerpitur.]

Proportione ad aulicos ſæculi, (de quibus ibi Lucianus agebat,) quotquot eminent in alio quouis ordine aut gradu perſonarum; faciliùs patent calumniis: Inde enim inuidia, & odium, aut ſpes ſortis melioris ex deiectione earum. Attingit hoc optimè Petrus Bleſenſis Epiſtol. 80. ex Naſone & Flacco. Et quia probitas & virtus, ob eam affectantia humana decora, incurrit in improborum inuidiam, nihilque eſt procliuius, quàm vt inter, adeò pugnantes & contrarias animorum in vtriſque affectiones, emergant odia; ac ex dehoneſtatione viri probi, ea ſaltem apparens vtilitas in improbos refunditur, quòd ceſſat muta ſugillatio, quam ex bonis moribus contrariis ſuſtinere coguntur; idcirco tam denſæ tamque frequentes ſemper fuere proborum ab improbis calumniæ: De antiquis Philoſophis, morum compoſitionem & ſanctimoniam, (vt in Ethniciſmo;) profitentibus, per calumnias dehoneſtatis Themiſtius orat. 4. & Dio orat. 37. expoſtulant Socratem, Platonem, Pythagoram, nominatim exprimit Dio, & vniuersè addit, nemini eorum qui cum gloria vixerunt, licuiſſe effugere calumniæ terminum. Verùm Ethnicos dimittamus, quòd omnis eorum virtus, ferè eſſet perſonata & vmbratilis; idémque non calumniæ, ſed veris pleriſque probris meritò patens. Quid vere & ſolidè ſancti? Audiendus Hieron. in S. Paulæ Epitaphio. [ſemper quidem virtutes ſequitur inuidia, feriúntque ſummos fulgura montes. Nec mirum, ſi hoc de hominibus loquar, cùm etiam Dominus noſter Phariſæorum zelo ſit crucifixus, & omnes ſancti æmulos habuerint. In paradiſo quoque, ſerpens fuerit, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Suſcitauerat ei Dominus Adad Idumæum, qui eam colaphizaret, ne ſe extolleret; & quaſi quodam ſtimulo carnis ſæpiùs admonebat, ne magnitudo virtutum altiùs raperet, & aliarum vitiis, fœminarum ſe in excelſo crederet conſtitutam.] Quod S. Hieronymus, *ſtimulum carnis, & Angelum ſatanæ colaphizantem*, alludens ad Apoſtolum, de calumnia accipit, conſentaneum eſt ſancto Chryſoſtomo Orat. de S. Euſtachio, & homil. 1. ad pop. Benè porrò calumniatores inſignium ſanctorum *Angeli Satanæ* appellantur. Nam perplacet ſibi Diabolus, in hac proborum ſanctitudine illuſtrium calumnioſa inſectatione per ſuos, ſic exerens inuidiam qua in eos flagrat. Quod notatum video à S. Cypriano epiſt. 52. monente Antonianum, ne calumniis de S. Cornelio ſparſis aſſenſum præſtaret. Collaudata enim S. Cornelij preparatione animi ad martyrium, ſubdit. [Quòd autem quædam de illo inhoneſta & maligna iactantur, nolo mireris, cùm ſcias hoc eſſe opus ſemper Diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet; vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcant, alienis rumoribus ſordidentur.] Nec minùs perſpicuè S. Gregorius l. 2. indict. x. epiſto. 23. agens de calumniis Leoni epiſcopo impactis, quas abs ſe diligenter diſcuſſas, & planè inanes deprehenſas, affirmat. Habet hoc proprium antiqui hoſtis inuidia, vt quos in prauorum

CAPVT VI.

Genius Calumniatorum.

QVid dicatur vniuſcuiuſque genius, Dio Pruſæus fusè proſequitur orat. 4. de regno, *à pag.* 71. Hîc genium intelligo modum agendi quem calumniatores ſeruant, vt telum calumniæ fortiùs & ſeueriùs vibrent. Itáque percurrendæ erunt notæ quædam & velut characteriſticæ, quibus calumniatores, calumniæ adactionem conueſtiunt. Sunt autem illæ ipſæ, quibus mendaces fucum facere, & mendacio tectorium veritatis obducere, nituntur. Nam cùm calumnia ſit ſpecies mendacij, hand aliter obſtetricante nequitia educitur, quàm mendacium, cuius fucuta facies per mendaciloquos induсta, callidè veritatis ſpecies & quaſi perſona occulitur.

S. Baſilius hom. 10. Hexaëm. vniuersè calumniatoris genium delineare viſus eſt, componens calumniatorem cum ſcorpio. Expendens enim illud Geneſ. 1. *& præſit beſtiis*, & varias beſtiarum ſpecies variis peccatoribus accommodans; ait inter cætera. [Quiſquis ad concinnandam calumniam compoſito eſt & peracri ingenio, iſne tibi meritò videri debet ſcorpius?] Appoſitiſſimè. Nam ſcorpius venenatum animal eſt, quod brachiis amplectitur, & cauda ferit. Exterior ſpecies & quaſi vultus, gratum quid præfert; ſed interiora, plena ſunt dolo; qui mox cum minùs timetur, ictu clanculario proditur. Hanc ob cauſam S. Gregorius homil. 9. in Ezech. ad illud *Subuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas*, ſubuerſores quidem eos ait dictos, qui irridendo, deſpiciendo, minando; & quaſi aperta vi, ad malum abducunt. At ſcorpiones, eos eſſe appellatos cenſet, qui apertè virtutem non inſectantur; ſed quaſi ex inſidiis & mulcendo, non vim inferendo. [ſcorpius enim palpando incedit, ſed cauda ferit, nec mordet à facie, ſed à poſterioribus nocet. ſcorpiones ergo ſunt omnes blandi & malitioſi, qui bonis quidem in faciem non reſiſtunt, ſed mox vt receſſerint, derogant; alios quos valuerint inflammant, quæque poſſunt noxia immittunt; mortifera inferre occultè non deſinunt. ſcorpiones ergo ſunt, qui blandi & innoxij in facie videntur, ſed poſt dorſum portant, vnde venenum fundant.] En genuinam calumniatoris formam. Si enim infrunitè, & quaſi vi aperta irrueret in alterius famam, & vultum hoſtilem præferret, fidem non inueniret apud audientes. Itaque amica ſpecie & blandiloquio fucato imponit; exhibet beuolentiæ indicia, uon vult hoſtis ſed amicus apparere. Mox tamen vbi inter hoſce blandos quaſi amplexus ſecuritatem cogitas, ictum excipis; nec qualemcunque, ſed lethalem. Nec eam perfidiam, vel ſummi quique declinant. Nam etiam ſcorpius, tantulum animal, cuiuſcumque molis, & animi animantes adoritur ac perdit. [leo quidem Rex ferarum (ait S. Ambroſius 6. hexaëm. cap. 6) exiguo ſcorpionis aculeo exagitatur, & veneno ſerpente occiditur. Eximia leonis pulchritudo, comantes ceruice toros excutit, vel ſublato pectore attollit ora. Sed quis non miretur tam breui ſcorpionis aculeo vt incorporeum putes, ingentium corporum exire mortem?] Haud aliter ergo res habet in negotio de quo agimus.

Graphicè huiuſmodi calumniantium blandiloquium deſinens in aculeos punctionum, deſcribit Bleſenſis epiſtol. 87. ſic ſcribens ad Gulielmum Elienſem Epiſcopum, à blandis calumniatoribus circumuentum. [Sapiens dicit, *ne ambules & ne comedas cum homine inuido. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non erit tecum. In oculis tuis*, (dicit Eccleſiaſticus,

ſiaſticus) *lacrymabitur, & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas.* Filius ille perditionis, qui nunquam poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed confiſus eſt in verbis mendacij, mel & lac habebat in ore, caudam verò ſcorpionis abſcondebat in corde. Ipſe & complices eius, quorum os amaritudine plenum erat, qui os ſuum ſemper docuerunt loqui mendacium, linguis ſuis dolosè agebant Sirenes vſque in exitium dulces; eorumque nequiſſimam ſimultatem prudentia veſtra deprehendere potuit, ſed inter amicum & hoſtem proſperitas non diſtinguit. Vidi, vidi reuerendiſſime Præſul, quando illi detractores Deo odibiles, illi venditores olei, dicebant tibi, euge, euge, humiliantes ſe nequiter, & in tuum exitium excubantes. *Eſt* enim *qui nequiter ſe humiliat,* (dicit Eccleſiaſticus,) *& interiora eius plena ſunt dolo.* Hos quidem domeſticos & vnanimes tibi fecerat linguæ meretricantis aſtutia; nunc autem eſt gladius in labiis eorum.] Hic eſt dolus labiorum quæ Dominus diſperdet, vt habetur Pſal. 11. Hi latices in ſpeciem puri, ſed acidi, & triſti herbarum ſapore conditi, vt expendit Valerianus Cemel. homil. 5. *ſub finem.* Hic eſt Mundus iniquitatis, & ſimul ignis, de quo S. Iacobus cap. 3. *lingua* (inquit,) *ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.* Græca habent *κόσμος ἀδικίας..* Quæ verba Iſidor. Peluſ. leg. 4. epiſtol. 10. exponit de lingua incedente ac perdente, per ſpeciem ornati & fucati eloquij. Circumuentus enim blando & ornato calumniatoris eloquio auditor, calumniæ aculeum incautiùs excipit, & ſub falſa ſpecie haurit venenum.

Eſt & ille calumniatorum ſolemnis vſus, obſeruandi qua parte audientium credulitas ſit commodiùs labefactabilis. Sunt enim nonnulla, quæ irrito & caſſo conatu tentarentur. Itaque explorant qua ex parte minùs munitum & imbecilliùs firmatum ſit pectus audientis, & eò dirigunt calumniæ machinas. Inſigniter hanc calumniatorum artem deſcribit Lucianus dialo. de non temerè credendo calumn. [Iam (inquit) vti probabilem & dignam fide calumniam faciant, non quod fortuitò caſus oſtendit, prehenſant. Sed in hoc toti ſunt, vt accurato delectu obſeruent, ne quid abſonum, aut alienum à cauſæ fide incidat. Adeò rationes eius quem criminantur, vniuerſas in peiorem partem trahunt, ſuſpectas reddunt, quò fidem addant accuſationi. Medicum inſimulant veneficij; magnificum ciuem affectatæ tyrannidis; tyrannum proditionis: interdum auditoris affectus, ſua calumniis diſcrimina ſuppeditat, cum quo ſi veteratores iſti & nugiuendi ſuas technas comparent, aptè illuditur. Quòd ſi auditorem zelotypum norint: annuit, (inquiunt,) ille vxori tuæ inter epulas, & defixis in eam oculis alto ſuſpiria pectore duxit; vxor viciſſim ſuaue quiddam & amatorium retulit: alia item quæ ad ſuſpicionem adulterij faciunt: Si poëticæ ſtudioſus, ea ſibi arte præter modum placeat, Philoxeno, (aiunt,) carmen tuum non probatur; hiulcum, lege ſolutum, cenſetur. Ad religioſum; en ille de pietate, deque Diis malè ſentit, ſacra deteſtatur, prouidentiam vniuerſi gubernatricem pernegat. Tum auditor, ceu œſtro in auriculam immiſſo, excandeſcit, vt pro re coniicere licet: & amicum abs ſe, impos animi re ipſa nondum contentè cognita, miſſum facit. Talia ferè ſunt quæ ab impuris iſtis confinguntur, videlicet ad irritandos audientium animos maximè accommoda. Tum qua parte ſinguli præſtant; eam potiſſimùm iaculis ſuis obnoxiam ij faciunt, ne quod auditor ſubitâ interturbatus irâ, vero cognoſcendo collocet otium: deinde ſeſe purgaturo non fiat hominis copia, quem criminis admiratio ſpeciéſque veri occuparunt.]

Imitantur Diabolum in ea agendi ratione, qui ſunt ex parte illius. Diabolus enim in eo totus eſt, vt pronitates eorum, quos impetit, perſpectas habeat, impetum facturus ex parte quæ aptior fuerit ad excipiendam hoſtilem impreſſionem. Notauit hoc optimè S.Leo ſer.7. de Natiuit. Dom. cap. 3. & S. Gregorius 14. Moral. cap. 6. ad illud, *decipula illius, ſuper ſemitam*, ac Petrus Cluniacenſis leg. 1. epiſtol. 20. quæ eſt ad Giſelbertum *ante medium*. In quo agendi modo, ſatan (vt ſæpè alibi,) minius eſt Dei. Nam Deus pro ea reuerentia qua diſponit nos, cùm voluntatis liberæ aſſenſum captat, non adigit vi illata voluntatem, ſed exploratis (vt humano more loquamur,) latebris voluntatis, & quò eius natiua propenſio ferat, liquidò perſpiciens, congruos & contemperatos ſenſus & affectus immittit, quorum interuentu voluntas liberè & fallibiliter, ſiue ductabiliter, ſed certò in partem quæ Deo placuit permouetur, vt vberiùs proſequitur S. Baſilius Seleuciæ orat. 28. & præclarè vt omnia tradit D. Auguſtinus quæſt. 2. ad Simplic. Haud aliter ergo, ſed malignè & peruersè, Satan vt hominem implanet, aptat, & attemperat machinas, ad eius in quem agit propenſiones: quas vbi perſpectas habuerit, fingens ſe ad eius nutus, proſternit leui opera, parietem inclinatum, & maceriam depulſam. Calumniatores itaque, lectiſſima æmulatorum Satanæ portio, in concinnatione calumniæ, quæ antonomaſticè Diabolicum peccatum eſt, explorant; qua ex parte, & auditor, & is qui probro notandus eſt, faciliùs ictui pateant, eóque obuertunt machinas.

Solemne item eſt calumniatoribus, Zelum ementiri, & falſa ſpecie promouendæ honeſtatis, ac exterminandi vitij ſpiculum figere. Hoc eſt quod Dauid Pſal. 51. Sub alia imagine de ſtrenuo calumniatore Doëc Idumæo pronuntiauit, dicens; *Sicut nouacula acuta feciſti dolum*. Nouaculæ enim munus aſſumit calumniator, quatenus nouacula adhibetur ad refectionem ſuperfluorum: & tamen inter reſecandum nocet, & dolum facit, niſi dextrè & cautè adhibeatur. Similiter igitur Doëc, ſpecie tollendi machinationes in Regem Saul, vt S. Ambroſius lib. 3. de officiis cap. 11. benè expendit, calumniatus eſt Achimelec; dicens, eum Dauidi fugienti panes ſanctos ſuppeditaſſe, & conſuluiſſe pro eo Dominum contra Regem, quorum vtrumque falſum erat. Excuſauit enim Achimelec, ſe prorſus ignoraſſe Dauidis fugam, & eum habuiſſe inter filios Regis amicos. Pari malignitate, recti ſpecie, omnes calūniatores dehoneſtant innoxios. Hæretici ſanè, quibus quarto modo proprium eſt, calumniari, prætexunt ſemper calumniis honorem Dei: V. G. rapacitati qua in opes Eccleſiæ graſſari auidiſſimè expetunt, abuſiones Eccleſiaſticorum hominum ſemper obducunt. Iudas calumniæ qua Magdalenam onerabat, prætexuit curam egenorum de quibus reuera non curabat, ſed de infarcienda crumena per ſacrilegium. Idem ferè in omnibus calumnia grauantibus innoxios, notare licet. Idque ferè eſt blandiloquium oleo peccatoris expreſſum, quod à ſe procul fieri, poſcebat Dauid Pſal. 140. Quanquam ſolet etiam calumniæ adiungi oleum quoque mollium verborum, de quibus Pſal. 54. *diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius*. Hoc eſt iuxta gloſſam Martini à Roa l. 1. ſingul. cap. 5. omnes eius vultus imagines, redolent blanditias & ſemotionem ab ira, viſuſque eſt habere cor amicum, quod proinde in ſpeciem appropinquauit; & tamen *molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula*. Hanc ergo ſermonum blandorum multitudinem, exprimit quoque nouacula, radens & veluti abblandiens, quandoquidem

Digitized by Google

doquidem cutem duntaxat criſpat, donec dolum faciat, & manus titubantis vitio, lethalem plagam infligat. Similiter calumniator per ſpeciem blandiloquij fauciat ad mortem. Sed de oleo peccatoris ſic intellecto, iam ſatis dictum eſt ſuperiùs. Nunc autem agimus de eo peccatoris oleo calumniatoribus perfamiliari, quod continetur ementitione Zeli, ſpecie quidem externa æſtuantis pro honeſtate virtutis, & idcirco graſſantis in famam innoxij. Nec aliud ferè quærunt, qui malignitati ſuæ erga eum quem calumniantur, Zeli pro virtute ſiparium obducunt, vt ſeueriùs noceant, & commodiùs ad optatum finem pertingant.

Cognati ſunt famigeratorum, calumniatores. Quare æquè vtrique, feſtucas augent in trabes. Vel quia ea proportio minùs Facundo placuit l. 6. cap. 5. [Quia feſtuca (inquit,) & trabs ſi non eiuſdem quantitatis, eiuſdem tamen ſunt generis;] dicamus cum eodem Facundo Ibam excuſante & tegente à calumniis, contemptibilem ſtipulam à calumniatoribus verti in arietem ingentem, quo alienum nomen quatiatur, & funditus euertatur. Si quid igitur minutum & exile occurrat, quod poſſit in nomen alterius intorqueri, per auxeſim grandefactum, magno cum bombo intentatur, vt famigeratoribus mos eſt, apud quos micæ attolluntur in montes, & atomi in moles immanes amplificantur. Nimirum vt eſt apud Tertullianum in Apologetico cap. 6. fama plurimùm mendax, ne tum quidem cùm aliquid veri afferr, ſine mendacij vitio eſt: detrahens, adiiciens, demutans de veritate, & quantacunque ambitione diffuſa ſit, quantacunque aſſeueratione conſtructa, tamen ab vno aliquando principe exorta, exinde in traduces linguarum & aurium ſerpit, nouis ſemper cumulata acceſſionibus, iugibus & variationibus permutata. Igitur ita ſe habent famæ initia & cæmenta per famigeratores; Nec aliter calumniæ progreſſus, per famigeratorum germanos calumniatores, quæ optimè perſtrinxit S. Hieronymus epiſtol. 10. illis præter cætera. [Rumores turpiſſimos ferunt, & quod ab ipſis egreſſum eſt, id ab aliis audiſſe ſe ſimulant; iidem autores & exaggeratores. Exit fama de mendacio, quæ cùm ad matronas peruenerit, & earum linguis fuerit ventilata, prouincias penetrat. Videas pleraſque rabido ore ſæuire, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis, carpere Chriſtianos.] Illud in calumniatorum ratione agendi eſt valdè præpoſterum quòd circa ea aliis probrum falsò inurere plerumque nontantur, quibus ipſi maximè ſordent. Familiare id eſt ſcortis, quæ vbi primùm rixa illis cum alia honeſta muliere exoritur, non dubiæ quin auditura ſint quod ſunt; anteoccupant probrum, & faciem eius cum qua rixantur, implent ignominia. Non ſecus accidit calumniatoribus, qui quò ſe iuſtè in aliorum criminatione falſa culpandos norunt, eò flagrantiùs & æſtuoſiùs concitantur aduerſus perſonam cui imponunt falſam maculam, rati eò credibiliorem fore dicentium orationem, quò plus præ ſe tulerit ardoris in arguenda falsò impoſita turpitudine; & eò magis elongandam ab ipſis ſuſpicionem propriæ culpæ, quò acriùs eam aduerſantur in aliis. Quis enim credat eum labe aliqua ſordere, quem videt in alio eam damnare tanto cum æſtu, & concitatione? Et tamen non raro deprehenditur, quod Satyricus deteſtabatur Satyr. 2.

Clodius accuſat mœchos, Catilina Cethegum.

Qui inquam maximè delinquunt in aliquo genere, non. raro per mendacium infamant alios circa illud ipſum cuius ſunt maximè rei. Hæreticos (quorum oratio ex calumniis contexta eſt atque conflata,)

conflata,) hanc abſurditatem habere perfamiliarem, fusè, & egregiè monſtrat Thomas Boſius l. 12. de ſignis c. 13. ſignatis plurimis exemplis oſtendens, eos in quo Catholicam Eccleſiam calumniantur, ſeipſos condemnare. [Solet falſa religio (ait S. Chryſoſtomus hom. de Petro & Elia,) ſuos mores veræ religioni tribuere : quod proſtitutæ faciunt, vt ipſæ priùs, ingenuas, meretrices vocent, ne probrum illæ reliquum habeant quod è diuerſo iaciant.]

Octauius apud Minutium, eundem genium ethnicorum in concinnandis aduerſus Chriſtianos calumniis, annotauit; docens, eos impoſuiſſe Chriſtianis ea, quorum ſibimet conſcij erant: cœnas nimirum Thiæſtæas, & promiſcuos inceſtóſque concubitus. Nec aliter in Apologetico Tertullianus eaſdem calumnias depellens, & Athenagoras in legat. *ſub finem*, vbi poſt multa diſputata de ſanctitate profeſſionis Chriſtianæ, retorquens calumniam, ait. [Cœterùm tales cùm ſimus (quid dico tacenda ?) non deſunt, qui hæc crimina nobis obiiciant, & vt prouerbio dicitur, meretrix pudicam ; nam qui libidinis mercenariæ ceu forum ſtatuunt, & diuerſoria nefanda omnis obſcenæ voluptatis adoleſcentibus proponunt, & ne maribus quidem abſtinent ; maſculi cum maſculis ſcelus perpetrantes : corpora quæque ſpecioſa multis violantes modis, in pulchritudinem à Deo factam contumelioſi : (neque enim pulchritudo vllius in terra rei, per ſe exoritur, ſed manu & voluntate Dei immittitur.) Illi inquam facinorum de quibus ipſi ſibi conſcij ſunt quæque in ſuos etiam Deos referunt, déque ipſis eadem tanquam præclara prædicant, nos accuſant. Itaque adulteri & puerorum corruptores, in eunuchos, & ſemel nuptos nos, inuehuntur : quum ipſi piſcium inſtar viuant. Nam & piſces obuium quemque deuorant ; & qui inter eos validior fuerit, imbecilliorem perſequitur. Hoc nempe eſt (quod nobis obiicitur ab illis ;) carnibus humanis veſci, quum præter leges, quas vos & maiores veſtri rebus omnibus iuſtiſſimè perpenſis, ſanciuiſtis, innocentium fama violatur.] Haud aliter cũ Ethnicis, Chriſtianos ea ex parte criminantibus ex qua ipſi maximè ſordebant, agit Iuſtinus in Apolog. ad Senatum, & fortiſſimè Tertulianus c. 9. Apologet, Lactantius & Arnobius paſſim, & quotquot pro Chriſtianis aduerſus ethnicos texuere Apologias.

Hoc ipſum igitur in pleriſque innoxiorum calumniatoribus frequenter notatur ; cùm tamen indigniſſimum ſit, carpere in alio labem qua quis ſordeat. Vnde exclamabat Satyricus loco annotato,

Nónne igitur iure ac meritò vitia vltima fictos
Contemnunt Scauros & caſtigata remordent ?

Et creditus Proſper carm. de prouid.

———————*mendacia fallax.*
Furta rapax, furioſum atrox, homicida cruentum.
Damnat, & in mœchum gladios diſtringit adulter.

Videndus in huiuſmodi indignitatem Seneca l. 1. de ira c. 14. & l. 2. c. 28. Plinius l. 8 epiſto. 22. Tullius Verr. 5.

CAPVT VII.

Qui maximè calumniatores.

ET gentes aliquæ, & aliqui ſtatus hominum hac infamia flagrarunt. Quoad gentes, ſicut ferè omnes laborant aliquo ſibi peculiari vitio, vt attigit Saluianus l. 7. de prouid. & ibi clarè verſat Conradus Ritterhuuſius, ita aliquæ nationes notatæ ſunt proniores eſſe ad calumniandum. Malè hac in parte audierunt

Digitized by Google

runt in primis Ægyptij. Seneca l. de conſol. ad Heluiam c. 17. Ægyptum idcirco vocat, *loquacem, & ingenioſam in contumelias prouinciam; in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam.* Quid mirum ſorduiſſe calumniis Ægyptum, quam hoc ſemper in more habuiſſe, vt perditè & iniquè ſe gereret, ait Iſidorus Peluſ. l. 1. epiſt. 152. Concinit notatio Hebrææ vocis *Miſraim*, qua Ægyptus denominatur. Nam S. Hieronymus in c. 19. Iſaiæ, vocem illam ait Græcè verti Θλίβοντα: quod perſequentem & tribulantem, (vtique bonos & probos,) denotat. Et ſuſcribit ei vocis *Ægyptus* notioni, S. Ambroſius l. de fide reſurr. At ea perſecutio & tribulatio, maximè fit per calumnias: & qualiſcunque ſit, nunquam abſque calumnioſa impoſtura peragitur. Accedit, quòd in Scripturis Ægyptus nonnunquam ſuperſtitionis & maledictionis elogio, vniuerſus cœtus impiorum intelligitur, vt notat Tertulianus l. contra Iud. c. 9. & è contrario, virtutes & ſancta quæque opera, vocantur *abominationes Ægyptiorum*, vt docet S. Gregorius l. x. moral. c. 23. & 27. Nihil autem procliuius eſt, quàm vt oſor & perſecutor viri probi, ac virtutum queis ſplendet, falſis probris impoſitis dehoneſtare moliatur virum bonum. Sunt igitur hæc de Ægyptiis, etiam in Scripturis, non dubio argumento, quòd Ægyptij, vt Seneca affirmabat, fuerint maximè calumnioſi. Notari id poteſt in Pharaone per calumniam opprimente Hebræos, in hera Ioſephi.

Iudæorum calumnioſum ingenium, notare ſæpè eſt in Scripturis. Baſilius Seleuc. orat. 33. tractans multiplicationem panum, præmiſſa ſuſpectione in cœlum; [Iudæorum (inquit,) calumniam opprimere occupat: ſemper enim Iudæus, amans eſt criminationis, & ex quibus fructum capit, querelas captat. Cùm igitur olim in ſolitudine Deus Iſraëlitis manna ſuggereret, & terra iter habentibus cœleſtem explicaret menſam, nec non petram doceret imbrem emittere, & prærupta ſaxa nubis ingenium imitari, ingratis eorum vocibus repercuſſus eſt. *Quoniam percuſſit petrā & fluxerunt aquæ, nunquid & panem poterit dare?* Chriſtus eorum poſteris, ne ex miraculi magnitudine calumniandi caperent occaſionem, quòd ſe per ambitionem patre ſuperiorem oſtentaret, néue quòd patri parem ſe faceret, ſuetam rurſus calumniam excogitarent; Iudæorum loquacitati eripiens accuſationem ſublatis in cœlum oculis, Patri hoc præclarè factum acceptum refert. Semper enim Chriſtus, hac ratione tractat Iudæorum nequitiam. Sic aliàs quoque curato leproſo, & ob ægritudinem depulſam poteſtate innoteſcente, liberatum à morbo remittit ad legem. *Offer* inquit, *munus tuum ſacerdoti in teſtimonium.* Sit mihi lex teſtis curationi, & iniquitati lingua occludatur. Ideò quoque modò cœlum ſuſpicit, ne ſe Deo iactet: æquiparare os accuſatori obſtruens.]

Inter Græcos fuiſſe aliquos ad calumniandum ſtrenuos & nauos, quibus inde nomen φαγολοιδόρης, Pamphilus martyr, ſiue Euſebius ſub ementito Pamphili nomine, ſub initium Apologiæ pro Origene, eſt autor. Verè tamen dicere licet, vniuerſam Græcorum gentem, genij fuiſſe apprimè calumniatorij; quòd, vt cætera taceam, vniuerſa eorum ſacra hiſtoria clamat. Quibus enim calumniis mendaciſſimè grauatus non eſt S. Chryſoſtomus? Quadraginta ſex capitum ſyllabum mendaciſſimè in ſynodo ſancto viro impoſitum recenſet Photius Cod. 59. S. Cyrillus, ob Neſtorij damnationem, mole calumniarum grauatus, & ad tempus oppreſſus, S. Ignatius Conſtantinopolitanus, per Photium euirarum, ſupra omnes impios malignè eſt dehoneſtatus. Quæ Græci poſteriores contra Latinos

ed by Google

calumnioſè ſunt commenti, nec pauca, nec leuia, referunt & euertunt Hugo Etherianus in opere de hæreſibus quas Græci in Latinos deuoluunt, & Humbertus Card. l. aduerſus Græcorum calumnias, & contra Nicetam Pectoratum. Ac ne recens, & ſub lege gratiæ tantùm vigens videatur hæc Græcorum macula; cui ignotum, omnes retrò apud eos Ethnici, ſapientes ac boni quantis ſint onerati calumniis? Lucianus ſub finem Dialogi de non temerè credendo calumniæ, multos coaceruat, & multos item Dio Pruſæus orat. 37. Vnde Ariſtoteles, vt eſt apud Ælianum l. 3. var. hiſtor. *ſub finem*, & apud Laertium & Phauorinum in omnimoda hiſtoria, aufugit Athenis, paſſus calumniam impetratis ab Eurymedonte Cereris myſta; falſus Athenas vrbem eſſe pulcherrimam; ſed in qua, & pyra nata pyris, ficuſque in ficubus eſſent, innuens denſos illic eſſe calumniatores, ſeu ſycophantas ficuum edones, vnde fumus è ficubus, pro calumnia; adagium eſt ab Euſtachio adductum Odyſſ. 12.

Inter ſtatus calumnioſos, eminent aulici, vt iam non vnus inter eos Paulus Dacus, referente Ammiano l. 15. *Catena* nomine donandus fuiſſe videatur, quia in complicandis calumniarum nexibus erat indiſſolubilis; ſed inter aulicos plerique omnes eodem titulo inſigniri poſſe videantur. Æneas Syluius epiſto. 42. & 166. Bleſenſis Epiſto. 14. Calcagninus in Aulæ inſectatione, Budæus in opere de contemptu fortuit. & alij aulæ probra & mala enumerantes, hunc næuum non diſſimularunt. Idem variis illuſtribus exemplis affirmauit Ioannes à Chokier lib. 5. aphor. polit. ſed optimè omnino rem hanc expreſſit Lucianus dialo. de non temerè credendo calum. quem idcirco iuuerit audire, de calumniatoribus ſic diſſerentem. [At hoc genus hominũ, genus obnoxium eſt formidini; adeò nihil audet palàm, ſed perinde atque qui ex inſidiis tranſuerſi hoſtem inuadunt, ex abdito alicunde ſpecu iaculatur, vt non ſit qui contra vel mittere telum, vel manu contendere poſſit, hoſtiſque ignarus aduerſarij fraudiſque inſcius pereat. Quod profectò minimè fallax indicium eſt, in calumnia nihil ineſſe veri, nihil ſani prorſum. Nam qui accuſaturus quempiam, ſibi conſcius eſt veri, procul dubio & palàm audet aduerſarium inceſſere, corrigere, purgantem crimen ferre. Vt in bello qui iuſta acie vincere hoſtem palàm poteſt, turpe ducit aſtu ac inſidiis certare. At hoc genus homines in aulis regiis ſpectare plurimos datur optimatum fauorem hiſce artibus ambientes, vbi ſcilicet & inuidia crebra, & variæ ſuſpiciones, & aſſentandi criminandique occaſio multiplex in promptu eſt: Siquidem ibi quò pluribus plura ſpes oſtentet, eò neceſſe eſt maiore inuidiâ, ſæuioribus odiis, æmulatione callidiore certari. Illic videns licet, quàm acres alter in alterum oculos defigat, quâ curâ obſeruet, veluti ſingulari certamine congreſſus ſi quid vſpiam in alterius corpore fortè fortuna nudum, aut malè munitum conſpiciat, quod ferire feliciter poſſit. Itaque ſtudio cuique eſt, cùm primus eſſe cupit, vt proximum deiiciat, exturbet, conuellat, proculcet. Hic ſi quis eſt vir frugi, temerè euertitur, illuditur, denique ignominioſè exterminatur. Contrà qui aſſentandi paulò peritior eſt, & habiliore ad mentiendum ingenio probatur, ſuperat. Sanè omnino iuxta Homeri carmen, eſt huius certaminis alea.

Vndique communi ſæuitur Marte, parique
Victuſque, victórque cadunt fato.

Alium ſubinde alius aliâ viâ aggreditur, vt ferè fieri ſolet, ſicubi de magnis agitur commodis, ſed per calumnias iter eſt vt compendiarium, ita minimè ſecurum.] En quàm denſæ in aulis calumniæ.

Ac-

Ac ne quis aulas duntaxat ſeculares, huic tabi obnoxias putet, obſtat Petrus Bleſenſis, qui expertus vtramque ſortem, nectit hac in parte aulas Eccleſiaſticas, cum Regiis & ſecularibus epiſt. 20. [Scio (inquit,) quia detractores, ſicut Apoſtolus dicit, *Deo odibiles* magnificauerunt ſuper me ſupplantationem. Habitant ſiquidem in domibus Epiſcoporum & Regum ranę peſtilentes, cynopia & cynipes, muſca Ægypti grauiſſima, loquaces, adulatores, garruli, & mordaces. De talibus ſcriptum eſt. *Edidit terra eorum ranas in penetrabilibus regum ipſorum: dentes eorum arma, & ſagittæ, & gladius in labiis eorum.* Sic igitur mihi domini veſtri gratiam enormiter toxicauit linguæ meretricantis adulatio, & inuidiæ detractoris. Hic eſt aër ille peſtilens, & aura corrumpens, quæ hodie generaliter Palatinos inficit, & à magnarum lateribus viros approbatæ honeſtatis auellit: peſtis enim inuidiæ merita virtutum non ponderat, ſed tormenta conſcientiæ ſuſtinet, dum ipſam præceps ambitio, & elationis propriæ appetitus excæcat.] Tametſi rem ad viuum reſecando, aliud eſt detractio, aliud calumnia, quandoquidem detractio poteſt eſſe abſque falſitate, cùm probrum latens enulgatur abſque cauſa, vt S. Chryſoſtomus hom. 3 ad pop. optimè notauit, exemplo Phariſæi qui detraxit de Publicano, vera dicens. Tamen hoc loco apud Bleſenſem, vt ex adiunctis liquet, *detractor* ſumitur pro calumniatore. Supponit enim Bleſenſis ſe fuiſſe innoxium & falſis probris grauatum. Atque adeò qui illa intulerant, erant calumniatores, quos paſſum ſe in aula Carnotenſis Epiſcopi expoſtulabat. Quò verò ſublimiores ſunt multorum aliorum Antiſtitum aulæ, & pinguior præda ſperari in illis poteſt ex deiectione calumnioſa gratioſorum, eò denſiores & artificioſiores ibidem cócinnantur calumniæ, quod non eſt neceſſe illuſtrare exemplis ex hiſtoria poſitis, cùm abundemus quotidianis in omnium oculos incurrentibus. Quot enim innoxij deturbantur aut deiiciuntur è gradu in quem iam irrepſerant, (& deiiciuntur quotidie multi,) totidem ſuppetunt noſtræ huius aſſertionis fundamenta.

Nulla hominum conditio, certiùs ac iuſtiùs inſimulatur pruriginis calumniádi, quàm quæ pro falſa religione depugnat. Quò enim Diabolo eſt coniunctior, eò in eius artes & maleficia fertur ardentiùs atque procliuiùs. Sic ethnicos pro ſuperſtitionibus ſuis agentes cótra Chriſtianos, quod ratione aſſequi non poterant, malignitate calumniandi ſuppleuiſſe, clamat Eccleſiaſtica hiſtoria. Celſus qui religionem Chriſtianam oppugnauit, calumnias vniuerſo fere opere conſuit, vt in eius profligatione monſtrat Origenes. Idem de Iuliano Apoſtata ritus ethnicos propugnante, monſtrat in Iulianomaſtyge S. Cyrillus; vbi etiam l. 3. Porphyrium, qui in eodem Chriſtianos lacerandi ſtudio fuit acerrimus, vocat *calumniarum Patrem.* Apoſtolus 2. Timo. 3. notas Hæreticorum recenſens, inter eas numerat, quòd forent criminatores. Græcè eſt διάβολοι, ideſt *calumniatores.* Patres in hoc probro hæreticis inurendo frequentes ſunt. Nouatianus c. 30. de Trinit. haud aliter ab hæreticis ſtabiliri ſua dogmata aſſerit, quàm calumnias ſuas colligendo: & addit, Chriſtum inter extremos hæreticorum errores crucifixum, vt olim inter latrones medium, excipere iactatas ex vtroque latere ſectarum inimicarum, mediam Catholicam fidem impugnantium, ſacrilegas calumnias. S. Athanaſius in Epiſtola pro S. Dionyſio Alex. multus eſt in hoc negotio S. Auguſtinus ſub finem Epiſtolæ 137. informans ſuos. [Nec obiiciatis (inquit) hæreticis, niſi quia non ſunt Catholici: ne ſimiles eis ſitis, qui non habendo quod in cauſa ſuæ diuiſionis defendant,

non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè iactant; vt quia ipſam diuinæ Scripturæ veritatē, qua vbique diffuſa Christi Eccleſia commendatur, criminari, & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, poſſunt.

Vt autem omnium qui vnquam ex Erebo eruperint Hæreticorum virulentiſſimus eſt Caluinus, ita in calumniando fuit ſtrenuiſſimus, vt non abs re qui gentilitio nomine *Cauuinus* dicebatur, maluerit dici & audire *Caluinus*, voce deducta à verbo *Caluire*, vnde Caius I. C. Cōment. ad ll. 12. tabul. & refertur l. 233. ff. de verb. ſignif. *calumniæ* vocem deriuat, exponens priſcam illam legem, *ſi caluitur, pedémve ſtruit, manum endoiacito.* Ait enim *caluire* idem eſſe quod falſò imponere atque decipere. Itaque Caluinus, iuxtà nomen ſuum totus eſt ex calumniis concretus: nec falſitatis inſimulari iure poterit, qui eius Alcoranum (Inſtitutiones dico) *calumniarum centonem* vocauerit, cum Nicolao Rōmæo in Caluini effigie colore 31. qui eſt de Caluino ſycophanta. Ibi hic Autor, decem palmares Caluini calumnias, ſpecimen reliqui operis, ſigillatim & diſtinctè proponit, vt oſtendat nihil Caluino fuiſſe familiarius, quàm falſis maculis dehoneſtare quos haberet exoſos, & grauare ſuis figmentis atque mendaciis Eccleſiam, præſertim verò Doctores ſacros & vniuerſum Ordinem Eccleſiaſticum.

Eſt hæc labes (vt dixi,) Hæreticorum maximè propria, ſed huius Hæreticorum noſtratium Anteſignani, propriiſſima. Et quidem cum omnibus adiunctis quibus ſordere ſolent ſtructæ ab his nequitiæ artificibus calumniæ. Sunt porrò ea adiuncta, multiplicia. Specialiter verò admonet Facundus l. 9. c. 5. hæreticos ita calumniari ſolere, vt ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt, malè interpretentur: cùm par potiùs fuiſſet, ex indubitatis atque euidentibus, & firmare ambigua & latentia declarare, vt ſolitum eſſe prudentiæ ac pietatis Catholicæ, ibidem monet Facundus. Iam item ſuprà admonui ex Thoma Bozio l. 12. de ſignis c. 13. perpetuum eſſe Hæreticis, illa Catholicis falsò impingere, quibus ipſi reuera ſordent. Solitos conducere homines emptitios, per quos calumnias diſſeminent, habetur ex S. Cyrillo ſub finem Apologiæ. Eoſdem religionis nomine tegere artem calumniandi, notat Franc. Balduinus l. 2. de hiſtor. cui inter Hæreticos aliquandiu profeſſo, & experto, credendum eſt. Omnes hæ maculæ calumniarum ab hæreticis ſtructarum in Caluino maximè eminent; de quo prouoco ad Romæum in Caluini effigie.

CAPVT VIII.

Qui maximè calumniæ pateant.

CVm fontes calumniarum (vt ſuprà eſt conſtitutum,) ſint inuidia erga eminentem perſonam, eiúſve odium, aut ſpes eminendi ex eius deiectione, ij maximè ſunt calumniæ obnoxij, qui cæteris præcellunt, & odiis incenſis ſubiacent. Attigit iſta perpulchrè Lucianus Dialo. de non temerè cred. calumniæ, agens de iis qui calumnioſè deferuntur. [Porro (inquit,) defertur is plerumque, qui honore quodam aliis præſtat, nempe iis inuidioſus, qui ſpe illius fruſtrati ſunt. Quò fit vt omnium telis affectetur, ceu obex qui viam aſſequendæ dignitatis aliis intercluſerit: ſeque primos tū ſinguli fore confidunt, ſi ſublimem iſtum loco demoliti ſint, & ab amicis abalienârint. Tale quiddam in gymnico curſu fieri conſueuit, vbi ſi quis eſt curſor ingenuus, ſtatim ruptis carceribus primas affectans, & animum ad ſtadij metas adiiciens, ſpe victoriæ

Digitized by Google

victoriæ è robore ſuo contemptæ, neque ſequenti incommodat, neque omnino laboris huiuſce ſociis quicquam ſtruit remoræ. Contrà qui malitioſus, imbellis, eneruis, contendit curſu cum aliis; deſperatis viribus in fraudem intentus agitur, atque in vniuerſum hoc vnicum ſpectat, qua currentem occupet, impediat ac intercludat: & vi ſuccedat actus, non eſt vt vllo alio modo vincere poſſit. Haud aliter in ambiendis magnatum amicitiis accidit; vbi ſi quis feliciter anteuertit, in medias continuò labitur inſidias, & incautus ab æmulis captus diſcerpitur.]

Proportione ad aulicos ſæculi, (de quibus ibi Lucianus agebat,) quotquot eminent in alio quouis ordine aut gradu perſonarum; faciliùs patent calumniis: Inde enim inuidia, & odium, aut ſpes ſortis melioris ex deiectione earum. Attingit hoc optimè Petrus Bleſenſis Epiſtol. 80. ex Naſone & Flacco. Et quia probitas & virtus, ob eam affectantia humana decora, incurrit in improborum inuidiam, nihilque eſt procliuius, quàm vt inter, adeò pugnantes & contrarias animorum in vtriſque affectiones, emergant odia; ac ex dehoneſtatione viri probi, ea ſaltem apparens vtilitas in improbos refunditur, quòd ceſſat muta ſugillatio, quam ex bonis moribus contrariis ſuſtinere coguntur: idcirco tam denſæ tamque frequentes ſemper fuere proborum ab improbis calumniæ: De antiquis Philoſophis, morum compoſitionem & ſanctimoniam, (vt in Ethniciſmo;) profitentibus, per calumnias dehoneſtatis Themiſtius orat. 4. & Dio orat. 37. expoſtulant Socratem, Platonem, Pythagoram, nominatim exprimit Dio, & vniuersè addit, nemini eorum qui cum gloria vixerunt, licuiſſe effugere calumniæ terminum. Verùm Ethnicos dimittamus, quòd omnis eorum virtus, ferè eſſet perſonata & vmbratilis; idémque non calumniæ, ſed veris pleriſque probris meritò patens. Quid vere & ſolidè ſancti? Audiendus Hieron. in S. Paulæ Epitaphio. [ſemper quidem virtutes ſequitur inuidia, feriúntque ſummos fulgura montes. Nec mirum, ſi hoc de hominibus loquar, cùm etiam Dominus noſter Phariſæorum zelo ſit crucifixus, & omnes ſancti æmulos habuerint. In paradiſo quoque, ſerpens fuerit, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Suſcitauerat ei Dominus Adad Idumæum, qui eam colaphizaret, ne ſe extolleret; & quaſi quodam ſtimulo carnis ſæpiùs admonebat, ne magnitudo virtutum altiùs raperet, & aliarum vitiis, fœminarum ſe in excelſo crederet conſtitutam.] Quod S. Hieronymus, *ſtimulum carnis, & Angelum ſatanæ colaphizantem*, alludens ad Apoſtolum, de calumnia accipit, conſentaneum eſt ſancto Chryſoſtomo Orat. de S. Euſtachio, & homil. 1. ad pop. Benè porrò calumniatores inſignium ſanctorum *Angeli Satanæ* appellantur. Nam perplacet ſibi Diabolus, in hac proborum ſanctitudine illuſtrium calumnioſa inſectatione per ſuos, ſic exerens inuidiam qua in eos flagrat. Quod notatum video à S. Cypriano epiſt. 52. monente Antonianum, ne calumniis de S. Cornelio ſparſis aſſenſum præſtaret Collaudata enim S. Cornelij preparatione animi ad martyrium, ſubdit. [Quòd autem quædam de illo inhoneſta & maligna iactantur, nolo mireris, cùm ſcias hoc eſſe opus ſemper Diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet; vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcant, alienis rumoribus ſordidentur.] Nec minùs perſpicuè S. Gregorius l. 2. indict. x. epiſto. 23. agens de calumniis Leoni epiſcopo impactis, quas abs ſe diligenter diſcuſſas, & planè inanes deprehenſas, affirmat. Habet hoc proprium antiqui hoſtis inuidia, vt quos in prauorum

actuum perpetratione Deo ſibi reſiſtente decipere non valet; opiniones eorum, falſa ad præſens ſimulando, dilaceret.]

Eiuſmodi cùm ſit Satanas, aduerſus eos quos ex ſola inuidia qua in omnes bonos flagrat inſectandos ſuſcipit; quis non videt, qualem ſe præſtiturus ſit, erga eos quos cauſæ Dei vtiles, & ſubducendæ Tartaro prædæ, idoneos deprehenderit? Aduerſus hos quippè, non ex eo tantùm generali calumniarum fonte quem inuidia & odium vniuerſale in omnes homines efficiunt, concitatur: ſed ex ſpeciali odio, imò rabie & ſingulari efferatione. Itaque ſemper notatum eſt, homines eximiæ in Dei Eccleſia vtilitatis, tetrioribus & denſioribus calumniis patuiſſe. Exemplo ſint S. Athanaſius, & S. Chryſoſtomus; Ambo vitæ ſanctitate, zelo Catholicæ fidei, & laboribus pro Eccleſia, omni encomio ſuperiores. Vterque tamen adeò denſis & atrocibus calumniis patuit, vt poſiti viderentur quaſi ſignum ad ſagittam. Athanaſius, veneficij, & magiæ, homicidij, turpitudinis, ſeditionis, ac proditionis in Rempublicam, inſimulatus eſt per calumniam iure dictus πολύαθλος, nam eius vita vniuerſa, fuit perpetua calumniarum tela: Quod quia notiſſimum eſt, mitto exponere. De Chryſoſtomo, quia res obſcurior eſt, adeundus Photius Cod. 59. vbi referens acta Synodi ad quercum, duobus libellis, altero Ioannis Diaconi, altero Iſaacij Epiſcopi, comprehenſas ſtructas B. Chryſoſtomo calumnias legere eſt; priore libello vndetriginta, poſteriore duodeuiginti. Calumnias itaque ſuſtinuit, eiectionis Diaconi ob pulſatum Eulalium domeſticum puerũ, Ioannis Monachi verberati & dæmoniacorum more aſtricti, diuenditæ ſacræ ſupellectilis pretioſæ, & marmorum à Nectario ad templi Anaſtaſiani ornamentum comparatorum, ac hæreditatis à Thecla relictæ, vilipenſionis & contumelioſæ appellationis Clericorum conuitij in S. Epiphanium, quaſi eum *delirum &*, *& paruulum dæmonium* appellaſſet, Decanorum cõtra Seuerianum excitatorum, ſcriptionis calumnioſæ in clerum, accuſatorum furti Diaconorum, Antonij ſepulchrorum effoſſoris ordinati in Epiſcopum, & aliorum initiationis abſque teſtibus; proditionis Ioannis Comitis, miſſæ precationis in templi aditu, ordinatorum abſque altari Diaconorum, & Epiſcoporum, ordinationis quatuor ſimul Epiſcoporum, allocutionis mulierum ſolarum emiſſis aliis, dilapidationis ſacrorum redituum, ordinationis rei cauſam dicentis, incluſionis piorum hominum, & negationis ſepulturæ iiſdem defunctis: iniuriarum in Acacium, & repulſæ à colloquio, emandati in exilium Porphyrij presbyteri per Eutropium, item Veterij Presbyteri malè multati, lauationis, & menſæ ſolitariæ, ſacrificij oblati poſt pugno contuſum Memnonem, & ſanguinem fuſum, comeſti in throno paſtilli, & ibidem ſuſceptarum & abiectarum ſacrarum veſtium, pecuniarum ad Cleri oppreſſionem profuſarum, vſurpationis vocum ab Eccleſia ignoratarum, blaſphemiarum & inſaniam redolentium vocum in concione vſurpatarum, excitationis populorum ad ſeditionem & peccandi libertatem, Gentilium fidei hoſtium liberaliter habitorum, contumeliarum in Epiſcopos, & inuaſionis alieni territorij, rapinæ depoſitorum alienorum communicationis cum Diogeniſtis, ordinationis mancipiorum non manumiſſorum. Satin' calumniarum in vnum caput. Itaque rectè binos hos montes Chriſtianæ ſapientiæ & ſanctitatis, ſtatuiſſe videor in exemplum obnoxiæ calumniis ſummæ virtutis.

Excitat ſummis hominibus hos turbines ſatan, cùm in vltionem damnorum quæ ab eis patitur, & in exſaturationem odij quo propter diffidentia ſtudia

Digitized by Google

dia contra eos efferueſcit; Tum etiam vt eos inidoneos reddat ad deinceps ſibi nocendum: Nemo enim niſi bonæ famæ fuerit, poteſt agere idoneum animarum curatorem, vt propterea S. Auguſtinus l. de bono viduit. cap. 22. nobis dicat neceſſariam eſſe conſcientiam noſtram. Quomodò verò qui infamatur vt turpis & obſcœnus, poſſit fructuosè ad caſtimoniam & mentis ac corporis puritatem adhortari? Quomodò qui auarus audit, de profuſione rerum ſuarum in pauperes cum fructu aget ad populum? Quomodò deniqne ſuperbus, abſque poſticis, vel etiam anticis ſannis, de humilitate & gloriæ contemptione diſputabit? Nihil haud dubiè magis eleuat dicentis orationem, quàm vita, vel vitæ fama, (quod perinde eſt,) diſſidens ab oratione, & factorum cum verbis pugna; ſaltem in hominum exiſtimatione atque iudiciis. Hoc igitur perſpectiſſimum habens ſatan ſollicitus admodùm eſt, vt famam eorum à quibus timet ſuis profectibus, obnubilet quantis poteſt calumniis; certus quantùm de eorum fama decedit tantùm de facultate proximos iuuandi & Dei gloriam promouendi decedere.

Nec illa in hanc rem ratio parui eſſe momenti debet, quam ſanctus Gregorius l. 6. indict. 15. epiſtol. 14. proponit, conſolans Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum multis calumniis appetitum, quas cum à ſatana profectas præmiſiſſet S. Pontifex, & à ſerite diſcutienda ablegata facilitate nimia & credulitate docuiſſet, addit; [Vnde ſanctitas veſtra debet mentem ſuam à maledicorum hominum rumoribus atque obtrectatione diſiungere, & ſola quæ æternæ vitæ ſunt, atque ad vtilitatem ſubditorum proficiunt, cogitare: quia & ad hoc fortaſsè antiquus hoſtis tali curâ implicari vos voluit, vt dum fraternitatis veſtræ animus erga ea quæ ſua ſunt indeſinenter occupatur, aliena minùs cogitet, & nullum verbi ſolatium ſubditis inferat, atque peruersè agentibus nulla diſtrictione contradicat. Sic namque in corporali prælio fieri ſolet; vt is qui in certamine vexillum portat, ipſum hoſtis vehementer impetat: quatenus ſi ipſe qui à cęteris attenditur vulnus accepit, multitudo omnis citiùs diſperſa capiatur. Hoc igitur opinionis illatæ vulnus ſentire veſtra fraternitas non debet: ſed vitam, atque meliorationem ſibi commiſſorum curare, quatenus venturo iudici, bonam poſſitis & de veſtra innocentia, & de ſubiectorum melioratione ponere rationem.] Quæ ergo aſtutia in bellis terrenis percommoda eſt, dum hoſtis alicubi timendus, alibi laceſſitur, vt auerti à priore inſtituto cogatur: eadem in ſpirituali hoc bello Satanæ nobiſcum, cedit illi perbellè, ſi viri eximij per quos inter mortales negotia Dei promoueri poſſent, diſtrahàntur ad alia. Nam V. G. dum intenti ſunt in propulſandis calumniis quibus onerantur; aut prorſus omittunt labores pro conuerſione animarum, aut pluribus intentus eorum ſenſus, minor eſt ad negotium Dei, quod totum hominem expoſcit.

Hæ igitur ſunt cauſæ, cur calumnia in viros probos graſſetur, eóque ferociùs ac truculentiùs, quò magis eminent probitate. In impios enim, non eſt quòd hoſtis falſa probra per calumniam congerat, cùm abundent veris. Neque Satanas, qui magna ex parte eſt calumniæ, ſicut & cæterorum peccatorum incentor & ſator, admodum ſibi ab eis timet, ſicut timet à probis & piis, præſertim ſi ſint inſigni ſanctitate. Itaque hos præſertím ſummos montes feriunt eius fulmina, nihil prætermittens quominùs eorum famam profliget, vt ſic eorum labores ad Dei gloriam caſſos reddat.

Quia verò in magnis ac populoſis vrbibus Satanas multos habet à ſuis partibus; mirum non eſt, multos ibi cerni qui

qui viris bonis, & innoxiis perſonis calumnias ſtruant, & falſa probra impingant. Notauit hoc S. Hieronymus in Marcellæ Viduæ Epitaphio ad Principiam; verbis illis. [Difficile eſt, in maledica ciuitate, & in vrbe in qua orbis quondam populus fuit; palmáque vitiorum ſi honeſtis detraherent, & pura ac munda macularent, non aliquam ſiniſtri rumoris fabulam contrahere; vnde quaſi rem difficillimam, & penè impoſſibilem optat Propheta potiùs quàm præſumit, dicens, *Beati immmaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Immaculatos in via huius ſæculi appellat, quos nulla obſcœni rumoris aura maculatit, qui opprobrium non acceperint aduerſus proximos ſuos. De quibus & Saluator in Euangelio, *Eſto* (inquit,) *beneuolus, ſiue benè ſentiens de aduerſario tuo, dum es in via cum illo.*

SECTIO II. HISTORICA.

De calumnia ſigillatim.

SERIES I.

De calumniis quibus falsò imponitur noxa in Deum.

DESCENDENDVM eſt ad calumnias in particulari, decurrendo triplicem calumniarum ſeriem. Quia enim calumnia eſt impactio falſi probri, hoc autem vel ſpectat Deum, & quæ cum eo ſunt nexa; vel proximum, vel perſonam ipſam cui labes imponitur: propterea triplicem calumniarum ſeriem oportet ſecernere, & in qualibet ſerie varios gradus pro diuerſitate labis falsò impoſitæ; cuius teteram & ſuriam faciem ſpectare in primis oportebit, ſed breuiter: Tum quibus ſanctis ea labes ſit afficta, conſiderabimus.

CAPVT I.

De Atheiſmo.

PRobrum Atheiſmi tale, ac tantum eſt, vt nullus vnquam ſapiens eo ſorduerit. Quin etiam inter impios, ait S. Auguſtinus ſerm. 10. de verb. Dom. [Pauci inueniuntur tantæ impietatis, vt impleatur in eis quod ſcriptum eſt, *dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus.* Inſania iſta paucorum eſt. Sicut enim magna pietas paucorum eſt, ita & magna impietas, nihilo minùs paucorum eſt.] Et eſt ſanè Atheiſmus irrationabiliſſimum & omnium malorum peſſimum barathrum, vt loquitur S. Damaſc. 1. fid. cap. 3. nec oriri niſi ex nimia deprauatione naturæ, affirmat S. Auguſtinus in Ioan. Quod aliter dixit Clem. Alex. 3. ſtrom. cap. 4. [Vt Deus ignoretur, efficit vitæ inſtitutum.] Et Clemens Rom. 1. Recogn. eleganter ait, domum ab igne concupiſcentiæ, fumo peccatorum oppletam, prohibere inhabitantes aſpectu & agnitione conditoris. Sicut autem veriſſimè dicitur, Atheiſmum eſſe ſedimentum peſſimæ vitæ, ac fructum infelicem deprauationis naturæ, præſertim hæreſeos, vt dixit Clemens Alexandr. l. 7. ſtromat. ita veriſſimum quoque eſt, cumulum & perfectionem iniquitatis, ex Atheiſmo prouenire, quod notauit Plotinus Enneade 2. l. 9. cap. 16. & præclarè ex noſtris S. Baſilius homil. quod Deus non ſit autor malorum *initio.* Nam præfatus originem prolapſionis in hoc barathrum, addit. [Prauum illud dogma intra ſe confirmant, & in ſuis cordibus ita decernunt: Non eſt Deus. *Dixit*

inſipiens

Digitized by Google

inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Hoc itaque cùm in animum induxerunt, certatim ad omne reliquum peccati genus ruunt. Si enim nullus eſt inſpector, ſi nullus qui pro meritis vitæ cuilibet tribuat; quid prohibet pauperem conculcare, orphanos necare, viduam & aduenam occidere, omne audax facinus tentare impuris & abominandis affectibus, omnibus denique pecuniis cupiditatibus inquinari? Idcirco illud, quod talem impietatem, quæ Deum non eſſe dicit, conſequitur, ſubiungit: *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Impoſſibile namque eſt, à viâ iuſtâ aberrare eum qui in ſuo corde, Dei non obliuiſcitur: Vnde quæſo, gentes traditæ ſunt in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniant, vt ait Paulus? Nonne, quoniam dixerunt, *non eſt Deus?*]

Huius nefandiſſimi ſceleris quod radicem omnis boni funditus tollit, inſimulati olim ſunt, Chriſtiani omnes. Crebra ſunt veterum teſtimonia de Chriſtianis *Atheorum* appellatione donatis. [Ergò ne (inquit Arnobius l. 1.) impiæ religionis ſumus apud nos rei, & quod caput rerum & columen venerabilibus adimus obſequiis, vt conuicio vtamur veſtro, infauſti & athei nuncupamur?] Addit regeſtam in Ethnicos à Chriſtianis appellationem *Atheorum*, quod verè ipſi abſque Deo eſſent, qui lapides & ligna colebant, à quibus Dei nomen & dignitas longiſſimè abhorret. Fortiter idipſum monſtrat Atheiſmi Ethnicos inſimulans ipſe Arnobius l. 5. Idem conteſtatur Antoninus Imperator Epiſtola ad Ciuitates Aſiæ quæ extat apud Iuſtinum. Refert enim Chriſtianos vocaſſe Ethnicos, impios & ſine Deo; ac ne tales euaderent, maluiſſe ſalua religione exterminari. Apud eundem Iuſtinum, initio Apologiæ ad Antoninum, hæc calumnia Chriſtianis impacta refertur & depellitur. Sicut & apud Athenagoram initio Apologiæ pro Chriſtianis. In Amphitheatris cùm Chriſtiani producebantur, ſolemne erat exclamare *αἶρε τοὺς ἀθέους*; *Tolle impios, tolle atheos.* Id quod Euſebius l. 4. hiſtor. cap. 13. & 14. deſcribens S. Polycarpi martyrium, tradit, docens vniuerſam multitudinem Ethnicorum, Germanici ſanctiſſimi martyris fortitudine exaſperatam, conclamaſſe, *Tolle impios* (Græcè *ἀθέους*,) *quæratur Polycarpus.* Et inferiùs Præſes inſtitiſſe refertur, vt S. Polycarpus exclamaret in ſignum eiuratæ Chriſtianæ religionis, *tolle impios*, id quod S. Polycarpus ſublatis in cœlum oculis cum gemitu exclamauit, ſed contrario plane ſenſu quàm Præſes intenderet; expoſcens nimirum à Deo, vt impietatem & atheiſmum eradicaret, & omnes ad veri Dei agnitionem perduceret. Acilius itam Glabrio, (vt Dio in Domitiano ſcribit;) vix Conſulatu exceſſerat, cùm damnatus eſt *ἀθεότητος*, & tranſitus ad Iudaiſmum, abiectis Romanis diis. Quod enim ſalus ex Iudæis fuiſſet, Chriſtiani paſſim apud Ethnicos olim audiebant *Iudæi.* Itaque Glabrio Chriſtianus factus, tanquam atheus, ad leonem damnatus eſt: à quo illæſus, gladio periit, atheiſmi inſimulatus per calumniam: Denique res eſt in antiquorum Martyrum Actis, & in Patribus qui pro Religione Chriſtiana apologias ediderunt, peruulgata, Chriſtianos paſſim accuſatos fuiſſe impietatis, id eſt Atheiſmi.

Vnde hæc calumnia in Chriſtianos manarit, non eſt obſcurum. Cùm enim Chriſtiani, vt Arnobius proximè adductus affirmabat, nollent falſa numina venerari, & polytheiſmum magna conſtantia execrarentur, peruersè dicti ſunt *Athei*, quaſi quia peruulgata tunc numina aduerſabantur, nullum reuera Deum agnoſcerent. Qua eadem ex cauſa ſapientiſſimi quique Ethnicorum, cùm nugamenta de Diis iactata explodérent, Athei

Digitized by Google

per calumniam ſunt denominati, vt Socrates, Anaxagoras, Diagoras, Plato, Ariſtoteles, Tullius, & alij, quos latè adduco & purgo in Natur. Theol. diſt. 5. à num. 154. Apuleius ſanè in Apologia, cùm à ſe amolitur probrum magiæ, ait [Communi quodam errore imperitorum, Philoſophis obiectari, vt eos qui corporum cauſas meras & ſimplices rimantur, irreligioſos putent, eóſque aiant Deos abnuere, vt Anaxagoram, & Leucippum, & Democritum, & Epicurum, cæteróſque rerum naturæ patronos.] De aliis videndus, qui eos purgat Iulianus orat. 6. & 7. Verùm hos & alios huiuſmodi externos, miſſos faciamus, inſiſtentes duntaxat noſtris qui ea ex parte calumniam ſunt paſſi, ex qua exiſtere illis ſummum decus par fuerat. Nam tantùm abeſt, vt abrogatio pluriū numinum; (& quidem talium qualia Ethnici colebant,) fuerit idoneum argumentum inſimulandi Chriſtianos Atheiſmi, vt potiùs ij ſoli è numero Atheorum expungendi ſint, qui vnum Deum agnoſcunt. Siquidem vt Sanctus Athanaſius ſub finem orationis contra Idola rectè dixit, *multitudo numinum, nullitas numinum.* Et rectè S. Chryſoſtmus in Pſal. 13. ex legitima Dei notione in qua vnitas planè atoma inuoluitur, concludit, eum qui multos Deos agnoſcit, verè diffiteri Deum Idque ſpectabant ipſimet Chriſtiani, quos vidimus probrum atheiſmi ab Ethnicis ingeſtum regeſſiſſe in illorum capita. Huc denique pertinet concinna diſputatio Origenis l. 8. contra Celſum, *initio.* Probat enim ſeruitutem illam ſummam quæ Deo vero debetur, non poſſe pluribus impendi ſine abrogatione illius vnius ſummi, quod non poteſt eſſe niſi vnum; alioqui ſummum non eſt. Sed mirum non fuit Ethnicos hoc infami probro dehoneſtaſſe Chriſtianos, quod potiùs in ipſos Ethnicos cadebat: cùm genius calumniatorum, (vt ſuprà monſtratum eſt,) id ſemper ferat, vt maculas quibus ipſi ſordent, exprobrent aliis, antè occupantes conuicium pro more luparum.

Vndecunque verò Ethnici ἀθεότητος calumniam ipſis nec falsò impingendam, Chriſtianis affricuerint, fuit ea criminatio abſque colore & veriſimilitudine. Ad illam reuincendam Arnobius l. 1. optat orbem totum in vnius ſpeciem concionis contrahi, vt in humani generis vniuerſi audientia agere, prolatis argumentis, quæ & Chriſtianorum (atque adeò etiam omnium mortalium) nomina quibus Deo vero obſtringuntur aperiant, & Chriſtianos pro facultate & viribus non deeſſe officio; ac ipſos Deum verum, non agnoſcere modò, quod etiam dæmones faciunt, ſed etiam piè & religioſè venerari, eo cultu qui impietatis inſimulatur, ab iis duntaxat qui in ea criminatione haud nomine appellandi ſint hominis, ſi ad veritatem res penſetur, vt ibidem paulò priùs præmiſerat Arnobius. Plenè item ac fortiter Athenagoras ferè initio legationis pro Chriſtianis, diſpellens primum caput calumniarum in illos intortarum, nempe quòd Chriſtiani eſſent impij & athei; [Negare (inquit) nos diuinam naturam, calumnia eſt.] Eam verò calumniam nulla niti veriſimilitudine & eſſe planè iniquam, probant ex eo quòd omnis Chriſtianorum ſermo Deum celebrat; & tot tantiſque rebus agnoſcendi & colendi numinis admonentur, ex quarum introſpectione & penitiſſima perſuaſione, Deum aſſiduè frequentant obſequiis; vt iniquitas aperta ſit & iniuria atrox, Chriſtianos & verbis & factis Deum palàm celebrantes, proque ea fide conſtanter ponentes animas, accuſare impietatis ſiue Atheiſmi. Hæc & alia Athenagoras.

Papa & Cardinales, iam olim, ac etiam nunc, pro fundamentario Fidei ſuæ articulo habent, nullum dari Deum, vt

quidem

Digitized by Google

quidem affirmat Caluinus l. 4. inſtitut. cap. 7. ſect. 27. Et videtur hæc Caluini vox in eam recidere, qua Romanus Pontifex ab iſto caluo denominari ſolet *Antichriſtus.* Nam ei impio ex omnibus ſceleribus concreto, diſertè Apoſtolus tribuit, quòd elaturus ſe ſit ſupra omne quod dicitur Deus, & in templo Dei ſeſſurus ſit, ſéque oſtenſurus tanquàm ſit Deus. Clariùs Græca habent ὅτι ἐστὶ θεός. *quòd ſit Deus.* 2. Theſſalo. 2. vbi Cornelius *ad verſ.4.* & alij adducti à Bellarmino l. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. & à Suare 3. part. quæſt.58.ad artic.6. agnoſcunt doceri Antichriſtum ſe pro ſolo Deo oſtentaturum, atque adeò publicè fore Atheum. Si ergo Romanus Pontifex eſt Antichriſtus, vt Caluini ganea ructat; conſequens eſt, vt Atheus eſſe pronuntietur, idemque aſſeratur de Cardinalibus Pontifici adhæreſcentibus per omnia.

Sed hæc eſt calumnia, non modò plagis, ſed etiam viuicomburio digniſſima. Quis enim abſque ſtomachi concitatione audiat, ore infrunito fundentem, tam tetram, támque virulentam cacochymiam? Agnoſco porro verè dixiſſe S. Chryſoſtomum homil. de Petro & Elia (vt ſuprà alia iam occaſione referre memini.) [Solet falſa religio, ſuos mores veræ religioni tribuere: quod proſtitutæ faciunt, vt ipſæ priùs ingenuas, meretrices vocent, ne probrum illæ reliquum habeant, quod è diuerſo iaciant.] Appoſitè; nam hæreſim eſſe meretricem ex Prouerb. 9. attingit S. Auguſtinus 3. Confeſſ. c. 6. Idque de Caluiniana præſertim hæreſi valet, cuius frons attrita, & planè meretricia inuerecundia, nimirum quantum innotuit. Exprobrat ergo Dux gregis ipſe caper, Romano Pontifici & Cardinalibus Atheiſmum, cuius teterrima labes, iuſtiſſimè ipſimet Caluino affricatur. Non enim eſt Deus, qui Caluini ingenio fictus eſt; vt ad eum accommodem quod generatim de quouis Hæretico dixit Nouatianus ſub initium libri de Trinit. præiueratque S. Irenæus l. 1. cap. 19. Quantum enim à veri Dei attributis diſtent quæ Deo affingit Caluinus, abundè à pleriſque eſt demonſtratum, & nominatim à Becano Opuſc. 3. à cap. 14. necnon à Nicolao Romæo in Caluini effigie ſpectac. 4. colore 40. & ex ipſis Caluini quandoque aſſeclis Sebaſtianus Caſtalio libro de prædeſtinatione, ex inſtituto confirmat, alium eſſe Caluini, alium Catholicorum Deum. Mirum itaque non eſt, ſi Gotefridus à Valle ex Caluiniano Atheus, & ea ex cauſa Lutetiæ exuſtus anno 1572. edito libro *de arte nihil credendi*, admonuit oportere priùs Caluiniſtam fieri, qui Atheus eſſe volet, vt retulit Maldonatus (qui tunc Lutetiæ aderat) in cap. 26. Matth. ad verſ. 26. Eum Renatus de la Barre ad Nouatianum de Trinit. *Sub initium*, ait dictum *Bellum Vallenſem*, & omnem religionem ſubſannaſſe. In idem multos hoſtium Catholicæ fidei delapſos, monſtraui in Natur. Theol. diſt.5. num 160. & Serarius in prolegom. Bibl. cap. 2. quæſt. 2. Perficiet nunc frontem Caluinus, & Romanam Eccleſiam Atheiſmi inſimulet, illud auditurus.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo?
Si fur diſpliceat Verri ac homicida Miloni?

CAPVT II.

De Idololatria.

QVàm horrenda ſit hæc macula, nemo ſatis explicet: Per eam enim, gloria incorruptibilis Dei, in rem friuolam transfertur. In quàm indigna, in-

communicabile nomen diffuderit vetus Idololatria, fusè proſecutus ſum in Natur. Theol. diſt. 7. quæſt. 1. toto artic. 2. ſatis verò ſuperque eſſe poſſunt illa pauca Octauij apud Minutium. [Vos (Romani,) & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Hippona conſecratis, & eoſdem aſinos cum Iſide religiosè deuoratis: item boum capita, & capita veruecum, & immolatis & colitis. De capro etiam & homine mixtos Deos, & Leonum & canum vultus, Deos dedicatis. Nónne & Apim bouem cum Ægyptiis adoratis, & paſcitis? nec eorum ſacra damnatis, inſtituta ſerpentibus, crocodilis, belluis cæteris, & auibus, & piſcibus quorum aliquem Deum ſi quis occiderit, etiam capite punitur? Iidem Ægyptij cum pleriſque vobiſcum, non magis Iſidem, quàm ceparum acrimonias metuunt: nec Serapidem magis, quàm ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos extremiſcunt.] Quid poſſit ſpurcius, ſtultitius, malignius cogitari, equidem non video. Vt iam innocui videri poſſint, qui allia & porros imponere nubibus auſi; præ eo quod tam fœtentem tamque putentem Deum ſunt architectati. Ac ne huiuſmodi infame numen excidiſſe alii quis putet, aſtipulatur quoque Origenes l. 5. contra Celſum *ad medium*; verbis illis. [Taceo nunc eos Ægyptios, qui venerantur ventris crepitus.] Hoc verè eſt, execrabiles euaſiſſe ſicut ea quæ dilexerunt, & pro numine ac ſummo bono habuerunt.

Conclamant in Idololatriæ probrum, varij Patres. Nazianzenus orat. 41. eam vocat *Scelerum omnium primum, & vltimum*; *Morbum quo non potuit eſſe pernicioſior*, appellat Cyrillus Hieroſ. catech. 6. [Inenarabile (ait Tertullianus l. de Idol. cap. 24.) excuſſis profundum eſt, inextricabile impactis naufragium eſt, irreſpirabile deuoratis hypobrychiū in Idololatria. Quicunque fluctus eius, effocant; omnis vortex eius, ad inferos deſorbet.] S. Cyprianus lib. de lapſis, & l. de Idol. vanit. & epiſto. x. xi. 12. 26. ac 30. de Idololatria agit vt de ſummo delicto; imitatus de more Tertullianum libro laudato cap. 1. Omne genus ſceleris per Idololatriam inferri, monuit Chryſoſtomus in Pſal. 113. ſed expliciatiſſimè idem traditur ab ipſo Spiritu Sancto per Salomonem Sapient. 14. vbi denique apponitur hæc clauſula. *Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, & initium & finis.* Horum verborum optimam periphraſim, ſuppeditat Acta S. Oneſimi apud Metaphraſtem quæ Surius Febr. 16. exhibet. Ibi vir ſanctus agens cum Tertullo vrbis Præfecto, & declarans capita varia vanæ conuerſationis, ſic habet. [Idololatria eſt fundamentum fornicationis, magiſtra veræ Dei ignorationis, inuentrix egeſtatis, rationis animæ obcæcatio, architectrix ſuauis deliciarum titillationis, aliena ab honeſtate, quæ cum Domino pugnat vniuerſorum, & aggreditur excindere terminos veri Dei cultus, quæ eſt dux mortis & miniſtra draconis, eſca malorum, virtutum contraria, fugiens incorruptionem, & prædicans interitum, & circa terram & terrarum proponens ſpem iis qui ad ipſam intuentur, amica ſanguinis, duxque & princeps inuidiæ, quæ Dei ignoratione illaqueat eos qui ſunt ſimplices moribus, quæ tenebrarum quidem & vmbræ eſt germana conciliatrix, à lucida autem gratia eſt aliena, quæ laqueis inhoneſtæ actionis conſtringit eos, qui ipſi ſeruiunt, quæ eſt argumentum turpis & blaſphemi ſermonis, quæ ad vanam exercet gloriam eos, qui ſunt ei dediti, quæ eſt operatrix ſaltationis, cupiditatis carnalis conciliatrix, quæ canos ſenis probro afficit & ignominia, ad indecoram tibiam iubens ſaltare eum qui eſt conſiſtentis ætatis, quæ honeſtatem excindit virginitatis, per indecoram

Digitized by Google

rám capillorum ſolutionem, quæ eas ſcenicas, quæ domi ſunt honeſto pudori deditæ, quæ ferro & enſe ſuos dies feſtos commiſcuit, quæ animalium immunditiis & ſanguinis effuſionibus annuntiat ſordes ſuæ impudicitiæ, quæ eas quæ honeſtè celantur, partes corporis turpiter publicat in media ciuitate, quæ viri aperit pudenda, & quæ non fas eſt, indicat mulieribus, quæ maſculi exſcindit naturam, ad cultum effæminati dæmonis, quæ infecit myſteria & cædibus & adulterio & puerorum amoribus, quæ inſtar cymbæ in maximis fluctibus variis modis agitat mentes hominum, nunc quidem venenatos ſerpentes guſtare ſuos myſtas adhortans, nunc autem docens ea quæ diuelluntur coli ab iis, qui diuellunt, quæ aliis piſcem renuntiat Deum, quæ alios adhortatur vt aliorum Deos comedant, quæ bouem ſacrificat & bobus offert holocauſta, quæ oui ouem ſacrificat, & eundem efficit & Deum & beſtiam, quæ homini mactat hominem qui factus eſt ad Dei imaginem, quæ ſordida animalia & malas eſcas rationis expertibus fraudibus in Deos tetulit, quæ eſt turpia afficiens dedecus, & muſcam & vermem habet principium ſui ortus. Quid enim opus eſt dicere, quod vel cepæ diuinum honorem tribuit Idololatria ab animalibus ad materiam inanimam variè tranſiens deceptionibus, vt ſumma cæcitate hominum ignorantiam deducat ad inferos.?].

Ex his liquet, quanta ſit atrocitas probri quod alicui inuritur, cùm per calumniã *idololatra* appellatur. Subiuere tamen adeò grauem calumniam, & Chriſtiani iam olim vniuerſè, & viri plerique magni ſigillatim. De Chriſtianis generatim, ita Cæcilius apud Minutium. [Audio eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum, inepta neſcio qua perſuaſione venerari: digna & nata religio talibus moribus. Alij eos ferunt, ipſius antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. Neſcio an falſa, certè occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio: & hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia eorum ceremonias fabulatur, congruentia perditis, ſceleratiſque tribuit altaria, vt id colant quod merentur.] An id ſignificat, quod apud Originem garrit Celſus lib. 2. Chriſtianos colere vt Deos, omnes patibularios? Ab aliis Ethnicis iactatum eſt, Chriſtianos colere quod in ſacerdotibus pudor obtegi mandat, vt apud eundem Minutium memoratur. Quod de capite aſini à Chriſtianis adorato dixit Cæcilius, æquè à Tertulliano refertur c. 16. Apolog. vbi autor tam fœdæ calumniæ, ſtatuitur Cornelius Tacitus, mendaciorum loquaciſſimus, qui primus id Iudæis affinxit, quorum nomine veniebant olim Chriſtiani. At Ioſephus l. 2. contra Appionem, ei nugiuendo hoc commentum tribuit. Eodem c. 16. Apologetici Tertulianus teſtatur aliquos iactaſſe, Chriſtianos habere ſolem pro Deo; ſubdens de fabulone quodam qui Carthagine propoſuit picturam cum eiuſmodi inſcriptione, *Deus Chriſtianorum Onnychites*. Is erat auribus aſininis, altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus. Quo vix potuit effingi idolum monſtroſius & inſulſius; itaut Tertullianus teſtetur, tiſiſſe Chriſtianos, & nomen & formam.

Aliam Idololatriam Chriſtianis vniuerſè adſcripſerunt aliqui. Nam Ælianus, Chriſtianos idololatras & plurium Deorum cultores eſſe calumniatus eſt, eo quòd Trinitatem colerent perſonatum. Id quod etiam generatim de Græcis teſtatur S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arria. Eam calumniam Gregorius Neocæſarienſis reiecit, edito Commentario de expoſitione fidei. Et idem accuratè præſtitetunt

F 3 runt

tunt S. Baſilius Opuſc. aduerſus calumniantes quòd tres Deos in Trinitate colamus, Gregorius Nyſſenus tractat. de communibus notionibus contra Græcos, Naz. Orat. 45. & alij quos annoto in Natur. Theol. d. 7. num. 17. Præterea idololatriam impegere Chriſtianis, propter venerationem ſanctorum, ex hac vita ad cœleſtem tranſgreſſorum, Iulianus Apoſtata apud S. Cyrillum l. 6. contra ipſum Iulianum, & Eunapius in Ædeſio: quam calumniam innouarunt poſtea Manichæi apud S. Auguſtinum 21. contra Fauſtum & l. 8. Ciuit. c. 27. & l. 22. c. 2. ac ſerm. 101. de diuerſis cap. 10. itemque Maximus Philoſophus apud eundem D. Auguſtinum Epiſto. 43. nec non Vigilantius qui apud S. Hieronymum Catholicos vocabat *cinerarios* & *Idololatras*, eò quòd mortuorum hominum oſſa venerarentur. Videſis S. Hieronymum epiſto. 53. & in commentario aduerſus Vigilantium, & in c. 65. Eſaiæ. Hodie nihil frequentiùs & impotentiùs crepant Sectarij, quàm Catholicos eſſe idololatras, ob adorationem Eucharistiæ, & venerationem Sacrarum imaginum.

Hæc probra, per calumniam, & olim Chriſtianis fuiſſe afficta, & nunc ex parte imponi Catholicis, eſt extra dubium. Aſiniſſimum profectò fuiſſe oportuit, qui primus iactare auſus eſt, Chriſtianis pro Deo eſſe aſini caput. [Audire te dicis (aiebat Cæcilio Octauius;) caput aſini rem nobis eſſe diuinam. Quis tam ſtultus, vt hoc colat? Quis ſtultior, vt hoc coli credat.? Adoratio genitalium Sacerdotis, quam ibidem Minutius in Ethnicos regerit, apud quos ſexus omnis (vt ait) membris omnibus proſtabat, quos priùs tædeſcebat impudicitiæ ſuæ quàm pudeſceret: (horreſco ad propudia quæ nobis nec audire licet.) Ea inquam adoratio, Chriſtianis impacta per calumniam eſt, (vt bene perſpexit Baronius anno Chriſti 209.) quod ethnici viderent Chriſtianos peccata confitentes, adgeniculari ſacerdotibus. Vnde non intelligentes quò pertineret ea apud Sacerdotem genuflexio, concinnarunt ſtropham propoſitam. Æquè inane fundamentum ſortita eſt calumnia de adoratis quibuſuis patibularis per Chriſtianos, quia ante Chriſti crucifixi imaginem procidebant adorantes. Solis cultum tanquam numinis, Chriſtianis affictum conſtat, ob adorationem Dei ad Orientem; de qua olim perpetua, vt Chriſtus qui pependit obuerſa ad occaſum facie, obiiceretur precantibus, dictum ſatis in Tractatione de S. Latrone c. 6. n. 7. Aliam eiuſdem calumniæ inanem cauſam inſinuat Tertullianus c. illo 16. Apolog. nempe quòd Chriſtiani diem Solis (quem Dominicum dixere,) haberent religioſum atque feſtiuum. Commentum gladiatoris de Deo Chriſtianorum Ononychite, quod inter omnes antiquos vnus Tertullianus memorauit, quia extra Carthaginem non comparuit, adeò inſulſum ac ſtupidum eſt, vt ne refelli quidem oporteat. De triplici Chriſtianorum Deo ob tres Trinitatis perſonas nihil attinet dicere, cùm fides Chriſtiana vnum Deum prædicet Trinitatem. Et quanquam aliqui Catholici auſi ſunt ob tres perſonalitates agnoſcere tres Deos, (vt ait Gennadius c. 3. reſponſionum ad Mechmetam apud Calchondylam 2. Turcogr.) tamen ſana doctrina ei modo loquendi indidit anathema. Videſis S. Anſelmum c. 1. libri de Incarnat. Verbi & l. 2. epiſtola 41. vbi ſic delirantem Roſcilinum impugnat. [Martyres eſſe Chriſtianis Deos, & eorum cultum eſſe idololatriam, falſiſſimum eſt. Honoramus enim Martyres, vt ſeruos Dei viui, non autem vt Deos, vt optimè confirmat S. Auguſtinus 8. Ciuit. c. vltimo, & l. 22. cap. 10. & l. 1. contra Maximinum argum. 11. & l. contra ſermonem Arriano c. 20. Itaque

que

Digitized by Google

que cùm Vigilantius Catholicis idololatriam obieciſſet ob cultum Sanctorum martyrum & accenſos cereos ante ſacras eorum reliquias, reſpondet D. Hieronymus. [Quicunque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo, *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*. Idololatras appellas huiuſmodi homines? Non diffiteor omnes nos qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe: Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani: & quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum eſt.] Adoratio Euchariſtiæ, idololatria eſt illi qui Chriſtum non agnoſcunt eſſe Deum, vt Thomas Valdenſis hoc probrum à Vicleffo illatum dependens rectè ſtatuit Tomo 2. c. 26. Nam nos qui Chriſtum ſpeciebus Euchariſtiæ abditum, Deum eſſe profitemur, procùl abſumus ab artolatria & Idololatria nobis per Caluinianos peruerſiſſimè impacta, cùm Chriſtum ſub illis ſpeciebus adoremus & colamus vt verè Deum noſtrum. Denique cultus imaginum qualem Catholica Eccleſia ab omni æuo frequentauit, non eſt Idololatria. Neque enim imaginibus adhibetur veneratio, niſi ob nexum cum perſona ſancta, quam imago repræſentat. In quo, cultus imaginum latè differt à cultu quem idololatræ pendebant ſimulachris ſuis, vt fusè exponit Suarez t. 1.3. p. d. 54. ſect. 8. & Bellarminus l. de imag. à c. 20. è quorum doctrina conſtabit, ne eos quidem Theologos ſcholaſticos in contrarium abiiſſe, qui venerationem aliquam, aliam à veneratione prototypi, deferendam eſſe imaginibus docuerunt. Vnde hi Theologi, longè differunt ab illis quos S. Damaſcenus inter Hæreticos recenſuit, & *Chriſtianocategoras* appellauit; quaſi cauſam dantes accuſationi Chriſtianorum, ob inuectam latriam quandam ſacrarum imaginum, tanquam *idolorum*. Quod infame nomen à ſacris imaginibus ſub anathemate remouit 7. ſynodus. Videſis ad idem latè Turrianum ad 8. Conſt. c 32.

Hactenus de probro idololatriæ, perperam impoſito Chriſtianis, aut Catholicis generatim. Nunc attingenda ſunt ſingularia quædam eius calumniæ exempla. Protritiſſimum eſt quod de Origene legitur apud S. Epiphanium her. 64 Ferunt enim, Origenem aut abuſum corporis ab Æthiope pati, aut ſacrificare iuſſum, delegiſſe ſacrificare & thus adolere idolis. Quam ob cauſam ab ethnicis dimiſſum, ab eccleſia autem Alexandrina reiectum, Hieroſolymam ſe contuliſſe, ibique multùm ac enixè rogatum docere in Eccleſia, cùm denique aſſenſus eſſet, aperto codice incidiſſe in eum pſalmi 49. verſiculum; *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Inde verò vehementer compunctum, expoſito caſu ſuo omnes ad lachrymas excitaſſe, luctu, ſuo & inſignibus doloris argumentis. Sic de Origene S. Epiphanius. Aſtipulantur S. Epiphanio in hac de Origene narratione, Leontius l. de ſectis actio x. Zonaras l. 2. Annal. Suidas V. *Origenes*, & Nicephorus l. 5. hiſtor. c. 24. Eſſe tamen putam putam calumniam, exiſtimat Baronius anno 253. & ſiue id aſſutum ſit S. Epiphanio, (vt idem Autor contendit,) ſiue reipſa à S. Epiphanio ex narratione aliquorum ſermonibus vulgata ſit ita recitatum, tamen cùm S. Hieronymus probrorum Origenis diligentiſſimus conquiſitor id ignorarit, veriſimilius eſt qui id primi iactarunt ſtruxiſſe calumniam: quæ idcirco nuſpiam apud alios veteres extra S. Epiphanium memoratur, nec ab antiquis qui pro Origene conſcripſere apologias, tale quid refertur, vt neque in Conciliis quibus

Origenes

Origenes damnatus eſt hoc eius probrum vnquam proferetur. Itaque ad populum phaleras. Origenem, vel externo actu fuiſſe idololatram, calumnia eſt. Ipſe S. Epiphanius aliam diluendæ illius calumniæ rationem inſinuat, inde petitam, quòd Origenes tractus quidem ſit ad altare idolorum, & ibi per vim in manus eius ingeſtum ſit thus, quod per vim quoque in prunas ſubiectas ſit decuſſum ab Ethnicis. Id enim procul inſpectantes aliqui, ad lapſum Origenis retulere, vim illatam ignorantes. Vel certè ipſi Ethnici, de Chriſtianis per tanti viri proſtrationem triumphaturi, mendaciter vulgauerunt eum cecidiſſe. Cum tamen vis iniecta abundè excluderet omnem maculam, prout S. Auguſtinus l. 1. de Ciuit. c. 16. & 18. philoſophatur de mulieribus abſque ſuo conſenſu per vim oppreſſis.

S. Marcellinus Romanus Pontifex, vnâ cum Melchiade Marcello, & Silueſtro eius presbyteris, accuſatus eſt idololatriæ à Petiliano Donatiſta apud S. Auguſtinum l. contra eum de vnico Baptiſmo c. 16. Sed fuiſſe calumniam à Donatiſtis confictam, tradit ſatis apertè S. Auguſtinus quem propterea iuuat adſcribere. [Quid ergo iam opus eſt (inquit,) vt Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri eius, Melchiades, Marcellus, & Silueſter, traditionis codicum diuinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed nunquid ideò etiam conuincuntur, aut conuicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit, ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam? Si eſt vlla humanitas in rebus humanis, puto nos iuſtiùs poſſe reprehendi, ſi ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen vlla teſtificatione demonſtrant, nocentes potiùs, quam innocentes crediderimus. Quia ſi fortè ſe aliter veritas habet, ipſi certè humanitati debitum redditur, cùm homo de homine nihil mali temere ſuſpicatur; nec cuiquam criminanti facilè credit, quando ſine teſte ac ſine vllo documento crimen obiiciens, maledicus potiùs conuiciator, quàm veridicus accuſator extiterit. Non me latet, Marcellini caſum in acta & tabulas Eccleſiaſticas irrepſiſſe. Verùm Baronius anno 302. & Bellarminus in recognitione libri quarti de Pontif. cap. 8. haud vanis coniecturis oſtendunt, ea acta per Donatiſtas poſtmodum fuiſſe conficta, tot omnibus æui illius, à S. Auguſtino, ad magnum vſque Conſtantinum tertiò, claris Patribus, fuiſſe incomperta. Tametſi poſtea Nicolaus 1. Epiſto. ad Michael. Imperato. & alij quidam Latinorum ex falſis actis paſſim vulgatis, abducti ſint in errorem, & calumniæ de lapſu Marcellini ſint aſtipulati. Dixi *quidam Latinorum*; nam apud Græcos, tametſi Romanæ Eccleſiæ hoſtes infenſiſſimos, altum eſt de Marcellini lapſu ſilentium. Sed eius per tempus perſecutionis illuſtria decora atque triumphos, tantùm recenſent, vt videre eſt apud Euſebium l. 7. hiſtor. c. 26. & apud Theodoretum l. 1. hiſt. c. 3.

Multò expeditior eſt cauſa Melchiadis, item Romani Pontificis, quem ſimili idololatriæ labe fœdabat Petilianus. De illius nitore ſigillatim iſta habet S. Auguſtinus cap. illo 16. [Huc accedit, quia Melchiade tunc Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ præſidente, ex præcepto Conſtantini Imperatoris, ad quem totam illam cauſam accuſatores Epiſcopi Carthaginenſis Eccleſiæ Cæciliani per Anulinum Proconſulem detulerunt, idem Cæcilianus innocens pronuntiatus eſt. De quo iudicio cùm maiores iſtorum importuniſſima

tuniſſima peruicacia memorato Imperatori queretentur, quòd non plenè nec rectè fuerit examinatum atque depromptum; nihil de Melchiadis traditione, vel thurificatione dixerunt. Ad cuius audientiam nec venire vtique debuerunt, hoc potiùs, aut ſuggerentes Imperatori, aut vt ſuggereretur inſtantes, quòd apud traditorem codicum diuinorum & idolorum ſacrificiis inquinatum, cauſam ſuam agere non deberet. Cùm hoc ergo nec antè ſuggeſſerint, nec poſtquàm contra eos pro Cæciliano iudicatum eſt, ſaltem victi & irati obiiciendum putarint, quid nunc inanes tam ſerò connectunt calumnias, quaſi & innocentia Cæciliani, Melchiadis iudicis decoloratione fuſcetur, & ipſa Romana Eccleſia.] Et mox, recenſita Cæciliani & Felicis Epiſcoporum purgatione iudiciali, exarata in actis Proconſularibus, addit D. Auguſtinus. [Hoc autem non ſolùm ad innocentiæ Cæciliani demonſtrandæ cumulum pertinet, ipſiuſque Felicis euidentiſſimam purgationem, atque illorum calumnias declarandas, qui eum fontem malorum in conſilio ſuo dixerant: verùm etiam ad cogitandam Melchiadis ab eorum criminationibus puriſſimam vitam. Niſi fortè quiſquam tam ſit inſipiens, vt credat eos, cùm Felici non pepercerint, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus; Melchiadi parcere potuiſſe, à quo fuerat abſolutus, ſi illius Epiſcopi vitam, quamuis nullum vulnus conſcientiæ peremiſſet, ſaltem qualiſcunque fama culpaſſet. An verò quod de foro Abtungenſium factum fuerat, ab iſtis accuſaretur, & quod in Capitolio Romanorum factum fuerat taceretur?]

S. Methodius poſtea Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ab impio Theophilo Iconomacho, eò quòd Sacras imagines veneraretur, & quòd eidem Theophilo victoriam de hoſtibus non exoraſſet, multis verberibus malè multatus, in quoddam ſepulchrum cum duobus latronibus incluſus eſt, & velut Idololatra punitus; pœnam diſtinctiùs retuli in Tract. de S. Latrone c. 2. n. 12. Sed ipſa cauſa vexandi virum ſanctum, purgat illum ab impacta Idololatriæ calumnia. Perditus enim Imperator, eum vexauit ob propugnatam venerationem ſacrarum imaginum quas annumerabat Idolis. At longè differre imagines ab idolis, nemo non videt, & liquidò traditur in 8. Synodo. Iconomachis tamen perpetuum fuit imagines vocare *Idola*, vt eſt in Actis S. Stephani Auxentiani, cùm de prædatoria Synodo coacta à Copronymo in Blachernis; poſtquam etiam ob exterminatas imagines, acclamatum eſt ſpurco illi à palponibus; [Hodie ſalus mundo, quandoquidem opera tua, ô Imperator, idolis liberati ſumus.]

CAPVT III.

De Iudaiſmo.

FVit cùm Iudaiſmus inter probra non numeraretur; cùm ſcilicet notus tantùm eſſet in Iudæa Deus, & in ſolo ferè Iſraële magnum nomen eius Hic quippè electus aliquando Dei Populus, velut equus gloriæ in bello, omni prærogatiuarum genere præcellebat. Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo omnis bellator ſimul, vt eſt apud Prophetam. In ſumma, fuit cùm ſalus ex Iudæis eſſet. Quæ tamen iudiciorum Dei abyſſus fuit, qui aliquando non populus, euaſit in Dei populum; & è contrario, qui electus Dei populus erat, eiuratus eſt & abdicatus. Depoſiti ſunt de ſede, qui potentes erant in oculis ſuis. Hoc enim fuit maximum Iudææ peccatũ, ſuperbia; arrogans ſibi ac ſuis operibus, per nudam naturam aut legis ſcriptæ præſidium elicitis, iuſtam & debitam munerum Dei repen-

ſionem, quam propterea totius malignitatis inter Iudæos radicem, Apoſtolus ſolicitè admota ſecuri excaudicat, ſcribens ad Romanos, & ad Galatas. Ob hoc maximè peccatum, atuit inter Hebræos, fons diuinæ gratiæ, & ad gentes quæ erant opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis, tranſiit benedictio, vt præſignatum eſt in Gedeonis vellere primùm madefacto, tum exſucco: cùm è contrario area priùs ſicca, largo imbre eſt perfuſa; quod de hac Iudæorum abiectione & gentium adoptione accipiunt Proſper. c. p. de promiſſ. cap. 18. S. Auguſtinus l. de vnit. Eccleſ. c. 5. Elias Cretenſis ad orationem primam contra Iulianum, & varij PP. apud Feuardentium ad l. 3. Irenæi c. 19. Ab eo igitur tempore, Iudæi ſibi relicti & gratia deſtituti, omni probrorum genere ſunt contaminati, & diuinæ maledictionis ſcopus conſtituti: hominumqúe omnium poſtremiſſimi, & nullificamen populorum, vt Tertulliani voce vtar, ſunt habiti. Nam & prærogatiuis ciuilibus magnam partem exciderunt, (vt latè tradit Marinatdus de Suſanis tract. de Iudæis parte 2. *ſere* tota, & Autor Altercationis ſynagogæ & Eccleſiæ t. 4. Auguſtini. Et DD. omnino multi apud Cenedo in Collectan. p. 2. collect. 77.) & omni ludibrio patuerunt. Notæ paſſim ſannæ, quibus gens propudioſa per naſcentis Eccleſiæ tempus ab Ethnicis, Perſio, Martiale, Iuuenale, Rutilio, & aliis eſt dehoneſtata. Et verè vniuerſa eorum religio, poſt excitatam Chriſtianam Eccleſiam, vt ſal infatuatum euanuit. Impletis enim iis quæ veteribus typis adumbrabantur, miſerè deluſi Iudæi, nudis imaginibus ſunt diſtenti, & veluti canes Æſopici pro veritate vmbras ſunt conſectati. Religio eorum non in ſpiritu & veritate, ſed vana ſpecie & vacuis rerum imaginibus, ludibrium ſacri cultus audiuit. Itaque Romani Pontifices vſque ad S. Gregorium, ne conſpectu quidem ſuo tam irreligioſam gentem dignabantur, vt ipſe S. Gregorius ſcribit l. 7. epiſt. 126. indict. 2. Ab eo tempore, inſimulari falsò Iudaiſmi, poſt guſtatum Dei donum, inter calumnias numerandum meritò fuit. Suſtinuerunt hoc probrum inter viros probos nonnulli, quos adductum venio.

Philo Alexandrinus vir omnium conſenſu diſertiſſimus, quippè *cuius eloquium Græci Platonis æquiparare non dubitant* teſte S. Auguſtino l. 12. contra Fauſt. c. 39. vbi etiam eum vocat *liberaliter eruditiſſimum*: referentibus quibuſdam apud Photium Cod. 105. factus eſt è Chriſtiano Iudæus. Nam fuiſſe Chriſtianum, quamuis negat D. Auguſtinus citato loco, tamen non pauci prodiderunt: idqúe in primis velle videtur S. Hieronymus in *Philone*; narrans eum cùm ſecunda legatione Romana fungeretur ſub Claudio, incidiſſe in Principem Apoſtolorum, Romæ tunc degentem, eiuſqúe vſum eſſe amicitia: Indéque factum, vt Marci quoque B. Petri diſcipuli conſuetudine vſus, & vt Baronius anno 45. coniectat S. Petri commendatione interpoſita, Marcum regrediens abduceret Alexandriam, vbi poſtmodùm informatos à Marco Chriſtianos, Philo inſigni lucubratione exornaret. De Philone S. Petri colloquiis Romæ vſo, teſtis etiam eſt Euſebius l. 2. hiſtor. c. 15. ac Suidas; qui agnoſcunt Aſcetas à Philone libro de vita contemplatiua exornatos, fuiſſe Chriſtianos; id quod diligenter firmarunt plerique graues recentiores, vt Baronius anno Chriſti 64. Bellarminus l. de Monachis c. 5. Suarez tract. 7. de relig. l. 3. c. 2. n. 12. Serarius in Opuſculis, & alij non pauci. Fuiſſe itaque Philonē Chriſtiana doctrina imbutum, veriſimillimè dicitur, idqúe planè ſuppoſuerunt, qui apud Photium loco allegato, tradiderunt eum à Chriſtianis

Digitized by Google

Chriſtianis ritibus quos amplexus fuerat, tandem dolore quodam atque iracundia, deſciuiſſe ad Iudæos.

Verùm hæc aperta in Philonem calumnia eſt, nullo ſubnixa fundamento. Ac primùm cùm Philo ad Iudæos deſciuiſſe dicitur; non poteſt eſſe ſenſus, eum priuſquàm Chriſtianis ritibus adhæreret, alia quapiam ſuperſtitione fuiſſe imbutum puta Idololatriæ. Hoc nullo colore dici poteſt, cùm teſtimonio S. Hieronymi ac veterum omnium, conſtet eum fuiſſe gente Iudæum, quæ gens ætate Philonis erat ab Idolorum cultu auerſiſſima vt ex eius ad Caium legatione, & libro in Flaccum conſtat. Igitur ſi Philo deſciuit ad Iudæos, dicendus eſt fuiſſe relapſus in priſtinam Iudaicorum rituum profeſſionem, abiectis Chriſtianis inſtitutis ſemel ſuſceptis: quod quidem ſufficeret ad inurendum Philoni probrum de quo agimus. Sed vnde hæc leuitas & inſtabilitas in religione, viro adeò ſapienti? Num quod de Tertulliano iactatum eſt, eum dolore percitum, & iniuria violatum à Romanis Clericis, ad caſtra hæreticorum eſſe trangreſſum, ad Philonem gratis & otiosè detortum eſt? Euſebius ſanè atque Hieronymus & omnes antiqui, hunc Philonis relapſum in abiecta ſemel Iudæorum ſacra & eiurationem ſuſcepti Chriſtianiſmi, planè ignorarunt.

Chriſtiani olim omnes paſſim ab Ethnicis notati ſunt Iudaiſmi, & Iudæis annumerati, omniúmque probrorum atque dedecorum quibus Iudæos dehoneſtabant, facti participes. Quia enim Chriſtus ex Iudæorum gente prodierat, & ſalus mundo ex Iudæis fuerat, idcirco Romani contemptiſſimum apud eos Iudæorum nomen, in Chriſtianos diffuderunt; vnáque fabulis omnibus calumniosè diſſeminatis de Iudæis, Chriſtianos grauauerunt. Qualis illa primaria, de capite aſinini Dei Chriſtianorum, quia Appion hoſtis Iudæorum, de Iudæis id commentus erat, vt Ioſephus libro aduerſus eum ſecundo retulit, & exploſit. A Tacito autem libro 5. hiſtor. & à Cæcilio apud Minutium, ad Chriſtianos, (quia Iudæi habebantur,) tranſlatum eſt. Indéque fabula de Deo Chriſtianorum Ononychite, apud Tertullianum cap. 16. Apolog.

Sed longè à Iudæis abfuiſſe Chriſtianos, potuiſſent Ethnici, ſi mens non læua fuiſſet, ſatis perſpicere, ex obfirmato Iudæorum in Chriſtianos odio. Dici quippè non poteſt, quanto maleuolentiæ liuore in Chriſtianos ſuffuſi ſint primis illis à Chriſto ſeculis Iudæi, vt Apoſtolorum acta demonſtrant, prodítque S. Epiphanius non ſemel. Nec exaruiſſe primis illis ſæculis fluenta odiorum, ſed ad poſteros, cùm facultas tulit, & nocendi occaſio ſe dedit, permanaſſe, innumeris exemplis demonſtratur in Eccleſiaſtica hiſtoria. Perperam ergo ac per voluntariam calumniam, Chriſtiani confuſi ſunt cum Iudæis, quos fuiſſe ſecernendos, demonſtrat Tertullianus in Apologetico cap. 21. exſcriptus ex parte à S. Cypriano l. de Idol. vanit. *ſub finem.*

S. Helena mater Conſtantini Magni eiuraſſe Chriſtianiſmum in infantia ſuſceptum, & ſpurcis Iudæis adhæſiſſe ad tempus, labore autem ac ſtudio Conſtantini filij ad Chriſtianos regreſſa eſſe dicitur à S. Antonino 2. part. hiſtor. cap. 1. titul. 9. §. 3. & præiuerat Vincentius Bellouac. l. 13. ſpecul. hiſtor. cap. 50. & 51. & Marianus Scotus in Chronico anno 321. Quanquam Marianus in Codicibus non vitiatis, nihil tale habet. Citatur item Euſebius l. 3. de vita Conſtantini cap. 6. tanquam ſuadens apertè, S. Helenam poſt filium credidiſſe & baptizatam eſſe. Ita enim ex Euſebio refert Suarez l. de feſtis cap. 7. num. 6. quamuis poſtea num. 11. contrarium dicat non carere fundamento.

G 2 Ego

Ego autem non dubito eſſe veriſſimum, & deſertam ab ea vnquam eſſe Chriſtianam religionem, explodendum dico. Et verè per calumniam grauatur tanto probro fœmina ſanctiſſima: quæ tantùm abeſt vt à Chriſtianiſmo quem cum lacte ſuxerat, ad Iudæos ſit trangreſſa, ac ſtudio Conſtantini ſit reuocata, vt potiùs ipſa filium ſtudioſè Chriſtianis ſacris imbuerit, eóque nomine à S. Paulino celebretur epiſtol. 11. Videndi pro perpetuo fidei nitore in hac ſancta muliere, Sozomenus lib. 1. cap. 5. Theodoretus l. 1. hiſtor. cap. 18. S. Gregorius l. 9. epiſtol. 59. ex recentioribus diligenter id exequitur Michael Alfordus in Britannia illuſtrata.

Nec vllius momenti cenſendum eſt, quod oſtenditur ex ſolemni S. Syluestri Papæ concertatione cum primariis Iudæorum, coram Conſtantino, & eius matre S. Helena: quam concertationem idcirco inſtitutam annitente Conſtantino volunt, vt mater Helena reuicto per Iudæos Syluestro, ad Iudæos tranſiret. Hoc dico, nullius eſſe momenti. Nam præterquàm quòd illa Acta labant in tam multis, nemo non videt potuiſſe Iudæos cum Pontifice committi alia ex cauſa, quàm ad S. Helenæ abductionem. Vnde verò is affectus Conſtantini in Iudæos, quos ſeuero edicto ab eo afflictos, compertum eſt ex l. 1. Cod. Theodoſ. de Iudæis? Eoſdem ob excitatam rebellionem ſtigmatis inuſtos & amputatis auriculis deformatos à Conſtantino S. Chryſoſtomus notauit homil. 2. aduersùs Iudæos. Veriſimilius ſanè eſt, vel Conſtantinum miſertum impuriſſimæ gentis, tentaſſe eam viam ad eius in Chriſti caulas traductionem; vel ſanctam Helenam eo ſtudio actam, curaſſe eam diſputationem, quia veritas ventilata plus rutilat, vt benè dixit Caſſianus.

Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus, S. Chryſoſtomi condiſcipulus Iudaicæ ſuperſtitionis notatus eſt, referente Facundo Hermianenſi lib. 9. pro tribus Capitulis. Fundamentum ſic notandi Theodorum, fuit quod vnicam in Trinitate perſonam agnouiſſe videretur, vt faciunt Iudæi, & quod cum iiſdem cenſeret Chriſtum eſſe purum hominem, & omnes in Chriſtum factas prophetias enacuaſſe diceretur. Has fuiſſe Eutychianorum in Theodorum calumnias, confirmat Facundus. Quòd enim error Eutychianus Theodorum habuiſſet infeſtũ, tanto in eum odio exarſit Eutyches, vt omnibus retris notis infamare ſtuduerit Theodorum; idque ſtudium ad hæredes tranſmiſit, vt Facundus autor eſt lib. 8. cap. 5. qui paſſim profert teſtimonia cùm ipſius Theodori, tum aliorum de eo: ex quibus liquet Theodorum tres diuinæ Triadis perſonas ex ſenſu Catholicæ Eccleſiæ eſſe profeſſum, nec Chriſtum ſtatuiſſe purũ hominem, ſed Deum ſimul & hominem; ac denique non ſuſtuliſſe editas de Chriſto prophetias, ſed agnouiſſe, Prophetas diuinitùs afflatos, prænuntiaſſe de Chriſto permulta. Quanquam etiamſi in hoc poſtremo lapſus eſſet Theodorus, non idcircò debuiſſet Iudaicæ impietatis notari, ſed Manichæiſmi: quandoquidem Manichæi ſpernebant vetus Teſtamentum, & conſequenter prophetias de Chriſto à priſcis prophetis emiſſas, habebant pro commentis. Nec negare licet, quin tale aliquid Theodoro impegerit Leontius Monachus qui Iuſtiniani temporibus ſcribebat. Teſtatur enim Theodorum octodecim duntaxat annos natum, παροινίας καὶ παρεξηγήσεις id eſt deliras & prauas interpretationes è Iudæorum ſcrobibus petitas emiſiſſe, quod Franciſcus Turrianus in defenſione Conſtitutionum Clementis ad cap. 5. libri. ſecundi adductis multis ſcriptorum Theodori plagulis, oſtendit accipiendum de nimia ad literæ codicem inhæſione; ita vt quæ Prophetæ ad literam de

de Chriſto dixerant, Theodorus in ſenſu primario, ac veluti directo, acciperet de aliquo ad veterem hiſtoriam pertinente: nec niſi per accomodationem, aut veluti vmbram & imaginem ad Chriſtum pertinuiſſe contenderet. Hoc (vt dixi,) Manichæiſmum potiùs redolet, quàm Iudaiſmum. Iudæi enim etiam ſi IESVM negabant eſſe Chriſtum, atque adeò in ſingulari Meſſiæ perſona errabant; tamen Prophetas de eo qui verè futurus erat Chriſtus Domini, prædixiſſe ad literam permulta, non inficiabantur, vt faciebant Manichæi.

S. Ioannes Damaſcenus, Iudaiſmum aliquando amplexus, eóque eiurato Chriſtianis adiunctus dicitur, à Petro Galiſſardo in Cronographia anni 470. quam temporis notam eius conuerſioni aſſignat. Cùm autem teſtimonio Ioannis Patriarchæ Hieroſolym. exploratum ſit, parentes Ioannis Damaſceni fuiſſe Chriſtianos, ipſúmque Ioannem à primis annis fidem Chriſtianam eſſe profeſſum; ſequitur, dicendum eſſe eum eiurato Chriſtianiſmo in gratiam Saracenorum Damaſci regnantium, tranſiuiſſe ad Iudaiſmum Saraceniſmo affinem & Chriſtianiſmo acceptiorem. At hæc eſt atrox in virum ſanctiſſimum calumnia. Conſtat enim eum in fide Chriſtiana quam cum lacte ſuxerat, fuiſſe conſtantiſſimum: & mali gnitate Leonis Iconomachi, delatum falſa criminatione ad Saracenorum Principem multa paſſum eſſe pro conſtantia eius in Catholicæ fidei profeſſione, vt latè deſcribit laudatus ſuprà Ioannes Patriarcha, qui de S. Ioannis receſſu à fide Chriſtiana, tranſitúque ad Iudæos, móxque etiam ad Chriſtianos regreſſu ne apicem quidem habet. Annus verò conuerſionis à Iudaiſmo, planè perperam eſt conſtitutus, cùm conſtet, S. Damaſcenum poſt annum Chriſti Septingenteſimum floruiſſe. Crediderim natam hinc eſſe fabellam, quam libello ſuo de ſanctis Medicis inſeruit Abrahamus Bzouius, recenſens inter Medicos S. Ioannem Damaſcenum; quem exiſtimauit eundem eſſe cum Ioanne Meſuë, hallucinatione aliis quoque communi, & deriuata ex cognomento, ſeu veriùs ſcommate, quo eum ſpurcus Copronymus affecit, vocans illum *Manſur*; hoc eſt Manzerem ac Spurium: qua vocum *Meſue*, & *Manſur*, aliquali vicinia, acti in errorem ſunt, qui S. Ioannem Manſur, transformarunt in Ioannem Meſue Saracenum Damaſco oriundum, quem ab anno Chriſti 1140. floruiſſe, Genebrardus in Chronologia tradit. Ioannem quendam Damaſcenum Manſur Medicum in Nobilium Medicorum ſyllabo repoſuit Tiraquellus in Opere de Nobilitate; quod veréne dixerit, non moror: dummodò ſtatuatur diuerſus à S. Ioanne Dameſceno, Manſur nuncupato.

Iudaiſmi labe ſordent, qui dicuntur *Marrani*. Quanquam enim in vſu protrito, ea vox ſonat duntaxat oriundum à Iudæis, tamen primæua notio ſignabat eos qui affectu in Iudaiſmum ferebantur, & aliquos eius ſuperſtitioſos ritus vſurpabant; ac nominatim abſtinentiam à carne ſuilla, vnde ingenerari vehementem ſuſpicionem recenti animo Iudaiſmi, notauit Simancas in Cathol. Inſtitut. titul. 10. Quinetiam huiuſmodi Marranos non modò ad Iudaiſmum propendere, ſed eiurato Chriſtianiſmo in eam colluuiem renolui, pronunciat Marquardus de Suſannis tract. de Iudæis in Operis princ. num. 5. Vnde *Marrani* denominatio ſit petita, expendo in Tractatione de Monitoriis part. 2. cap. 8. n. 7. Hanc tetram labem, ſubeunt plerique è Iudaiſmo oriundi; vel mediatè quia ex parentibus antea Chriſtianis ſunt editi: vel immediatè, quia ſcilicet ipſimet ad Chriſtum euanidis illis ceremoniis deſertis venerunt. E variis tamen hæc ma-

cula notatis, aliquos per calumniam in eum numerum referri, eſt compertiſſimum. Conſultò abſtineo ſignatione exemplorum, in re propè calente. Sicut etiam ex iis qui externa vocis notione dicuntur *Marrani*, quia ſunt è Iudæis oriundi; quæ ſin minùs apud Deum, at apud homines ſaltem, maculoſa origo eſt; aliqui iniuria ea labe dehoneſtantur, vt de Ioanne Turrecremata notauit Antonius Senenſis in Prædicatorum Bibliotheca: inde eam calumnioſam notam tanto viro appictam docens, quod Tractatum conſcripſiſſet aduersùs ſui temporis Iſmaëlitas. Sic vocabat eos qui arcebant à ſacris cœtibus, aut Canonicorum collegiis, oriundos à gente Iudaica.

CAPVT IV.

De Apoſtaſia & plena defectione à Fide.

IDololatria non ſupponit præiacentem Chriſtianiſmi profeſſionem. Item à iam Chriſtiano Idololatria poteſt admitti per vnicum actum abſque profeſſione omnimoda cultus peregrini, & velut inſiſtentia in eo: vt iactatum eſt contigiſſe Origeni, & certum eſt accidiſſe pleriſque, quos iniqua miſeratio iudicum, aut coniunctorum pellacia, adduxit ad ſimulandam exteriùs pro vno quodam temporis articulo, ſuperſtitionem Ethnicam. Apoſtaſia verò continet receſſum plenum & ſtabilem à fide Chriſti, cum tranſgreſſione ad alium cultum; ſiue Ethnicum, ſiue Iudaicum, aut ex vtriſque mixtum, Saracenicum. Vnde Apoſtaſia non eſt membrum peculiare infidelitatis poſitiuæ, ſed reuocatur ad illam infidelitatem cui adhæret is qui Chriſtum deſerit; eámque duntaxat cumulat circunſtantia notabiliſſimè aggrauante, vt ſignificat D. Thom. 2.2. quæſt. 12. artic. 1. ad 3. ex quo etiam apertè habetur Apoſtaſiam non eſſe ſpeciem infidelitatis eandem cum hæreſi: id quod latè confirmat Canus 12. de locis cap. 9. ad 2. principale; malè refragante & priorem ſuam ſententiam retractante Caſtro l. 1. contra hæret. cap. 9. Quis enim Iulianum Apoſtatam vocat hæreticum? Hæc præmiſſa oportuit, vt appareret, iure à nobis calumniam de admiſſa apoſtaſia, ſecerni non modò à calumnia de idololatria, ſed etiam à calumnia de hæreſi.

Eſſe porrò calumniam de Apoſtaſia à fide, omnino terram, eſt per ſe euidens, cùm ſit profeſſio ritus damnati, & abiectio Chriſti. Quæ profeſſio & abiectio, quamuis non fieret ex animo, ſed tantùm in ſpeciem, ad fugam pœnarum ſimilémve cauſam humanam, eſſet tamen horrendum peccatum, vt fusè ac optimè demonſtrat Hugo Victorinus Tomo. 3. l. 1. miſcell. titul. 79. in epiſtola ad Epiſcopum Hiſpalenſem, qui fidem Chriſtianam ore tenus eiurauerat. Sanè ſi vel nudum ſilentium circa fidei profeſſionem, cùm tempus profitendi vrget, eſt valdè improbandum, vt bene monſtrat S. Fulgentius l. 1. ad Traſim. cap. 1. quantò magis auerſanda erit profeſſio ipſa externi ritus, etiamſi tantùm ſimulata? Vnde grauiſſimè eam exagitat Autor Imperfecti apud Chryſoſt. homil. 25. & plerique Sanctorum maluerunt mori, quàm cum artificio perire, vt loquitur S. Baſilius orat. in Gordium Martyrem, damnans inſaniæ tale artificium; quod patenter quoque reiicitur à S. Auguſtino in Pſal. 39. ad illud *ecce labia mea non prohibebo*, & à S. Cyrillo hom. 9. & 12. Paſch. Hoc eſt, maluerunt ſancti, tormentis & letho ſubiacere potiùs, quàm verbis ambiguis, aut mente reſtrictis, profiteri exteriùs, ritum damnatum quem profitentur Infideles. Exempla adduco in Tractatione de Æquiuoc. cap. 4. num. 4.

Conclamo

Conclamo in Apoſtaſiam externam duntaxat, quia hæc ferè eſt, in quam incidunt qui aliquando guſtauerunt bonum Dei verbum, & myſteriorum Chriſtianorum participes fuerunt, cum metu malorum aut ſpe commodorum, tranſgrediuntur ad caſtra alienigenarum, & ritus eorum aſſumunt. Quanquam ſi interior animus ad externum cultum accederet, eſſet haud dubiè labes multò tetrior, quam contrahunt tantùm ſuper quos clauſit puteus os ſuum. Calumniam deſertæ per Apoſtaſiam Chriſtianæ fidei ſubiere aliqui nunc annotandi.

Ammonius Origenis æqualis, floruit Alexandriæ, vbi philoſophiam Platonicam inſigni cum gloria ad annos multos profeſſus eſt, auditore præter cæteros Plotino; quem ei annis vndecim inhæſiſſe, ſcribit in Plotini vita Porphyrius: ſed addit, Ammonium abiecto Chriſtianiſmo tranſiſſe ad Ethniciſmum. Locum alium Porphyrij ex libro 3. contra Chriſtianos, allegat Euſebius 6. hiſtor. cap. 13. qui ait, hæc fuiſſe Porphyrij de Ammonio verba. [Ammonius Chriſtianus, à Chriſtianis parentibus educatus, quando in prudentia aliquam progreſſionem fecerat, & philoſophiæ ſtudia ſemel deguſtauerat, ſtatim à Chriſtianiſmo ad eam vitæ rationem quæ humanis legibus gubernatur, ſe tranſtulit.] Hanc illuuiem ea verborum ſpongia eluit Euſebius. [In eo ſermone in quo ait, Ammonium ex viuendi ratione quæ eſt ſecundum verum Dei cultum, ad mores Græcorum delapſum; perſpicuè certè, (quid namque non falsò comminiſceretur Chriſtianorum hoſtis?) atque adeò improbè mentitus eſt. Nam Ammonio ſincera diuinæ philoſophiæ, religioniſque Chriſtianæ præcepta, firma vſque ad extremum vitæ exitum permanſerunt; ſicut hominis libri tanta elaborati induſtria, tamque multorum commendatione approbati, quos poſteritati reliquit, adhuc multis in locis teſtes eſſe poterunt: vt ille qui de conſenſu & conuenientia Moyſis cum IESV inſcribitur, & alij qui reperiuntur apud literarum ſtudioſos.] Hactenus Euſebij Apologia aduersùs Porphyrij in Ammonium malignitatem: Quam item manifeſtæ calumniæ damnat S. Hieronymus *in Ammonio*, aſſerens conſtare, Ammonium vſque ad mortem perſeueraſſe Chriſtianum, & multa præclara ingenij ſui monimenta ad poſteros tranſmiſiſſe. Nemo autem mirabitur Porphyrium ſic dehoneſtaſſe Ammonium per calumniam, cùm certum ſit, Porphyrij mendaciis redundaſſe omnia in quæ ſtylum demerſit; ideòque à Theodoreto l. 3. contra Græcos appellatur *fautor mendacij*: à S. Cyrillo l. 3. contra Iulian. *pater calumniarum*: à Piſida in Coſmop. *meſſor ruborum è pratis florulentis*.

Catholicos omnes, Apoſtaſiæ à Chriſto, damnabant Donatiſtæ, quorum hæc verba refert S. Auguſtinus l. de vnitat. Eccleſ. cap. 9. [Defecit ex omnibus gentibus Chriſtiana religio, excepta parte Donati.] Et cap. 13. cùm defectio decem tribuum à Salomone ad Ieroboam & idola eius fuiſſet recitata ex 3. Reg. 11. ſubditur. [Sic & nunc (inquiunt) totus mundus apoſtatauit, nos autem tanquam duæ illæ tribus, in templo Dei, hoc eſt in Eccleſia remanſimus. Dominum etiam IESVM Chriſtum cùm plurimi diſcipuli ſequerentur, ſeptuaginta duobus apoſtatantibus, ſoli cum illo duodecim remanſerunt.] Et mox. [Orbis terrarum apoſtatauit & ſola remanſit Donati communio] O linguam ſuperbam & nefandam! (Exclamat, iſta ipſa referens S. Auguſtinus l. de agone Chriſt. cap. 29.) Damnare enim orbem vniuerſum apoſtaſiæ & defectionis à Chriſto, eſt dicere, Catholicos orbe toto iam tunc ſparſos, qui à Donatiſtarum communione abhorrebant fuiſſe à Chriſto ſegreges; nec

nec Chriſtum quem agnoſcebant pro duce & capite, fuiſſe reipſa Chriſtum conſtitutum à Deo ſuper Sion, ſiue ſuper Eccleſiam vniuerſalem. Quæ eſt horrenda calumnia quam in Donatiſtas quoſuis Hæreticos meritò potiùs quis intorſerit. Neque enim Chriſtus eſt apud Hæreticos: prædicant enim Chriſtum qualem ſibi fingunt, non qualem veritas dicit, ait S. Auguſtinus tract. 45. in Ioan. & ſimilia habet 12. contra Fauſtum c. 4. & l. 16. cap. 10. ac in Enchir. cap. 5. & ſerm. 31. de verb. Apoſt. & tract. 3. ac 6. in epiſtol. Ioan. nec non S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 6. & S. Irenæus l. 3. c. 17. ſcitè Symmachus Papa initio Apologetici ad Anaſtaſ. Imperat. ait hæreticis non eſſe Chriſtum, ſed ſemi-Chriſtum. [Et ideò non Chriſtum, quia Chriſtus non niſi integer.] Defecerunt ergo Hæretici reipſa à Chriſto, & quamuis nomen vacuum & inane præferant, reipſa tamen non ſunt Chriſtiani, vt diſertè tradunt Tertullianus l. de præſcript. cap. 37. Liberius Papa reſpiciens dona Conſtantij apud Theodoretum 2. hiſtor. cap. 16. S. Cyprianus l. de vnit. Eccleſ. cap. 8. S. Athanaſius orat. 2. contra Arrian. D. Auguſtinus l. de grat. Chriſti cap. 10. Lactantius l. 4. *ferè in fine*, & inſigniter S. Chryſoſtomus hom. 19. in Math. ad illud *attendite à falſis prophetis*. Qua ergo fronte Donatiſtæ, cùm reipſa ne Chriſtiani quidem eſſent, auſi ſunt tantam calumniam imponere orbi vniuerſo Catholico, quòd à Chriſto apoſtataſſet.

Auſonius Gratiani Auguſti. & S. Paulini Nolani Magiſter, apoſtaſiæ à fide, & regreſſus ad cultum falſorum Deorum reus agitur vnà cum Claudiano quos eloquẽtia & auctoritate Symmachi dementatos in illud incidiſſe barathrum affirmat Victor Giſelinus in ſcholiis ad ſecundum librum Prudentij contra Symmachum, laudans teſtem B. Auguſtinum in Opere de ciuitate Dei, & allegans amiciſſimas Symmachi ad vtrũque Epiſtolas. Verum S. Auguſtinus Claudianum quidem vocat hominem Gentiliſſimum, non tamen ait eum à fide aliquando ſuſcepta defeciſſe. Neque carmina ſacra quæ apud eum leguntur, arguunt, eum aliquando fuiſſe Chriſtianum, cùm ſint Claudiani Mametti, non tamen eius Claudiani de quo agebat D. Auguſtinus. At de Auſonio quem vnum purgandum hîc ſuſcipio, ſiler proſus D. Auguſtinus, & ſiluit etiam Gratianus ac S. Paulinus. Imò piiſſimi hi viri tales erga Auſonium fuerunt vt incredibile videatur tam familiariter cum homine Ethnico verſaturos, tamque officiosè eum demereri laboraturos. Gratianus certè veſte palmata eum honeſtauit & Conſulem dixit. S. Paulinus variis ad eundem epiſtolis ac carminibus agit cum illo vt cum Patre, neque vnquam illi exprobrat regreſſum ad idololatriam vel turpitudines ethnicorum numinum, vti Patribus illius æui agentibus cum Ethnicis aſſolet. Verum eſt Auſonium licentiùs quàm probum ac benè inſtitutum Chriſtianum deceret, ſcripſiſſe nonnulla quibus aures caſtę offenduntur. In dehortationibus item S. Paulini à ſtatu contemptionis rerum caducarum exhibuit ſe hominẽ à vera pietate alienum & ſeculi affectibus merſum, vt Baronius quoque notauit anno Chriſti 379. Non tamen vel idololatra vel fidei deſertor vnquam fuit.

Vt ſunt Caluiniani Donatiſtarum germani, nec illis vel de ſuperbia, vel de inſania concedunt, ita hoc ipſum probrum imponunt iis omnibus, qui deſerta eorum perfidia ad Catholiciſmum remeant. Qua in parte præiuit illis Caluinus, qui Franciſcum Balduinum ipſius aliquando partiarium, vocauit *Apoſtatam*, cùm abiectis profanis nouitatibus reſipuit, ad Catholicam Eccleſiam reueniens. Hoc eſſe probrum calumnioſiſſimum fusè perſequitur ipſe Balduinus in poſteriore ad Caluinum

Caluinum reſponſione *à pag.* 47. *aliàs* 74. qui admittit, ſi intelligeret illam ὑπὸ Νιρῶνος ἀποςασίαν cuius meminit alicubi Plutarchus, agnoſcere ſe ſuam apoſtaſiam. At ſi ſermo eſſet (vt ſanè Caluino erat,) de apoſtaſia à Chriſto & vera Religione, ſycophantam eſſe Caluinum, qui apoſtaſiæ damnaret defectionem ab homine impio, ante trinoctium transfuga; ipſo inquam liliatum dorſum geſtante Caluino. Non ſecùs ſanè id fiebat à Caluino, quàm à mancipio fieret, ſi heri poteſtatem excutiens, cum pellectis aliquot ſeruitiis, iniquè poſtea ferret, ſe ab eis bene mutata mente deſeri, & transfugarum nomen ad herum regredientibus imponeret Idipſum occinendum eſt pugillo gregi Caluinianorũ, cùm per meretriciam inuerecundiam, audent nuncupare Apoſtatas, eos à quibus rebellem ſuum cœtum deſeri, & Catholicam Eccleſiam, repeti dolent. Eſt autem huiuſmodi in reſipiſcentes conuicium, apud eos quotidianum. Videndus Petrus Cudſeruius in Hyperapiſte de deſperata Caluini cauſa cap. 1. vbi Apoſtaſiæ probrum ob regreſſum ad Catholicam Eccleſiam, repellit.

CAPVT V.

De Hæreſi formali.

Actum de calumnia Atheiſmi & Idololatriæ, in quam ſæpe degenenerat Apoſtaſia. Nunc de alia Atheia & idolomania agendum eſt, hoc eſt de hæreſi per calumniam impacta. Nam hæreſim eſſe ſpeciem Atheiæ, à Satana inuectam in orbem, optimè docet Philotheus Conſtantinopol. Orat. de Trinit. Theologorum. Et ideò Arrium S. Athanaſ. Serm. 2. contra Arrianos, vocat *Atheum*, ſicut & Eunomium S. Hieron. & Aëtium autor Tripart. l. 5. c. 39. Eſſe item hæreſim Idololatriam quandam, materiali Idololatriæ ab eodem mendacij patre ſuffectam, notauit S. Cyprianus l. de vnit. Eccleſ. Autor operis Imperf. in Mat homil. 48. S. Auguſtinus l. 8. Ciuit. c. 51. & ad illud pſalmi 80. *Non erit in te Deus recens.* Hieron. Ezech. 8. Oſ. 11. Zachar. 13. Danielis 5. Hinc virulentia hæreſeos formalis, (nam de materiali poſtea dicam,) & quantum probrum iniuſtè inuratur per eam falsò affictam, deprehendi non grauatè poteſt. Quid enim tetrius atheiſmo & Idololatria, quibus germana eſt hæreſis? Aut quid probroſius Hæretico, cùm idem ſit Atheus & Idololatra? laborarunt in grauitate & atrocitate huius peccati detegenda viri præſtantes ex recentioribus, præſertim Stapletonius Orat. in Auſpicatione Controuerſiarum, Conradus Brunus l. 2. de Hæreticis, Petrus Simonis Tract. de hæreſi c. 15. Lenſæus l. 13. de Chriſt. libert. c. 11. Caſtro l. 1. de iuſta hæret. punit. c. 2. Nicolaus Romæus in Caluini effigie, Monitione ad lectorem operi præfixa, vbi vicenarium malorum ab hæreſi prodeuntium recenſet. Sed optimè dixit ſuprà Stapletonius, hæreſim omne in ſe malum complecti, & eſſe completam quandam malitiam, vel potiùs malorum quoddam compendium. Eradicat enim fidem, quæ eſt primum cuiuſcunque ſupernaturalis boni germen. Radice autem auulſa, vnde exiſtet fructus bonus in iuſtitia & ſanctitate veritatis? Alia ſanè peccata quamuis immania, germen radicum gratiæ ſanctificantis & gloriæ, intactum relinquunt, quamuis deſtruant gratiam, & præſens ius ad gloriam. At hæreſis, totius iuſtitiæ principium euellit, ſine quo nulla actio libera ſupernaturalis, nulla apud Deum quomodolibet meritoria actio profundi poteſt. Meritò itaque S. Auguſtinus l. 3. contra duas Epiſtol. Pelag. c. 3. cenſet, in ſcripturis nomine *peccati* abſolutè dicti,

cti, intelligi infidelitatem; quæ in hæreticis eò tetrior eſt, quò præcedens Dei beneficium in baptiſmi ſuſceptione, eos magis obſtringebat Deo. Et quamuis odium Dei & peccata directè oppoſita bono diuino vt in ſe eſt, ſint tetriora quàm hæreſis, ex D. Thoma 2. 2. q. 34. artic. 3. tamen eatenus infidelitas, (atque adeò hæreſis,) poteſt abſolutè dici *peccatum*, quia eſt in ſuo genere grauior quàm peccata oppoſita virtutibus moralibus, etiam iis quæ extrinſeca quædam Dei bona reſpiciunt, cuiuſmodi eſt religio. Licet inſuper hæreſeos grauitatem eruere, ex fœdiſſimis & maligniſſimis eius cauſis, de quibus benè & latè Caſtro l. 3. de iuſta hæret. punit. à c. 2. & l. 1. aduerſus hæreſes à c. 11. Stapletonius orat. de cauſa graſſantium hæreſeon. Quàm verò hæreſis exitioſa ſit regnis in quæ pedem infert, luculenter proſequitur Ribadeneira l. 1. de Princ. c. 27. & 28. addens c. 29. quas pœnas Deus reperat à Principibus & Rebuſpublicis hæreſi occupatis. Sunt ſanè tanta hæreſeos dedecora, vt non defuerint, qui Energumeniſmum hæreſi comitari tradiderint, vt Creſolius l. 3. Myſtag. c. 16. ſ. 3. *Maius adulterium* nominari, decernit S. Ambroſius ſerm. 2. de Chriſti accuſat. [Grauius eſt enim, religionis adulterum eſſe, quàm corporis, & plus eſt integritatem diuinitatis lædere, quàm integritatem hominis violare.] Hanc ob cauſam Agatho Abbas, vir inter Monachos olim inſignis, cùm ad varia probra, etiam turpitudinis, ſaxeus fuiſſet, audire tamen hæreticus nullo modo ſuſtinuit, & rationem reddidit l. 5. Vitæ Patrum n. 21. his verbis. [Sermonem quem obiiciſtis de hæreſi, non potui ſuſtinere & valdè abominatus ſum, quia hæreſis ſeparatio eſt à Deo. Hæreticus enim ſeparatur à Deo viuo & vero, & coniungitur Diabolo & Angelis eius. Alienatus enim à Chriſto, iam non habet Deum, quem exoret pro peccatis ſuis, quia ex omni parte periit.] **Itaque ſanctus hic Pater, hæreſim quouis peccato tetriorem & auerſabiliorem ſtatuit. Egregiam tam tetræ labis deteſtationem ſuppeditabit Gulielmus Pariſ. l. 1. de mor. c. 1. Tanta cùm ſint hæreſeos probra, atque adeò cùm tam tetra ſit calumnia notam eius falsò inurens, incredibile tamen eſt, quàm multi viri graues & ſancti, hanc labem malignè impoſitam ſuſtinuerint. Signo nonnullos, non quoad omnia in quibus aliqui calumniam ſunt paſſi, ſed quoad aliqua, vt extet ſpecimen huius calumniæ.**

S. Gregorius Neocæſarienſis cognomento Thaumaturgus, cuius laudes Gregorius Nyſſenus in Paneg. & optimè S. Baſilius c. 29. de Spir. S. ſunt executi, accuſatus eſt Sabellianiſmi, eò quòd in diſputatione aduerſus Ælianum de expoſitione fidei, dixiſſet ***Patrem & Filium iuxta mentis quidem conſiderationem duos eſſe, hypoſtaſi verò vnum.*** Ita refert S. Baſilius Epiſto. 64. vt proinde hallucinatus ſit Leontius l. de ſectis actio. 8. dicens, dubitatum eſſe à Patribus, An S. Gregorius Expoſitionem illam fidei ediderit. Nam. S. Baſilius locupletior teſtis, opus illud agnoſcit vt Gregorianum. Et ex eiuſdem S. Baſilij autoritate redarguitur Euagrius, qui lib. 3. c. 31. interpolationem per Hæreticos, paſſum ibi S. Gregorium comminiſcitur. At S. Gregorium illa ipſa duriuſcula verba è quibus Sabellianiſmi inſimulatus erat, protuliſſe, admittit S. Baſilius: qui reſpondet S. Gregorium non ex ſua ſententia ita eſſe locutum, ſed inter diſputandum cum aduerſario, ad hominē egiſſe, & modos eius loquendi nonnullos, ac nominatim iſtum vſurpaſſe. Tantùm verò abfuiſſe addit, vt S. Gregorius Sabellij errorem fouerit, vt potiùs ipſe reuera apud ſuos errorem Sabellij extinxerit. Poſſet etiam non minùs commodè repelli calumnia, dicendo S. Gregorium per vnam hypoſtaſin intellexiſſe

lexiſſe vnam eſſentiam, ſiue vnam ſubſtantiam iuxta S. Hieronymi obſeruationem, qui Epiſtol. ad Damaſum de voce *hypoſtaſis*, in tota ſæcularium literarum ſchola, hypoſtaſim ait idipſum ſonare, quod *vſiam*. Quod apud Paulinum Theſſalonicenſem videre eſt. Eum enim Acacius Epiſto. 15. ad Cyrillum, teſtatur poſuiſſe in Deo vnicam hypoſtaſim, id eſt eſſentiam. Similia memorat S. Auguſtinus l. 5. de Trinit. c. 8. & 9. Et hæ ſunt lites illæ de vocibus inter Catholicos enatæ, quas magno æſtu aliquando agitatas, à S. Athanaſio demum ſopitas, prudenter diſtinctis vocum notionibus, tradit in S. Athanaſij laudatione Theologus. Hoſium item miſſum Alexandriam ad componendas lites, & Arrij tumultum comprimendum, accuratè ſecreuiſſe *vſiam & hypoſtaſim*; cùm priùs idem ſonarent, & idcirco tres in Deo hypoſtaſes Catholici plerique refugerent, teſtatur Socrates l. 3. hiſtor. c. 4. & 5. De temporibus illis valet, quod S. Anſelmus l. 1. epiſtol. 74. & in prologo Menologij affirmat, Græcos ſtatuere in Deo tres ſubſtantias, & vnam perſonam. Poſtea autem Græci partim ab Hoſio, partim à S. Athanaſio edocti, abiectis litibus de cortice vocum, plures in Deo hypoſtaſes, id eſt perſonas, & vnicam eſſentiam agnouerunt, ſicut Latini plures perſonas ſiue ſubſiſtentias, & vnicam ſubſtantiam; cum priùs, multas in Deo ſubſtantias profiterentur cum S. Hilario l. de Synodis *in fine* Canonum Concilij Syrmienſis. Hunc poſteriorem modum liberandi S. Gregorium Thaumaturgum à calumnia Sabellianiſmi, iniuit Bellarminus libro de ſcriptoribus *in Gregorio*; & eſt reuera idoneus, quoad illud quod dixit S. Gregorius vnicam eſſe in Deo hypoſtaſim Patris & Filij. Quatenus tamen addit, eoſdem Patrem ac Spiritum ſanctum, mentis conſideratione duos eſſe, neceſſaria videtur prior reſponſio prolata ex ſancto Baſilio.

S. Dionyſius Alexandrinus, contrariæ quam S. Gregorius calumniæ patuit. Accuſatus quippè eſt Arrianiſmi, & eo nomine ad cognominē ſibi Dionyſium Romanum Pontificem, delatus eſt à Pentapolitanis quibuſdam, inter quos exortam Sabellij hæreſim euellere connitus Dionyſius Alexandrinus, datis ad Ammonium & Euphranorem ſcriptis, dum perſonas diligentiùs ſecernit, viſus erat eſſentiam quoque diuellere. Dionyſius Romanus, Alexandrino diem dixit, cùm in eius cauſa ſynodum celebraſſet poſt eius accuſationem. Gennadius Maſſilienſis l. de Catholicis dogmatibus c. 3. ſubſcribere accuſationi viſus eſt, vocans Dionyſium Alexandrinum *fontem Arianorum*. Extremum verò vt in re deſperata, perfugium caprauit Ruffinus l de adulterat. librorum Origenis, cùm dixit quæ occaſionem calumniæ in Dionyſium præbuerunt, fuiſſe in eius opus infarta ab Hæreticis. Cui affinis eſt euaſio ab aliis excogitata, vt inſinuat & refellit S. Baſilius l. de Spirit. ſancto cap. 39. librarios ſcilicet, interpolaſſe ſcripta Dionyſij inter exſcribendum. S. Baſilius epiſtol. 41. ſciſcitanti Maximo Philoſopho quid de hoc Dionyſio, & accuſatione circa fidem illi intentata, eſſet ſtatuendum; quamuis aliam quamdam eius excuſationem adducit, tamen reuera eum potiùs condemnat. Sic enim de eo pronuntiat. [Eſt hæc noſtra de illo ſententia. Non omnia viri huius laudamus: Sunt quæ prorſus etiam damnamus. Ipſe propemodùm, quantum nobis liquet, primis hominibus impietatis iſtius Anomianæ quæ iam paſſim obſtrepit, ſeminaria præbuit. Cauſam verò huius, non puto animi malitiam eſſe, ſed quòd vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum ſimilem æſtimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus auerſionem, ita immoderatè il-

H 2 lam

lam retorquet, vt à medio aberret, & ad contrarium latus ramulum abducat. Tale quid & ab hoc viro factum deprehendimus. Hic nempe dum impietati Sabellianæ ſe opponit acriore impetu, minùs prudenter ſibi proſpiciens, in malum huic oppoſitum præceps abiit, & quidem nimio contendendi ſtudio: ſatis enim huic fuit, ſi argumentis doceret patrem & filium non idem eſſe ſubiecto perſonali, ac palmarium præſumptæ victoriæ ex hoſte blaſphemo, nimirum Sabellio reportaret. Atqui is Dionyſius quod vnum expetebat, perſpicuè admodùm obtinuit, ſed ex ſuperfluo. Nam non ſolùm diuerſitatem τῶν ὑποστάσεων, hoc eſt *perſonarum*, ſed & τῆς οὐσίας, *eſſentia* differentiam conſtituit, potentiam filij imminuit, & ipſius gloriam immutat ac maieſtatem. Huic adeò contigit, vt malum permutarit malo, atque aberrarit à ſcopo rectiſſimæ & ſincerioris doctrinæ. Quò factum eſt, vt varius ſit deprehenſus & inconſtans in ſcriptionibus ſuis; & quidem tollit nunc τὸ ὁμοούσιον, *coëſſentiale* per ea quibus in rectâ conſtitutione τῶν ὑποστάσεων *perſonarum* ſcilicet minùs rectè vſus eſt: nunc contrà admittit, dum reſpondet homonymo. Nec his contentus, & de Spiritu ſancto voces edidit, quæ nulla prorſus ſui parte competunt Sancto Spiritui, diuinam illi atque adorandam adimens maieſtatem, & eundem ad hæc inferiora deuexum, creatæ adnumerat ac ſeruili creaturæ. Vir igitur hic, talis eſt.]

Nihilominùs S. Dionyſium Alexandrinum perperam fuiſſe accuſatum Arrianiſmi, ex profeſſo tradit S. Athanaſius, in libro de ſententia Dionyſij, & in Commentario de ſynodi Nicænæ decretis, rectè ab ipſo explicatis deprehenſa Euſebij fraude: Teſtatur ergo S. Athanaſius ſanctam Dionyſium prædeceſſorem ſuum, ſanctè ſemper & Catholicè credidiſſe, & ſi quæ ambiguè vel duriuſculè dixerat, explanaſſe & molliuiſſe, cùm in aliis plěriſque ſcriptionibus, tum nominatim in Apologia ad Dionyſium Romanum Pontificem exarata, quà ei planè ſatisfecit. Meminerunt eiuſdem Apologiæ quatuor libris comprehenſæ, Euſebius 7. hiſtor. cap. 21. & Hieronymus l. de Scriptor. *in Dionyſio*, ac Baſilius l. de Spirit. ſancto cap. 29. Eum tamen Dionyſij librum nondum viderat S. Baſilius, cùm ſcripſit ad Maximum, & ſeueriùs de eo pronuntiauit, præfatus libros eius nondum ad ſe perueniſſe. Vt propterea quæ ſcripſit contra eum, ex ſuppoſita veritate iactatorum de eo rumorum, inferre non poſſint S. Dionyſio nocumentum. Et fortaſſis etiam non peruenerat ad S. Baſilium Lucubratio S. Athanaſij de ſententia Dionyſij, vel certè nondum à S. Athanaſio conſcripta erat, cùm S. Baſilius ſcripſit ad Maximum. (Nam S. Baſilium Epiſcopum iam fuiſſe, ſuperſtite adhuc S. Athanaſio, liquet ex S. Athanaſij Epiſtola ad Palladium Presbyterum.) Ambigendum certè non videtur, quia S. Baſilius, ſi ſenſum S. Athanaſij de Dionyſij Alexandrini vera ſententia calluiſſet, aliter de eo fuiſſet pronuntiaturus.

Plagulam ex S. Athanaſij libello pro Dionyſio, quæ planè fuliginem per calumniam viro ſancto illitam detergat, iuuat adſcribere. Sic enim inducit loquentem ſanctum Dionyſium. [Non ſum vobiſcum, eiuſdem opinionis, ô Chriſti rebelles, neque noſtra ſcripta Arrio occaſionem dedere ſuæ impietatis. In ſcriptis ad Euphranorem & Ammonium, propter Sabellianos, mentionem de agricola & vite feci, aliiſque iſtiuſmodi generis exemplis, vt humanis domini ob oculos poſitis, perſuaderem iis, vt abſtinerent dicere, Patrem eſſe hominem factum. Vt enim agricola in vite non eſt, ita non Pater, ſed Verbum in

carne

catne fuit; & quia Verbum in vite erat, ob corporalem cum palmitibus, hoc eſt nobiſcum cognationem, *vitis* nominatus eſt. Hoc quidem animo ad Ammonium & Euphranorem ſcripſi; aduerſus autem veſtram improbitatem alias meas epiſtolas oppono; vt agnoſcant ſapientes meam inibi defenſionem, & rectam fidei in Chriſto ſententiam. Oportuit igitur Arianos, ſi modò habeant ſanam mentem, iſtiuſmodi cogitare & ſentire de Epiſcopo: omnia enim clara ſunt intelligentibus, & rectam ſcientiam inuenientibus.] Non eget Dionyſius alia Apologia.

Sanctus Lucianus Martyr, & doctiſſimus Presbyter Antiochenus, ob impugnatum acerrimè Sabellium, calumniam Arrianiſmi ſuſtinuit æquè ac Dionyſius Alexandrinus. Eoque nomine à S. Alexandro proſcinditur apud Theodoretum 1. hiſtor. cap. 4. & à Mario Victorino l. 1. contra Arrium. Sed per calumniam iſta paſſum S. Lucianum, debet eſſe exploratum. Siquidem exemplaria ſcripturarum, ab eo dicta Lucianæa (vt eſt apud S. Hieronymum l. de ſcriptor. *in Luciano*) toto eo tractu qui à Conſtantinopoli Antiochiam vſque protenditur, fuiſſe in vſu, ſcribit idem S. Hieronymus epiſtol. 107. & in Apologia contra Ruffinum. Eámque librorum ſacrorum interpretationem, ſeptimam & poſtremam fuiſſe, ait S. Athanaſius in ſynopſi, *ferè in fine*, collaudans autorem, titulo *Magni religioſi, & Martyris*. Quis igitur non videt, ſanctum virum calumniam de Ariomania paſſum eſſe, quandoquidem S. Athanaſius tam ſagax omnium Arianiſmi fibrarum explorator, ita collaudat S. Lucianum, & tot Eccleſiæ, eius laboribus tanquam ſincerè Catholici hominis, vſæ ſunt ad longum tempus? Extat item eius fidei confeſſio, ab ipſiſmet Arrianis Antiochiæ imperante Conſtantio edita, & adducta à Sozomeno l. 3. c. 5. & à Nicephoro l. 9. cap. 5. quæ Catholiciſſima eſt. Nec refert quòd in ea reticeatur vox *Homoouſion*, quæ poſtea fuit quaſi teſſera Catholiciſmi. Nam eam vocem, ante Concilium Nicænum minùs fuiſſe in vſu; tunc autem primùm ad euitandas Arrianorum artes valdè increbuiſſe, compertiſſimum eſt. Arrianis enim ad id vocabulum perpetuò circumſtrepitantibus tanquam culicibus, illúdque perpetuo murmure arrodentibus tanquam ſibi maximè infeſtum, (verba ſunt S. Athanaſij Epiſtola ad Affricanos,) Concilium Nicænum & reliqua deinceps Eccleſia, eam vocem maximè frequentauit, quamuis anteriùs quoque aliqui Patres ea voce vſi eſſent, teſte Euſebio Cæſarienſi, cuius verba S. Athanaſius ibidem deſcribit. Igitur ex ſilentio S. Luciani de voce *homoouſij*, inferre eius Arrianiſmum, calumnia fuit. Potuit etiam calumnia ſancto viro impingi ex multorum eius diſcipulorum præcipitatione in Arrianiſmum, poſt turpem deditionem ad immolandum idolis præ metu tormentorum. Quos inter Luciani diſcipulos & deſertores, ac denique Arrianorum primipilos, numerantur à Nicephoro l. 8. cap. 31. Euſebius Nicomedienſis, Theognis Nicænus, Leontius Antiochenus, & Maris Calcedonenſis. Per hos de S. Luciani diſciplina gloriantes, firmari potuit calumnioſa ſuſpicio, hauſta ex malè percepta eius diſputatione contra Sabellium. Indéque nefandiſſimus Arrius, Lucianum *impietatis ſuæ autorem*, & ſuos *Collucianiſtas* appellauit, referente Theodoreto l. 1. hiſtor. c. 5. & S. Epiphanio hær. 69.

Conſtantinus Magnus, Arrianiſmi à quibuſdam inſimulatur, vt à Seuero l. 2. hiſtor. & à Ruffino l. 1. cap. 17. & in Chronico S. Hieronymi anno Conſtantini 31. diſertè habetur, eum in obitu declinaſſe in dogma Arianum. Sed quod maximè pungit, Lucifer Calarit. illius

Digitized by Google

æui fortiſſimus Antiſtes l. 1. pro S. Athanaſio, cùm dixiſſet Conſtantium contra patris ſui ſtatuta reddidiſſe Athanaſio Epiſcopatum, quem Conſtantinus Pater Athanaſio per calumniam probato hæretico ademerat, ſubdit alloquens Conſtantium Conſtantini filium [Tu ipſe teſtis es conſcientiæ tuæ. Quòd enim propter fidem quam ſemper tenuit Eccleſia ac tenet, quòd eam damnare noluerit, miſſus fuerit ad exilium, quia videlicet noluerit eſſe Arrianus; idcirco namque Athanaſium peroſum habitum à patre tuo, non fugit te; quandoquidem & tu in ea eum digneris perſequi cauſa, in qua fuerit & tuus pater perſecutus. Dicat denique ſe non eſſe Chriſtianum, fateatur ſe Arrianum, & erit apud te ſapientiſſimus, magnus.] Rurſus l. de Regibus Apoſtaticis, refert hæc Conſtantij Arriani verba. [Niſi pater meus (*Conſtantinus,*) benè feciſſet referre ſe ad Arrianos, non eius filij regnaremus.] Quæ Lucifer refellit; nõ negans Conſtãtinum tranſiſſe ad Arrianos; ſed docens, non eſſe quòd exiſtimaret, collationem regni, eſſe certum argumentum veræ fidei; cùm multi impij & infideles, permiſſi à Deo ſint obtinere imperium.

Attamen calumniam paſſum eſſe Conſtantinum Magnum, multa euincunt. Nam Græca Eccleſia eum agnoſcit ſanctum, eóque nomine in Græcorum menologio memoratur 21. Maij, vocatúrque inter *Reges Apoſtolus.* Pleríque item ſanctorum Patrum eum iam vita functum laudarunt à pietate & recta fide, vt ſanctus Athanaſius, qui teſte Theodoreto l. 2. hiſtor. cap. 5. agens cum Conſtante Conſtantini filio, hortatus eſt eum vt exemplo Patris, fidem Catholicam per Arrianos labentem fulciret. Similitérque Conſtans ibidem ſcribens ad Conſtantium fratrem, Arrianorum fautorem, vrget illum [vt hæreditatem pietatis paternæ, integram inuiolatámque ſeruaret. Illum enim, imperium pietate ſtabiliſſe.] Hoc quidem, metu Conſtantis fratris, bellum ni ſaperet, & fidem Catholicam ſaluam eſſe vellet, intentantis, aliquandiu à Conſtantio eſt ſeruatum. Cùm primùm autem eo metu per fratris cladem ſolutus, ab Arrianis apertè ſtetit; & illicò à grauiſſimis illius æui Patribus, tanquam degener à Conſtantini Patris fide eſt redargutus. Sic ſanctus Athanaſius epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, queritur quod cùm Conſtantinus, Arium periurij compertum, & in Concilio damnatum pro Hæretico habuiſſet, Conſtantius tamen à patris veſtigiis recedens, complecteretur Arrianos. Æquè ſanctus Hilarius l. 1. aduersùs Conſtantium, vocat eum diuinæ religionis hoſtem, & rebellem paternæ pietatis hæredem: Eadem eſt ſancti Epiphanij de Conſtantino querela de hæretic. 69. quod cæterà bonus, à recta & integra Conſtantini Patris fide receſſiſſet. Eundem Conſtantinum iam fato functum, Liberius Papa ſcribens ad Conſtantium, vocat *Beatum Conſtantinum:* quo eodem titulo honeſtatur à ſancto Fulgentio libr. 2. de veritat. prædeſtin. Imò & à ſancto Athanaſio orat. 1. contra Arrian. & Apolog. ad Conſtantium. Et eodem modo Conſtantinum Beatum vocat ſanctus Artemius Martyr ſub Iuliano, defendens Conſtantinum à ſpurci Apoſtatæ calumniis. Nemo mihi perſuaſerit, tales ac tantos viros hominem Arrianæ hæreſi immortuum, vocaturos *beatum vel beatæ memoriæ virum.*

Fundamenta calumniæ Conſtantino impactæ, ſunt admodùm ruinoſa. Apud pleroſque enim creditum & iactatum eſt, Conſtantinum fauere Arianis, quia deceptus ab Euſebianis quos putabat Catholicos, (nec abs re, cùm viuente Conſtantino,

Digitized by Google

Conſtantino, ne mutire quidem auſi eſſent contra Catholicam fidem; ſed tantùm confictis probris, alióque prætextu, præcipuos eius aſſertores vexarent, vt ſcribunt Theodoretus 2. hiſtor. c. 3. & Sozomenus l. 2. c. 3. *in fine*:) deceptus inquam ab Euſebianis in occulto Arrianis, Conſtantinus, inſignes aliquos Epiſcopos qui Arrianis erant ſudes in oculis, exulare iuſſit; non vt fidei Catholicæ profeſſores, ſed vt inſimulatos violatæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vel alicuius iniuriæ in rem publicam irrogatæ, alteriuſue cuiuſpiam probri: qualia innumera in S. Athanaſium mentiti Arriani, exilium ei per Conſtantinum, magna ipſius Principis infamia, decerni curarunt. Qui enim Euſebianos nouerant, & Conſtantinum adeò illis auſcultantem videbant, vt ad eorum nutum vexaret lumina Eccleſiæ, non habentes compertam eius bonam fidem, & inuincibilem ignorantiam quoad malignitatem & fraudes Euſebianorum, facilè adducti ſunt, vt Conſtantino affricarent labem ſuſceptæ vel defenſæ hæreſeos Arrianæ. Et acceſſit mendacium hominis Arrianiſſimi, Euſebij Cæſarienſis; qui Conſtantinum in extrema vita ab Epiſcopo Arriano baptizatum, ſin minùs expreſsè dixit, ſatis tamen inſinuauit; vnde SS. Ambroſio, ac Hieronymo, & Theodoreto, impoſitum eſt, vt baptiſmum ſub vitæ finem Conſtantino Nicomediæ ab Euſebio Nicomedienſi, Arrianorum principe collatum, exiſtimarent. Verùm Euſebius Cæſarienſis, (quicquid minùs conſideratè ſcripſerit Trapezuntius in præfatione ad libros de Præparat.) inexcuſabiliter Arrianus fuit, vt latè proſequitur Epiphanius Diaconus in ſynodo 2. Nicæna actio. 6. & Billius l. 1. obſeruat. Sacrar. c. 27. & 29. Imò S. Hieronymus, eum Arrianæ factionis ſigniferum, atque adeò inter Arrianos primarium, dixit. Non eſt igitur, Euſebio aliquid Arrianis fauens narranti, plus fidei præſtandum, quàm latroni agenti cauſam ſuam. Et è contrario Dalmatianus Cyzigenus l. 2. Actor. Conc. Nicæni refert ipſius Conſtantini orationem in Concilio illo habitam; qua Conſtantinus ſæpè ſæpius ſe plenè Chriſtianum & baptiſmo perfuſum profitetur; atque adeò longè ante obitum, (contrà quàm Euſebius finxit) baptizatus erat Conſtantinus, vt habet traditio Romanæ Eccleſiæ, quæ Conſtantini baptiſterium oſtentat, & inſignibus eius per baptiſmi tempus operibus illuſtratur. Fusè Romanum Conſtantini baptiſmum ſtabiliunt Reginaldus Polus Opuſcul. de eo argumento, Eugubinus l. 2. de donat. Conſtant. à num. 77. Baronius anno 324. Galeſinius in fine Notarum ad Hiſtoriam Sulpitij, & ex multis Coccius t. 1. l. 7. artic. 9. In Conſtantinum filium cadere eam narrationem de baptiſmo Nicomedienſi per Euſebium Arrianum, ſcribit ex Damaſo, in Felicis Papæ vita, Sanderus l. 7. viſib. Monar. n. 88. Sed quòd Conſtantinianum lauacrum ab Ammiano l. 27. memoratum, accipit de baptiſterio Conſtantini, non eſt adeò firmum: cùm poſſit accipi de publicis balneis à Conſtantino Romæ extructis, vt factum eſt à Lindenbrogio Ammiani Scholiaſte.

Victorinus Pictauienſis Epiſcopus, infamatus eſt hæreſeos Quartadecimanorum, quo nomine in quadam editione Conciliorum ſuperiore ſeculo concinnata, damnatus habetur in Concilio Romano ſub Syluestro Actione. 1. cum aliis quibuſdam hæreticis. Sed hæc eſt grauis calumnia in ſanctum virum, qui ſub Diocletiano martyr mortuus eſt, longè ante quàm Concilium Romanum cogeretur: vnde non poteſt eſſe ille Victorinus, qui præſens damnatus eſt à Syluestro & ſynodo Romana, ob reprehenſos Paſchales cyclos in Eccleſia receptos, & Paſcha relegatum ad 10. Cal. Maij,

Digitized by Google

Maij.Neque verò antiquæ vllæ editiones ſynodi Romanæ, vocant Victorinum illum Pictauienſem Epiſcopum; ſed nuperus Collector de ſuo capite eum titulum appinxit Victorino ibi damnato. Vacet igitur S. Victorinus ea calumnia, quem Optatus Mileuit. l. 1. vt inſignem hæreſum debellatorem celebrauit; & S Hieronymus *inclytum* vocat epiſto. 13.& ſæpè alibi.

S. Euſtathius Antiochenus, cuius lucubratio in Hexaëmeron nuper prodiit, Sabellianiſmi calumniam ab Arrianis paſſus eſt ſub Conſtantio Arriano, vt diſertè habet S. Athanaſius Epiſtola ad Solitar. vitam agentes, malè Theodoreto, Socrate ac Sozomeno, eius proſcriptionem referentibus ad Conſtantinum Magnum: cùm S. Athanaſius, qui rem cominus ſpectabat, referat ad tempus Conſtantij, quo impunè graſſantes Ariani, per ſpeciem Sabellianiſmi, vexabant primarios quoſque Conſubſtantialitatis Patris & Verbi propugnatores; quos inter S. Euſtathius, contra Arium clariſſima tuba, bellicum cecinit, vt de eo loquitur S. Hieronymus Epiſto. 126. Eundem S. Chryſoſtomus plena laudatione exornauit. Tantùm autem abfuit à Sabellianiſmo, quantùm eius calumniatores à mentis ſanitate, & veracitate.

Paulinus, ſecundus eo nomine Antiochenus Epiſcopus Catholicus, partis Euſtathij, ab Euzoio Arianorum Antiochenorum Epiſcopo Sabellianiſmi inſimulatus, iuramento interpoſito apud S. Athanaſium Antiochiæ cum Iouiniano Imperatore tunc agentem, diluit impactum probrum, illito anathemate Sabellio, & addita luculenta fidei Catholicæ profeſſione, quam S. Epiphanius hær. 77. repræſentauit. Purgat Paulinum Theodoretus l.5. hiſtor. c.3. & Marianus Victorius in S. Hieronymi vita: qui rectè pro ſyncera Paulini fide argumentatur ex eius perpetua communione cum Romana Eccleſia, & intima conſuetudine cum S. Hieronymo hæreticis omnibus infenſiſſimo: qui etiam Epiſto. 61. ſcribit Arianorum & Eunomianorum tempore ſolos in Oriente manſiſſe Catholicos, Athanaſium atque Paulinum.

S. Meletius Græcorum omnium præconiis clarus, ab Arianis Sabellianiſmi accuſatus per calumniam, eo quòd vnam in pluribus perſonis ſubſtantiam agnoſceret ſede pulſus eſt. Sed eum omnino purgant, præſertim Nyſſen. in eius Monodia, Chryſoſtom. oratione de eo, Nazianz. carm. de vita ſua, Baſilij & Epiſtola ad Terentium; Tum mos perpetuus Arianorum, inurendi notam Sabellianiſmi omnibus Catholicè de Patris & Filij eadem eſſentia ſentientibus. Itaque S. Meletius, integer fidei & labis purus fuit, quicquid eius hoſtes Arriani, gratis ei impoſuerint.

S. Victor. 1. hæreſeos Homouſioniſtarum accuſatus eſt à ſpurcis hæreticis. Sed fuiſſe meram calumniam, & Victorem ob eam hæreſim excommunicaſſe Theodorum Coriarium, ſcribit Euſebius 5. hiſtor. c. 27. ex antiquiore ſcriptore.

Liberius Romanus Pontifex, Arrianiſmo ſorduiſſe dicitur, non modò à Tilmanno Heſſuſio ſectario l. 1. de Eccleſ. c. 9. ſed etiam à pleriſque Catholicis, ac nominatim à S. Athanaſio in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, & à ſancto Hieronymo in Chronico, & in Catalogo, *cùm de Fortunatiano.* Nec diffiteri poſſum, quin Liberius initio, licet infractus (vt Ammianus l. 15. teſtatur, & S. Athanaſius in vtraque Apologia ac Theodoret. 2. hiſt. c. 16.& 17.) tandem tamen faſtidiens exilium, & pertæſus ærumnarum, flecti ſe ſiuerit ad Arriani Imperatoris voluntatem, & ſubſcripſerit formulæ profeſſionis fidei ab hæreticis confectæ ac damnationi ſancti Athanaſij ſtrenuiſſimi Catholicarum partium defenſoris. Nihilominus Liberium fuiſſe

hæreticum

Digitized by Google

hæreticum, etiam vt priuatam perſonam, (nam hoc ſolùm hîc quæritur,) calumnia eſt. Non enim ſi per fragilitatem humanam damnauit S. Athanaſium qui aliis prætextibus quàm fidei Catholicæ vexabatur, idcirco fuit hæreticus ſenſu ac iudicio; vel etiam externa profeſſione. Nec ſi communicauit cum Arianis, fidem eorum idcircò amplexatus eſt, quod diſertè negat S. Athanaſius. Sanè homo eo gradu, ſi Arianiſmo ſorduiſſet, non fuiſſet à SS. Patribus poſt obitum decoratus honeſtiſſimis titulis, vt *Pontificis beatæ memoriæ*, vel *beati*, aut *beatiſſimi* Liberij, quibus eum nominibus honeſtant ſanctus Ambroſ. l. 3. de Virg. *initio*, S. Epiphan. hær. 75. S. Baſilius Epiſto. 74. Formula verò fidei Syrmiana prior cui ſubſcripſit Liberius, tametſi ab Hæreticis edita, tamen pura & nitens, plenéque Catholica agnoſcitur à S. Hilario l. de ſynodis,& à Vigilio. l. 5. contra Eutych. Videndi qui Liberium, ab Ariana hæreſi cuius per calumniam eſt inſimulatus, purgant pleniſſimè Sanderus l. 7. de Viſib. Monar. à num. 121. Bellarm. l. 4. de Rom. Pont. c. 9. & Coccius t. 1. l. 7. c. 11.

S. Baſilius, à perfido Ariano, nec niſi in ſpeciem Catholico, Euſtathio Sebaſteno, reus de fide Chriſtiana violata eſt factus. Itémque ob tres ſubſiſtentias pro concione propoſitas, *Tritheita* audiuit, & tanquam de Spiritus S. diuinitate malè ſentiens, eſt exagitatus; & cùm aliquando glorificationem abſoluiſſet illis verbis, *Gloria Patri per Filium*, vel *cum Filio*, (quo ipſo modo hymnum glorificationis concinebant Ariani,) audiuit Arianus. Hæc tamen omnia ad meram calumniam pertinuiſſe, docet in Monodia ſancti Baſilij Nazianzenus, nec non Nyſſenus in panegyrico eiuſdem, & S. Athanaſius Baſilium contra oblatrantes ſæpè propugnans, ac nominatim in Epiſtolis ad Ioan. & ad Pallad. Ipſe quoque S. Baſilius, impoſitas ſibi circa fidem calumnias fortiter repulit. Vt calumniam Euſtachij Epiſto. 79. & 75. ac. 54. Calumniam verò Tritheiſmi eluit orat. aduersùs Sabell. & alia qua reiicit calumniantes quòd Catholici tres Deos ſtatuant. Suam verò rectam fidem de Spiritus ſancti vera Deitate, exponit Epiſt. 73. ac libello de vera & pia fide. Tandem quod in ſenſu Catholico dicere potuiſſet, *gloriam Patri cum Filio*, vel *per Filium*, quamuis Ariani eadem verba vſurpantes, eſſent Hæretici, egregiè illuſtrat l. de Spir. ſancto c. 4. 8. 25. 27. 29. Immenſis præconiis quibus S. Baſilius à ſummis Patribus, & viuus & mortuus honeſtatus eſt, impleri poſſet iuſtum volumen. *Auream doctrinæ luſciniam*, vocat Nyſſenus in Encomio S. Ephrem. ſecundas poſt Apoſtolos partes ſolum tempus dediſſe Baſilio ait in eius Monodia. *Os Chriſti, columnam Eccleſiæ magnum patrem noſtrum*, vocat Heſych. centur. 1. c. 65. Sed nemo pleniùs ac ſtudioſiùs S. Baſilium celebrauit, quàm Nazianzenus ac S. Ephrem in ſancti Baſilij laudatione, diffuſiùs autem quàm vt hîc adſcribi poſſit.

Gregorius Nyſſenus Baſilij germanus, eadem cum illo ſorte fuit, accuſatus Origeniſmi & conceſſæ dæmonibus ac damnatis liberationis à ſuppliciis poſt temporalem expiationem. Quam in rem, loca quædam ex Dialogo de anima cum ſorore Macrina, & ex oratione Catechetica, & ex libro de vita perfecta, partim à calumniatoribus diſtorta ſunt, partim interuerſa, vel adulterata, & aliquibus additamentis deprauata. Sed ſtetit pro viro ſancto & calumniam ei impoſitam egregiè deterſit ſanctus Germanus Conſtantinopolitanus, ſcripto libro cui titulum fecit *retribuens & legitimus*: quo rependi hominibus prout vixerint, nec ſupereſſe damnatis ſpem vllam emergendi è ſuppliciis; idque ſanctum Gregorium Nyſſe-

num ſexcentis locis tradidiſſe confirmauit, vt refert Photius, Breuiculum illius lucubrationis ſancti Germani repræſentans Cod. 233. Iis verò titulis ſanctum Gregorium Nyſſenum decorat, qui fidem eius ſynceram planè teſtentur. Vocat enim *virum doctrina ſingularem, & eloquentia inſignem, claraque ſanctitatis exiſtimatione, per omnium ora decantatum.* Omnia verò eius ſcripta, ab omni hæretica prauitate immunia eſſe declarat. Nec parciores ſunt alij in celebranda tanti Patris ſyncera fide & ſanctitate. Vincentius Lyrin. in Commonit. ait, eum fuiſſe, fidei, conuerſationis, integritatis, & ſapientiæ merito, fratrem ſancto Baſilio digniſſimum Epiphanius Diaconus in 7 Synodo Actio 6. partit. 5. Sic de eo loquitur. *Gregorius Nyſſenſium Epiſcopus, quem omnes, Patrum Patrem vocant.* Laudatur item effusè, & inter præcipuos fidei aſſertores numerandus decernitur l. 3. de fide Cathol. in Cod. Theodoſ. Vt taceam quæ in eius honorem à Gregorio Nazianzeno exarata ſunt in Baſilij Monodia, & orat. ad ipſum Nyſſenum præſentem, nec ſemel alibi. Quæ laudes, in hominem Origeniſmo ſordentem non cadunt.

Gregorius Nazianzenus, Baſilio & Nyſſeno fratribus coniunctiſſimus, calumniam ſubiit diſtracti in duos filios Chriſti Domini, vt ſcribit in eius Actis Gregorius Presbyter. Cùm enim vir ſanctus aduersùs Arrianos & Macedonianos fortiſſimè conflixiſſet, eàque ex cauſa ingens in ſe odium huiuſmodi tenebrionum concitaſſet, contigit detegi nouam tunc hæreſim Apollinariſtarum, Chriſto animam rationalem negantium; quos cùm ille potenter ſimul & pereleganter reuinceret, ab iiſdem ſupra modum exacerbatis, calumniam prædictam apud rude vulgus excepit; iunctiſque antiquis hoſtibus Arrianis, tanto ardore plebeculam imperitam aduerſus illum incenderunt, vt lapidibus impeteretur, tanquam infamis hæreticus. Nec refert quòd S. Thomas 1. part. quæſt. 61. artic. 3. affirmet, S. Gregorium Nazianzenum immunem ſemper fuiſſe à calumnia circa doctrinam ſanam. Hoc enim verum eſt de eius ſcriptis, in quibus nemo Catholicus quicquam putens eſt aliquando ſubodoratus, tametſi ſuperſtes potuit ab hæreticis denigrari ea calumnia, omni prorſus deſtituta fundamento; cùm infinities ſynceram ſuam in vnius filij aſſertione fidem prodat. Encomia quæ Patrum primores inſigni huic Doctori, & antonomaſticè *Theologo*, panxerunt eius ſynceræ fidei atteſtantur. Sanctus Hieronymus l. 1. in Ruffinum, hæc de eo habet. [Gregorius vir eloquentiſſimus, ſui apud Latinos impar eſt, quo ego Magiſtro glorior & exulto.] ſanctus Auguſtinus l. 1. in Iulia cap. 5. vocat magni nominis & fama celeberrima illuſtris Epiſcopum, cuius eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam Latinam tranſlata, vſquequaque claruerunt. [Gregorius ſplendidiſſimum ſcientiæ ac doctrinæ iubar, qui cùm olim iam vita functus ſit, etiam nunc tamen autoritate ac fide viuit: & cùm olim iam corpore abſit ab Eccleſiis, tamen voce ac magiſterio non recedit.] Et mox vocat admirabilem fidei Doctorem profertque ex eo teſtimonium calumniæ propoſitæ contrarium.

S. Epiphanij Salaminæ Cypri Epiſcopi decora & ſinceriſſimam fidem, neceſſitudo eius cum ſancto Hieronymo & aliis aureæ illius ætatis Patribus, teſtatiſſimam facit. Effuſos eius in præconia grauiſſimos Patres aliquot, adduxi ad Pauli ſecundi vitam quæſt. 1. Eminent in iis ſanctus Hieronymus epiſtol. 61. Theophylus Alexandr. ibidem epiſt. 67. Auguſtinus initio Libelli de hæreſ. Facundus l. 4 cap. 2. & creditus Athanaſius quæſt. 3. ad Antich. Non euaſit tamen

Digitized by Google

men Vir Sanctus dentes calumniæ, quæ illum vt Iconomachum molita eſt traducere. Et Caluinus quidem l. 4. inſtit. cap. 9. §. 9. id probat ex eius Epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum, in qua ſanctus Epiphanius ſtomachatur ob *velum depictum, pendens in foribus Eccleſiæ, habens imaginem hominis quaſi Chriſti, vel Sancti cuiuſdam.* Id velum ad fores Eccleſiæ Ioanni Hieroſolymitano ſubiectæ appenſum, cùm reperiſſet ſanctus Epiphanius, conſcidiſſe ſe dicit, eò quòd ſit contra Scripturæ autoritatem, proſtare in Eccleſiæ foribus talia. Ex eodem hæc verba in Epiſtola ad Theodoſium Imperatorem iactata, recitat Epiphanius Diaconus Actio. 6. ſeptimæ ſynodi Tomo 5. [Multoties locutus cum Comminiſtris meis vt auferrentur imagines, receptus non ſum ab eis, neque audire vocem meam, ſaltem paululum paſſi ſunt.] Ibidem Gregorius Iconomachus, profert alium eiuſdem ſancti Epiphanij locum, quo perſpicuè monet, tollendas eſſe & è ſacris publicis locis, & è priuatis, imagines. Vt proinde admodùm antiqua ſit calumnia Iconomachiæ ſancto Epiphanio irrogata, nec nunc primùm per Caluinum cuſa videri debeat.

Hanc ſancti Epiphanij maculam, ita ex parte detergit ſanctus Damaſcenus orat. 1. de Imag. vt videatur tamen ex parte quoque ſuccumbere difficultati, & ſanctum Epiphanium non omnino purum præſtare. Ait enim. [Quòd ſi dixeris, virum admirabilem Epiphanium apertè imagines improbaſſe, primùm id fortaſsè eſſe falſum, & fictum reſpondebimus, eique vt à multis fieri conſueuit, orationem ab alio compoſitam fuiſſe attributam. Deinde vt Epiphanij eam orationem eſſe concedamus, quemadmodùm ſcimus Beatum Athanaſium Sanctorum reliquias non in vrnis collocandas, ſed humi condendas eo conſilio cenſuiſſe, vt abſurdum Ægyptiorum morem abrogaret, qui mortuos ſuos non ſub terra condebant, ſed in lectulis & ſcympodiis collocabant: ſic etiam fortaſsè magnum Epiphanium, vt quippiam eiuſmodi rectè conſtitueret, imagines non eſſe faciendas cenſuiſſe. Nam quòd ei propoſitum non fuerit, vt illas abrogaret, diuini ipſius Epiphanij teſtatur Eccleſia, ad hoc vſque tempus imaginibus exornata. Poſtremò quod à paucis, raróque fit, non eſt in Eccleſia, tanquam lex obſeruandum. Neque vna hirundo, (vt Gregorio etiam illi Theologo placet, & veritas ipſa confirmat,) non facit ver. Neque vnius oratio tanti ponderis eſt, vt totius Eccleſiæ ab ortu ad occaſum Solis propagatæ morem & inſtituta poſſit euertere.]

Tamerſi quæ tradit ſanctus Damaſcenus, veriſſima ſunt, & prima illa de ſubmotione alicuius erroris placuerint. Valdenſi tom. 3. titul. 19. rom. 157. tamen nullo modo eſt admittendum, exiſtimationem ſancti Epiphanij quoad rem præſentem in lubrico eſſe; cùm non grauetur ſuis dictis aut ſcriptis, ſed meris aſſumentis calumnioſis, per hæreticos affictis, clarum id eſt de loco ex epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum, cui Caluinus innititur. Nam quamuis, ille locus poſſet cum Mariano Victorio ad Epiſtolam illam quæ eſt 60. inter Hieronymianas, accipi de imagine alicuius prophani hominis, depicta in velo ſacro, quæ ad venerationem expoſita ad limen Eccleſiæ, quaſi alicuius Sancti, aut Chriſti eſſet, (qua ratione locus ille nihil contineret reprehenſione dignum:) Tamen germana reſponſio eſt, cum locum de velo, eſſe appoſitum per aliquem Iconomachum, nec ita pridem. Nam cùm ſanctus Hieronymus epiſt. 101. teſtetur eam ſancti Epiphanij epiſtolam ad Ioannem Hieroſolymitanam vbique fuiſſe diffuſam, non latuiſſet Iconomachos; qui in ſeptima ſynodo, quæcun-

que apud Patres venerationi imaginum incommodare poterant, tanta diligentia collegerunt & obiecerunt, neque tamen eum locum adeò ipſis vtilem futurum, allegarunt. Ioannes item Hieroſolymitanus, qui in ſanctum Epiphanium tantos excitauit rumores, ob Sacros ordines Pauliniano ſancti Hieronymi fratri in Monaſterio Hieroſolymitanæ Diœceſis collatos; multò magis de ſancto Epiphanio expoſtulaſſet, ſi verè conſcidiſſet velum in Eccleſiæ Ioanni ſubiectæ limine pendens, aut ſi imagines contra antiquum vſum abrogare tentaſſet. Itaque genuina reſponſio eſt quam dixi, nimirum ſanctum Epiphanium nihil tale vnquam ſcripſiſſe, id quod multis validis argumentis confirmat Bellarminus l. de Imag. cap. 9. ad 5. Idipſum tradit Epiphanius Diaconus in 7. ſynodo actio 6. tomo quinto, de locis aliis quæ opponebantur. Omnia enim conficta fuiſſe, & malignè ſancto Epiphanio ſuppoſita demonſtrat. Quare calumnia ei circa imaginum venerationem irrogata, euaneſcit.

Reliquo illo Tomo 5. ſeptimæ ſynodi, Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus olim Iconomachus, eadem calumnia Iconomachiæ, malignè dehoneſtabat Nazianzenum, Chryſoſtomum, Athanaſium, Amphilochium, Theodotum, Ancyranum, & Euſebium Pamphili, diſtorquens eorum dicta planè aliò ſpectantia, nec penſi habens quod exſibilandus eſſet, conſultis & diſcuſſis locis quæ deprauabat.

Sanctus Hieronymus, non vna hæreſeos calumnia appoſitus eſt. Nam epiſtola 77. teſtatur ſe accuſatum Sabellianiſmi. Vix appulerat in eremum, cùm aduerſus eum congregati ſunt Monachi velut apes, & illum tanquam Sabellianum excludere ſunt moliti. Itaque ſic queritur cum Marco Celedenſi. [Aduerſus barbariem iſtius loci, verſu cogor clamare vulgato: Quod genus hoc hominum? quæue hunc tam barbara morem, permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ: Bella cient, primáque vetant conſiſtere terra, *&c.* Quæ idcircò de Gentili Poëta ſumpſimus; vt, qui Chriſti pacem non ſeruat, pacem ſaltem diſcat ab Ethnico. Hæreticus vocor, homouſion prædicans Trinitatem. Sabellianæ impietatis arguor, tres ſubſiſtentes, veras integras, perfectáſque perſonas indefeſſa voce pronuntians. Si ab Arrianis, meritò: ſi ab Orthodoxis, qui huiuſmodi arguunt fidem, Orthodoxi eſſe deſierunt; aut ſi eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt cum Damaſo Petróque condemnent. Quid vnum hominem, exceptis ſociis, criminantur? Si riuus tenuiter fluit, non eſt aluei culpa, ſed fontis.] Tametſi quæ ibi ſubdit ſanctus Hieronymus, monſtrant calumniatores à quibus vexabatur, & prima vetabatur conſiſtere terra, fuiſſe Monachos, aduerſus eum adeò efferatos, vt ſocij qui mox abſceſſerunt, meliùs eſſe dicerent inter feras habitare, quàm cum talibus Chriſtianis: tamen prima mali origo referenda eſt ad Arrianos qui ea de Hieronymi Sabellianiſmo diſſeminarant, quę ſoliti erant in omnes ſibi aduerſantes iactare. Sed ipſa eius fidei profeſſio calumniæ illos reuincit. E contrario ſanctus Hieronymus à Luthero accuſatus eſt Arrianiſmi, & quòd exploſiſſet homouſion, vt refert Cochlæus in actis Lutheri anno 1521. & 1532. qui Lutherum ſtrenuè hac in parte calumniatum oſtendit.

Accuſatus inſuper eſt ſanctus Hieronymus Manichæiſmi quoad nuptiarum ſanctitatem. Cùm enim ſpurcus Iouinianus coniugium Virginitati æquaret, eumque S. Hieronymus fortibus ſcriptis refutaſſet, extollens ſummopere virginitatem; viſus eſt cum Manichæis nuptias

ptias deſpicere, & improbandas cenſere. Eóque increuit calumnia, vt ſanctus Hieronymus apud ipſum Siricium Papam eo nomine malè audiret. Verùm ipſemet S. Hieronymus à Domnione & Pammachio admonitus, apologiam conſcripſit, & ſe per calumniam denigratum monſtrauit epiſt. 51. & 52. Vt autem apologia non fuiſſet adhibita, purgauerat ſe S. Hieronymus ſatis ſuperque, in illo ipſo opere contra Iouinianum, ſæpè conteſtatus, ſe connubium ſanctum, & thorum immaculatum non diffiteri, tametſi pretium Virginitatis extollebat. Siricio autem Pontifici, vt malè de ſancto Hieronymo ſuſpicaretur aut crederet, imponi potuit: ſiue per rumores ſparſos à Iouiniani fautoribus, ſiue per nimiam in delationibus excipiendis facilitatem. Nam vt hîc liuoris nonnihil ex ſuperbia affuſum cogitemus, (quale in eodem Siricio erga ſe malè animato, ſugillat ſanctus Paulinus Epiſto. 1. ad Seuer. cùm de Vrbici Papæ infenſo erga ſe animo diſſerit;) non video quomodò fundari poſſit; cùm ſanctus Hieronymus non officeret Siricij luminibus, quod à ſancto Paulino antea Conſule & clariſſimis orto natalibus, factum videtur, vt conſiderat Baronius anno 394. Eſtque admodum veriſimile, tametſi Sachinus parte 2. Vitæ ſancti Paulini, liuorem Siricij ſpecie zeli ſcitè obducit. Cæterùm nimia Siricij facilitas, aut præceps de ſancto Hieronymo ſententia, calumniam ſancto Doctori inuſtam non aſtruit, quem vniuerſa Eccleſia præſtantem in paucis Doctorem ſemper prædicauit. Caſſiano certè l. 7. de Incar. c. 26. dicitur [Catholicorum Magiſter, cuius ſcripta per vniuerſum mundum quaſi diuinæ lampades rutilant.] Et inferiùs. [Hieronymus, vir ſicut maximæ ſcientiæ, ita probatiſſimæ puræque doctrinæ.] Caſſiodorus c. 2. diuin. lect. mirificè ſanctum Hieronymum celebrat; ſicut etiam Ennodius; qui ad Fauſtum ſcribens, non dubitauit aſſerere ſanctum Hieronymum meliorem fore cenſendum ſancto Gregorio Nazianzeno, niſi eum ipſe Hieronymus Magiſtrum profiteretur. *Doctorem Doctorum* indigitauit Sariſberienſis l. 7. policrat. c. 10. [Qui eum hæreticum eſſe arbitrantur, inſaniunt.] ait Seuerus dialo. 11. [Verè dixerim, Catholica hominis ſcientia, ſana doctrina eſt.] Tam communis poſterorum omnium de ſancto Hieronymo ſenſus, puram eius, & vndecunque ſanam doctrinam, aduerſus quaſcunque ſuſpiciones firmiſſimè communit: Et nominatim quoad poſtremam calumniam, purgatur diligenter ab Eſpencæo l. 3. de contin. c. 10.

S. Auguſtinus, Sol cæli Eccleſiaſtici, & Chriſtianæ Theologiæ iubar ſplendidiſſimum, à ſpurco Hæretico Pelagiano Iuliano Celanenſ. calumniam paſſus eſt, quaſi docuiſſet, nuptias à Deo inſtitutas non fuiſſe. Refert hæc Iuliani (vt ait,) *calumnioſiſſima verba* ſanctus Auguſtinus l. 1. contra duas Epiſtol. Pelag. c. 5. vbi prolatis diuinis pro nuptiarum inſtitutione à Deo facta teſtimoniis, addit diluens calumniam. [Abſit vt in libro meo, contra hæc teſtimonia diuina, iſte aliquid legerit. Sed vel non intelligendo, vel magis calumniando, in alium ſenſum conatur detorquere quod legit, *&c.* In eo autem libro, defenſio eſt potiùs, quàm reprehenſio nuptiarum.] Aduerſus eandem Iuliani calumniam, ſic diſputat idem ſanctus Auguſtinus l. 2. de nupt. & concup. c. 23. cùm retuliſſet Iulianum, obiicientem ipſi Manichæiſmum, dicendo nuptias & magnum eſſe bonum, & magnum malum. [Prorſus quid loquatur ignorat, ſiue ignorare ſe ſimulat. Aut enim non intelligit, aut non vult intelligere quid dicamus. Sed ſi non intelligit, præoccupatione impeditur erroris. Si autem non vult quid dicamus intelligere, peruicaciæ vi-

Digitized by Google

Non audet Pluto verba Latina loqui:
Iupiter hunc ſupero dignatus honore fuiſſet.
Cenſorem lingua, ſed timet eſſe ſua.

Impium hunc hominem, palam blaſphemare ſolitum in ipſum Chriſtum, Cœleſtino Pontifici ſanctiſſimo infeſtum fuiſſe, & linguam eius tranſiuiſſe in terra, non miror qui etiam ponere in cœlū os ſuum non erubuerit? Ego ſanè multò magis demiror, tam brutum ac ſtolidum pecus in ipſum Chriſtum os maledicum ac minax ſtringentem, de omnibus bonis peſſimè meritum, in ſuis priuatis odiis effrenem inuenire potuiſſe inter terrenarum poteſtatū apices à quibus foueretur & tegeretur. Nam hic Ericius ex fimo felle macerato concretus, apud Alphonſum Neapolitanum Pontificis Maximi hoſtem, foueam inuenit.

S. Cyrillus Alexandrinus, fidei Catholicæ circa myſterium Incarnationis indefeſſus propugnator, ab impio Neſtorio, quem legitimo iudicio, ob euerſam noſtræ per Chriſtum redemptionis œconomiam condemnarat, hæreſis Apollinariſtarum reus factus eſt: quam calumniam nefaria ſynodus Epheſina (cui *prædatoria* nomen, ad diſcrimen Epheſinæ ſynodi œcumenicæ,) cumulauit variis in ſanctum Cyrillum probris: quem etiam violentia impiorum Theodoſio Imperatori imponens, in carcerem compegit, & loco ac ſede mouit, tanquam hæreticum & turbarum incentorem. Sed calumniam hæreſeos quam nunc ſpectamus, diſpulit potenter ipſe S. Cyrillus, dicta declaratione duodecim capitum, quibus Aduerſarij fermentum Apollinaris ſubeſſe malignè iactarant. Cumque eam declarationem aduerſarij ſugillaſſent, ſanctus Cyrillus nouo Apologetico ſe purum ab errore monſtrauit. Et rurſus eandem crambem recoctam ingerente Ioanne Antiocheno Cyrilli hoſte purgauit ſe in ſeptima Concilij Epheſini ſeſſione ſanctus Cyrillus, ſtricto in Apollinarem, & quoſcunque hæreticos anathemate. Quare pura puta calumnia fuit, æmulorum & hoſtium artificio cuſa, quòd ſanctus Cyrillus Apollinariſta audiret. In eius ſynceriſſimam fidem exornandam conſenſere non modò Cœleſtinus Pontifex, cuius de Cyrillo teſtimonium planè luculentum exhibent eius literæ Roma datæ; ſed etiam alij orthodoxi penè innumeri Anaſtaſius Sinaita cap. 7. ὁδηγ., ſanctum Cyrillum *omnium Patrum ſignaculum* appellauit, quo titulo rite librato immenſum gloriæ pondus concludi apparebit. Quis credat ſpurciſſimum murcum Arauſicæ his ipſis diebus, librum non exiguum, ad inſtaurationem calumniæ, in ſanctum Cyrillum & Neſtorij vindicationem (nam pro ſancto & martyre eum venditat) emiſiſſe? virga in dorſo eius qui indiget corde. Agendum de hoc infra ſerie 2. c. 10.

Theodoretus Cypri Epiſcopus ſancto Cyrillo aliquando infenſus, & Capitulorum eius exagitator in gratiam Ioannis Antiocheni atque Neſtorij, dum gratiæ humanæ ſeruiens, filiis iniquitatis coniungitur, circa fidem ſuam ſuſtinuit calumniam, & pro Neſtoriano, & Chriſti in duos filios ſectore eſt habitus, eoque nomine ſede pulſus. Et quamuis poſtea reſtitutus, tamen recrudeſcente plaga ſuſpectus denuo apud Imperatorem factus, procul abeſſe Antiochia, & ſynodos non frequentare iuſſus eſt. Ac ne mortui quidem cineribus pax fuit. Nam è tribus Capitulis, quæ Iuſtiniani miſerè circa res ſacras dementati, zelus æſtuoſiſſimus obſtruſit, vnum Theodoreti damnationem ſpectauit: eiuſque iampridem vita functi imaginem curru inuectam, ſpecie triumphantis, cum hymnis & canticis Cyprum ciuitatem introduxere Neſtoriani, tanquam à Neſtorij partibus ſteti ſſet, & eius hæreſim de duobus filiis, ſeu duplici in Chriſto perſona aſſeruiſſet

frater, de fide quam ſignificaſti, necnon & falſis calumniis, quas aduersùs veritatem proponunt; quia opitulantibus nobis orationibus veſtris, ac omnium fidelium Chriſtianorum, qui vobiſcum ſunt & viuens & moriens ſalutis noſtræ fidem defendam, & quemadmodum beatus Paulus Apoſtolus docet, *mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* De falſis autem accuſationibus quas nouiter hæretici faciunt, abiicientes veritatem Chriſti Dei, qualem omnino poterunt hominibus loqui, qui Dei veritati reſiſtunt? Tibi igitur reddo rationem dilectiſſime frater, per eum qui iudicaturus eſt mundum, iſtum per ignem, qui & reddet vnicuique ſecundum opus ſuum, *&c.* Porro, de Domina noſtra, glorioſa ſemper Virgine Maria, quæ Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum peperit, quam omnes Sancti & Catholici Patres Dei genitricem appellant, vt pote quæ Deum hominem genuit, falſum contra me, immò contra ſuas ipſorum animas iniqui viri teſtificati ſunt. Nam quiſquis beatam ſuper omnem creaturam & naturam humanam, abſque eo qui genitus eſt, ex ea, venerabilem, ſemperque virginem, matrem videlicet Domini noſtri, non honorat, atque adorat, anathema ſit, & in præſenti ſæculo, & in futuro. Sed homines occaſionem quærentes, ſcandala obiiciunt ad ſcandalizandos multos.

S. Virgilius Presbyter, Apoſtolici planè ſtudij in gentium conuerſione, delatus falsò eſt ad S. Bonifacium Moguntinum, & ad Zachariam Romanum Pontificem, tanquam aſſertor plurium Mundorum, vt eſt in Epiſtola 10. S. Bonifacij. Sed calumniam fuiſſe mox euanidam, euentus monſtrauit. Siquidem vir ſanctus diſſeminationi Chriſtianæ religionis inſiſtens, longè latéque eam propagauit, & Epiſcopatu auctus, magna ſanctitatis laude claruit, poſt obitum canoniſmo decoratus à Gregorio Papa Nono.

S. Gregorius VII. Romanus Pontifex, tam probis ac piis omnibus laudatus, quàm politicis & falſi nominis Catholicis ac hæreticis exoſus, in ſynagoga malignantium damnatus eſt hæreſeos Berengarianæ, vt autor eſt Abbas Vrſpergenſis in Chronico anno 1080. additque Benno, eum indixiſſe ieiunium, vt Deus dignaretur aperire, num Eccleſia Romana meliùs de Euchariſtia ſentiret, quam Berengarius: Et ambiguum in eadem fide, atque adeò hæreticum, ſignum de cœlo quæſiſſe, ac Euchariſtiam præſentibus Cardinalibus in ignem conieciſſe. Quæ omnia adeò monſtroſè ſunt calumnioſa, vt ne ipſe quidem Diabolus, comminiſci teriora potuiſſet. Extant enim Acta Concilij Romani ſub Gregorio, damnationem Berengarij continentia. Et Bennoni (quiſquis demum autor fuerit,) facilius & crebrius eſt calumniari Gregorium, quàm halitum ducere. Pro aliis hæreſibus Gregorio VII. eadem ſynceritate impoſitis, vna hæc ſpongia ſat eſto. Impingit verò nominatim Sigebertus Gregorio, hæreſim Donatiſtarum de inualida Sacramentorum per impios confectione. Calumniæ occaſionem præbuit, decretum Gregorij, interdicentis auditione Sacri, quod Preſbyter Concubinarius in ſcelere obfirmatus conficeret. At malignè ita peruertitur, quod ad contundendam impudentiam ſpurcorum Sacerdotum à Gregorio conſtitutum eſt, valde probante ſancto Anſelmo Epiſtola ad VVillelmum Abbatem Hirſaugenſem, quia (inquit) [nullatenus conuenit, vt ibi reuerenter aſtetur, vbi pertinaciter aperta & impudenti libidine fœtentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo, Sacris altaribus deſeruiunt; imò non deſeruiunt ſed quantum ad ipſos, commaculant. Non quo quis ea quæ tractant, contem-

nenda, ſed tractantes, execrandos exiſtimet, vt qui Dei & Angelorum præſentiam non reuerentur, vel hominum deteſtatione repulſi, ſacra contaminare deſiſtant.] Habetur ea Epiſtola in Chronico Hirſaug. Trithemij *pag.95*.

Petrus Damiani, calumniam paſſus eſt hæreſis Aetianæ, circa ſubleuationem defunctorum per ſuffragia viuorum. Rem ipſe his verbis aperit. l. 5. epiſt. 1. [Significauit mihi per literas, Sanctitas veſtra, quod pro ſententia illa, quam nos in B. Stephani ſermone poſuimus, quia videlicet vniuſcuiuſque anima qualis de hoc ſæculo egreditur, talis poſtmodùm iudicio præſentatur, tantum apud quoſdam ſcandalum eſt exortum, vt dicant, orationes, oblationes, ſacrificia, quæ pro defunctorum animabus offeruntur, nil ſibi proficere antè iudicium. Et quid mirum, ſi hoc idem mihi contingit peccatori, quod eueniſſe cognoſcitur ipſi totius Chriſtianæ religionis autori? Ait enim: *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Quod audientes ſeptuaginta fermè viri, dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* & teſte, Scripturâ, *iam non cum illo ambulabant.* Vſſit itaque eos ſol Chriſtus. Eſt enim ſol iuſtitiæ, iſtos autem vſſit Luna. Ego enim ad Lunam, hoc eſt ad corpus Chriſti pertineo, quod eſt Eccleſia: Vos autem è contrario benedicentes mihi, dignamini dicere, *Per diem ſol non vret te neque Luna per noctem.* Ecce, in tantum profecerunt ſapientes & prudentes iſtarum partium viri; vt omnia cœleſtis eloquij profunda cognoſcant; vniuerſa diuinorum voluminum myſteria comprehendant, & in ſola vna ſermonis mei ſententia caliginem cæcitatis incurrant. Et ſi eos hæreticos eſſe delectat, nunquid me intantum amici mei diligunt vt ſine me in hæreſim tranſire non poſſint? Quiſquis enim perhibet orationes, oblationes, ſacrificia pro defunctis, prodeſſe non poſſe, & hoc imprudenter affirmare conatur, hic profectò Aetianus eſſe conuincitur. Aetius enim hoc in erroris ſui diſputationibus dogmatizat, quòd hæc pietatis opera vana ſint prorſus, ac friuola, nullique in illo ſæculo poſtmodùm profutura.]

Perperam verò impactam ſibi eſſe notam hæreſeos Aetianæ, monſtrat Petrus Damiani, quia verba quibus calumnia illa fuit inædificata, ſunt S Gregorij in 4. Dialogorum. Et verè tamen dicitur, talem quempiam iudicio diuino ſiſti, qualis eſt cum è corpore excedit anima. Nam & in iudicio particulari, quiſque Deo exhibetur, qualis eſt exiens è corpore; & rurſus in iudicio vniuerſali, cùm æquitas iudicij particularis coram vniuerſo mundo recognoſcetur, homo ſiſtetur Deo, grauatus vel maculis, vel reatu, quibus cum è vita exceſſit: non quòd eas maculas ſi leues erant, vel reatum ſi tantùm temporalis fuerat, ſit retenturus: (nam maculæ illicò eluuntur ſi ſint veniales, & reatus ſatiſpaſſione ſenſim abſtergitur, ac ſuffragiis viuorum, aut ex parte aut prorſus tollitur:) ſed quod exhibendus ſit Deo in vltimo iudicio, tanquam olim obſtrictus his illiſue nominibus. Apparet autem hos Petri Damiani calumniatores, vix fuiſſe elementarios Grammaticos; vt ipſe ibidem ait, ſic denique claudens calumniæ reiectionem. [Abſit autem vt vel B. Gregorius conſpicuus, & inſignis Doctor Eccleſiæ; vel nos humiles, & exigui, qui in quantum licet, per illius cupimus veſtigia properare, prohibeamus ſacrificia, vel orationes pro quibus libet defunctis, & ſi grauiter peccatores extiterint, omnipotenti Deo indeſinenter afferri, & ſic eos à deuotione fidelium viuentium adiuuari. Enim verò qui ſic illam ſententiam intelligunt, tanquam nocturni viatores oberrant, & more cæcutientium

manu

manu parietem palpant. Quibus in hac ſoluenda quæſtione, nos volumus eſſe magiſtri; quia illi per arrogantiam cordis, dedignantur eſſe diſcipuli.]

S. Anſelmus, & eius Magiſter Lanfrancus, iactante Roſcelino Clerico, calumniam paſſi ſunt quod eſſent Trirheitæ; & ita admitterent vnam voluntatem & poteſtatem trium perſonarum auguſtiſſimæ Triadis, vt faterentur verè eſſe tres res, non minùs diuulſas ab inuicem, quàm ſint tres Angeli. Audiendus ipſe S. Anſelmus hunc errorem referens atque expendens l. 2. epiſtol. 35. vt intelligatur quatenus modus ille loquendi hæreſim continere poſſit. Proponit ibi imprimis S. Anſelmus, rationem dubitandi à Roſcellino propoſitam; nempè quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint tres res; vel certè quod ſi id negetur, fatendum ſit, Patrem quoque & Spiritum ſanctum eſſe incarnatos. Hoc præmiſſo, ſubdit. [Quod dicit (Roſcelinus,) tres perſonas tres res, aut vult intelligi ſecundùm tres relationes, id eſt, ſecundùm id quod Deus dicitur Pater, & Filius, & à Patre & Filio procedens Spiritus: aut ſecundùm id, quod Deus dicitur. Sed ſi ipſas tres relationes, dicit tres res eſſe, ſuperfluè hoc dicit. Nullus enim negat hoc modo tres perſonas eſſe tres res: Sic tamen vt diligenter intelligatur, quomodò ipſæ relationes dicantur res, & cuiuſmodi res; & ſi aliquid faciunt eædem relationes circa ſubſtantiam, quemadmodùm multa accidentia, an non. Quamuis videatur non intelligere, hoc modo tres res quas dicit; ex eo quia ſubiungit, trium perſonarum vnam eſſe voluntatem aut poteſtatem. Nam tres ipſe perſonæ non habent voluntatem aut poteſtatem, ſecundum relationes, ſed ſecundum hoc quod vnaquæque perſona eſt Deus. Quòd ſi dicit tres perſonas, eſſe tres res, ſecundùm quod vnaquæque perſona eſt Deus: aut tres Deos vult conſtituere, aut non intelligit quod dicit.]

Quia verò idem Roſcelinus, clariùs poſtea ſuum errorem expreſſit & ſic expreſſum affinxit S. Anſelmo, calumniam vir ſanctus l. 2. epiſt. 41. refellit ſic ſcribens. [Audio (quod tamen abſque dubietate credere nō poſſum,) quia Roſcelinus Clericus dicit, in Deo tres perſonas, eſſe tres res ab inuicem ſeparatas; ſicut ſunt tres Angeli: ita tamen vt vna ſit voluntas & poteſtas: aut Patrem & Spiritum ſanctum eſſe incarnatum, & tres Deos verè poſſe dici, ſi vſus admitteret. In qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ Archiepiſcopum Lanfrācum fuiſſe, & me eſſe. Quapropter dictum eſt Concilium à venerabili Remenſi Archiepiſcopo Rainaldo colligendum eſſe in proximo: Quoniam ergo puto, Reuerentiam veſtram ibi præſentem futuram: volo vt inſtructa ſit, quid pro me reſpondere debeat, ſi ratio exegerit, Archiepiſcopum quidem Lanfrancum, vita eius multis religioſis & ſapientibus viris nota, quia de eo nunquam aliquid tale ſonuit, ab hoc crimine ſatis excuſatur & abſentia & mors eius, omnem de eo nouam accuſationem recuſat. De me autem hanc veram omnes homines habere volo ſententiam. Sic teneo ea, quæ confitemur in Symbolo cùm dicimus. *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* Et *Credo in vnum Deum omnipotentem factorem cæli & terræ.* Et *Quicunque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt vt teneat Catholicam fidem*, & ea quæ ſequuntur. Hæc Chriſtianæ religionis principia, quæ hic propoſui, ſic, inquam, hæc & corde credo & ore confiteor, vt certus ſim quia quicunque horum aliquid negare voluerit, & nominatim quicunque blaſphemiam quam ſuprà poſui me audiſſe à Roſcellino dici pro veritate aſſuerit, ſiue homo ſiue Angelus anathema ſit: & confirmando dicam,

quandiu in hac perſtiterit pertinacia, anathema ſit, omnino enim Chriſtianus non eſt: quod ſi batizatus, & inter Chriſtianos enutritus nullo modo audiendus eſt: nec vlla ratio aut ſui erroris eſt ab illo exigenda, aut noſtræ veritatis illi eſt exhibenda, ſi mox vt eius perfidia abſque dubietate innotuerit, aut anathematizet venenum, quod proferendo euomuit, aut anathematizetur ab omnibus Catholicis, niſi reſipuerit.]

Ioannes XXII. horrendæ hæreſeos à Caluino lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 28. notatus eſt, nimirum quòd docuerit animas noſtras eſſe mortales, & vnâ cum corporibus interire vſque ad diem reſurrectionis. Cuius tam infamis maculæ teſtem, Caluinus in margine profert Gerſonem tunc viuentem in ſerm. de Paſchate. Ex cuius etiam autoritate Eraſmus præfat. ad Libros S. Irenæi aduerſùs hæreſes aſſerit Ioannem adactum eſſe à Theologis Pariſienſibus ad palinodiam apud Galliarum Regem Philippum, *non ſine buccina*. Aliam tamen maculam Ioanni inurit Eraſmus quàm Caluinus. Neque enim Eraſmus affingit Ioanni animæ mortalitatem temporariam; ſed vt etiam Ioanni tribuit acer eius hoſtis Ochamus in Opere 90. dierum commentus eſt de Ioanne quòd inficiatus eſſet animas carne ſolutas etiam omni labe liberas, videre Deum ante reſurrectionem corporum, qui eſt error exploratus, non modò poſt Benedicti XII. definitionem mox à Ioannis obitu editam, ſed etiam anteriùs, quandoquidem ita apertè tradiderat Innoc. III. cap. *Apoſtolicam* de Presbyt. non baptiz. Et in ſcripturis idem apertè traditur, præſertim Lucæ 23. vbi Chriſtus dixit latroni, *hodie mecum eris in Paradiſo*: de quo loco in hanc rem argumentantur Gerſo ſermone illo de Paſch. Maldonatus Math. 27. Bellarm. lib. de ſanctor. beatit. cap. 2. Thyræus lib. de apparit. ad iudic. partic. cap. 3. & alij paſſim qui excludunt ridiculam interpunctionem quorundam apud Caſſianum collat. 1. cap. 14. interſerentium comma poſt vocem *hodie*, eamque nectentium cum verbo *dico*: itaut ſenſus ſit, *dico tibi hodie*, te fore aliquando in Paradiſo: quo interpretationis ludibrio, nulli Patrum probato, vis illius loci pro hac veritate euaneſcit.

Omnis hæc Ioannis XXII. reprehenſio, referta eſt calumniæ: quam pridem repulerunt varij, & nominatim Benedictus XII. in Extrau. quæ legitur apud Alphónſum de Caſtro V. *beatitudo* hær. 7. vbi Benedictus qui proximè Ioanni ſucceſſit, eius mentem ſyncerè refert: id quod etiam facit illius æui ſcriptor Ioannes Villani in Florent. hiſtoria lib. 11. c. 19. & ex poſterioribus Steph. Durantus lib. 2. de rit. cap. 48. num. 18. Sanderus de viſib. Monar. lib. 7. Bellarm. lib. 4. de Pont. cap. 14. & alij qui demonſtrant Ioannem XXII. etiamſi inclinare viſus eſt in placitum tunc non adeò apertè explicatum vt erroneum aut hæreticum, quòd animæ ante reſurrectionem corporum non videant Deum; tamen nihil ea in parte edixiſſe, ſed tantùm inquiri voluiſſe in eius rei veritatem. Imò in diplomate quod Bzouius anno 1334. n. 1. refert, diſertè tradit veritatem Catholicam. Tantùmque abeſt vt à Philippo Rege adactus ſit ad palinodiam quod Eraſmus comminiſcitur, vt potiùs teſte Villano qui tunc viuebat, vltrò ipſe ſuaſu affinium mentem ſuam apertè expreſſerit ſub mortem & ad veritatem poſtea claré definitam propenderit. Ochami furentis in Ioannem conductitium calamum non eſt quòd moremur. De caluini pluſquam meretricia in hac parte impudentia, nihil attinet dicere, cùm pro monſtroſa calumnia teſtem tunc in viuis agentem alleget Gerſonem, qui tamen Gerſo nec natus erat cùm obiit Ioannes XXII. ac ne apicem quidem habet eorum

eorum quæ Caluinus Diabolico ſpiritu Ioanni Pontifici impoſuit. Apage itaque truculentum Calumniatorem Caluinum: cui videndum eſt quæ fides habenda ſit in obſcuris, cùm in rebus apertiſſimis veritatem adeò infrunitè contrucidet.

S. Ioannes Columbinus, Ordinis Ieſuatorum Senis in Hetruria patens, Vrbano V. Pontifice, vir fuit idiota & primùm mercaturam fecit, ac coniugio implicitus liberos ſuſcepit. Poſtmodum vxoris admodùm piæ fœminæ prudentibus monitis informatus ad pietatem, caſtitatis perpetuo voto cum ea emiſſo, rebúſque ſuis, quantum fas fuit, in pauperes erogatis, cœtum illum quem dixi inſtituit: de quo Paulus Morigia l. de Origine Religionum cap. 33. & 35. & Phæus Belcarius iuſto opere. Eſſe autem cœtum religioſum contra Fumi offucias, monſtrat Delrio lib. 2. Magic. quæſt. 10. vbi plura de horum, qui *Ieſuatæ S. Hieronymi* ſunt appellati, diſtinctione à Ieſuitis, prout vulgus Clericos Regulares Societatis IESV appellat. Hunc cœtum cum ſuo Autore, reum dixere hæreſis Fraticellorum, calumniatores quidam, vt ſcribit Volaterranus lib. 21. Antropol. tit. *de Eremitanis.* Erant autem Fraticelli, ſecta turpiſſimi, vt teſtatur Ioannes XXII. Extrau. *Sancta Romana.* & ex recentioribus Prateolus lib. 7. Catalogi num. 13. V. *Fraticelli*, ac diffuſiùs & accuratiùs Autor Nitelæ Franciſcanæ religionis excutiens Tomum 14. Bzouij à pag. 76. Huius ergo hæreſis, inſimulatus eſt S. Ioannes: reſque eò deuenit, vt plures iam profeſſi, auerterentur. Sed Dei prouidentia calumnias denique diſcuſſit, & patefacta liquidò veritate, inſtitutum ſtetit. B. verò Ioannes diuinis clarus operibus ſanctè exceſſit anno. 1367. De hoc homine Dei egregium volumen conſcripſit Ioannes Baptiſta Rouſſi, Theologus grauibus pleriſque operibus clariſſimus. Staniſlaus Hoſius S. R. E. Cardinalis & ſedis Apoſtolicæ in Concilio Tridentino Legatus, craſſæ hæreſeos notatus eſt à triginta quatuor Miniſtris Lutheranis, in opere Proteſtationis ipſorum: & ab Illyrico in libro de norma & praxi Concilij Tridentini; eò quòd in libro ſuo de expreſſo Dei verbo, dixerit calcans Sacras ſcripturas: [Nos verò Dei de cœlo ſententiam expectabimus, ac tum iſtos pro ſua non pro Scripturarum ſententia dimicantes tum ipſas etiam ſcripturas faceſſere iubebimus. Non oportet legis aut ſcripturæ eſſe peritum, ſed à Deo doctum. Vanus eſt labor qui ſcripturæ impenditur. Scriptura enim creatura eſt, & egenum quoddam elementum; non conuenit Chriſtiano, nimiùm creaturæ addictum eſſe.] Hæc ex Oſij libro, Proteſtantes prædicti: & verè ea verba habentur in libro Hoſij, ſed recitata ex libro Suenkfeldij hæreſiarchæ è Luthero prognati; idcirco autem ſunt recitata à Cardinali, vt indicaret quam tetræ hæreſes ex radice Lutheri progerminaſſent. Effrontiſſimè autem, & impudentia pluſquam meretricia ſectarij prædicti ea affingunt Cardinali Hoſio. Qua calumniandi immanitate fas eſſet, Euangeliſtas horrendæ blaſphemiæ arguere ob recitata ea aduerſariorum de Chriſto verba *Dæmonium habes. Ecce homo vorax & potator vini. Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* Audiens hæc ſibi eſſe afficta Card. Hoſius, (vt Bellarminus præfatione ad librum de Conciliis teſtatur,) dignum ſe fore qui medio in foro combureretur ſi talia dixiſſet aut ſentiſſet, eſt conteſtatus.

Ludouicus Molina ex Societate IESV, Pelagianæ hæreſeos inſimulatus eſt, eóque nomine ſtrenuè proſciſſus à Gibieufo, & ab Alexandro Patricio Hollando, cuius ſpiſſum opus de doctrina gratiæ ex D. Auguſtino (ſcilicet,) deprompta, nuper

K 3 per

Digitized by Google

per prodiit, nec non ab aliis eiuſdem genij ac ſaluæ. Fundamentum inuendi Molinæ notam illam, petitum eſt ex doctrina de ſcientia futurorum ſub conditione, quam Molina ex Scripturis & Patribus eruiſſe ſibi viſus eſt aptauitque ad negotium concordiæ prædeſtinationis & gratiæ efficacis, cum libertate creata. Ex ea enim ratione conciliandi diuinam prædeſtinationem cum voluntate, ſequi videtur, opera ſub conditione à Deo præuiſa, mouere diuinam voluntatem ad rependendam in tempore primam gratiam actualem, qui eſt purus putus Pelagianiſmus; proinde planè compertum Molinam, volunt eius Aduerſarij. Sed hæc eſt certans cum malignitate imperitia. Molina enim nunquam commentus eſt, merita conditionata Deum mouentia ad rependendam primam gratiam. Idque ſi dixiſſet, meritò diceretur compertus hæreſeos. At nihil tale ſomniauit. Tantùm igitur admiſit, futura conditionata obiici Deo, qui inde dirigitur ad auxilium ſua ſola benignitate opportunè impendendum abſque temeratione libertatis, vt pleniùs exponit Suares lib. 1. de prædeſt. cap. 7. num. 20. & lib. 2. cap. 20. præſertim num. 16. & 25. & cap. 23. à num. 31. ac Diotalleuius Opuſc. de ſcient. futur. par. 2. cap. 11. ad 2. Itaque euaneſcit caſſo impetu niſus ille aduerſus Molinam, & metus in eius Cenſoribus calumniandi ardor detegitur, quos etiam Cenſura Romana iure coërcuit; ac nominatim Alexandrum Patricium, qui quòd tam multus eſt in collaudanda (certè oſtentanda,) accuratione ſua in legendo ac relegendo D. Auguſtino, facit quod familiariſſimum fuit omnibus hæreticis à multis ſeculis: Fauſtus Rhegienſis, autore Facundo initio libri contra Mocianum, D. Auguſtini dictis peruersè detortis, firmabat ſuum errorem; Claudius Taurinenſis Iconomachus apud Dungalum, deſpuens Patres omnes, ſolùm excipiebat Auguſtinum. Berengarius & aſſeclæ, toti erant in euoluendo & pro ſua hæreſi allegando D. Auguſtino, teſte Guitmundo ſub initium ac finem libri tertij de Euchariſtia, Serapion hæreticus in conflictu cum Arnobio lib. 2. *ſub fine*, mirè celebrat & pro ſe iactat Auguſtinum. Scribit VValdenſis lib. 1. doctr. cap. 34. num. 4. Ioannem VVicleffum, adeò inſigne ſtudium erga D. Auguſtinum præ ſe tuliſſe, vt à ſuis diceretur *Ioannes Auguſtini*. Caluinus in allegando & obtorquendo Auguſtino, iugis & perpetuus eſt; & tametſi Patres cæteros, impudentiſſimè deſpuit, quippè homines, ipſe ſupra hominem; tamen erga D. Auſtuſtinum vult reuerens videri, eiuſque teſtimoniis peruersè detortis implet paginas, lectori improuido ſub eo magno nomine fucum facturus. Mihi perfacilè eſſet, ſi per maiores liceret, ſtruices errorum pinguium, & calumnioſarum falſationum, nomine Auguſtini ſpecioſè obtruſas in Alexandri Patricij opere demonſtrare. Verùm in præſentia ſat ſit, intendiſſe obiter in calumniarum Molinæ impoſitarum inanitatem; quibus iam toties fruſtra intortis, toties caſſis, decora Molinæ illuſtriora potiùs ſunt reddita; patefactumque ad veritatem de eo pronuntiaſſe Ioannem Sanchez diſp. 48. ſelecta num. 62. *Molina, Magiſter Magiſtrorum eſt, cuius ſcripta tam in diſputationibus Scholaſticis, quàm ad mores attinentibus, lucem abſconditis rebus emiſerunt.*

Benedictus Deus qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. Eſt enim quod poſt tam eximios Patres & Doctores calumnia circa hæreſim appetitos, gratuler fuiſſe me eodem loco, apud vnum quendam filium cuiuſdam, Lutetiæ declamitantem. Is cùm incidiſſet in opus quoddam noſtrum, cui titulus *Error popularis de communione pro mortuis*, prolato pro concione eo opere,

conte

conteſtatus eſt, hanc ipſam eſſe Caluini hæreſin contra ſacrificium incruentum pro defunctis. Verùm hanc eſſe propudioſam calumniam, patet ex veſtibulo illius lucubrationis: quo vtilitas Sacrificij ad defunctos iuuandos, explicatiſſimè proponitur. Tantùm itaque contendimus eo libello, vſum Euchariſtiæ ex opere operato non eſſe (niſi ſumenti fructuoſum, quod S. Thomas diſertè tradit 3. par. quæſt. 79. artic. 7. Et lect. 6. in cap. 6. Ioan. ait eos qui pro aliis communicant, *errare*. Arrige aures Pamphile. S. Thomas, cui Bogman (ſi ſapit,) de peritia rerum Theologicarum non dubitabit concedere, errare dicit communicantes pro alio: & vnus aliquis inſomnioſus, apud plebeculam vomens pectoris ſui cacochymiam, audebit. S. Thomæ doctrinam hæreſeos damnare? Magnum verò chaos, Sacramentum inter ac Sacrificium iacet. Nam Sacrificium eſt actio publica, à Chriſto in eum finem inſtituta, vt omnibus prodeſſet; Sacramentum autem cùm ſit cibus & medicina, ſoli percipienti poteſt eſſe fructuoſum ex opere operato. Etidem eſt regulatiter de opere operantis, defectu pœnalitatis ſumptioni ſacri cibi conſertæ, quæ pœnalitas eſt characterica operis ſatisfactorij; quod ſolùm poteſt per operantis voluntatem fieri alteri vtile ex opere operantis, cum hîc non agatur de impetratione quæ conſeritur orationi, cuiuſmodi non eſt communio: neque de merito congruo, quod non eſt ſubſidium alterius certum moraliter, quale hîc quæritur. Si tamen aliquando perceptioni Euchariſtiæ adiungeretur pœnalitas, poſſet ſanè is fructus communionis prout operis noſtri applicari alteri: ſed nihil hæc ad libellum illum noſtrum, qui ex inſtituto impugnat dumtaxat tunc iactatam vtilitatem communionis pro alio, ex opere operato, quæ quanta ſit inſcitia Theologi tyrones norunt.

CAPVT VI.

De Hæreſi materiali.

PRobrum hæreſeos formalis cuius hactenus falsò inſimulatos vidimus maximos quoſque Patres, pertinet ad ignorantiam prauæ diſpoſitionis Reſtat attingenda hæreſis materialis, quæ reducitur ad ignorantiam puræ negationis. Vnde eſt longè minus malum. Tetrius quippè eſt, ignorare neſciendo, quàm errare prauè ſentiendo. Eſt tamen etiam malum aliquod, labi per hæreſim materialem; quia quamuis deſit virulentia affectus praui contumaciter obſiſtentis reuelationi diuinæ per Eccleſiam propoſitæ, nihilominus vel ipſa nuda exercitatio inculpata in negotio fidei, malè afficit intellectum; ſin minùs malè moraliter & cum imputatione ad culpam, at ſaltem malè quaſi in genere entis. Sicut malum aliquod eſt hominis, etiam cum ignorantia inuincibili, aut etiam in ſomno, admittere aliquid obiectiuè fœdum: tametſi ob defectum notitiæ prælucentis, & de morali turpitudine pronuntiantis, omnino exulet culpa ab opere admiſſo in tali ſtatu. Cùm ergo contingit aliquem labi circa veritatem quæ reipſa eſt de fide, neque tamen obiicitur ei tanquam de fide, ob ignoratam diuinam reuelationem, aut ob eandem nondum per iudicium Eccleſiæ propoſitam, tunc homo dicitur ſordere hæreſi materiali, qualem incurrit S. Cyprianus circa anabaptiſmum Hæreticorum. Eandem notamus in Caſſiano, qui ante Concilium ſecundum Arauſicanum defunctus eſt; atque adeò non vidit Eccleſiæ definitionem de primo ſalutis initio, ſemper ad Deum gratiæ autorem referendo. Vnde affirmans aliquando nos, aliquando verò Deum, auſpicari negotium ſalutis noſtræ,

Digitized by Google

ſtræ, errabat materialiter contra fidem; ſed non formaliter, quia deerat contumacia aduerſus legitimam veritatis reuelatæ propoſitionem ab Eccleſia factam; ſine qua contumacia, non poteſt incurri hæreſis formalis. Non enim error hæreticum, ſed peruicax obſtinatio facit, (ait Petrus Damiani lib. 1. epiſto. 13.) nec omnes hæretici dicendi ſunt qui opinantur errorem, ſed qui pertinaciter & audacter prædicant falſitatem.] Videndus in hanc rem Facundus lib. 10. pro tribus Capitulis cap. 3. & lib. 12. cap. 1. nonnulla ſanctorum ſic lapſorum exempla proferens. Quibuſdam tamen ſanctorum, impingi per calumniam, quod abſque hæreſi formali, ſorduerint errore circa fidem, monſtrandum eſt in præſentia, annumeratis aliquot in eam rem exemplis inter innumera.

S. Melito Sardenſis, Tertulliano & Hieronymo laudatus, ſcripſit περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ, id eſt de *Deo corporato* librum vnum, vt Euſebius lib. 4. hiſtor. c. 26. & Hieronymus in Catalogo referunt. Huic Melitoni Iſidorus lib. de doctrina & fide cap. 5. tribuit quòd Deum cenſuerit eſſe corporeum, argumento ducto ex prædicta Epigraphe libri Melitonis. Sed eſſe calumniam in Melitonem, non dubitabit qui Theodoretum legerit quæſt. 20. in Geneſ. plagulam ex eo Melitonis opere referentem: ex qua liquet, librum Melitonis de *Deo corporeo*, eſſe non aſſertionem, ſed confutationem corporeitatis Dei. Quanquam & is quoque Theodoreti locus in latina interpretatione vitiatus eſt, ac in ſpeciem fauet criminationibus Melitonis. Nam ita ex interprete loquitur Theodoretus. [Videamus quibus vtantur qui prius aſſerunt; (imaginem ſcilicet Dei conſiſtere in corpore,) è quorum numero eſt Melito, qui ſcripta reliquit quibus aſſerit Deum corporeum eſſe.] Syncerus verò Theodoreti Codex, Græcè ſic habet. ὧν ἐστι καὶ Μελίτων συγγράμματα καταλέλοιπε περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι θεόν. Id eſt, ex *quibus ſunt quæ Melito ſcripta reliquit de eo quòd dicitur eſſe in Deo corpus.*] Quæ verba non ferunt, quòd vitiatus Theodoreti Græcus ac latinè factus contextus, Theodoreto, ac per eum Melitoni adſcribit: ſed tantùm ferunt quòd inter argumenta ibi referenda pro imagine Dei conſtituenda in corpore, ſint illa quæ adducta erant à Melitone, non ad ea aſſerenda, ſed potiùs ad ea conuellenda. Hanc autem eſſe veram mentem Theodoreti, tametſi præter mendum in latina interpretatione notatum, lacuna quoque in Græcum contextum irrepſit, inde perſpicuè patet, quod mox Theodoretus adiecit argumenta ex Melitone, quibus directè euertit ſomnium illud de Deo corporeo; vt nullum poſſit eſſe dubium, quin argumenta probantia corporeitatem Dei tametſi à Melitone recitata, ab eius tamen ſenſu procul abhorrerent. Sicut procul abhorruit à mente Euangeliſtæ, quod recitatiuè protulit Chriſtum Samaritanum eſſe, & habere dæmonium. Adeò ſanè abſurda eſt ea Dei corporei aſſertio, vt ineſſe ei nugarum gurgitem in quo nuſquam pes figi poſſit, conteſtetur Naz. orat. 2. de Theol. addens neminem eorum qui diuinitus afflari ſunt, tale quid vnquam dixiſſe aut approbaſſe. At non potuit latere Nazianzenum, ſynodicam Epiſtolam Aſianorum ad Victorem Papam ab Euſebio deſcriptam 5. hiſt. c. 24. & à S. Hieronymo lib. de Scriptor. in *Polycrate*, agnoſcere Melitonem fuiſſe Spiritu ſancto afflatum. Igitur alio loco habuit Melitonem, quàm ferat calumnia ei impacta, ex deprauatione vel mala verſione textus Theodoreti. Ex Theodoreto enim primùm manaſſe hanc in Melitonem calumniam, rectè obſeruauit Sixtus Senenſis lib. 5. annor. 18. Quod ego ad Theodoretum deprauatum & vitioſa interpretatione peruerſum, cenſeo referendum:

rendum: proindéque non eſt opus, ad Melitonem hac in parte purgandum, transferre quæ pro eadem calumnia Tertulliano malè impacta depellenda, diximus in Natur. Theol. diſt. 6. num. 11.

S. Hilarius iuxta Claudianum Mamercum lib. 3. de ſtatu animæ cap. 9. [Inter complura præcelſarum diſputationum ſuarum, quiddam ſeciùs ſentiens, duo hæc veris aduerſa diſſeruit. Vnum, quòd nihil incorporeum creatum dixit: Aliud, nihil doloris Chriſtum in paſſione ſenſiſſe; Cuius ſi vera paſſio non fuit, redemptio quoque noſtra, vera eſſe non potuit. Sed quoniam Beatus Hilarius opinionis huiuſce vitium virtute confeſſionis aboleuit, ſic ſuſtinet reprehenſionis ſtylum, quod non patitur detrimenta meritorum.]

Agnoſcit diſertè Claudianus, geminam materialem S. Hilarij hæreſim: vnam de carentia doloris in Chriſto; alteram de omnium creatorum corporeitate. Sed de hac poſteriore macula poſtea, cùm Fauſti labes quem Claudianus ibi excutit, attingemus. Nunc inſiſtamus excluſioni doloris à Chriſto, quam æquè alij S. Hilario affinxerũt, vt Berengarius mox adducendus & Ioannes Præpoſitus Epiſto. 2. ad Philippum bonæ ſpei Abbatem. Et idem voluerunt, qui retractatum poſtea à S. Hilario illud placitum prodiderunt. Quod habet S. Bonauen. in 3. diſt. 16. art. 1. quæſt. 1. ad. 1. referens Gulielmũ Pariſienſẽ libellum ab ipſo S. Hilario exaratum, de ſua in hoc puncto palinodia legiſſe, idque ſibi eſſe teſtatũ.

Mihi tamen incredibile ſemper viſum eſt, S. Hilarium in re adeò explorata, & toties in ſcripturis expreſſa, ceſpitaſſe. Nec video quomodo S. Hieronymus ſcribens ad Lætam, dicere potuiſſet omnia S. Hilarij ſcripta inoffenſo pede decurri, ſi hoc offendiculum planitiem ſcriptorum eius exaſperaret. Aut quomodo Caſſianus lib. 7. de Incar. cap. 24. huic (vt vocat,) viro virtutum omnium, & Magiſtro Eccleſiarum, tam luculentum de doctrina vndecunque ſana teſtimonium perhiberet, ſi in re tanta impegiſſet. Quare Lanfrancus Epiſto ad Rainaldum Pictauienſem Epiſcopum, quem adducit Picerdus ad lib. 2. Epiſtolarum S. Anſelmi in 41. purgat hac in parte S. Hilarium à Berengario idcirco iugulatum. Eum item latè purgat Philippus Abbas, Epiſtol 5. 6. & 7. & exiſtimans ſenſum S. Hilarij fuiſſe, quòd Chriſtus volens ac lubens doluerit. Quæ viri ſancti purgatio, pia eſt. Vera tamen & legitima mens S. Hilarj. quæ impactam ei calumniam validè defricat, eruì debet ex ſynopſi libri decimi de Trinit. quam ipſe S. Hilarius libro eiuſdem operis primo confecit, vbi explicatiſſimè tradit, ſe eo libro 10. cui calumnia quam excutimus inædificatur, voluiſſe tantùm excludere dolorem ac metum à Filij Deitate, quos affectus Verbo Dei tribuebant Ariani. Econtrario ergo S. Hilarius, tradit eos affectus non cecidiſſe in Chriſtum niſi ſecundùm diſpenſationem; ideſt ſecundum œconomiam, ſiue Incarnationem, & in humanitate aſſumpta. Quo eodem modo, pro auertendo à Verbo Dei ſecundùm Deitatem, dolore, pugnat contra Arianos Concilium Hiſpal. actio. 13. & Fulgentius lib. 3. ad Traſim. multis capitibus. Hac ergo ratione, Catholiciſſimè S. Hilarius dolorem à Chriſto remouit, vt etiam ſatis ab eo ſignificatur cano. 31. in Matth. Pleriſque autem locis, adeò perſpicuè dolorem verum in Chriſti humanitate profitetur, vt mirum ſit potuiſſe de ſyncera eius doctrina dubitari. Videatur in pſal. 68. *ferè initio* & ad illud, *ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Nec non in pſal. 53. ad illud, *in veritate tua diſperde illos*. Quod verò de palinodia ab ipſo S. Hilario conſcripta adducebatur, commentitium eſt. Ea enim palinodia, quam abs ſe viſam teſtatus eſt

Gulielmus Pariſienſis, ingenioſè conficta eſt ab aliquo ſtylum ac induſtriam in in eo argumento exercente. Sicut poſtea inuentus eſt, qui nomine S. Thomæ, palinodiam & retractationem quarundam reprobarum ſententiarum Sancto Doctori malè affictarum componeret. Et qui nomine Origenis, planctum conſcriberet ad eluendam noxam thurificationis. Sancto Hilario nulla talis ſpongia, ſiue ab ipſomet, ſiue ab alio apparata, fuit neceſſaria circa dolorem Chriſto negatum.

S. Ioannes Chryſoſtomus (ſi recentiores audimus,) toties & in rebus tanti momenti incurrit hæreſes materiales, vt vix ſit vllus Patrum morboſior. Sixtus Senenſis Bibliothecæ ſanctæ librum 6. emplaſtris quæ ad varia loca malè affecta adhibuit, deſperatis aliis non paucis, compleuit. Et quanquam negandum non eſt, quin alicubi S. Chryſoſtomus incommodè ſit locutus, interdum etiam contra veritates quaſdam fidei minùs tunc explicatas offenſauerit. Tamen nonnulla ei per calumniam imponi, in quibus nihil reipſa à ſana doctrina abhorrens tradiderit, monſtratum venio. Eiuſmodi in primis eſt, quod Gabriel Vaſquez 1. par. diſ. 37 cap. 2. contendit S. Chryſoſtomum contra Anomœos diſputantem homil. 3. & 4. ac. hom. 14. & 81. in Ioan. negaſſe Deum in beatitudine conſpici ſicut eſt: ſed cum ante Incarnationem Angelis quoque fuiſſet inuiſibilis, per aſſumptam humanitatem factum eſſe Angelis beatis conſpicuum. Moxque fusè cap. 3. idem Vaſquez, varias reſponſiones ad S. Chryſoſtomi excuſationem à nonnullis adhibitas confutat; ac ne S. Chryſoſtomus abſque ſociis lapſus videatur, adiungit ei cap. 4. SS. Hieronymum, Iſidorum, Primaſium, Ambroſium, Baſilium, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum, ac Hieroſolymitanum, & Gregorium Nyſſenum.

Mihi verò hæc audienti, & tam multos è præſtantiſſimis Patribus ad eundem ſcopulum alliſos auſcultanti, multò maior excitatur impoſitæ Chryſoſtomo, quem cæteris præiuiſſe volunt, calumniæ ſuſpicio. Cui enim veriſimile eſſe poterit, tam fulgida Eccleſiæ ſydera caligaſſe in veritate adeo clara & in ipſis ſcripturis, quaſi ſolis radiis deſcripta, dicente Ioanne *vidimus eum ſicuti eſt*; Deumque in beatitudine intellectibus beatorum imperuium ſtatuiſſe? Quare S. Chryſoſtomus qui aliis dux ad impingendum factus dicitur, eam tantùm Dei viſionem beatis negat, quæ tanta ſit quantam habet Pater de Filio. Sic enim ipſemet ſe ipſum exponit hom. illa 14. quod maximè quadrat eius inſtituto. Agit enim cõtra Anomœos, qui delirabant ſe in his tenebris Deum videre adeò, quàm ſe ipſe Deus videat, atque adeò Deum comprehendere: quod ne Angelis quidem beatis tribui poſſe, rectè ſtatuit S. Chryſoſtomus. Et ita eum expoſuit S. Thomas 1. par. quæſt. 12. art. 1. ad 1. præſtititque Patrem ſic accipere quàm gratis vellicare. Excuſant illum Suarez tract. 1. de Deo lib. 2. cap. 7. num. 18. Sixtus Senenſis lib. 6. Bibl. annot. 181. Maldon. Ioan. 1. num. 166. Magal. 1. Timo. 1. Sect. 7. annot. 5. & alij apud Henriquem lib. de fine hom. cap. 3. num. 1. *litera n.*

Alius næuus cuius Chryſoſtomum inſimulat Vaſquez 1. par. diſ. 89. num 26. & diſ. 91. num. 44. ſpectat gratiam præuenientem, quam eſſe à S. Chryſoſtomo ſublatam, vt libertas perſtet incolumis, obfirmatè contendit. Idem dixerat Bradvvardinus lib. 2. de cauſa Dei cap. 31. & alij quidam quos adduxi in Cauſa Valeriani Cemelienſis cap. 9. n. 9. Verùm grauiſſimi Doctores quos ibidem num. 10. retuli, Chryſoſtomi hac in parte criminatores culpant calumniæ. Imo Soto in cap. 1. ad Rom. circa illa verba *qui*

Digitized by Google

qui prædeſtinatus eſt, impietatis damnat eam ſancti viri ſuffixionem. Driedo autem cap. 4. Concord. magnæ impudentiæ notam his eius Cenſoribus infligit. Loca varia eiuſdem S. Chryſoſtomi, quibus explicatiſſimè tradit, gratiam nos præuenire annotaui eodem capite 9. num. 10. & addendus eſt locus ex hom. 28. in Epiſtol. ad Hebr. in illa verba, *aſpicientes in autorem fidei*, & locus ex hom. 1. in Epiſtol. ad Philipp. Quibus verò locis S. Chryſoſtomus inficiari viſus eſt præuentionem gratuitam, negauit tantùm præuentionem ineluctabilem, & ita abripientem humanam voluntatem ad conſenſum, vt non ſit obſiſtendi poteſtas. Eiuſmodi ſalutis initium à Deo præueniente conceſſum, meritò inficiatus eſt S. Chryſoſtomus, ſalua tamen præuentione eluctabili, quam ſolam Deus adhibet, quia cum magna reuerentia diſponit nos. Et mirabile profectò eſſet, Semipelagianos Chryſoſtomum patronū ſui erroris non fuiſſe oſtentaturos, ſi reuera hìc impegiſſet: cùm Pelagiani pauca S. Chryſoſtomi verba contra parentalem maculam, ſtudioſè ab eis conquiſita, Diuo Auguſtino teſte, obtruſerint.

De aliis quibuſdam hæreſibus materialibus æquè per calumniam S. Chryſoſtomo affictis, cùm verba eius duriuſcula poſſent leui opera molliri, non vacat hìc diſputare. Quantùm tamen fas eſt, non poteſt eſſe dubium quin ſit benignè exponendus, homo & ſanctitatis & doctrinæ titulo, omnibus poſt eum Chriſtianis ſeculis, meritò poſitus in totius Eccleſiæ oculis. Immenſis laudibus eum cumulat Caſſianus lib. 7. de Incarn. cap. 30. & 31. nec non Proclus in Oratione Panegyr. de eo. Benè item S. Iſidorus Peluſ. l. 1. epiſtol. 156. addens l. 2. epiſtol. 42. quantoperè eum ſuſpexerit Libanius inter Ethnicos Sophiſta clariſſimus. Eius verò laboribus pro cultura animarum tantùm debet Eccleſia, vt Menæa Græcorum 30. ſept. dicant; [Niſi fuiſſet Chryſoſtomus, Chriſtum ſi fas audentiùs loqui, noua neceſſitas adactura fuerat, ad terras ſecundo aduentu remiſſendas, vt orbem terræ ad tribunal ſupremum, reum citaret ac iudicaret.]

Ambroſius, Chryſoſtomus, Primaſius, Auguſtinus, Sedulius, Theodoretus, ſed maximè Hieronymus, à Michaele Medina lib. 1. de contin. Sacrorum hominum cap. 5. Aërianiſmi inſimulantur; eò quod Epiſcopum & Sacerdotem ſolo humano iure inæquales eſſe docuerint, etiamſi Aërio ante damnato, ipſi non ſint damnati, quia Aërius cùm in aliis multis quæ S. Epiphanius hær. 75. recenſet, ab Eccleſia diſſideret, non eſt viſus in hac parte ferendus: cum prædictis autem Patribus de fide & Eccleſia bene meritiſſimis, diſſimulauit hunc errorem Eccleſia, aut tolerauit: vtique ob eorum bonam fidem, & defectum contumaciæ, vnde non erat hæreſis niſi materialis, cuius tot Patres inſimulauit Medina. Sed perperam omnino & calumnioſè, tantis Patribus errorem illum impoſuit Medina, cum quibus etiam Eccleſiam vellicat, dicens; Eccleſiam hunc errorem in eis toleraſſe aut diſſimulaſſe etiamſi iam eſſet error damnatus in Aërio. At hoc eſt Eccleſiæ imponere turpem acceptionem perſonarum Nec diſſimulatio aut tolerantia illa, excuſari poteſt propter bonam fidem, aut defectum contumaciæ in his Patribus. Quomodò enim erant in bona fide, & carebant contumacia, ſi error ille iam erat in Aërio damnatus, nec id latebat tantos Patres, vt certum eſt; vel ex vnius S. Epiphanij opere, quod vulgatiſſimum erat, ignorare nulli ferè prædictorum Patrum licuit, quin Aërius circa eam Epiſcopi & Presbyteri æqualitatem damnatus eſſet. Itaque ei ſubſcribentes, non iam hæreſi materiali (vt ſupponitur,) ſed formali laboraſſent. Quòd autem ob merita tantorum Pa-

trum, hic error vnus (fortè quia minutus,) ab Eccleſia ſit toleratus, nullo modo dici aut ferri poteſt: quia in rebus fidei nihil debet cenſeri leue: cùm æquè exſcindatur diuina veritas prima, & autoritas ſuprema reuelantis, ſi negatur caudam canis regrediente Tobia fuiſſe motam, ac ſi negetur Trinitas perſonarum. Quare omnino repudiandum eſt veluti calumnioſum, quod Medina tantis Patribus impoſuit: qui reuera aliud noluerunt, quàm quòd quantùm ad ſacerdotium & confectionem corporis Chriſti ſpectat, eadem ſit Epiſcoporum & Presbyterorum ordinatio; & primis Eccleſiæ temporibus, vtrique in conuentibus Eccleſiaſticis adunarentur, gubernantes Eccleſiam communi conſilio. Quas ob cauſas, nominum inter eos communium aliquando viguit vſus, ita vt Epiſcopos ad quos Paulus ſcribit, Chryſoſtomus hom. 1. in Epiſtolam ad Philipp. & ibidem Theodoretus, interpretentur Presbyteros. Reipſa verò diſcrimen fuiſſe inter Epiſcopos & Presbyteros, iuxta Patres prædictos, monſtrat diligenter Bellarminus lib. de Clericis cap. 15. & ſufficienter liquere poteſt, ex eo quòd S. Hieronymus qui in hoc puncto maximè morboſus habetur, ordinationem negat Presbytero, & ſoli Epiſcopo aſſignat. Iuriſdictionis autem poteſtatem quam S. Hieronymus alicubi ex ſola Apoſtolorum & Eccleſiæ diſpoſitione vendicare Epiſcopis videtur; alibi diuino item iure iiſdem aſſignat; quem fuiſſe perantiquum Eccleſiæ ſenſum, oſtendit Baronius anno 58. *ſub initium*.

Pro S. Hieronymi indemnitate ab hæreſi Aëriana qua eum materialiter ſorduiſſe Medina & alij quidam iuſto licentiùs ſtatuunt, videndus præter antedictos Turrianus ad l. 8. Conſt. Clem. cap. 46. Velloſilus in aduertentiis ad Tomum quartum S. Chryſoſtomi quæſito 26. Franciſcus à Meſſana in difficilium ſancti Hieronymi locorum elucidatione, Scultingius in Confeſſione Hieronymiana, Bellarminus libro de Clericis c. 15. ad 6. obiterque ſed benè Molanus l. 2. de Cano. cap. 2.

S. Auguſtinus, ſub extremam vitam paſſus eſt calumniam refuſæ in Deum ruinæ hominis peccatoris, & ſubductæ eidem poteſtatis ſuæ ſalutis. Ita ſcribit Proſper Epiſtol. ad Ruffinum, & initio libri Collator. Quibus locis teſtatur, multos motus excitatos eſſe in D. Auguſtini doctrina, apud Gallos præſertim, vbi primùm ſuſurris & clancularia appetitione configebatur; randem verò & ſigillatio erupit in bellum apertum. Quod autem initio clàm ageretur, manifeſtum indicium eſt, viros Catholicos, (quales hi erant,) non cenſuiſſe, D. Auguſtini doctrinam aliquid apertè damnatum continere: ſic enim iam ab initio continuiſſent aures ſuas, & impetum feciſſent vnanimiter in eum. Cenſebant ergo doctinam D. Auguſtini reprobam eſſe, ſed non niſi hæreſi materiali ſordere, ob nondum interpoſitam claram Eccleſiæ definitionem; atque adeo ea criminatio ſpectat ad hunc locum. Fuiſſe autem verè calumniam, latè proſequor in defenſione Valeriani Cemelienſis c. 4. num. 3. & ſeqq. Quòd enim calumniatores eius, conceſſis Deo primitiis in noſtræ ſalutis negotio, vt poſterioribus curis rectè ſtatuebat S. Auguſtinus, arbitrarentur ſalutem & ruinam hominis non fore in eius manu; inde in eum commouebantur. At ſalutem hominis non eſſe primùm in eius manu, ſed primum initium ſalutis, à Deo hominem præueniente proficiſci, certa fides docet. Et qui idcirco D. Auguſtino obſtrepebant, hæretici erant ſaltem materialiter, ob non ſatis tunc explicitè propoſitam ab Eccleſia illam veritatem; qua nunc perſpicuè declarata, eſſent apertè & formaliter hæretici, ſi obſtrepere pergerent.

Conceſſis

Conceſſis autem Deo primitiis ſalutis noſtræ rectè contendebant, quoad reliquum progreſſum, ſalutem in noſtra poteſtate ſitam eſſe: quatenus & diuinis tactibus ac ſollicitationibus aſſentiendo, poſſumus ſalutem conſequi, vel eadem excidere, abiiciendo inſpirationem, & tranſgrediendo præcepta. Qua ratione D. Auguſtinus, non negauit, ſalutem noſtram aut ruinam ſub manu noſtra eſſe conſtitutam. Itaque querelæ ac motus in D. Auguſtinum ſcatebant calumniis, meritoque Cæleſtinus I. Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, mox à D. Auguſtini obitu, cùm obloquia & calumniæ in eius doctrinam roborarentur & creſcerent, fortibus literis quibus luculentum tanto Doctori teſtimonium perhibebat calumniatores eius compreſſit, tametſi profundiores quæſtiones iactatas abs ſe voluit Cæleſtinus. Quod refero ad quæſtiones hodiéque problematicè agitatas inter Theologos, de decreto in ordine intentionis planè antecedente, vt electi gloriam conſequantur. Hoc enim decreto fatalitatem inuehi querebantur, qui D. Auguſtino obſtrepebant: quia putabant ſubiungi illi auxilia, hominem ineluctabiliter adigentia ad rectè operandum, vnde ſic acceptam prædeſtinationem vocabant *ſub nomine gratiæ, neceſſitatem fatalem*, teſte Proſpero Epiſtola ad Ruffinum. Vera tamen ſententia à nobis tacta dicto cap. 4. num. 14. decretum de gloria electis conferenda ita exponit, vt nulla ex eo fatalis neceſſitas, nulla auxiliorum ineluctabilitas conſequatur. Sed quia doctrina fidei abſque tricis illis quæſtionum, & ſcholaſtico minutiloquio incolumis ſeruabatur; prouidè Cæleſtinus, ita commendauit D. Auguſtini doctrinam, & calumniatores eius compeſcuit, vt tamen quoad modos dicendi varios, de eo decreto, nihil ſtatuendum cenſuerit.

Veriſimile eſt motus quos dixi, ex Semipelagianorum criminatione exortos, increbuiſſe multò magis in D. Auguſtinum, ex falſa ſuppoſitione operis quod eius nomine vulgatum iam olim eſt, & ab auctore lucubrationis tripertitæ contra Prædeſtinarianos (qui non inueriſimiliter credi poteſt Arnobius iunior, exſcriptum eſt verbatim, habeturque apud eum libro 2. toto. Eum librum Hæretici, non niſi ſub Sacramento ſilentij tenendi, tradebant ſuis; ſed cùm vna quædam mulier librum accepiſſet, neglecta ſacramenti perperam dicti religione, commiſit illum examini Catholicorum, vt narrat autor prædictus l. 3. contra hęreſim Prędeſtinatianorum n. 25. qui addit, cùm Prædeſtinariani ſemper timuiſſent ne liber ille veniret in manus Catholicorum, vt maxima pars mulierculatum ſub ſacramento librum illum acciperet; tandem perlecto & diſcuſſo libro, iudicatum eſſe dignum æterno anathemate, & impoſturam qua Auguſtinus affectus fuerat, manifeſtè eſſe retectam. In quam rem ſic præfatur Autor ad librum 1. [Contra librum Matri Eccleſiæ tendentem inſidias, diuini oris arma corripio, & vt Goliæ, ex ſuo ſibimet gladio, confidens in Domino, eius ceruicem abſcindo. Qui triſtis fuerit, ſuo quaſi mus prodetur indicio; cùm ſuo murmure Philiſtæum ſe eſſe detexerit: meum autem gratulabitur omnis qui allophylus non eſt: Igitur cùm ſollicitè celatur, & occultè legitur, & cautè conſcribitur, tandem aliquando non tam editus quam deprehenſus, ad manus noſtras peruenit liber, qui Auguſtinum mentitur in titulo, cùm ſe hæreticum oſtendat in textu. Quis enim neſciat, Auguſtinum, Orthodoxum ſemper fuiſſe Doctorem, & tam ſcribendo quàm diſputando omnibus hæreticis obuiaſſe? Volentes ergo inimicum fidei noſtræ inter fratres dogma inducere, Catholicum ſupra liminare libri ſui titulum poſuerunt. Qui

liber velut ſepulchrum fœtens , à foris
quidem Auguſtini nomine dealbatur,in-
tus verò ſcaturit vermibus mortuorum.
Hunc librum aliquando ſibi oblatum
beatiſſimæ memoriæ ſummus Pontifex
Cæleſtinus , ita execrationi habuit , vt
eum perpetuo iuberet damnari ſilentio.
Eo magis hæreticorum animus inflam-
matus , clanculò eum per diuerſas do-
mos tradidit lectitandum : quippè quan-
tò legi publicè vetabatur , tantò ab eis
aſſerebatur inſuperabili æquitate con-
ſcriptus. Sicque perfidum iniere con-
ſilium ; vt in modum ſymboli , non diſ-
cutiendus traderetur aliquibus , ſed cre-
dendus.] En igitur vnde maximè inua-
luit & increbuit calumnia in D. Augu-
ſtinum. Plerique enim mendaci titulo
Autorem Auguſtinum præferente dece-
pti , putarunt eius verè eſſe monſtroſa
dogmata , quæ libro ſub eius nomine
malignè vulgato , videbant contineri.

Ioannes Caſſianus , Scriptor & per-
eruditus & ſanctus , vt monſtro in Va-
leriani defenſione cap. 3. num. 2. an-
nuúntque Paulinus Aquileienſis l. 1. con-
tra Felicem *ſub finem* , & l. 2. ſemel ac
iterum , & l. 4. *initio* , ac Valdenſis l. 3.
doctr. artic. 3. cap. 28. num. 2. ac Con-
cordia Regularum S. Benedicti Ania-
nenſis paſſim aliíque *Sancti* & *Beati* præ-
nomine Caſſianum honeſtantes : Hic in-
quam Sanctus, & Doctus Autor, S. Leo-
ni. I. etiam poſt editas Collationes per-
amicus, vt monſtrat Epiſtola libris de In-
carnatione ad S. Leonem præfixa, calum-
niam paſſus eſt quoad doctrinam Col-
lat. 17. traditam de mendacio. Viſus
enim eſt mendacij honeſtatem poſitis
certis circunſtantiis approbare , quæ ta-
men tunc erat hæreſis ſaltem materialis,
vt conſtat ex poſtea liquidiùs propoſita
mendacij labe inexpurgabili. Damnant
Caſſianum ex hoc capite , Cuychius &
Ciaconius in Antidoris collationis 17.
& Sixtus Senenſis l. 5. biblioth. an-
not. 107. Verùm malè ac per calum-
niam vrgeri hac in parte Caſſianum ,
oſtendo in opere de Æquiuoc. cap. 12.
num. 16. vbi declaratum eſt , Caſſianum
æquè ac alios benè multos Patres ibi-
dem allegatos , nomine *mendacij* quan-
doque liciti , intelligere locutionem
mente reſtrictam , quæ ea tantùm parte
ſpectata quæ foris patet, mendacium ap-
paret ; quamuis reipſa cùm ſubeſt iuſta
ſic loquendi cauſa , & ſecluditur præce-
ptum ſuppreſſa locutione interdicens ab
alia virtute quàm à veracitate impoſitum,
non ſit mendax ſed vera & honeſta lo-
cutio , quippe vſurpata à Chriſto ipſo
reſpondente Apoſtolis de iudicij die ex-
quirentibus. Itaque Caſſianus , per ca-
lumniam dictus eſt mendacij ſimpliciter
dicti patronus.

Valerianus Cemelienſis, Orator Chri-
ſtianus perelegans , à Nicolao Chicho-
no Ordinis Minimorum Sacerdote , tan-
quam Semipelagianus traductus eſt, ten-
tata omnibus machinis relatione eius in
librorum prohibitorum Indicem , ob
vnam aut alteram lineam quæ homil. 11.
habetur ferrque , quod noſtrum ſit velle,
Dei perficere. Hunc enim eſſe purum pu-
tum Semipelagianiſmum , contendit
Chichonus. Sed hoc eſſe probrum Scri-
ptori labis puro perperam impoſitum,
euici in Valeriani defenſione ; oſten-
dens innumeros Patres , & quidem pri-
marios quoſque , ad eundem modum
eſſe locutos ; non vt excluderent diui-
nam præuentionem gratuitam , ſed vt
ſignificarent , quid ex parte voluntatis
creatæ iam diuinitùs præuentæ interue-
nire debeat , vt Deus conſummationem
apponat , & nobiſcum opus ſanctum ex-
cudat , noſtrámque ſalutem denique in
tuto ponat. Quæ benigna interpretatio,
cùm pro tot grauibus Patribus placeat ,
mirum fuit , quomodò à Chichono cir-
ca Valerianum ſit repudiata , negato
huic propè ciui ſuo , charitatis aliis im-
penſæ

Digitized by Google

penſæ fauore. Hoc volui, cum Chichonum, PARCVM CHARITATIS CRIMINATOREM nuncupaui: quod hominem vitreæ bilis, ad mihi quoque ſuccenſendum permouit; quaſi CRIMINOSVM dixiſſem, quem CRIMINATOREM, hoc eſt accuſatorem dixeram. Hunc ſi calumniatorem Valeriani dicerem, timendum eſſet ab eadem flamma. Quare ne audirem ego quoque PARCVS CHARITATIS CRIMINATOR, contentus fui, impoſitorem falſorum probrorum appellare.

Fauſtus Rhegienſis, non modò circa doctrinam de gratia & libero arbitrio malè audiuit, (iure an iniuria, attigi in defenſione Valeriani. cap. 3. num. 6. & in Cenſura inofficioſæ Cenſuræ libri de Prædeſtinatione & gratia num. 14.) ſed etiam circa corporeitatem rerum quarumcunque creatarum, exagitatus eſt à Claudiano Mamerco in opere de ſtatu animæ, vbi l. 3. cap. 16. rationes toto opere diffuſas in arctum redigens, de anima noſtra decem argumentis confirmat quòd non ſit corporea, & ea argumenta æquè vrgent pro Angelorum incorporeitate & ſpiritualitate. Miror qui pro Fauſto nuper ſtruxit Apologiam, huius criminationis ne meminiſſe quidem. Cæterùm extra dubium debet eſſe, Fauſtum hac in parte calumniam ſuſtinere, æquè ac S. Hilarium, quem Claudianus l. 3. eiuſdem operis, eadem ex cauſa ſugillat. Neque enim hi Patres, contendunt omnia creata eſſe ſimpliciter & abſolutè corporea: ſed tantùm id affirmat de creaturis, ſumptis comparatiuè ac præ Deo; quia provt ſunt compoſitæ & potentiales, habent rationem corporearum. Qua ipſa ratione S. Gregorius l. 2. moral. cap. 3. omnes creaturas accenſet corporibus, etiamſi 4. moral. cap. 9. abſolutè conſiderans Angelos, agnoſcit eos eſſe verè ſpiritus. Idem habetur ex S. Auguſtino epiſt. 28. Nec aliud voluerunt alij Patres quos adducit Sixtus Senenſis lib. 6. biblioth. annot. 35. & Alardus Gazæus ad collationem 7. Caſſiani cap. 13. Itaque Fauſtus hac in parte calumnia grauatur. Tametſi non videtur culpandum Claudiani ſtudium, qui vt verborum offucias remouendas doceret, diſputationem Fauſti provt ſonabat, reprehendit: imitatus Ariſtotelem, Ideis Platonicis provt verbis exponebantur, infeſtum.

S. Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, à Cardinali Baronio anno 825. annumeratur Iconomachis, eo quod in Commentario de picturis & imaginibus, inficietur imaginum venerationem ac cultum ſolo earum vſu ad memoriam retento, nec niſi Crucis conceſſa veneratione. Quæ erat Leonis Armeni ſtrenui Iconomachi reſtrictio; Nam Crucis ſolius honorem volebat incolumem, vt in Actis S. Theodori Studitæ refert Michael. Cùm Agobardo, cauſa cadunt plerique Galli eiuſdem ætatis, quos exagitat Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione ad Octauam Synodum abs ſe Latinè factam. Verùm doctrinam Agobardi & ſimilium Gallorum fuiſſe omnino ſanam, oſtendi in SS. Lugdunenſium Indiculo, *in Agobardo*, vbi monſtraui, eandem planè fuiſſe Agobardi ac Gregalium Gallorum ſententiam, quæ à S. Gregorio in Epiſtola ad Serenum Maſſilienſem fuit explicata. Sicut ergo S. Gregorium nemo infamauit quaſi Iconomachum; ita neque Agobardus & Galli ſimiliter locuti, malè audire eam ob cauſam debent. Et verò Dungalus, qui eo tempore ſcripſit contra Claudium Taurinenſem verè Iconomachum, teſtatur ſub annum 818. *&c.* apud Ludouicum Imperatorem & Lotharium eius filium diligenter diſcuſſa, Præſules Gallicanos & Germanos Imperatori aſtantes, quos inter primæ ſemper eſſe ſolebant Agobardi partes; cauſam de-

culto

cultu imaginum ex doctrina S. Gregorij in epiſtola ad Serenum Maſſilienſem compoſuiſſe. Itaque ne materiali quidem hæreſi ſordere hac in parte Agobardum, cum S. Gregorio conſentientem, pono extra dubium.

Videri tamen potero, debile præſidium adſciuiſſe Agobardo, à S. Gregorij autoritate, cùm à nonnullis S. Gregorius ſit inſimulatus hæreſeos, vtique materialis. Indubitatum enim eſt, pertinere ad hæreſim Pelagianam aſſerere quòd Adam peccando, per cibi vetiti eſum, non incurrerit debitum mortis corporalis, ſed tantùm mortuus ſit in anima per peccatum, cùm tamen quoad corpus ſiue peccaret, ſiue non peccaret moriturus eſſet. Fictè quidem id damnauit Pelagius in Concilio Palæſtino, vt refert S. Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij c. 11. & l. 1. reſponſionis Secundæ ad Iulianum *pag.* 89. fuit tamen reuera eius ſententia, damnata in Concilio Mileuitano cap. 1. & in Arauſicano 2. can. 1. & 2. & ſæpè à D. Auguſtino confeſſa, nominatim verò l. 10. de peccat. merit. à cap. 2. & l. 13. de Ciuit. cap. 3. & 23. & l. 14. cap. 26. & lib. 6. de Geneſi ad liter. à cap. 22. & l. 6. contra Iulia. c. 4. Subſcribunt Proſper in opere de promiſ. part. 1. cap. 2. Fulg. de Incarn. & gratia Chriſti cap. 12. & 14. Petrus Diaconus lib. eiuſdem argumenti cap. 6. Cyrillus Alexandr. l. 1. in Ioan. cap. 15. & paſſim alij. Multos adducit Michael Glycas diſputat. de hoc argumento ad Ioannem Smeniotam, & diſputatione alia de Condeſcendendo peccatoribus. Hanc igitur exploratam Pelagij hæreſim, à Diuo Gregorio eſſe traditam, ſunt qui affirment. Ita Pererius l. 4. in Geneſ. diſput. de pœna mortis Adamo inflicta quæſt. 2. & Claudius Menardus ad librum. 1. reſponſionis ſecundæ contra Iulianum *pag.* 89. idem tribuens Philoni ſub finem primi Allegor. & Eucherio lib. 1. in Geneſ. Fundamentum quo nituntur, habetur l. 5. epiſtola 14. ad Narſetem, & epiſtol. 31. libri 6. quæ eſt ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum, vbi verba Dei mortem Adamo comminantis ſi contra interdictum de cibo ſumeret, ait falſa fore, niſi accipiantur de morte animæ, quam aliqui ibi adducti inficiabantur. Adam enim quoad corpus ſuperſtes fuit annos nongentos; quomodò igitur verum eſſet illud Dei dictum, *in quacunque die comederis, morte morieris*, niſi ea mors in animam tunc per mortale peccatum mortuam occidiſſet? Hæc D. Gregorius, non obiter, ſed ex profeſſo, & in Epiſtolis planè dogmaticis: & aſtipulatur Felix III. epiſtol. 3. contra Cnaphæum.

Verùm qui inde inferunt S. Gregorium, idipſum docuiſſe quod Pelagius tradidit, manifeſtè in S. Pontificem ſunt iniurij. Neque enim idcirco affirmauit Adamum ſi non peccaſſet moriturum fuiſſe quoad corpus; ſed (quod veriſſimum eſt,) affirmauit, hominem ex quo peccauit illico incurriſſe mortem animæ: cum quo probè cohæret, vt in reatu ac debito, etiam mortem corporis illico incurrerit, excipiendam quoad effectum ſuo tempore, vt optimè diſtinxit Alcuinus in qq. in Geneſ. ad cap. 2. & Suarez l. 3. Coſmop. cap. 14. num. 2. ac Bellarminus l. de gratia primi hominis cap. 8. qui rectè admonet, verba Dei mortem Adamo comminantis in quacunque die comediſſet de cibo vetito, ſi adæquatè & plenè explicanda ſint, accipienda eſſe de vtraque illa morte; animæ quidem actuali, corporis autem quoad debitum, cum S. Ambroſio l. de parad. cap. 9. & Auguſtino 13. Ciuit. cap. 12. quamuis S. Gregorius in id quod agebat intentus, ſolius mortis animæ per peccatum illatæ meminerit, non excluſa neceſſitate & debito mortis corporeæ per peccatum ingreſſo.

S. Thomas

Digitized by Google

S. Thomas Aquinas Scholaſticorum Doctorum Aquila, multorum articulorum hæreſi ſordentium inſimulatus aliquando eſt Lutetiæ;& vt habetur ex breuiculo libelli contra Tractatum F. Ioannis de Monteſono Ord. Prædicat. non fuit damnatus S. Thomas tanquam hæreticus formaliter, ſed vt hæreticus materialiter tantùm. In eodem breuiculo aſſeritur, in D. Thomæ Doctrina multa contineri contra fidem. Itaque articuli quidam ex eo deprompti, reiecti ſunt appoſita mulcta anathematis, in eorum aſſertores vel propugnatores. Verùm has fuiſſe meras calumnias, vidit Stephanus Epiſcopus Pariſienſis, qui anno 1324. cenſuram illorum articulorum, irritam pronuntiauit. Varij item ſummi Pontifices, doctrinam S. Thomæ commendarunt;ac nominatim Ioannes XXII. Vrbanus V. & Pius V. Et quamuis mens Pontificum non fuerit, aſſere S. Thomæ doctrinam eſſe vſquequaque veram,& prorſus expertem falſitatis;& verè etiam Nicolaus Ciſtercienſis Epiſtola ad Petrum Cellenſē (eſt inter huius epiſtolas 166.) contendat canoniſmum ſcriptoris, non eſſe canoniſmum doctrinæ ab eo libris commiſſæ: Tamen magnum eſt calumniæ argumentum, quòd Pontifices, etiam poſt motus prædictos, doctrinam S. Thomæ generatim loquendo commendarint. Agens verò de articulis illis Pariſienſibus Capreolus in 2. diſtin. 2. quæſt. 1. art. 3. ad 8. contra. 1. ex Ægidio Romano, ait illos articulos Sancto Thomæ aduerſantes,non fuiſſe conditos legitimè, & omnibus Doctoribus conuocatis; ſed ſubreptitiè, *ad requeſtam quorumdam capitoſorum.* Itaque calumnia inde firmari non poteſt.

Ioannes Duns Scotus, ingenij miraculum, fertur docuiſſe diuinam eſſentiam & attributa, diſtingui pluſquàm ratione: ita vt attributa ſint entitates infirmæ, afficientes eſſentiam; cuiuſmodi eſt figura reſpectu quantitatis, & actio reſpectu effectus producti. Qua ratione Deus eſſet verè compoſitus, & ſimplicitas diuina peſſum iret. Negant tamen qui Scotum hac in parte grauant, doctrinam eius eſſe formaliter hæreticam, quia necdum eſt liquidò conſtitutum, quod entitatis infimæ additio ad eſſentiam, faciat compoſitionem Deo aduerſantem; cuiuſmodi eſſet compoſitio ex entitatibus firmis inuicem ſeparabilibus. Mihi omnis intra Deum compoſitio, quæ ſit pluſquàm rationis, eliminanda prorſus videtur, tanquam excindens ſimplicitatem; quæ negatione compoſitionis, hoc eſt plurium quomodocunque vnum extra mentem compingentium, conſtituitur. Eam itaque doctrinam prorſus repudio. Sed contendo attribui Scoto, per calumniam, vt fusè proſecutus ſum in Natur. Theol. diſtinct. 6. num. 66. adducens plæroſque, qui de impoſita Scoto calumnia expoſtularunt. Ipſe Scotus in 1. diſt. 2. præſertim quæſt. 7. *ante ſolutionem argumentorum principalium*, diſertè negat, intra Deum, inter eſſentiam & attributa, diſtinctionem rerum, & in actu. Et idem ferunt multa quæ ex Scoto collegit Gregorius in 1. diſtinct. 33. quæſt. 1. artic. 1. Quare Scotus, illimis in re propoſita ac purus habetur.

Placuit autem hanc crambem obiter hîc recoquere, quia his ipſis diebus, Arauſicæ, murcus fidei deſertor, blaſphemiam nouam, Scoti autoritate tegere eſt auſus. Docuerat ille tres auguſtimæ Triadis perſonalitates, eſſe veros & propriè dictos diuinæ eſſentiæ modos, haud aliter ad eam ſe habentes, quàm ſe habeat figura ad quantitatem. Cúmque vrgerem, hac ratione, ens diuinum (cuiuſmodi eſt perſonalitas;) ſtatui infirmum & indigum fulcri ac ſuſtentaculi, cui adhæreſcere & affigi poſtulet, vt videmus in omnibus propriè dictis modis, actione, extenſione, figura, vnione, & ſi

Digitized by Google

ſi quæ ſunt huiuſmodi aliæ minutæ entitates; negauit Nouator, abſurdum eſſe eam infinitatem & indigentiam diuino cuipiam enti, hoc eſt relationibus perſonalibus tribuere. Compoſitionem autem Deo internam, quæ apertè ſequitur ex ea affixione perſonalitatis modalis diuinam eſſentiam afficientis, cum diſtinctione modali ab ea; texit idem nouator autoritate Scoti, eandem diſtinctionem inter attributa & Deitatem agnóſcentis. Id ille mihi coràm ingeſſit, preſſit tamen diſput. de ſuppoſito cap. 2. vbi hanc ſuam hæreſim ſtabilit. Nec deſunt etiam qui quoad relationes & Deitatem idipſum Scoto tribuant, & reprehendant, vt Valentia l. 3. de Trinit. cap. 3. & in ſumma diſput. 2. primæ partis quæſt. 13. part. 1, ac Molina 1. part. quæſt. 28. artic. 2. diſput. 5. Sed neutra opinatio, verè Scoti fuit: & perperam tam craſſus error, ſimplicitatem diuinam & puriſſimam actualitatem exſcindens, tanti viri ſuffragio calumnioſè captato munitus eſt ab eo quem retuli ſpurco fidei deſertore male Rotundo; ſed ſola rationis diſtinctio inter relationes & Deitatem, ex naturæ lumine rata & indubitata habere debet, vt Gillius rectè monſtrat l. 2. tract. 4. cap. 5. num. 10. rationem Sectarij ductam ex prædicatis contradictoriis, quæ de natura & relationibus affirmari poſſunt, fusè ibidem elidens tract. 5. cap. 11. num. 6. poteſtque ad id ſufficere exemplum actionis & paſſionis; quæ ſunt vna ſimpliciſſima entitas, & tamen pertinent ad diuerſas Categorias, & ſuſcipiunt contradictoria prædicata. Pro Durando Scholæ Theologicæ Iſmaële, quem Aduerſarius iuſtiùs quàm Scotum pro ſua hæreſi allegare potuiſſet in 1. diſt. 33. quæſt. 1. à n. 25. & diſt. 34. quæſt. 2. num. 4. non ſum ſollicitus, contentus purgaſſe Scotum quem vnum ille fœdauit.

CAPVT VII.

De Schiſmate.

HÆreſis & idololatria, de quibus proximè actum eſt, duæ Sorores ſunt, quibus adiungitur Schiſma, vt ratiocinantur Origenes hom. 9. in Ezech. vbi de Schiſmatis ex peccatis origine, optimè philoſophatur. Quamuis autem in omni rigore Schiſma differat ab hæreſi, & propriè Schiſma, non ſit contra fidem, ſed contra vnitatem; tamen nihil procliuius eſt, quàm vt Schiſma in hæreſim degeneret. Nam Schiſmatici, vt rectè ab vnitate receſſiſſe videantur, aliquam ſibi hæreſim ſolent confingere, vt notat Simancas in Cathol. Inſtitut. titul. 58. ex cap. inter hæreſim 24. q. 3. Quare calumnia qua falsò imponitur alicui Schiſma, rectè ſubiungitur calumniis de quibus hactenus. De huius probri turpitudine, actum pleniſſimè eſt in Tractatione de Pontifice in Epilegomenis ſubnotatione 3. fructu 4. Itaque in præſentia, ſat eſſe poterit S. Irenæi teſtimonium. Is lib. 4. cap. 62. de Chriſti iudicio diſputans; [Iudicabit (inquit,) & eos qui Schiſmata operantur, qui ſunt immanes, non habentes Dei dilectionem, ſuámque vtilitatem potiùs conſiderantes, quàm vnitatem Eccleſiæ, & propter modicas & quaſlibet cauſas magnum & glorioſum Corpus Chriſti conſcindunt & diuidunt, & quãtum in ipſis eſt, interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes, verè liquantes culicem & camelum tranſglutientes. Nulla enim ab eis tanta poteſt fieri correptio, quanta eſt pernicies.] Hoc tetrum probrum, piis quibuſdam calumnioſè eſt affictum.

Aurelius Carthaginenſis, eiuſque ſucceſſores SS. Capreolus & Eugenius, & cum eis ſanctus Auguſtinus, ac vniuerſa Africana

Africana Eccleſia, per annos pluſquàm centum, Schiſma feciſſe dicuntur à tempore Bonifacij primi vſque ad Bonifacium ſecundum, qui ſciſſuras illas ſarciſſe dicitur, vt refertur in Epiſtola Bonifacij ſecundi ad Eulalium Alexandrinum, qua Pontifex teſtatur, ſe precibus ac ſupplice libello Eulalij Cathaginenſis mollitum Catholicam communionem Africanis Epiſcopis reſtituiſſe, & Schiſma ſuſtuliſſe. Verùm hæc mera eſt calumnia; quæ ſi ſtaret, S. Auguſtinus (qui eo tempore quo Schiſma Africanum duraſſe dicitur, in Africa floruit,) excidiſſet communione Catholica, contra expreſſum teſtimonium Cæleſtini Papæ, qui in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ disertè tradit, S. Auguſtinum fuiſſe ſemper Catholicæ communionis participem. Vt taceam Aurelium Carthaginenſem & Capreolum, quorum ille à Proſpero l. de promiſſ. part. 3. cap. 38. iis laudibus exornatur; quæ in Schiſmaticum non caderent; Hic verò, in Concilio Epheſino quod per Legatos adiit, non modò communione Catholica potitus eſt, ſed etiam valdè à S. Cyrillo Concilij Præſide collaudatus, de quo videndus Vicentius Lyrin. in Commonit. cap. 42. & 43. Alia exempla communionis Catholicæ Africanorum intra illud ſeculum, quo fictitium hoc Schiſma duraſſe dicitur, ſuggeret Baronius in Rom. Martyrol. 16. Octobr. *Litera* B. Quare non licet ambigere, quin literæ illæ Bonifacij ſecundi, quibus tota hæc fabula innititur, ſint commentitiæ; præſertim cùm Syllabus Epiſcoporum Alexandrinorum, nullum per ea tempora exhibeat Eulalium, ad quem literæ Bonifacij dicuntur datæ: Et certum etiam ſit, tempore Bonifacij ſecundi, nullum fuiſſe Cathagine Epiſcopum Eulalium, aut alium quemcunque: cùm primus qui Epiſcopos Afris reſtituit, fuerit Iuſtinianus poſt pulſum Gilimerem Arianum, atque adeò poſt Bonifacium ſecundum. Origo item prima huius figmenti, eſt plane vana. Ex eo enim quòd Aurelius Carthaginenſis, & alij Africani Epiſcopi in cauſa Apiarij Presbyteri, paulò ardentiùs cum Bonifacio I. & Cæleſtino Romanis Pontificibus agere viſi eſſent, & vſque ad Schiſma cauſandum rem deduxiſſe; orioſus quiſpiam ad eam Eccleſiæ ruinam inſtaurandam Epiſtolam Eulalij ſupplicem, & reſponſum Bonifacij ſecundi ſuppoſuit. At falſum eſt, contentionem illam pro cauſa Apiarij, ad Schiſma perueniſſe; cùm S. Auguſtinus qui pro Aurelio ſtabat, eumque conſiliis & omni arte iuuabat, nec ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumore aſperſus vnquam ſit, vt eum defendens Cæleſtinus Papa pronuntiauit. Calumnioſa ergo illa ſubſtructio, de Schiſmate tot magnis Antiſtitibus afficto, vndecunque rimas agit.

S. Plato Monachus, eiuſque ſecundum carnem nepotes S. Theodorus Studita, & Ioſeph Theodori Frater Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, Conſtantinopoli calumniam paſſi ſunt, quòd eſſent Schiſmarici, ſuccenſente eis Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolirano; eo quòd nollent ipſi publicè communicare priuſquàm eieciſſet Ioſephum Oeconomum, qui coniugio copulauerat Conſtantinum Irenes filium Imperatorem, cum pellice ſubinducta legitimæ vxori, quam eiecit, vt fuſiùs recitat ipſe S. Theodorus Studita in S. Platonis panegyrico, latè recenſens mala irrogata viro Sancto & participibus eius, communionem Ioſephi Oeconomi, ac Nicephori fautoris eius, refugientibus. Nec vulgus duntaxat Conſtantinopolitanum, vt Schiſmaticos habuit SS. Platonem ac Theodorum, ſed etiam tranſmarini, ipſeque Romanus Pontifex Leo III. Ita liquet ex literis S. Theodori Studitæ ad Baſilium Abbatem Monaſterij Romani S. Sabæ, à quo S. Theodorus, de Romanorum

norum exiſtimatione quòd Schiſma feciſſet, eſt admonitus, nec abſque anathemate niſi reſipiſceret. Sed verè calumnia erat, interuentu Nicephori Patriarchæ diſſeminata; qui infamem copulatorem coniugij Conſtantino exitialis, contra Canones, gradui ſuo reſtituerat, nec multarum, nec pœnitentem, vt proindè iuſtiſſimam cauſam habuerint S. Plato & S. Theodorus, non modò aduerſandi ex legem illum Oeconomum, ſed etiam ſecedendi publicè à fautore & patrono eius Patriarcha. Ac proinde non niſi per calumniam iactatum eſt, illos eſſe Schiſmaticos.

S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, de Schiſmate notatus eſt, ſed calumniosè. Rem ipſe deſcribit, & quàm falsò tali probro afficeretur, exponit, agens cum Cardinali Albanenſi lib. 3. epiſtola 36. verbis illis. [Dicitis quoſdam illorum vobis dixiſſe, ideò vos offendiſſe in me, quia permiſi me à Catholica Eccleſia transferri ad Schiſmaticos, & ab illis conſecrari, ſi fieri, ſicut additis, poteſt; & à Schiſmatico Rege inueſtituram accepiſſe, & illi fidelitatem & hominium feciſſe, quos omnes ſciebam eſſe Schiſmaticos & diuiſos ab Eccleſia Chriſti, & à capite meo Vrbano Pontifice; quem ipſi me audiente abnegabant. Certè neſciebam, nec ſcio eos Schiſmaticos, aut ſic diuiſos ab Eccleſia fuiſſe, vt dicunt: Et ſi aliquis eorum, qui hoc vobis dicunt, me præſente hoc diceret, oſtenderem rationabiliter, non ita eſſe. Illi enim non abnegabant canonicum Romanorum Pontificem quicunque eſſet, nec Vrbanum negabant eſſe Pontificem: ſed dubitabant propter illamquæ mundo nata eſt diſſenſionem, & propter dubitationem illum ſuſcipere quaſi certum differebant: nec vllum indicium eos ab Eccleſia ſegregauerat, & omnino obedientiam Romanæ ſedis tenere ſe fatebantur, & ſub profeſſione obedientiæ Romani Pontificis me conſecrarunt. Denique Dominus Papa ſciebat me eſſe conſecratum, & à quibus, & cui Regi feceram, quod feci: Et tamen pallium, quod Archiepiſcopus Cantuariæ ſolet habere, mihi per veſtram charitatem non vt Schiſmatico, ſed vt accepto; non vt reprobans, ſed vt approbans miſit, & ſic quod de me factum erat, confirmauit. Ipſe huius confirmationis Author & Dominus Gualterus Epiſcopus Albanenſis, & Cardinalis, hæc eadem ſciens, miniſter eius & executor. Si vobis hæc calumnia attendenda videtur, cur eam ante pallij conceſſionem mihi tacuiſtis? Si negligenda putatur, vos indicate, quàm diligenter ſit à vobis inculcanda. Plura poſſem adhuc dicere ad infirmandum verbum malitiæ eorum, qui hoc quod dicitis vobis obtendunt ad excuſandas excuſationes in peccatis: ſed Sapientiam veſtram, ſcio non indigere apertæ rei multiplici oſtenſione. Videat igitur prudens ſimplicitas, & ſimplex prudentia veſtra, qualiter ſuper hæc quæ dixi, ſuſcipere & exaggerare debeat confictas calumnias & calumnioſas confictiones aduerſum me, ab illis qui fecerunt contra me pro excuſatione ſua, ne videamini velle confirmare quod autoritate Domini Papæ, & veſtra executione, non ignoranter eſt confirmatum.]

B. Petrus à Luzemburgo, ſchiſmaticus à pleriſque eſt habitus, eò quòd à Clemen. VII. Auenione contra Vrbanum VI. ſedente, cooptatus eſſet inter Cardinales, eique adhæſiſſet ad extremum vſque ſpiritum, tanta conſtantia, vt ſub mortem roganti cuipiam vter è duobus Pontificibus verus ac legitimus Chriſti Vicarius eſſet habendus, intermortuis vocibus reſpondiſſe feratur, *ſic me Deus adiuuet, ſicut Clemens cui adhæſi, eſt verus Papa.* Itaque clarè obiit in ſchiſmate, quandoquidem Clementis Pontificatus irritus poſtea eſt habitus, & eius nomen

Digitized by Google

ex albo legitimorũ Pontificũ eſt expunctum. Alioqui Clemens VIII. qui nuper ſedebat, dicendus fuiſſet Clemens IX. Non eſt conſiliũ amoliri à B. Petro maculam ſchiſmatis materialis, quod id nequeat præſtari abſque diſcuſſione negotij cui vitę Pontificum qui Auenione ſederunt nuper à Boſqueto refoſſæ, maiores tenebras offuderunt. Incumbunt autem in eas diſcutiendas, duo clara capita; D. Henricus Suarez iunior, vtriuſque iuris Doctor, in ſchiſmatis Auenionenſis hiſtoria, quam pro ingenio quo valet, & accuratione quam vbiuis adhibet, egregiè illuſtratam, breui (vt ſpes eſt.) exhibebit; ac R.P. Nicolaus Maletus, multæ vir lectionis & diligentiæ, in antiquitatum ordinis Cæleſtinorum deſcriptione. Agens enim de Cœnobio Auenionenſi, in quo iacet Robertus Gebennenſis, quem dixere Clementem VII. nauiter in hoc negotium incumbit, & eductis è ſuo inſtructiſſimo tabulario, pleriſque hactenus abditis ſcripturis, luce non exigua illud perfundit. Hos adeat, cui in tricas illas deſcendere placuerit. Itaque de ea macula ſchiſmatis materialis, ſit nè Beato Petro inurenda, an non, nihil hoc loco.

Abfuiſſe tamen à B. Petro labem ſchiſmatis formalis, quod ſolum verè ac propriè dehoneſtat, nec niſi per calumniam B. Petro poſſe affricari eam fuliginem, ferè fruſtra monſtrarem: Cùm certum ſit ſchiſma eſſe mortale peccatum, & qui ſciens ac volens illo inquinatur, Deo exoſum eſſe. Ac beatum nunc adoleſcentem, (nam duodeuicennis obiit,) tam multa & tam inſignia diuinæ beneuolentiæ pignora honeſtatunt, vt plenè liqueat, Deo fuiſſe acceptiſſimum. Conſtat, ad eius inuocationem, innumera propè edita eſſe miracula, & in his reuocatos ad vitam mortuos duos ſupra quadraginta, vt ſcribit Henricus Spondanus anno 1387. addens, quamuis Rex Francorum ſtatim à viri ſancti obitu, & poſtea Philippus Burgundus Anno 1438. à Synodo Baſileenſi canoniſmum eius fruſtra expetiiſſent, tamen denique anno 1527. à Clemente VII. Medicæo, indultos eidem eſſe cœlitum honores. Quos poſtea cumulauit Vrbanus VIII. concedens Monachis in quorum templo iacent ſacræ B. Petri exuuiæ, vt ſacrum de eo tanquam de Confeſſore Pontifice celebrarent. Itaque certum eſt eum à formali ſchiſmate fuiſſe prorſus immunem. Idque ſupra omnia miracula & humana ſuffragia, perſuadet inſignis & rara vitæ ſanctimonia, quæ illuſtriſſimum ſanguinem beati adoleſcentis, velut gemma pretioſiſſima aureum annulum inoculauit. Erat enim filius Guidonis Comitis S. Pauli, qui Reges ac Imperatores quamplures in maioribus numerabat. Homo ea ſtirpe, adeò demiſsè de ſe ſenſit, vt in procotrophio ſepulturam ſibi delegerit: & ſola contra carnem & ſeculi illecebras ſancta ſuperbia elatus, omnibus inferior in vita & in morte apparere voluerit. Quas certas ſanctimoniæ notas, nemo adeò iudicio exerrauerit, vt cum mortalis ſchiſmatis formalis labe, cohærere potuiſſe perſuadeatur.

CAPVT VIII.

De ſocietate cum hæreticis, aliiſve, impiis de quibus hactenus.

B*Eatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentia non ſedit.* Hoc S. Baſilius in Pſal. 1. poſt Clementem 3. pædag. cap. 11. de felicitate eorum accipit qui è peſtilenti improborum conuictu non hauſerint virulentiam. Eſt enim improbus quilibet, veluti homo lue contactus, cuius vel attactus, luem

inferre eſt idoneus. Et hanc ob cauſam Hebræi, autore S. Hieronymo in cap. 4. ad Epheſ. circa illa verba, *nolite locum dare Diabolo*, homines improbos nominant *filios peſtilentiæ*;& vbi nos habemus *filij Belial*, pleriſque locis in antiquis Codicibus legitur *filij peſtilentiæ*; de qua comparatione, pluſcula notaui in Morali diſ. 4. num. 438. Et addendus eſt qui inſigniter omnino in hanc rem diſſerit S. Chryſoſtomus ad pſal. 4. ad illud *ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*. [Quid eſt (inquit) *ſingulariter*? ſeorſum ab improbis. Hanc enim pacem, inquit, apud te præclarè habui, & ſeparatim habeo, fugiens homines improbos & corruptos. Et iure profectò. Quemadmodùm enim corpora ſæpe à corrupti aëris lue infecta pereunt: ita anima ſæpe damnum accepit ex malorum congreſſione: & quemadmodùm ſanus oculus quando laborantem aſpexerit, afficitur; & qui eſt ſcabie refertus, iis etiam qui ſani ſunt, eam impertit: ita etiam ſæpè contingit in conſuetudine improborum hominum. Et etiam ſuaſit Chriſtus non ſolùm eos qui ſunt tales, fugere, ſed etiam excindere, ſic dictum *Si oculus tuus dexter te ſcandalizet, erue eum, & eiice à te*. Non dicens de oculo, quid enim mali fecerit oculus, ſi ſit ſanus animus, ſed de amicis neceſſariis, & qui ſunt nobis loco horum membrorum, & nos lædunt, hæc conſtituit, iubens eorum etiam amicitiam contemnere, vt ſua ſalus efficiatur tutior. Quamobrem ipſe etiam rurſus progrediens dicit. *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniquè agentibus non ingrediar*. Quin etiam Hieremias eum dicit beatum, qui ſedet ſeparatim, & tollit iugum ab adoleſcentia. Iam verò etiam Prouerbia, multa de ea re verba faciunt, dicentia & ſuadentia omnibus, non ſolùm declinare, ſed etiam reſilire ab iis qui mala conſulunt, & non cum illis verſari. Si enim quæ ſunt naturalia, ſæpè mutant naturam ex mala conſuetudine; quantò magis quæ ſunt arbitraria & noſtræ voluntatis? Calor enim & ſanitas ineſt nobis naturâ: ſed ea nonnunquam corrumpuntur ex alio habitu contrario, & rurſus appetitus ciborum, & eum ſæpè perdidimus vitio ægritudinum: multa etiam alia licet videre eiuſmodi, quæ accidunt. Quòd ſi ea quæ ſunt naturalia mouentur, multò magis ea, quæ ſunt voluntaris, quò faciliùs mutantur ad vtrumlibet. Ne parum damni afferre exiſtimemus malorum conſuetudinem: ſed ante omnia eos qui tales ſunt, vitemus; etiamſi ſint vxores, etiamſi amici, etiamſi quilibet. Nam hoc etiam malos illos perdidit Salomonem, inquam, & Sanpſonem. Quin etiam totum genus Iudaicum ſic periit. Neque enim viperæ ita pungunt, vt hominum improbitas. Illæ enim venenum apertè præ ſe ferunt, hi autem inſenſibiliter & abſque vllo ſtrepitu vires quotidie paulatim detrahent. Quo circa etiam impudicum aſpectum Deus amolitur, dicens. *Qui reſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo*; propterea quòd ſit facile & procliue exitium. Tu autem ſi in ciuitate aliqua ſis habitaturus, de aëre curioſè inquires, an non ſit ſalubris, non temperatus, non ſiccus; de anima autem rationem initurus, non es ſollicitus de eorum conſuetudine qui cum ea ſunt congreſſuri: ſed temerè & inconſideratè eam omnibus permittis.] In hanc ſententiam, legendi inſuper ſunt Naz. orat. 1. Ambroſius l. de fuga ſeculi cap. vltimo, Seneca epiſt. 123.& alij quos latè refero diſtinctione illa 4. num. 218.& n. 438.& 439.ac diſt. 3.n.127. Inſigne item in hanc rem eſt, quod Romana Eccleſia, ne Acacio impiorum communione polluto communicaret, clauſit oculos ad grauia mala à Græcis Acacio obſtinatè inhærentibus perpetrata; & pacem cum eis, cenſuit non pacem, vt videre eſt apud

apud Gelaſium epiſt. 10. Legeſis etiam Baronium anno 488. & anno 519. Quanropere inſuper antiqui auerſarentur Hæreticos dictum eſt alibi. Cum ergo adeò fœdum & exitiale ſit ſocietate iungi cum improbis, probrum illius ſocietatis quod alicui falsò imponatur, calumnia eſt quæ ad hunc locum meritò reducitur, tanquam appendix antedictarum calumniarum: ſicut probrum ſocietatis de qua agimus, appendix quædam eſt probrorum calumnias illas conſtituentium. Signemus exempla quædam calumniarum de tali ſocietate.

S. Cornelius, per Nouatum à Nouatiano pellectum & impulſum, de ſocietate cum lapſis in Idololatriam, & pollutione inde contracta, calumniam ſubiit. Rem totam paucis expreſſit Pacianus Epiſtol. 3. ad Sympron. quem adſcribo. [Audite quæſo,& totum ordinem veſtri erroris aduertite. Cornelius iam Romæ Epiſcopus à ſexdecim Epiſcopis factus, locum cathedræ vacantis acceperat, & in illa qua fuit præditus caſtimonia virginali, crebras perſecutiones irati principis ſuſtinebat. Tum fortè quidam presbyter Nouatus, ex Aphrica, fraudatis in Carthaginenſi Eccleſia viduis, ſpoliatis pupillis, pecunia Eccleſiæ denegata, proiecto extra domum patre, & eodem fame mortuo nec ſepulto, vxoris grauidæ vtero calce percuſſo, partúque eius effuſo, Romam venit. Et cùm apud Carthaginem, vrgentibus in Eccleſia fratribus, dies cognitionis ipſius immineret, & hic latitauit: nec multò poſt Nouatianum iſtum Epiſcopatu Cornelij anxium ;nam ſibi ſperauerat cum aliquantis (vt in tali re ſolet,) ex ſua parte fautoribus; nutantem impellit,dubitantem fouet, vt magnum aliquid ſperet, hortatur. Inuenit aliquos ex eorum numero, qui tempeſtatem perſecutionis illius euaſerunt, apud quos hanc ipſam de lapſis receptis Cornelio conflaret inuidiam, dat eorum epiſtolas ad Nouatianum. Ille ex auctoritate epiſtolarum, ſedente iam Romæ Epiſcopo, aduerſum fas ſacerdotij ſingularis, alterius Epiſcopi ſibi nomen aſſumit: Cornelium lapſis communicaſſe arguit, ſe vindicat innocentem.] Non potuit dilucidiùs ac breuiùs exponi Cornelij innocentia, quæ apud S. Cyprianum pleriſque locis, vncialibus literis exarata legitur: Vnde etiam Nouati perfidia comperta habetur: quandoquidem qui S. Cornelium ob ſocietatem cum lapſis Romæ infamauit, idem contraria de cauſa, Feliciſſimo Schiſmatico in Africa iunctus, S. Cyprianum criminatus eſt, ob negatam lapſis communionem. Sed ea perſonæ mutatio, pro tempore, & affulgentis commodi ſpe decuit Nouatum. Calumniæ illius quam S. Cornelio impactam dixi, mentio eſt apud S. Cyprianum Epiſto. 52. num. 33. vbi refertur eum mendaciter fuiſſe infamatum de communione ſacrilega cum Epiſcopis qui ſacrificauerant; ac nominatim cum Trophymo quodam,imò dictus eſt paſſim cum ſacrificatis communicaſſe, ac etiam libellum dediſſe, vt ſecuritatem exoraret.Quæ omnia falsò & mendaciter de eo ſunt diſſeminata à ſchiſmaticis, vt S. Cyprianus explicatiſſimè tradit. Ex hoc porro ſtudio aduerſus communicationem cum pollutis labe quapiam, Nouatianos nomina ſibi adulterata finxiſſe, (vt S. Cyprianus Epiſtola 76. loquitur,) id eſt iuxta Pamelium in vita S. Cypriani anno 252. Catharos ac puros ſe denominaſſe, compertum eſt ex S. Epiphanio hær. 59. & ex D.Auguſtino lib.ad Quod-vult-Deum hæreſi 38. Verè autem dicuntur hæc nomina adulteraſſe;quia nihil minùs quàm puri erant, homines immanibus ſordentes maculis, vt videre eſt apud Pamelium ibidem ad annum 250. & 251. qui prædictorũ ſchiſmaticorum fœdas notas ex variis S.Cypriani locis diligẽter eruit.

Catholici

Catholici Africani tanquam polluti communione Traditorum, infamati ſunt à ſacrilegis quibuſdam, queis vaſa Eccleſiæ aurea & argentea concredita fuerant, ne per tempus perſecutionis raperentur. Cùm igitur Cæcilianus Menſurio Carthaginenſi Epiſcopo ſubrogatus, ſupellectilem ſacram repoſceret; ſacrilegi quibus reddere graue erat, conuenerunt in vnum, cum Lucilla prædiuite ſed faſtidioſa muliere, quæ Eccleſiaſticam Cæciliani diſciplinam ferre nequiuerat; & ad fodicandum ignem adhibuit Donatum à Caſis Nigris, in Numidia Epiſcopum. Iunxere ſe itidē Botrus & Cœleſius ſucceſſionis Menſurij quam ambiebant, repulſam paſſi, ſimulque omnes Cæcilianum infamarunt, quod à traditore Menſurio ordinatus eſſet, atque adeò fuiſſet impiorum ſocietate pollutus; quæ lues ad omnes Afros Catholicos horum criminatorum iudicio permanauit, quòd Catholici communicarant Cæciliano. Vnde conflatum eſt dirum ſchiſma quod in longa tempora prorogatum eſt, à Donato illo quem referebam; vel quod Donatiſtæ poſtea maluerunt, ab alio Donato, Maiorini Cœciliano ſchiſmaticè ſubrogati ſucceſſore, dictum eſt ſchiſma Donatiſtarum, confuſæ mulieris iracundia ſatum, auaritia fouente formatum, ac infeliciter denique editum, ſpecie auerſandi pollutos contagio ſocietatis impiorum; hoc eſt Traditorum; ſiue eorum qui vrgente per edictum Diocletiano, ſacros codices ad exurendum tradiderant, quibus per calumniam annumerati ſunt Menſurius & Cœcilianus. Reuera enim neuter tradiderat ſacros codices ad comburendum; ſed ij potiùs ipſi qui in Traditores prætenſos maximè efferueſcebant, vt manifeſtum fuit in Concilio Cirtenſi, vbi Secundus Tigiſitanus Numidiæ Primas, in alios inquirens de traditione, compertus eſt traditor, & alij ferè omnes Antiſtites; itaut neceſſe fuerit rem Deo committere, & omnes indiſcriminatim ad communionem admittere, ne morbus ingraueſceret, & omnes ab inuicem ſcinderentur. Quanta damna extiterint ab hac in Menſurium & Cœcilianum calumnia, nemo ſatis explicet. Legi autem poſſunt, S. Optatus de ſchiſmate Donatiſtarum diſputans, & S. Auguſtinus priore parte Tomi 7. quæ item eſt contra Donatiſtas. Vterque de hoc calumnioſo tam diri ſchiſmatis fundamento, multa habet, & in illud vehementer conclamat.

S. Baſilius quòd ad Apollinarem ſcripſiſſet, inſimulatus eſt ſocietatis cum eo. Teſtatur hoc ipſe S. Baſilius epiſtol. 82. quæ eſt ad Patrophilum, addens eò vſque progreſſam eſſe calumniam, vt palàm audiret, *ipſa fraus & verſutia; corruptio Eccleſiam, & animarum pernicies.* Quæ omnia longiſſimè aberant à viro ſanctiſſimo, quem addenſatæ ab aduerſatiis calumniæ grauarunt ſupra modum, ſupra virtutem, itaut tæderet eum etiam viuere. Cæterùm quoad calumniam de ſocietate cum Apollinare, diluit illam ipſe vno verbo, negans compertam ſibi fuiſſe Apollinaris hæreſim, cùm ad eum ſcriberet. Erat enim Apollinaris, doctrinæ fama clarus. [Nam quid illo præſtantius, acumine, exercitatione, doctrina?] Inquit Vincentius Lyrinenſis cap. 16. Commonitorij, vbi plura de eius immenſis aduerſus hæreticos laboribus, & immani mole voluminum, nominatim aduersùs Porphyrij in Chriſtianos calumnias. Quare ad tempus aliquod, facile fuit, S. Baſilio fucum fieri, & cum eo literarum commercium habere, abſque ſocietate in hæreſibus. Imò verò hæreſum confutatio indefeſſa, omnibus his aliiſque innumeris calumniis, virum ſanctum grauauit, vt ipſe variis locis expoſtulat, & nominatim dicta Epiſtola 82. & 64. Neque verò à S. Baſilio duntaxat, commendatus per literas eſt Apollinaris, ſed

ſed etiam (quod Iuſtinianus in Edicto de fide ad Ioannem ſecundum tranſmiſſo aduertit :) à S. Damaſo, & à S. Athanaſio, quos tamen nullum inde contraxiſſe contagium, in confeſſo eſt ; quia incompertus tunc erat Apollinaris lapſus à recta fide. Quæ excuſatio æquè indemnem præſtat S. Baſilium. Nonnulla ab Euſtathio Sebaſteno aduersùs S.Baſilium ſunt diſſeminata, obiiciendo ei ſocietatem cum impiis, diluit ipſe fortiſſimè Epiſtol.79.

Gregorius Nazianzenus, Baſilio ſtudiorum & inſectationis hæreticorum ſocius, accuſatus eſt ſocietatis cum Theodoro Mopſueſteno, ob varias ab eo datas literas ad Theodorum Epiſcopum. Verùm is Theodorus longè alius fuit à Mopſueſteno. Fuit enim Theodorus Epiſcopus Tyanenſis in Cappadocia ſecunda, vt multis argumentis confirmat Iuſtinianus in Edicto de fide ad Ioannem II. Itaque mera calumnia fuit in S.Gregorium, quaſi cum Theodoro Mopſueſteno communione iunctus fuiſſet. Et indidem conſtat inane eſſe perfugium quod pro Theodoro Mopſueſteno ex his Gregorij Nazianzeni literis captauit Facundus lib. 7. pro tribus capitulis cap. item 7.

S. Leo Magnus, artibus Anatolij Epiſcopi Conſtantinopolitani, inſimulatus eſt improbati Concilij Chalcedonenſis, addita poſtmodum ei accuſationi acceſſione, ſparſis in vulgus rumoribus, quòd S. Leo hoſtes Catholicæ fidei clàm foueret & extollere ſatageret, fautores verò fidei depreſſos vellet. Sic per fraudes & calumnias Anatolij Conſtantinopolitani in ſanctiſſimum Pontificem, iacta ſunt fundamenta abiunctionis plenæ quandoque conſecutæ, Græcorum à Latinis, & excidij Eccleſiæ Orientalis. Nam S. Leo neque hæreticos fouit vnquam, vel ſocietate cum eis iunctus eſt, aut ad deprimendos fidei defenſores adiecit animum ; ſed in Anatolij duntaxat ſuperbiam inſurrexit, qua is tempore viſus, poſt concluſam ſynodum Chalcedonenſem, abſentibus S. Leonis Legatis, Græcos Epiſcopos clàm conuocatos, induxit ad Canones quoſdam nomine Chalcedonenſis Concilij procudendos ; vnumque præter cæteros, quo Conſtantinopolitana ſedes primo poſt Romanam loco ſtatueretur, & Alexandrinæ ac Antiochenæ præemineret. Aduerſus quam clancularium Græcorum Antiſtitum coitionem, poſtridie grauiter expoſtularunt Legati Romani ; & poſtea etiam S. Leo vt patet ex eius Epiſtola 54. & 55. quibus Anatolij ſuperbiam contudit, & omnia per Græcos Epiſcopos clàm extra Synodum geſta, & nomine ſynodi magnæ apud imperitos iactata, contriuit. Hinc calumnia in S. Leonem malignè intorta perſpicuè reuincitur. Neque enim S. Leo ſynodum Chalcedonenſem caſſam voluit, quam reuera firmauit : ſed tantùm molitiones Anatolij diſiecit, à Synodo Chalcedonenſi nequaquam probatas, ſed à Græcis tantum Epiſcopis decorum gentis ac Regiæ ſuæ plus iuſto cupidioribus. Quòd autem S. Leo hæreticos fouerit, & fidei fautores deprimere cogitarit, adeò tetrum figmentum eſt, vt vix Tartarus indignius quippiam in virum ſanctum vomere potuerit. Eius ſanè pro fide Catholica ardentiſſimum ac indefeſſum ſtudium, & ex eius Epiſtolis deprehendere licet, & ex luculentiſſimis encomiis quæ illi Patres panxerunt. Videatur præ cæteris Facundus lib. 12. cap. 2.

S. Ioannes I. exagitante Arianos Iuſtino Orientis Imperatore admodùm pio, adactus eſt à Theodorico Ariano, Italiæ tunc dominante, legationem ad Iuſtinum ſuſcipere ; cùm vt pacem Iuſtinum inter ac Theodoricum initam, (cuius labefactio per ſenatorum arcanas cum Iuſtino molitiones à Theodorico timebatur,) eo ſequeſtro conſeruaret ; tum vt libertas

Arianis perſtaret. Profectum Conſtantinopolim Ioannem Papam, inſignibus operibus ſupra naturam iter ſuum illuſtraſſe; & honorificentiſſimè à Iuſtino exceptum, quæcunque periit exoraſſe referunt antiqua monumēta: quod Anaſtaſius *in Ioanne*, & Autor Miſcellæ lib. 15. accipiunt de Arianis, intercedente Ioanne Papa à Iuſtino in integrum reſtitutis; eorumque vexatione ſopita, ne quod Theodoricus comminatus erat, vniuerſa Italia Gotthorum gladio ſubiiceretur. Qua ratione Ioannes Papa, ob bonum pacis, incolumitati & quieti Arianorum conſuluiſſe dicendus eſſet. Sed has eſſe meras calumnias in ſanctiſſimum Pontificem, docuit euentus. Ipſe ſiquidem reuerſus in Italiam, carceri mancipatus eſt à Theodorico efferato, & in rabiem acto; alteriuſque in Ioannem animi facto, quàm profeſſus eſſet apud Caſſiod. l.11. epiſto. 2. ob alium quàm ſpe præceperat, legationis exitum. Ipſe S. Ioannes ex carcere datis encyclicis literis ad vniuerſos Italiæ Epiſcopos, hortatus eſt eos, vt exemplo ipſius ſtarent viriliter aduerſus Arianos, & Eccleſias eorum quotieſcunque poſſent ritu Catholico expiarent, & ab iniquis detentoribus eriperent: quod abs ſe in Orientali legatione accuratè factum teſtatus eſt. Eaque ex cauſa, carcere & vita multatum denique eſſe S. Ioannem à Theodorico, ſcribit Gregor. Turo. lib. de glor. mart. cap. 40. Eſt ergo mera calumnia, quòd S. Ioannes iuuerit aut fouerit Arianos.

[Nicolaus. I. inuictiſſimi pectoris Pontifex, ſocietatis cum impiis accuſatus eſt, à Gunthario Colonienſi & Teutgaudo Treuirenſi Archiepiſcopis, ad Pontificem directis à ſynodo Metenſi, vt diuortium Theutbergæ, ac Lotharij, & Valdradæ cum eo nuptias comprobarent. Cùm enim à Nicolao in ſynodo Romana decretum eſſet, Metenſem ſynodum irritam eſſe, & anathematizatam, nec donandam ſynodi nomine, ſed proſtibuli tanquam adulteris fauentem; inſuperque duo eius legati Guntharius & Theutgandus, exuti fuiſſent ſedibus ſuis, tanquam turpitudini à Lothario admiſſæ lenocinati; ac etiam quòd Engiltrudi adulteræ contra decretum Tadonis Mediolanenſis Antiſtitis, eiuſque Coëpiſcoporum confirmatum à ſede Apoſtolica ſuffragati eſſent; Idcirco Antiſtites illi Nicolaum incuſarunt ſocietatis cum impiis, ſic in eum inſurgentes. [Ergo tuam prauam ſententiam, à zelo rectitudinis alienam, iniuſtam & irrationabilem, Canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, imò cum omni cœtu fraterno quaſi nefas atque maledictum fruſtra prolatum, contemnimus atque abiicimus, tibique anathematizatorum & religionis ſacræ abiectorum & contemptorum fautori & communicatori, reuera communicare nolumus; contenti totius Eccleſiæ communione; & fraterna ſocietate, quam tu arroganter te ſuperexaltans deſpicis.] Prætextus huius ſocietatis impiorum, fuit, quòd Anaſtaſius Presbyter (an ille Bibliothecarius?) Nicolao adeſſet, quem ambitus damnatum, & depoſitum, ac anathematizatum eſſe, querebatur. Cæterùm hæc omnia meram calumniam crepabant, & rabiem ob deiectionem è ſede. Idque poſtea agnouit Guntharius Romam regreſſus pœnitens, vt habetur in Chronico Fuldenſi anno 864. vbi horum iam non Epiſcoporum epiſtola præmittitur, adeò fellita & impudens, vt ſola eius lectio, ad eorum malignitatem & Nicolai innocentiam detegendam, ſatis ſuperque eſſe poſſit.

Epiſcopi Germani per Noricam, ſuo & Cleri ac plebis Catholicæ nomine ſcribentes ad Ioannem VIII. Romanum Pontificem, queſti ſunt quod per Slauos ſeu Morauos calumniam paſſi eſſent apud ipſum Pontificem, de ſocietate

cum

Digitized by Google

cum Vngaris Ethnicis, eorumque in Catholicos inductione. [Quòd nos (inquiunt,) præfati Slaui criminabantur, cum Vngaris fidem Catholicam violaſſe, & per canem ſeu lupum aliáſque nefandiſſimas & Ethnicas res, ſacramenta & pacem egiſſe, atque vt in Italiam tranſirent, pecuniam dediſſe; ſi vobis coram poſito ratio inter nos agitaretur, ante Deum qui cuncta notauit antequàm fiant, & coram vobis qui vicem eius Apoſtolicam tenetis, eorum falſitas manifeſtaretur, & noſtra innocentia probaretur. Quia enim Chriſtianis noſtris longè à nobis poſitis ſemper imminebant, & perſecutione nimia ſemper affligebant, donauimus illis nullius pretioſæ ſubſtantiæ pecuniam, ſed tantùm noſtra linea veſtimenta, quatenus eorum aliquoties virilitatem mulceremus, & ab eorum perſecutione quieſcere faceremus. Talia namque vt præſcripſimus iuxta malitiam cordis ſui argumentantes, & Pontifices veſtros ad iniuriam noſtram incitantes; adeò vt directa nobis epiſtola quaſi ab Apoſtolica ſede, hæc omnia improperabant; & diuerſas iniurias ingerebant; atque inter alia diuino gladio feriendos, dignum dicebant. Impletur enim in nobis quod quidam ſapiens ait, *Iuſtus tulit crimen iniqui.* Ipſi enim crimen quod nobis falsò ſemel factum impoſuerunt, multis annis peregerunt.].

[Eudoxia Valentiniani tertij Imperatoris vxor pia admodum fœmina, referente Procopio, ſocietate iuncta eſt cum Genſerico Vandalo homine Ariano quem furens in Maximum mariti ſui Valentiniani interfectorem euocauit ex Africa in Romani Imperij cladem. Ita quidem Procopius & ex eo cæteri. Sed fuiſſe calumniam in Eudoxiam latè contendit Ioannes Tomeus lib. de ſanctitate Regia Illyricana cùm de S. Placidia Virgine Valentiniani & Eudociæ filia. Confirmat enim non plùs verum eſſe quod ait Procopius de euocatis per eam ex fœdere Arianis cum tanto imperij ac fidei damno quàm quod idem Procopius de cauſa cædis Valentiniani per Maximum ob fœdatam vxorem eius commentus eſt, cùm debuiſſet facinus illud ſuperbiæ Maximi principatum affectantis adſcribere, non Valentiniani flagitio quod nullum fuit. Similiter ergo Eudoxia, vt idem Autor penſatis negotij adiunctis demonſtrat, de euocandis Gothis cogitare non potuit: atque adeò perperam inſimulatur horrendæ illius culpæ, quam fidei Catholicæ profligatio fœdus illud conſecuta inferret, ſi verè tale fœdus interueniſſet. Nec ſanè fuiſſet cur Genſericus captiuam abduxiſſet eam à qua ex fœdere euocatus dicitur: vel cur Marcianus pro Eudoxia vltor inſurgeret, ſi ipſa vltro illum acciuiſſet vt fingitur?

Bruno Andegauenſis Epiſcopus, ſocietatis cum Berengario Sacramentariorum parente, paſſim inſimulatur. Et ita disertè Baronius anno 1035. num. 1. Imo ſi audiremus Durãdum Leodienſem Epiſcopum, Epiſtola ad Henricum Francorum Regem, primas ſcelerum Berengarij ferret Bruno, cuius Archidiaconus erat Berengarius. Vtrumque excitatos à Leutherico Senonenſi ignes, à Roberto Henrici Patre ſopitos, redaccendiſſe, ſcribit Baronius anno 1004. num. 5. ſed fallitur, & quoad errorem Leutherici, & quoad Brunonem. Nam error Leutherici, (vt habetur ex Roberti Regis ad eum Epiſtola, deſcripta ab Helgaldo in rebus geſtis eiuſdem Regis;) in eo ſitus erat, quod *diuinitati attribueret ærumnas corporis, & infirmum doloris humani, diuinæ naturæ connecteret:* quæ quid ad Berengarij figuratam Euchariſtiam? Imò cùm Leuthericus poſtularet probationem in corpore & ſanguine Domini, vt eadem Epiſtola refertur, videtur perſpicuum, quòd non ſit aduerſatus veritati corporis

Chriſti in Euchariſtia. Quoad Brunonem autem, videtur Durando,& per eum aliis impoſitum eſſe, à vulgata perperam de eo fama. Cum enim Berengarius eſſet Archidiaconus Brunonis Epiſcopi, facile fuit impingi Epiſcopo dogma Archidiaconi: idque increbuiſſe ipſe Bruno fateri videtur, ea epiſtola ad Berengarium quam ex Veteri Codice repreſentat Cl. Menardus in Notis ad 2. S. Auguſtini ſcriptionem in Iulianum *pag. mihi* 499. Ait enim Euſebius Bruno, (ſic nominatur in fonte epiſtolæ & membranis Andegauenſibus,) famam quæſtionis circa Euchariſtiam tunc motæ, pulſaſſe ipſum, cum infami longinquorum ac vicinorum redargutione. Subiuncta autem egregia, & explicatiſſima, ac nulli cauillo obnoxia confeſſione veræ fidei de Euchariſtia, qua Berengarij tropos & vmbraticam Chriſti præſentiam planè iugulat, concludit Bruno in calce epiſtolæ, ſe in ea fide quam Chriſti verba & vnanimis ſenſus Eccleſiæ ſemper tulerunt, fixum ac immobilem hærere velle. [Ac nullam (inquit) aliam de hac re diſputationem, vel controuerſiam, nec accuſatores, nec defenſores, nec teſtes, nec iudices, nec cauſidicos, nec auditores, me quærere, procurare, congregare, aliquando ſciatis. Omnibus verò pro hac re me nolente; quod ſi parum eſt, quamuis parui pendatur, contradicente, conuentum publicum aggregare molientibus, conſenſum non tribuam; confluentibus humilitatis meæ perſonam ſubſtraham, confligentibus audientiam, perſeuerantibus communionem. Eſt enim cauſa, ter prouinciæ noſtræ iudicio terminata, quartò ſedis Apoſtolicæ ſynodi ſententia extincta.] Hoc eſt ſuffragari Berengario, eiúſque partes acerrimè propugnare, vt Brunoni affingitur? Itaque Bruno purus eſto ab ea labe; nec ei ſiue communio dogmatis, ſiue Berengarij propugnatio impingitor. Trina porro cuius meminit cauſæ in Turonenſi prouincia diſcuſſio, ſub Gernaſio primùm, deinde ſub Eldebranno, ac in alio conſeſſu cui Biſuntinus Archepiſcopus interfuit, eſt inſtituta, vt in eadem Epiſtola Bruno memorat: ſatis ibidem exponens, fomentum Errori Berengarij præbuiſſe, ſubobſcura quædam loca Patrum, ac præſertim Beati Auguſtini à Lanfranco enodata, nec non à Guitmundo & Algero.

Ieſuitas, conſociationis cum Anabaptiſtis, arguit Ioannes Caluinus l. 3. Inſtitut. cap. 3. §. 2. Verba Caluini quibus conſociationis fundamentum inſinuatur, ſunt iſta. [Omni rationis ſpecie caret eorum deliramentum, qui vt à pœnitentia exordiantur, certos dies ſuis Neophytis perſcribunt, per quos ſe in pœnitentiam exerceant; quibus demum tranſactis in Euangelicæ gratiæ communionem ipſos admittunt. De plurimis Anabaptiſtarum loquor, (præſertim qui ſpirituales haberi mirè gaudent,) eorúmque Sodalibus Ieſuitis & ſimilibus quiſquiliis. Tales ſcilicet fructus profert ſpiritus ille vertiginis, vt pœnitentiam quæ in totam vitam protoganda eſt homini Chriſtiano; paucis dieculis terminent.] Ergo Ieſuitæ, Caluino teſte ſodales ſunt, & fœderati Anabaptiſtarum; ſcilicet vt Arianorum Athanaſius, Eunomij Baſilius & Nyſſenus, Pelagij Auguſtinus, Neſtorij Cyrillus, Berengarij Lanfrancus,& ſimilium alij. Non te pudet, infamis liliato dorſo flagrio, Anabaptiſtas, fœcem hæreticorum omniũ, cum Ieſuitis componere? Quò porrò fundamento? Quia niſi poſt certos vtrique dies ſuis Neophytis, & præſcriptam poſt illud perbreue tempus pœnitentiam, non admittunt illos in communem conuictum. Quid eiuſdem cuius tu Lutheri germina ſpurci Anabaptiſtæ faciant, videris ipſe. De Ieſuitis impudenter planè mentiris, cùm ais eos arctare ad paucos dies pœni-

tentiam,

tentiam, quam homini Chriſtiano tota vita opportunam eſſe profitentur, & Religioſis maximè quos in ſtatu pœnitentiæ eſſe, S. Thomas Opuſc. contra impugnantes religionem c. 1. confirmat, haberúrque ex S. Bernardo ſerm. de quadrupl. debito, & de duplici Baptiſ. & aliis quos adducit Hieronymus Platus l. 1. de bono ſtatus relig. cap. 14. qui vtique Ieſuita fuit, & tamen eam pœnitentiæ dum vita ſupereſt vſurpationem commendat. Quòd verò ſeceſſionem in Religionis aditu, (adde & plerumque aliàs apud Ieſuitas receptam,) ſugillat Caluinus, facit quod animalis hominis eſt, quæ ignorat condemnantis. Eam ad multos dies ſeceſſionem ad pias commentationes obeundas, vſurpabant pij quidam Cœnobitæ tempore D. Auguſtini vt ipſe refert de Opere Monach. cap. 23. qui ait ſe id ſatis laudare non poſſe. Monachum diſcolum quem ſui pro Diabolo habebant, pia illa apud Ieſuitas per aliquod tempus ſeceſſione, transformatum eſſe in Angelum bonum, ſcribit Nicolaus Romæus in Caluini effigie, Appendice de Caluini ſophia in Notis num. 10. Eandem ſeceſſionem ad pias de Chriſti paſſione commentationes, in tempore quo illud myſterium in Eccleſia recolitur, ſuſcipi à magnis viris ſolitam, docet exemplum Idalij Barchinonenſis, & Iuliani Toletani: de quo iſte in præfatione ad opus Prognoſtici. An igitur hi quoque Anabaptiſtarum Sodales? Sed Caluo Caluino caluire, non eſt præter morem.

CAPVT IX.

De blaſphemia.

BLaſphemia eſt verbum malum de Deo, prout definit S. Auguſtinus l. de Morib. Manich. cap. 10. Et quamuis blaſphemia, ſiue conuicium Deo illatum, poſſit eſſe abſque infidelitate, (vnde blaſphemia non opponitur fidei, ſed religioni, præciſè ſpectando blaſphemiam;) tamen infidelitatis quaſi germana cenſetur, quod non vacat plenè excurrere. Diligenter autem verſatur à Sanche l. 2. in decalo. cap. 32. Suare tract. 3. de relig. l. 1. à cap. 4. Comitolo l. 4. reſponſ. quæſt. 9. & paſſim à Scholaſticis 2. 2. quæſt. 13. Ex ea autem infidelitatis & blaſphemiæ affinitate, liquet rectè hîc locari calumniam de blaſphemia, poſt calumnias de infidelitate, & eius acceſſionibus. Hæc calumnia eſt omnino terra, cùm probrum per eam impoſitum ſit planè fœdum & horrendum, vt conſtare poteſt ex rudi notione vocabuli proximè propoſita. Quid enim indignius, quàm Deo conuiciari, quod facit qui blaſphemat? [Blaſphemia, (ait S. Hieronym. in cap. 18. Eſaiæ,) nihil horribilius: & omne peccatum comparatum blaſphemiæ, leuius eſt.] Blaſphemia nihil peius, ait S. Chryſoſtomus in Pſal. 95. Hoc quomodò confirmet, iuuerit audire. [Attentiùs (inquit) conſidera quæ dicuntur. Peccata quædam ſpectant ad Deum, quædam ad hominem: veluti impietatem committere, blaſphemias euomere, ac violare templum Dei, aut Eccleſiam Dei perſequi, aut ſacerdotes afficere contumeliâ, hæc omnia referuntur ad Deum. Cæterùm mœchari, furari, iniuriam facere, hæc intra conſuetudinem, quæ nobis cum conſeruis eſt, conſiſtunt. Multiplex autem eſt differentia eorum quæ committuntur in Deum, & quæ in homines. Nihil itaque peius iniquitate, neque quicquam infelicius iniquitate aduerſus Deum, neque quicquam magis impium quàm aduerſus Deum blaſphemia.] Blaſphemos lepram ſibi & poſteris aſciuiſſe, ſcribit Petrus Damiani Opuſcul. 36. cap. 13. Cùm igitur tam

horrenda, tamque atrox culpa ſit blaſphemia, omnino probrum de ea prolata falsò impoſitum, cenſeri graue debet. Et tamen multis, & iam olim in veteri Teſtamento, & poſtea in nouo impacta eſt.

S. Iob ab Eliu Buzite inſimulatus eſt blaſphemiæ. Ita enim diſertè habet c. 34. *Iob ſtultè locutus eſt, & verba illius non ſonant diſciplinam. Pater mi, probetur Iob vſque ad finem: ne deſinas ab homine iniquitatis, qui addit ſuper peccata ſuam blaſphemiam, inter nos interim conſtringatur, & tunc ad iudicium prouocet ſermonibus ſuis Deum.* Hæc poſtrema verba, exprimunt cur Iob ſit blaſphemiæ inſimulatus. Nimirum quia profeſſus erat c. 13. ſe velle cum Deo diſputare. Et cap. 19. dixerat, *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis ſuis me cinxerit.* Et illo ipſo capite 34. exprobat Eliu Iobo; *Dixit Iob, iuſtus ſum, & Deus ſubuertit iudicium meum. In iudicando enim me, mendacium eſt: violenta ſagitta mea, abſque vllo peccato.* Hæc ſunt quæ Eliu, & alij Iobo aſſidentes, blaſphema cenſuerunt. Nec dubium quin eorum aliqua blaſphemiæ labe ſorderent, ſi verè à Iobo prolata eſſent, vt illud; quod Deus ſubuertiſſet iudicium, & mendaciter iudicaſſet. Reuera tamen Iob nihil tale dixerat: cúmque Deus ipſe cap. 42. diſertè purgat. Et cap. 1. *in fine* dicitur, in tanta cladis atrocitate ipſum non peccaſſe labiis ſuis, nec ſtultum quid contra Deum eſſe locutum. Quod autem dixiſſet ſe velle cum Deo iudicio contendere; ſpectat tantùm ad expreſſionem innocentiæ Iobi, qui ſi humano modo rem exponendo, litigaſſet cum Deo, coram tertio iudice apparuiſſet innoxius; nec vexatus ob iniquitatem, ſed ad exercitationem ac meritum. Vnde iudicium quo flagellis immiſſis addictus erat, non apparuiſſet iudicium æquum, ſi talis pœna ob iniquitates fuiſſet irrogata. Ita ferè S. Thomas ad cap. 34. Iobi. Ex quo liquet, Iobum peruersè fuiſſe blaſphemiæ notatum, nec niſi per atrocem calumniam fuiſſe inuſtum tam tetro ſtigmate.

Naboth 3. Reg. 21. agente Iezabele, per ſuppoſitos falſos teſtes accuſatus eſt, quòd benedixiſſet Deum. Quo loco, *benedicere*, idem ſonat quod *blaſphemare*. [Ne maledicti nomen offendat, & ſermonis ipſo lædatur ſono, *benedictio* pro maledicto vocatur,] ait S. Ambroſius l. de Nabuthe cap. 11. Simile illud improuidæ vxoris ad Iobum. *Benedic Deo, & morere.* Vbi *benedictio*, antiphraſticōs pro maledictione & blaſphemia vſurpatur. Benedictio ergo cuius incuſatus eſt Naboth, fuit blaſphemia in Deum prolata. At ea erat mera calumnia per impiam mulierem fabricata, & per impios ei aſſenſos, Nabotho impacta.

Chriſtus Dominus innocentiæ exemplar, calumnioſè blaſphemus audiuit. *Blaſphemauit* (ait Caiphas Matth. 26.) *quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam.* Dixerat autem ſe eſſe Dei Filium, quod veriſſimum erat, non autem blaſphemum. [Blaſphemiam (inquit Origenes ibi homil. 35.) arbitratus eſt, eſſe magnitudinem verborum Chriſti, & gloriam exiſtimauit Iudaicam, & fabuloſam hiſtoriam literæ occidentis. Et putabat quaſi intelligens, Chriſti ſermónes ſufficientes eſſe ad teſtimonium contra ipſum, quia teſtes erant diuinitatis ipſius, quantum ad eos qui intelligere poſſunt: & dicit ad eos qui eadem ſapiebant, ecce nunc audiſtis blaſphemiam eius.] Itaque Chriſtus fons vitæ, quod melliti ſſimè tradit Origenes, per atrocem blaſphemiam, pronuntiatus eſt reus mortis, qui principalis omnium vita erat. Sed Chriſtum per omnia, ac etiam in calumniarum perpeſſione, primas tenere par fuit, & verò tenuit.

S. Paulus à Plotino Enneade 3. l. 2. cap. 4.

c. 4. inſimulatur blaſphemiæ; nimirum tanquam dixiſſet, Deum condidiſſe præceptum, & leges hominibus dediſſe, vt homines peccarent, & pœnæ obnoxij fierent. Locus eſt apud Apoſtolum ad Galat. 3. *Lex propter tranſgreſſionem poſita eſt.* Et iungendus eſt alius locus ex Rom. 7. *peccatum vt appareat peccatum, per bonum, operatus eſt mihi mortem; vt fiat ſupra modum peccans peccatum, per mandatum.* Hæc loca Apoſtoli, ſic allatrat Plotinus. [Non eſt (vt quidam putat,) ordo propter prænaricationem ordinis inſtitutus, neque lex propter legis tranſgreſſionem, quo videlicet propter deteriora fiant illa nobiſque appareant. Imò verò propterea quòd ordo hic eſt aduentitius; & quoniam ordo eſt, tranſgreſſio ordinis habet locum; atque propter legem & rationem; & quia exiſtit ratio, accedit legis, rationiſque tranſgreſſio. Non ita tamen vt quæ meliora ſunt, deteriora fecerint: Sed quia quæ indigent, debéntque meliora ſuſcipere, ſæpe vel ſuapte naturâ, vel fortunâ, vel impedimento aliunde illato, accipere nequeant. Quod enim ordine vtitur aduentitio, id forſitan non aſſequitur, vel interiori vitio, vel propter aliud quiddam ab alio accidens; multa quoque ab aliis patitur, aliis quidem nolentibus, alióque tendentibus.] Liquet Plotinum Apoſtoli Scripta legiſſe, vt notauit etiam Theodoretus l. 6. contra Græcos. Legerat tamen nec intellexerat, imò calumniabatur; verum eſſe comprobans quod S. Petrus nouerat, eſſe quædam in Pauli epiſtolis obſcura & difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant ad ſui ipſorum perditionem. Senſus igitur Apoſtoli non fuit, quòd lex ſit poſita & data à Deo in eum finem, vt peccatum admitteretur ab hominibus; quæ eſſet horrenda blaſphemia in Deum, qui neminem implanat, nec lætatur in perditione viuorum: ſed ſenſus Apoſtoli fuit, legem eſſe poſitam propter tranſgreſſionem, vt ſcilicet excluderetur & plecteretur. Quem ſenſum Apoſtoli tradunt ibi Hieronymus & Chryſoſtomus. Poteſt etiam cum S. Auguſtino dici legem fuiſſe poſitam, vt præluceret ad agnoſcendum quod erat vitandum; eóque munere optimè fungebatur lex; tametſi quia colluſtrato intellectu non ſubminiſtrabat vires ad rectè operandum, & euitandum peccatum, contingebat potiùs concupiſcentiam efficenem nondum ſanatam per gratiam, exardeſcere in vetitum, quod per legem cognoſcebat vitandum, nec iuuabatur vt vitaret. Quò ſpectat, quod Apoſtolus alio loco aiebat, peccatum apparuiſſe poſito mandato. Quem locum egregiè in hanc ſententiam interpretatur S. Cyrillus homil. 19. Paſch. *ad finem.* Vult enim ibi Apoſtolus per occaſionem legis monſtrantis malum, nec ex ſe iuuantis ad illud vitandum, concupiſcentiam fuiſſe magis inflammatam, poſita lege. Abſit autem vt Deus legem poſuerit ea mente, vt peccatum conſequeretur: id enim blaſphemum eſſet, & calumnioſè à Plotino affingitur Apoſtolo; cuius ſcripta vel dicta, aliis pleriſque calumniis patuiſſe, cùm citatus Beati Petri locus docet, tum quod ipſe Apoſtolus refert, de aliis ipſi affingentibus per calumniam, quòd dixiſſet, faciamus mala, vt eueniant bona.

Seuerianus Epiſcopus Gabalorum, à Serapione S. Ioannis Chryſoſtomi Diacono per calumniam accuſatus eſt blaſphemiæ. Cùm enim Serapion fretus S. Ioannis Chryſoſtomi gratia, efferretur faſtu, & contra omnes inſoleſceret; ideóque Seueriano tametſi Epiſcopo non aſſurrexiſſet in occurſu; commotior ob eam indignitatem Seuerianus, ſic locutus eſt: *Si Serapion moriatur Chriſtianus, nunquam Chriſtus factus eſt homo*; atque adeò Chriſtus ſe venditans Deum & hominem, fuiſſet magnus impoſtor. Has Se-

ueriani

ueriani voces, media parte acciſas retulit S. Chryſtomo Serapion, eique perſuaſit, Seuerianum dixiſſe, Chriſtum nunquam fuiſſe factum hominem: atque adeò hominem illum qui Chriſtus dicitur, per impoſturam ſe vendiraſſe Deum. Qua calumnia, in Seuerianum conciratus adeò eſt ſanctus Chryſoſtomus, vt vix Eudoxiæ Auguſtæ precibus, ſarciri potuerit inter vtrumque concordia. Inuexit eam ſciſſuram nequam calumniator ſic truncata Seueriani locutione: qua ratione vix fuerit, qui notam tetram defugere poſſit. Narrant ſtropham illam, Socrates l. 6. c. 10. & Sozomenus l. 8. c. item 10. necnon Nicephorus l. 13. cap. 9. Vix tandem diſcuſſis calumniæ offuciis, ſanctus Chryſoſtomus Seueriano conciliatus eſt, eúmque ſermone ad populum habitum commendauit, vt ipſe quoque populus Seueriano placaretur, & omnem maculam falſa opinione ei illatam, abſtergeret.

Sanctus Hieronymus à Vaſquez 1. p. quæſt. 14. artic. 6. dicitur ſenſiſſe, non eſſe in Deo ſcientiam rerum minimarum in ſingulari, ſed tantùm in genere. Ita enim ferre videntur quædam eius verba in cap. 1. Abacuc. Sic autem de Deo ſentire, blaſphemum eſt, nam eſt abrogare illi ſcientiam perfectam, quæ eſt Dei propria. Incredibile tamen videtur, S. Hieronymum non ſuſtinere hac in parte calumniam: cùm & lumine naturali, & infinitis ſcripturarum teſtimoniis manifeſtiſſimum ſit, nihil eſſe poſſe quantumuis minutum ac vile, quod Deum fugiat, eiúſque diſtinctæ notitiæ ſubducatur. Et non deſunt loca quibus S. Hieronymus id explicatiſſimè aſſerat; Ac nominatim in eiuſdem S. Doctoris Commentariis in cap. 10. Matth. ad illud, *nonne duo paſſeres*, agnoſcitur Dei notitia diſtinctè porrecta ad animalcula. Locus ergo qui in contrarium opponitur, accipiendus eſt in ſenſu non blaſphemo; ſi verè mentem S. Hieronymi contineat, de quo ambigit Trigoſius ſua 1. part. quæſt. 9. artic. 3. dub. 1. quia S. Hieronymus in Apolog. ad Ruffinum, conteſtatus eſt, ſe in Commentariis ſuper Prophetas, aliorum potiùs ſententias referre, quàm ſuas promere. Si tamen S. Hieronymus ex mente ſua locutus dicatur, dimittendam imprimis cenſeo minùs commodam interpretationem, adhibitam à Magiſtro in 1. diſtinct. 39. *in fine*, quæ fert Deum non ſcire minuta entia alternatim, vel particulatim, & per diuerſa temporum momenta. Liquet cur hanc S. Hieronymi interpretationem dixerim dimittendam. Nam idem dici poſſet de hominibus, & de quibuſuis aliis obiectis quantumcunque nobilibus: quæ Deus non cognoſcit alternatim & per diuerſa temporum momenta. Ea expoſitione omiſſa, dicendum erit, S. Hieronymum non agere de ſcientia Dei ſpeculatiua, quam euidentiſſimum eſt ad omnia porrigi, ſed agere de prouidentia; quæ eodem ſenſu dicitur non eſſe in Deo quoad res minutas, quo à S. Paulo 1. Corinth. 9. dictum eſt, non eſſe Deo curam de bobus; id eſt per comparationem ad eam curam quam Deus de hominibus habet, videri non curare cætera. Cum qua interpretatione, probè conſentit, quod eodem loco ait S. Hieronymus, non eſſe in Deo eandem rationabilium & irrationabilium prouidentiam; id quod repetit Matth. 10. ad illud *nonne duo paſſeres.* Sic benignè molliunt locum ex S. Hieronymo propoſitum, Cartuſ. in 1. diſtinct. 39. q. 2. *in fine*, Sixtus Senenſis l. 5. bibl. annot. 257. Schultingius in Confeſſ. Hieronym. tom. 1. cap. 1. num. 7. Suarez 1. part. tract. 1. l. 3. cap. 3. n. 3. & 4. allegans Hugonem Victorinum. Non debuimus in hac calumnia à S. Hieronymo amolienda oſcitanter agere, quandoquidem ſi D. Hieronymus admiſiſſet

Deum

Deum ad minuta quæque non attendere,& ſpeculatiuè ea ignorare;conſequens eſſet, vt non haberet prouidentiam omnium rerum, quia prouidentia ex cognitione & amore integratur. At Deum non habere perfectam omnium prouidentiam, adeò atrox blaſphemia eſt, vt Theodoretus initio orationis primæ de prouid. dignum iudicet, omnes inſurgere in blaſphemantes contra prouidentiam, quia per eam blaſphemiam titulus Patris & Regis Deo abiudicatur. Quis autem ferat, tam tetram & horrendam blaſphemiam, quæ Atheiſmi propylæum eſt, Doctori maximo adſcribi?

S. Auguſtinus, ab æmulis cæteroqui Catholicis, quamuis materialiter errantibus, & zelo præpoſtero actis, grauatus eſt infamia multarum blaſphemiatum, quas Proſper collegit & depulit, in libro de obiectionibus Gallorum. Earum prima his verbis à Proſpero refertur. [Quòd ex prædeſtinatione Dei, velut fatali neceſſitate, homines ad peccata compulſi, cogantur in mortem.] Hac blaſphemia, vix vlla tetrior eſſe poteſt. Nam Deum eſſe autorem peccati, & homines compellere ad ſcelera ac cogere in mortem, eſt Deum non eſſe bonum, ſed malum, & oſorem honeſti,ac ruinæ hominis captatorem: ad quæ mala verba, par ſit pios quoſque horripilatione corripi, eáque Ethnici ipſi ſummopere auerſati ſunt, vt oſtendo in Morali diſt. 4. num. 340. vbi Mahumetem & Caluinum, hanc feralem blaſphemiam vomuiſſe,teſtatum feci. Sancto autem Auguſtino non niſi per calumniæ prodigium affingi poteſt, ob peruerſam intelligentiam prædeſtinationis, vt S. Proſper ad. 1. & 12. Gallorum criminationem rectè notauit, & Fulgentius laudans Proſperum l. 1. ad Monimum c. 30. Nam præſcit quidem Deus bona & mala; ſed bona tantùm prædeſtinat: neque hoc ferrea voluntate nobis ineluctabili, & vel inuitos adigente ad bene operandum, ſed ſuaui, ac cui homo poteſt reſiſtere. Hoc ſi de bonis operibus infinities habet S. Auguſtinus; (nimirum quoties libertatem homini ad pios actus concedit;) quantò magis aſſerit de actibus malis, qui effici vel coëffici abſque culpa, & bonitatis Deo internæ clade non poſſunt? Imò inde Deus, tyrannidis & efferatiſſimæ crudelitatis conuinceretur, qui eorum eſſet vltor, ad quæ præiuiſſet impulſor & autor, vt optimè argumentatur Fauſtus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 3. Abſit verò & omninò abſit, vt tam trucem blaſphemiam, Doctorum aquilæ & inter Sanctos eminentiſſimo, impingamus. Simili calumnia attributæ Deo cauſalitatis malorum, grauatos à Celſo Epicuræo Chriſtianos, purgat optimè Origenes l. *6. poſt med. num*, oſtendens nihil tale vnquam veniſſe in mentem Chriſtianis: ſed ex indiſtinctione malorum culpæ, quæ ſunt mala ſimpliciter dicta, & malorum pœnæ, quorum cauſatio iuſta eſſe poteſt, & Deo quandoque in Scripturis adſcribitur, profectam eſſe eam malignitatem Chriſtianos hac in parte calumniandi. Eadem in Chriſtianos calumnia meritò quoque exploſa eſt à S. Baſilio homil. quòd Deus non ſit autor malorum.

Proſper vir eruditus & ſanctus, (ſic enim eum loco proximè laudato nominat S. Fulgentius,) de quantis blaſphemiis calumniam ſit paſſus, præfatio eius ad obiectiones Vincentianas, liquidò exhibet. [Quidam (inquit) Chriſtianæ ac faternæ charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram, quoquo modo ſtudent lædere, vt ſuam ſe euertere, nocendi cupiditate non videant: Connexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt, ineptiſſimarum quarundam blaſphemiarum prodigioſa mendacia; eáque oſtendenda & ingerenda multis, publicè priuatimque circum-

fecunt : aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu , qualia diabolico continentur indiculo.] Hunc indiculum, titulis ſingularum obiectionum adſcriptis, operæpretium fuerit repræſentare. Obiectio ſiue calumnia. 1. [Quòd Dominus noſter IESVS Chriſtus , non pro omnium hominum ſalute & redemptione ſit paſſus. 2. Quòd Deus nolit omnes ſaluare, etiamſi omnes ſaluari velint. 3. Quòd Deus maiorem partem generis humani ad hoc creët, vt illam perdat in æternum. 4. Quòd maior pars generis humani ad hoc creatur à Deo, vt non Dei, ſed Diaboli faciat voluntatem. 5. Quòd peccatorum noſtrorum autor ſit Deus , eo quòd malam faciat voluntatem hominum , & plaſmet ſubſtantiam quæ naturali motu non poſſit niſi peccare. 6. Quòd Deus tale in hominibus plaſmet arbitrium , quale eſt dæmonum , quod proprio motu nihil aliud poſſit vel velit, niſi malum. 7. Quòd hæc ſit voluntas Dei , vt magna pars Chriſtianorum ſalua eſſe, nec velit nec poſſit. 8. Quòd nolit Deus vt omnes Catholici in fide Catholica perſeuerent , ſed velit vt magna exinde pars apoſtatet. 9. Quòd velit Deus , vt magna pars Sanctorum à ſanctitatis propoſito ruat. 10. Quòd adulteria & corruptelæ Virginum Sacrarum ideo contingant , quia illas Deus ad hoc prædeſtinauit vt caderent. 11. Quòd quando inceſtant patres filias , & matres filios ; vel quando ſerui Dominos occidunt , ideò fiat , quia ita Deus prædeſtinauit vt fieret. 12. Quòd Dei prædeſtinatione efficiantur de filiis Dei filij Diaboli ; & de templo S. Spiritus , templa dæmonum; & de membris Chriſti membra meretricis. 13. Quòd omnes illi fideles & ſancti qui ad æternam mortem prædeſtinati ſunt, quando ad vomitum ſuum relabuntur , vitio quidem ſuo hoc facere videntur , ſed ipſius vitij cauſa eſt , diuina prædeſtinatio , quæ illis latenter ſubtrahit bonas voluntates. 14. Quòd pars magna illa Chriſtianorum fidelium Catholicorum atque Sanctorum , quæ ad ruinam & perditionem prædeſtinata eſt , etiamſi petat à Deo ſanctitatis perſeuerantiam , non impetrabit : eo quòd mutari non poteſt diuina prædeſtinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauit, vt caderent. 15. Quòd omnes illi fideles & Sancti qui ad mortem prædeſtinati ſunt, poſteaquàm ceciderint , ſic à Deo diſpenſentur , ne poſſint vel velint per pœnitentiam liberari. 16. Quòd magna pars illa fidelium atque ſanctorum quæ ad æternam mortem prædeſtinata eſt, quando dicit Deo in oratione Dominica , *fiat voluntas tua*, nihil aliud quàm contra ſe petat , id eſt vt cadant & ruant, quia voluntas Dei hæc eſt, vt æterna morte pereant.]

Hæ ſunt blaſphemiæ quas ſibi falsò impoſitas , refert & ſigillatim depellit S. Proſper. Omnes autem eo ferè recidunt , vt Deus autor peccati & ruinæ hominum habeatur. At hoc eſt nefas ſupra omnia nefanda deteſtandum. [Neque enim (inquit S. Chryſoſtomus orat. 3. de fato *ſub finem* ,) tam graue facinus eſt peccare , quàm poſt peccatum non pudere , & de propriis malis accuſare Deum. Immo id peccato quouis peius eſt ; & nimirum Diaboli opera curatur, quòd culpam omnem in Deum referentes non ſolùm ad bonũ ſegnes ſed ad malum propenſi ſumus. Quandoquidem tam animam quàm linguam ad ſe blaſphemandum incitat, vt defenſionis prætextu Deum incuſet , & eorum , quæ ipſi facimus ; crimen in eum qui non eſt author criminis transferibatur. Et vtique in omnes tale quiddam attentaſſe , capitale foret. Qui enim innocentem calumniatur, ob audax facinus ipſe plectitur. Ecce quot mala Dæmon conſtituit fati nomine , vt virtutem aboleat. Nam vbi perſuaſum fuerit animæ , quod non

vlta

vltra peccamus, etiam quæ alacris fuerat ad ferendos pro virtute ſudores diſſoluta tamen, ac negligens ſit. Enim verò vbi addiſcit adulteros, homicidas, fures, non eſſe dignos reprehenſione, quaſi è procliui loco decurrens, non quieſcit, donec & Deum & diuinam prouidentiam calumnietur. Quo malo dic ſodes, quod alius peius? Fugiamus igitur dilecti idololatriam hanc; profectò mors eſt in hac olla; vnde quiſquis vel parum corrupti dogmatis hauſerit, eum mori neceſſe, niſi properè recurrat, purámque recipiat ſanitatem.]

Peruersè igitur & malignè, tam atroces blaſphemiæ quibus nihil feralius aut exitialius fingi poteſt, S. Proſpero ſunt adſcriptæ, tantùm quia cum S. Auguſtino, contra Pelagianos, diuinam prædeſtinationem, & gratiæ ad benè operandum beneficam præparationem admittebat. Inde enim calumniam aduersùs ſanctum Proſperum exacuiſſe linguas ſuas, ipſemet in eiuſdem libelli præfatione inſinuat. Nec dubium quin hanc vicem ſtrenuo fidei Catholicæ pugili, ſuíque erroris debellatori, repenſam cupidè voluerint Pelagiani. Sed Proſper tantùm à blaſphemiis abfuit, quantùm hoſtes eius à mentis ſanitate. Ac vt ipſe S. Proſper fuliginem omnem harum calumniarum abs ſe non defricuiſſet, ſufficerent ad eum omnino purgandum, quæ in eius laudem extant apud Cæleſtinum I. initio epiſtolæ ad Epiſcopos Galliæ, & apud Gelaſium cap. *Sancta Romana* diſt. 15.

Ioannes XXII. de blaſphemia accuſatus eſt ab Ochamo in opere 90. dierum cap. 95. ob negatam diſtinctionem diuinæ potentiæ, in ordinariam, ſeu veriùs ordinatam, & abſolutam. Quod negare, perinde eſt ac dicere, Deum non poſſe facere niſi quæ facit. Non eſſe autem eam duplicis potentiæ diſtinctionem admittendam, inde à Ioanne firmatum ait Ochamus, quòd ſi Deus aliquid poſſet facere de potentia abſoluta quod de ordinata non faceret, poſſet aliquid facere quod non ordinauit ſe facturum, ac proinde eſſet mutabilis. Item quia in Deo idem eſt eſſentia & potentia. Hanc blaſphemiam quæ verè fuit VVicleffi tom. 1. l. 1. cap. 10. & ſeqq. necnon Abelardi 3. introduct. cap. 5. & Praxeæ apud Tertullianum cap. 10. ac Caluini apud Sanctesium contra. 1. Caluini Atheiſmum, perperam & calumnioſè Ocham Ioanni XXII. impoſuit, cui nihil tale vnquam in mentem venit. Et iure quidem, cùm ſit non modò blaſphemum, ſed etiam ridiculum & abſurdum; itavt ne de homine quidem poſſit affirmari, vt benè aduertit Petrus Damiani Opuſc. de Dei Omnipot. cap. 1. Quis enim hominum non poteſt multò plura facere, quàm reuera faciat? Multò igitur magis idem tribuendum eſt Deo; atque adeò diſtinctio potentiæ diuinæ, in abſolutam & ordinatam, eſt admittenda. Quod cum dicitur, non fingitur duplex potentia Deo interna, ſed vnica ponitur; nunc arctata per decretum actuale diuinæ voluntatis liberæ, quæ inde dicitur potentia *ordinata*: nunc exſoluta eo veluti vinculo, quæ inde denominatur *abſoluta*. Sicut cùm in Principe diſtinguitur potentia ordinaria & abſoluta, vt ex multis Iuriſperitis tradit Sanchez l. 2. de Matrimon. diſput. 15. num. 3. non eſt ſenſus, eſſe in Principe pluſquàm vnicam authoritatem, cùm ſit vnica, quæ per ordinem ad diuerſa denominatur diuerſimodè. Nec igitur aliter de ea duplici Dei potentia eſt ſtatuendum. Quòd autem poſſet Deus, abſque mutabilitate facere plurima, quæ ordinauit ſe non facturum; ordinaſſet autem ſe ea facturum, ſi ita tuliſſet voluntas, ſupponendum eſt vt certum. Quare fundamenta blaſphemiæ quam repellimus, ſunt prorſus inania; nec vlla ratione eſt ambigendum, quin Deus poſſit facere plura quàm facit: at-

que adeò quin diſtinctio potentiæ diuinæ in abſolutam & ordinatam ſit omnino legitima. Nec eſt quod moueamur iis Caluini vocibus quas habet 3. inſtitut. cap. 23. §. 2. nimirum diſtinctionem potentiæ diuinæ in abſolutam & ordinatam, eſſe *profanum ac meritò deteſtabile commentum, & execrabilem blaſphemiam.* Apage blaſphemum nebulonem, dignum Feuardentij ſcutica dialo. 1. cap. vltimo, & Sancteſij, Atheiſmo illius primo.

Andreas Chius inſignis Martyr paſſus eſt Conſtantinopoli anno, 1465. Maij 29. tanta animi fortitudine, vt pro miraculo Turcis fuerit, vt latè deſcribit æui illius Scriptor Trapezuntius. Peruenit Andreas Conſtantinopolim Turcicæ immanitati non ita pridem ſubiectam, moxque ab Ægyptiis mercatoribus qui eò tunc appulerant, calumnia immanium blaſphemiarum pulſatus eſt, teſtantibus iiſdem mercatoribus, viſum abs ſe Andream Alexandriæ, cruci ſputa immittentem, eamque fœdè conculcantem, ac demum in ſtercora proiicientem, non ſine verborum ſpurciloquio factis commenſo. Negabat è contrario Andreas, viſam ſibi vnquam eſſe Alexandriam. Et verè tunc primùm Chio exceſſerat, vocatus à Deo ad certamen forte, vt Turcas de fracto Trapezuntio Philoſopho Peripatetico magni nominis exultantes comprimeret; quod & fecit inſigni planè martyrio mox perfunctus, & factis ac perpeſſionibus conteſtatus, mendaces fuiſſe qui maculauerant illum.

Catholici hodierni, paſſim apud Sectarios notantur blaſphemiæ, eò quòd inuocantes Deiparam, ſupplicent vt cum imperio adeat Filium. In quam rem ſectarij adducunt protritum illud *Roga Patrem, iube nato, iure Matris impera.* Hanc eſſe intolerandam blaſphemiam Christum de throno deiicientem, conteſtantur Sectarij ſecuti ſuum Caluinum, qui in hanc blaſphemiam, nullo (vt ait) colore defendendam, conclamat l. 3. **Inſtitut.** cap. 20. §. 22. Nec aliter **Beza** Confeſſionis ſuæ cap. 7. qui allegat miſſale Pariſienſe. Vt proinde non liceat cum Bellarmino l. de Sanctor. beatitud. cap. 16. ad 5. negare id ab vllo Catholico dictum eſſe. Quid quòd diſertè Petrus Damiani ſerm. 1. de Natiuit. B. Virg. ait de ea? [Accedit non ſolùm rogans, ſed etiam imperans: Domina non ancilla.] Reuincimur ergo Catholici, manifeſtæ blaſphemiæ, iuxta Sectarios, qui matri puræ creaturæ, arrogemus imperium in Deum ad exauditionem orationum noſtrarum.

Hæc eſt inſulſiſſima calumnia in Catholicos, quibus nihil minùs in mentem venit, quàm Deiparæ arrogare imperium in Chriſtum. Quamuis enim iure naturali mater poteſt filio præcipere, & filius matri ſubiectus eſſe debet, in iis quæ ad ſubuentionem parentibus à liberis debitam pertinent; nec eo naturali erga matrem debito exoluatur Chriſtus prout homo: Tamen in iis quæ ſpectant ad orationes quas Deiparæ porrigimus, Chriſtus poſſet matri dicere, ſi ei imperare vellet, *quid mihi & tibi eſt mulier?* Quæ verba D. Auguſtinus l. 2. de ſymb. ad Cathecum. cap. 5. videtur accepiſſe de reiectione præcepti materni indicentis patrationem miraculi. Quanquã alius reuera fuit Chriſti ſenſus vt Toletus **Ioan. 2.** rectè demonſtrat. Eccleſia ergo ſatis gnara quid virgo poſſit, eum modum precandi petendo à Virgine vt filio ſuo imperet, non vult induci in vſum, nec eum approbat vt Suarez benè monuit lib. 2. contra Iacobum cap. 7. n. 14. Et qui ita locuti ſunt, magis piè ſenſiſſe, quàm prudenter locutos eſſe, diſertè dixit Laurentius Arturus in Apologia libri ſui de Inuocat. Sanctor. cap. 4. addens, eos reuera nihil aliud voluiſſe, quàm quòd vulgata apud omnes gentes conſuetudo habet, qua imperare eum nobis

Digitized by Google

nobis poſſe dicimus, cuius permagna eſt apud nos gratia & autoritas. In quo ſenſu accipiendus eſt Petrus Damiani, qui maternam apud Filium in precando fiduciam, adhibita ea exaggeratione expreſſit.

CAPVT X.

De periurio.

QVàm graue & damnoſum ſit periurij malum, paucis complexum eſt Concilium Meldenſe cap. 39. allegato S. Gregorio homil. 32. in Euang. iuxta quem, ad Sanctuaria Martyrum dæmoniaci aliique ægri pergunt & curantur, periuri autem eò adeuntes, à dæmonio vexantur. Exempla ſuggeret Gregor. Turo. l. 7. hiſtor. cap. 6. & l. 1. de gloria Martyr. cap. 20. & 39. & 103. ac Vincent. lib. 23. ſpec. hiſtor. cap. 109. & lib. 24. cap. 24. Optimè verò in hoc campo excurrit Petrus Damiani l. 8. epiſtol. 10. his præter cætera. [Quiſquis iuſiurandum peierans violat, à Chriſti ſe corpore quaſi per quoddam abſciſſionis diſſidium ſeparat, & à redemptionis humanæ myſteriis alienat. Nam cùm hoc ex more dicatur ab illo, qui iurat: *hoc faciam, vel certè non faciam, ſic me Deus adiuuet, & iſtud ſanctum Euangelium*, hoc cum Deo interpoſita conditione paciſcitur; vt ſi promiſſa non impleat, à Deo, vel ſancto Euangelio vlteriùs non iuuetur. Et ſicut tunc, cùm initiatus eſt Chriſto per Catechiſmum ſacerdotalis officij, abrenuntiauerat diabolo & pompis eius: ita velut retrogradus, ac transfuga; ſic Deo & Euangelio eius abrenuntiat, vt in eum quaſi ſuæ quodam conuentionis fœdere de fœdere non confidat; & ſicut Laban, inter ſe, & Iacob aceruum poſuit lapidum, & intercluſit alterutrum præcauendo meatum; ſic iſte quodammodo inter ſe, & Deum ponit, mentiendo periurium ſignat aduerſum ſe librum Euangelij, vt eum aperire non poſſit, dum inter ſe & illud, omnem ſalutis aditum intercludit.] Excurrit is per ſigilla ſeptem, quibus liber Euangeliorum obſignatus eſt, vt habetur cap. 5. Apocal. monſtràtque ea ſigilla eſſe myſteria Chriſti cardinalia, incarnationem ſcilicet, natiuitatem, paſſionem, reſurrectionem, aſcenſionem, iudicium, ac regnum æternum. Tum ſubdit. [Quiſquis ergo periurat, ſtudioſè perpendat, quia niſi pœnitens canonicè ſatisfecerit, ita ſibi ſeptem ſigilla Euangelicæ narrationis occludit; vt nec Incarnatio Domini, neque natiuitas, neque paſſio, vel reſurrectio, aut aſcenſio, iudicium quoque, vel regnum ſibi proficere aliquatenus poſſit. Omnia ſcilicet hæc à ſe procùl abiicit, & quantum ad ſe, in nihilum redigit, qui dum iuſiurandum violat, cum adiutorio Euangelij, abrenuntiat nihilominus etiam auxilio Dei.] Subtexit horrendum viſum ſerpentis ſubitò circumplexi libro, cui admoturus erat manus quidam periurium emiſſurus. Horrendum aliud exemplum pœnæ illatæ periuro, habet Philippus Abbas in vita S. Saluij cap. 9. Aliquot horrendas aſportationes viuorũ per dæmonem, eam ob cauſam, recitat Godelmannus l. 1. de Magis cap. 1. num. 6. & 8.

Ex his liquet, quàm tetra labes ſit periurium, in quam rem perelegan ter ● ſerit Philo lib. de decalogo *circa præceptum tertium*, & Auguſtinus ſerm. 28. de verb. apoſt. ac ex recentioribus Suarez lib. 3. de iuram. cap. 3. ac Ribadeneira lib. 2. de Princ. cap. 17. Iuriſconſultos addenſat Cornel. Benincaſius lib. de priuil. paupert q. 4. num. 23. Cùm hæc ita ſint, calumnia de admiſſo periurio, & violata fide Deo ſequeſtro ac vade præſtita, non poteſt non cenſeri grauiſſima. Ei tamen calumniæ patuerunt per malignitatem calumniatorum, viri in Dei

Eccleſia magni, quibus falsò impoſitum eſt, quòd fidem iuramento firmatam, periurio admiſſo violaſſent.

Concilium Conſtantienſe Patrum ferè mille, ex quibus Epiſcopi vltra trecentos, inſimulatur periurij à pleriſque hæreticis, ob violatam fidem datam, & iuramento firmatam Ioanni Huſſ, & Hieronymo de Praga Hæreticis, qui cùm ex ſyngrapha publici commeatus legitimis adſcriptionibus & ſacramento munita, veniſſent ad Concilium, tamen tenti ab eo ſunt, & ex præuia ob hæreſim damnatione flammis conſumpti. Nec contentam Conſtātienſem ſynodum periurium admiſiſſe; dogma etiam ea de re tradidiſſe, aſſeruit Batauus quidam Daniel Plancius, eo libello quo contendit iuxta Catholicos fidem non eſſe hæreticis ſeruandam. Ait enim, ſeſſ. 45. & vltima Concilij Conſtantienſis, doceri, periurium ſcienter admiſſum, eſſe quid leniculum, nec niſi peccatillum, quod maioris boni cauſa abſque labe committi poſſit ac debeat, præſertim ſi ceſſurum ſit in fidei Chriſtianæ fauorem. Ita quidem Plancius; ſed calumnioſè, & per ſingulas propè voces mendaciter. Homo enim Caluinianus, quod non horret Martino Pontifici & Concilio tot Patrum imponere, audet exercere, & mendaciorum largus, dum in lacerandos Catholicos intentus eſt, K fronti ſuæ inurendum non auerſatur. Secernenda porrò ſunt quæ Ioannem Huſs ſpectant, ab iis quæ attinent ad Hieronymum de Praga. Nam & diuerſo tempore geſta ſunt, & vtriuſque negotij adiuncta admodum variant, vt latè proſequitur Molanus lib. 2. & 3. de fide hæreticis ſeruanda, poſt Cochlæum in Huſſitarum hiſtoria.

Inprimis calumnia eſt aperta, quòd ſynodus fidei publicæ ſyngrapham conceſſiſſet Ioanni Huſſo. Non enim ſynodus conceſſerat, ſed Sigiſmundus Imperator, cuius dicta etiamſi iurata, ſynodus non tenebatur præſtare: quia vt rectè proſequitur Robertus Svvaërtius diſp. de fide ſeruanda ſect. 11. poteſtas Eccleſiaſtica in iis quæ ſpectant ad ſuum ambitum, neque ſubeſt laicæ poteſtati, neque ab ea impediri poteſt; Imò vt dixit Innoc. III. c. *Eccleſia S. Mariæ* de conſtit. [Laicis ſuper Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, nulla eſt attributa facultas; quos obſequendi manet neceſſitas, non autoritas imperandi.] Et ita nominatim de Imperatore, ſtatuunt, Gelaſius agens cum Anaſtaſio, vt refertur cap. *duo ſunt* diſt. 96. & Nicolaus. I. ſcribens ad Epiſcopos in Concilio ad Conuicinum Villam, ac Ioannes Papa cap. *ſi Imperator* diſt. 96. Itaque tametſi Sgiſmundus qui fidem publicam iuramento firmatam dederat, peieraſſet fallendo Huſſum, tamen ſynodus Conſtantienſis labe periurij vacaſſet. Quia verò aduerſarius inſtat, ſaltem ſynodum deliquiſſe, vrgendo Sigiſmundum ad periurium, addendum eſt, ne ipſum quidem Sigiſmundum peieraſſe, atque adeò nequaquam fuiſſe adactum à ſynodo ad periurium. Cur negem Sigiſmundum peieraſſe, ratio eſt, quia Sigiſmundus ſecuritatem tantùm Huſſo conceſſerat veniendi ad Concilium, ſeque ibi labis purum & vitæ innocentem probandi. Ita enim habent Huſſi acta *pag.* 15. Id cùm Huſs præſtare nequiſſet, & nihilominus hæreret in erroribus pertinaciter contra fidem ab ipſo viciſſim datam, tentauit fugam, nec ſtetit promiſſis: & nouo contemptu clauium ſe impiauit, celebrans in excommunicatione. Itaque retractus è fuga & infractor fidei, reclamante licet Sigiſmundo; iudicio Concilij, brachio ſeculari deditus, & in rogum coniectus eſt. Quare Sigiſmundus qui Huſſum (vt pollicitus erat,) iniuriæ ſubduxit, & vt liberè ſi poſſet ſe Concilio purgaret, effecit; ac ne multaretur, quantum ſalua

Digitized by Google

conſcientia potuit, & obſequentem Eccleſiæ filium decuit, impediuit; non admiſit periurium in cauſa Huſſi, præſertim accedente violatione fidei per ipſum Huſſum, vt benè vrget Campianus ratione 4. ad Academicos. At fidem publicam non ſuffragari violanti conditiones poſitas, aut nouum delictum admittenti, concors doctrina eſt Iuriſperitorum, apud Petrum Premum q. vltima de ſecuritate. Et ob has cauſas, quatuor factionis Huſſiticæ principes, paucis annis à Concilio Conſtantienſi, ad Concilium Baſileenſe euocati, non ſunt cauſati infractionem periuram fidei Huſſo datæ, vt videre eſt apud Æneam Syluium in Bohemorum hiſtor. cap. 49. Nullum quippè periurium agnouerunt, quo ſe, vel ſynodus, vel Sigiſmundus contaminaſſent.

Hieronymi de Praga nonnihil diuerſa eſt ratio. Is enim à Concilio Conſtantienſi fidem publicam acceperat, ſed nonnullis conditionibus reſtrictam, nimirum aduerſus violentiam, præſtandam ei fore ſecuritatem, ſed non contra iuſtitiam; item non eſſe ei præſtandam ſecuritatem, niſi quantum in Patribus ſynodi eſſet, fides exigeret Orthodoxa. Quæ additamenta, planè eneruarunt tabulas publici commeatus Hieronymo conceſſas. Nam neque purgare ſe potuit, quod ipſe receperat; neque conuictus de hæreſi, potuit ſalua iuſtitia (cui cautum non erat in talibus,) liber dimitti. Mox autem data fide de reſipiſcentia & errorum reuocatione, reſipuit quidem in ſpecie, & errores reuocauit, vt videre eſt ſeſſ. 19. Concilij Conſtantienſis: tamen pertæſus boni facti, fugam iniuit: è qua retractus, cùm ad iteratam palinodiam adduci non poſſet, damnatus de hæreſi & poteſtati ſeculari traditus eſt, ad pœnam ignis iuxta leges excipiendam. Quare nullum hîc quoque periurium aduerſus fidem iuramento firmatam interuenit. Quòd ſi Concilium Tridentinum, eo (vt vocat) ſaluo conductu quem conceſſit poſt ſeſſionem 13. vult derogatum decreto Conſtantienſi hac in parte; non idcirco fecit, quod cenſeret Patres Conſtantienſes, iuſtitiam, aut fidem datam, vel reuerentiam inuocationi diuini nominis debitam violaſſe: ſed vt obſtrueret os loquentium iniqua, & eos qui falſis rumoribus & calumniis aduerſus Concilium Conſtantienſe malignè iactatis, auerti ſe dicebant ab acceſſu ad Concilium; vel vano metu eximeret, vel commentitio prætextu ſpoliaret. Qua eadem ex cauſa, Baſileenſe Concilium idem Bohemis præſtiterat ſeſſ. 4. ſupplens quæ ſaluo conductui Conſtantienſi deeſſe poterant, & iuri communi in eo perſtanti derogans, vt Hæreticos vndecunque ſecuros faceret, & veriſimili excuſatione prohiberet.

Criminabatur poſtremo loco Sectarius ſynodum Conſtantienſem, quòd docuiſſet periurium eſſe leuiculum peccatum, quod ex bono fine, præſertimque in fidei Catholicæ fauorem, poſſet licitè admitti. Hæc eſt immenſa mentiendi & calumniandi audacia. Nam Concilium Conſtantienſe, (vel potiùs ad calcem illius Martinus V.) inter varia quæ ad internoſcendos Huſſitas inquiri ſtatuit, propoſuit articulum, an is cuius fides exquiritur, credat periurium ſcienter admiſſum, eſſe peccatum mortale; ſiue pro vitæ conſeruatione, ſiue in fauorem fidei admittatur. Inciderat enim Martinus in ea tempora, quæ variorum Hæreticorum falſiloquiis adeò obtenebrata erant, vt etiam peierare ex tali aliqua cauſa, honeſtum, aut non niſi leue duceretur. Martinus è contrario, ex tali exiſtimatione rei inquiſiti colligi volebat eum eſſe hæreticum. Hoc Caluiniſta impudenter detorquet ad affingendum Pontifici, quòd cenſuerit periurium eſſe rem leniculam; imò eſſe licitam, ſi fiat ex bono fine:

Digitized by Google

fine: quaſi verò ignoraret Martinus, damnari iuſtè ab Apoſtolo, eos qui affirmabant, facienda eſſe mala vt eueniant bona. At periurium, de Catholicæ Eccleſiæ ſententia, eſt intrinſecè malum: & ex genere ſuo, niſi conditiones operantis attenuent malitiam, eſt peccatum mortale, etiam in materia minuta, ac quicunque finis bonus prætendatur, vt contra Priſcillianiſtas ſtatuit D. Auguſtinus l. contra mendac. cap. 18. & lib. 2. retract. cap. 60. ſubſcribunt paſſim DD. quos longo agmine adducit Sanchez l. 3. in decalo cap. 4. num. 6. Quare ſectarius contrarium impingens Pontifici, iniuſtam frontem calumniæ indicem, præferre deinceps debet.

Iulianus Cæſarinus Cardinalis & Pontificius apud Ladiſlaum Hungariæ Regem Legatus, periurij ab eodem Sectario Planicio inſimulatur, imo peierandi autor & magiſter fuiſſe dicitur; eo quòd Ladiſlaum Regem vrſerit, ad pacem cum Amurathe Turca initam & iuramento firmatam, perfidè reſcindendam. Peierationem conſecuta eſt clades Varnenſis anno 1444. qua Rex periurus, poſt maximam ſuorum ſtragem periit, vnáque exitialium conſiliorum & periurij autor Iulianus Cardinalis legatus, ac Varadienſis, & Agrienſis Antiſtites, qui cruce pro vexillo vtentes, voluntariorum militum numerum duxerant. Ita Plancius, & eadem ex Chalcondylæ lib. 7. rerum Turcic. ac Bonfinio rerum Hungaric. dec. 3. lib. 6. habet Genebrardus in Chronol. Hæc tamen eſt grauis in Iulianum & Ladiſlaum calumnia, cui colorem aliquem induxit infauſtus euentus, & liuor Chalcondylæ Græci ſcriptoris in Latinos; cuius perpetuum ſtudium eſt, grauare Romanam Eccleſiam, omnibus quæ infeliciter aut peruersè geſta ſunt in orbe terrarum, imitatione Ethnicorum imponentium Chriſtianis quæcunque infauſta & calamitoſa orbi acciderêt.

Veritas igitur ſic habet. Pepigerat Ladiſlaus Hungariæ Rex, cum Pontifice Maximo & Imperatore Conſtantinopolitano, Venetis, Genuenſibus, ac Burgundionibus, fœdus contra Turcas, vt ſtato tempore Hungarus in Macedoniam & Thraciam irrumperet, cæteri per Helleſponti fauces ſubirent, & variis viis hoſtem adorirentur. Dum cæteri Chriſtiani claſſes apparant, & militem cogunt, Hungarus ſpe facta Myſiam recuperandi, in fraudem & graue damnum cæterorum quibus cum pepigerat, & non leue vniuerſi nominis Chriſtiani periculum, reſcindit fœdus illud, & aliud icit cum Turca. Iulianus Cardinalis inter Hungaros tunc agens, malè reſciſſi fœderis cum Chriſtianis, & malè initi cùm Turca, inhoneſtatem docuit; & omni ſtudio anniſus eſt, vt primum fœdus ſtaret. Et reuera eius reſciſſio graue peccatum fuerat, nec poterat abſque grandi culpa non inſtaurari, abiecto nouo fœdere quod iniquum erat & Chriſtianis damnoſum. Itaque pro viribus inſtitit, ac denique perfecit, vt promiſſa irrita, violata fides, & ſolutum fœdus, repudiato Turcico ſarcirentur. Orationem eius qua hæc omnia Hungaricis proceribus proponit & vrget, legere licet apud Bonfinium dec. 3. rerum Hungar. lib. 5. Reſciſſo fœdere Turcico, & redintegrato Chriſtiano, itum eſt in prælium cum Turcis, conſecutáque eſt clades Regis in palude merſi, & Cardinalis à latronibus interempti: quam cladem, improuidi vel maligni, in reſciſſum autore Iuliano Turcicum fœdus retulerunt; cùm æquè referri poſſet in malè reſciſſum, etiamſi poſtea redintegratum, fœdus Chriſtianum. Nec noſtrum eſt, iudicia Dei in ea clade exquirere. Ad quam ſacram anchoram confugit S. Bernardus, cùm expeditionis ſe autore ſuſceptæ, & diuinis pleriſque ſignis comprobatæ, infelix exitus ſcandalum puſillis crearet.

Quicquid

Quicquid autem ſit de cladis Varnenſis germana cauſa, certum eſt, neque Ladiſlaum reſcindendo fœdus malè initum & redintegrando antiquum, fuiſſe periurum; neque Iulianum eam reſciſſionem & redintegrationem vrgendo, autorem peierandi factum eſſe: cum iuramentum Turcico fœderi appoſitum nullum eſſet, quippè emiſſum contra obligationem prioris fœderis. At non eſſe periurum qui malè iuramento firmata reſcindit, docet S. Ephrem in Decade capitum de Virtute cap. 7. & alij Patres ibi à Voſſio allegati.

CAPVT XI.

De ſuperſtitione.

VItium peccans contra religionem per exceſſum, quia tametſi cultum exhibet, in eo tamen exhibendo excedit & errat, ſolet donari nomine *ſuperſtitionis.* Eius tametſi varia membra diſtingui poſſunt, de quibus Leſſius lib. 2. de virtut. cap. 43. à num. 3. tamen nunc illud vnum attendimus, quo peccatur in qualitate cultus ob ſuperfluitatem eius, eo quòd per aliquid inane & ludicrum, vel ſi ex ſe & in tempore bonum eſſet, tamen nimium & indecorum, impendatur cultus numini. Quo ex capite, qui olim nimij erant in fatigando numine vt filij eſſent ſuperſtites, dicebantur *ſuperſtitioſi,* iuxta Tullium adductum à S. Auguſtino 4. Ciuit. cap. 30. & malè à Lactantio improbatum lib. 4. cap. 28. eo prætextu, quòd non poſſit quis nimius eſſe in cultu bono. Sed poſſe reuera eſſe nimium iam tactum eſt. Vnde olim apud alios, qui ſic ineptiebant in cultu Dei ob nimietatem, dicebantur *religioſi,* hoc eſt nimium addicti religioni & diuino cultui: *ſicut mulieroſi & ebrioſi* dicuntur, qui mulieribus aut vino nimiùm ſunt addicti, quæ eſt Nigidij obſeruatio apud Gellium lib. 4. cap. 9. *Adulationem Dei* appellat Maximus Tyrius diſſertat. 4. commendans, non importunam ſed ſobriam erga Deum pietatem. Itaque hoc probrum eſt, cuius falsò facta impoſitione, poteſt calumnia inuri, quæ in perſonas ſanè inſignes cecidit, & in veteri & in nouo Teſtamento. Signo nonnullas.

[Iob veræ & ſolidæ religionis ac pietatis exemplar à Deo ipſo collaudatum, cùm poſt cladem externorum bonorum quorumcunque, ac etiam filiorum calamitoſos obitus, toto corpore vnam plagam circumferens, benediceret Deum, audiuit ab vxore verba illa huc manifeſtè pertinentia, *adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere* Græcorum multorum ſenſus eſt, vxorem Iobi à dæmone agitatam, vel præ rabie ex tot domeſticis cladibus & luctuoſo viri ſtatu concepta, aut quod Aſterius hom. in illud *non liceat dimittere vxorem* meditatur, ex viri amore inſigni, multum reclamante Chryſoſtomo homil. de Decollatione Baptiſtæ (vel S. Ephrem apud quem vniuerſa ea homilia legitur, tom. 1. ſub nomine Tractatus *aduerſus improbas mulieres.*) prorupiſſe in verba blaſphemiæ, & virum excitaſſe ad maledicendum Deo, ſicque è vita excedendum: Tradit hunc ſenſum præclarè S. Theophanes Nicænus Epiſtola 2. vbi poſt deſcriptas Iobi in corpore perpeſſiones à Satana immiſſas vt eum hominem adamantinum, timimque (ſic enim nominat) ſuis machinis deiiceret, addit; [Modò vxorem eius excitat, ſuas primùm ærumnas miſerabiliter deplorantem, adhortantemque illum ad blaſphemiam. Noſtis autem omnes, quomodò ſoleant muliebres fletus & lachrymæ frangere & molire virilis animi robur, ex communi præſertim calamitate, filiorumque amiſſione prouenientes; & quàm facile ſit hac via viri animum ad vxoris

voluntatem perduci. Ideo Diabolus ſancti huius ſpem in qua ſolùm enatabat, & in ipſo calamitatum pelago & æſtu, animæ illius ſcapha fluctibus reſiſtebat. conquaſſare ac frangere per vxorem primùm aggreſſus eſt. Nouit enim patientiæ bonum conſtare ex ſpe. Ait igitur; Quouſque patienter ſuſtinebis, dicens, ecce permaneo tempus adhuc paucum, expectans ſpem ſalutis meæ? Commemorat deinde ærumnas vt per harum enarrationem, perturbet magnanimitatem & conſtantiam generoſi viri. Ecce (inquit) memoria tua extincta eſt à terra. Filij & filiæ, ventris mei partus & labores, quos fruſtra ſuſcepi cum dolore. Tu verò ipſe in putredine vermium ſedes, pernoctans ſub dio. Et ego errans & ancilla, locum ex loco, domumque ex domo circumeo expectans ſolem quando occidet, vt requieſcam ab ærumnis & doloribus quibus nunc premo. His verbis arbitratus dæmon, iuſti animam faciem captu iam redditam, per obiectam vxoris perſonam (vt olim Adami per primam parentem,) venenum effert. *Dic* (inquit) *verbum ad Dominum & morere.* Si enim (ait) ob nihil aliud blaſphemare vis, ſaltem vt moriaris & libereris ab his calamitoſis tribulationibus.] Hæc & alia in eam ſententiam S. Theophanes. Nec inficior eam interpretationem, videri ſatis veriſimilem. Sed hoc ſenſu poſito, ſola priora verba ſententiæ ab vxore prolatæ facerent ad hunc locum, *adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* Quaſi diceret, non te pudet, etiam in tanto naufragio, & in tot malis, inſiſtere diuinæ benedictioni ac laudi. Manifeſtè nunc liquet, cultum quem Deo tam ſtudioſè deferre videbaris, non fuiſſe niſi ſimplicitatem aſininam, & bardam ſtoliditatem; Gall. *bigoterie* Non enim veræ ac ſolidæ in Deum pietati, repenſa fuiſſet huiuſmodi tractatio. Poteſt tamen alius ſenſus proferri poſtremorum verborum ſententiæ ab vxore Iobi prolatæ, iuxta quem poſtrema illa verba ad hunc quoque locum pertineant, & per ea vxor Iobum ſuperſtitionis & hebetudinis in diuino cultu inſimulet, quæ eſt calumnia in qua nunc verſamur, Tradunt eum ſenſum Caietanus, & Eugubinus, & luculenter eundem ſenſum exponit Sancius Iobi 2. num. 63. Videns enim vxor, virum in tot malis perſtare inconcuſſum, & ſolitas Deo laudes pangere, ſub amara irriſione & conuicio illum ferit ironicè, dicens *perge nunc* (ſcilicet) *in tuo erga Deum cultu, quo te putaſti aliquid promeriturum. Inſiſte Dei laudibus & nihilominus morere.* Non ſecus ac ſi quis, optimè animarum erga Principis obſequium videat aliquem, cui ſciat nihil reſpondendum, ſed cum caſſis laboribus futurum vt fame pereat, dicatque illi ſubdolè incuſans ſtuporis, & aſininæ in eo obſequio ſimplicitatis ac improuidentiæ, *obſequere Principi quem deperis, & fame peri.* Non enim hortaretur improuidum illum ſeruum, ad mortem ſibi per famem vltrò inferendam: ſed prænuntiaret quod euenturum videret, & ſimul callidè illuderet homini, eique obiiceret ſtoliditatem obſequij nullo præmio compenſandi. Eadem ergo mens videtur fuiſſe vxori, Iobum vrgenti vt benedicet, & moreretur; atque ita eum calumniata eſt, vt aniliter ac ineptè pium. Id quod æquè feciſſe videntur eius amici ad quos ipſe ait c. 25. *deridetur iuſti ſimplicitas.* De vulgo idem habet cap. 30. v. 9. & cap. 17. v. 6. *In eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium. Poſuit me quaſi in prouerbium vulgi, & exemplum ſum coram eis.*

[Dauid, homo ſecundum cor Dei, & velut adeps ſeparatus à carne ſic ipſe à filiis Iſraël, quòd attinet ad pietatem & religioſum cultum: tamen & religioſum cultum; tamen à Michole coniuge, hebetis pietatis, & ſtolidæ in Dei cultu operæ;

operæ, eſt accuſatus 2. Reg. 6. vbi hæc de religioſo eius ſtudio in arcæ traductione. *Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominũ. Porrò Dauid erat accinctus ephod lineo.* Subtiliter autem de Michole. *Cumque intraſſet arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul, proſpiciens per feneſtram, vidit Regem Dauid ſubſilientem atque ſaltantem coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo.* Et inferiùs poſt deſcriptum regreſſum Dauidis in Domum ſuam. *Egreſſa Michol filia Saul in occurſum Dauid, ait, quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* Depoſito Dauid Regio veſtitu ad ſaltandum incommodò, Ephod lineum indutus erat, eoque amictu totis viribus ante arcam in Dei honorem ſaltarat. Eam veſtis Regæ abiectionem, talem perſonam in publica præſertim pompa decentis, Mulier ſtulta, ne micam quidem ſalis myſtici & veræ pietatis habens, vocat nudationem, ſcurræ, quàm Regi congruentiorem. Vniuerſam verò Dauidis in ea ſaltatione religioſitatem, quæ verè magna erat, & Deo quàm accepta, mulier animalis non ſapiens ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum, & ex ſenſu mundi non Dei rem exigens, indecoram humiliationem eſt arbitrata. Ita enim habetur ex reſponſo Dauidis, ad iraſcentem, & viro ob ſtolidum Dei cultum inſultantem mulierem. *Ludam, & vilior fiam plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Vera ſiquidem gloria, in libro Dei ea dicitur, qua quis propter Deum vileſcit atque deiicitur; iuxta illud Iacobi *glorietur frater humilis in exaltatione ſua:* id eſt in deiectione & humiliatione, quæ cauſaliter eſt exaltatio. Itaque vidit Dauid, ſe ob eam ſaltationem coram ancillis, id eſt vxoribus ſeruorum, cominus aut eminus Regem ſic ſaltantem ſpectantibus; aut coram ancillis populariter dictis dominas aſſectantibus, viluiſſe Micholi coniugi; & deſpectum tanquam ineptientem & ſuperſtitioſum in Dei cultu, quem voluiſſet mundana & ſeculum ſapiens Michol, non exhiberi à marito, niſi in maieſtate Regia, & faſtu illis populorum apicibus ſolito. Et tamen fuiſſe calumniam, quòd Dauid ab vxore idcirco audiuit ſuperſtitioſus ac ſimplex, monſtrauit acceptum Deo Dauidis ſtudium, & repoſita Micholi pœna. Nam Michol filia Saul, ea profectò ex cauſa, *non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ.*

Mardochæus, recuſata Amani apud Aſſuerum potentiſſimi, ciuili adoratione, veritus ne honorem Dei ſui, & cultum ſoli numini debitum transferret in hominem mortalem, & quidem Ethnicum; ſummo diſcrimini obiecit res Iudæorum, vitamque ipſam, vt narratur cap. 3. Eſther. In quo facto aliqui, ſuperbiæ notaſſe videntur Mardochæum, qui furorem Amanis incenderit, negato ei præ arrogantia atque ſuperbia, cultu ciuili; qualem duntaxat expetebat Aman, & qualem ipſe Mardochæus non grauatè exhibebat Aſſuero. Tamen ipſe Mardochæus, diſertè à ſe amolitur notam ſuperbiæ, conteſtans Deum cap. 13. *Cuncta ô Deus noſti, & ſcis quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloria cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum: (libenter enim pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius, deoſculari paratus eſſem:) ſed timui ne honorem Dei mei transferrem ad homines, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* En quàm ab arrogantia & ſuperbia abfuerit Mardochæus. Timuit tamen adorare hominem pro Deo; qui timor viſus eſt pertinere ad ſuperſtitionem inanem, cùm ſolus ciuilis cultus (qualem Aſſuero deferebat,) aut etiam minor, ab Amane expeteretur.

P 2 Non

Non videtur tamen dubitandum, quin Mardochæus tantùm abfuerit à vana ſuperſtitione, & nimio timore de transferendo in hominem Dei cultu, quantùm criminatores eius à prudentia, cùm hominem apud omnes Patres laudatum, nec obſcurè ab ipſa diuina Scriptura commendatum, onerant tanto probro; quod ab eo diligenter remouent Rupertus lib. 8. de violentia Verbi Dei cap. 9. Serarius in cap. 3. Eſther quæſtiunc. 3. Sanctius ibidem, Salianus anno mundi 3600. à num. 4. & eodem anno Torniel. ſanè Perſas, adorationem ſoli Deo debitam, detuliſſe Regibus, in confeſſo eſt. Fusè id confirmant Serarius & Sanctius loco annotato, vt Briſonnius lib. 1. de regno Perſarum. Cùm ergo hunc honorem, ex Regiæ maieſtatis participatione aliqua ſibi depoſceret Aman, itaut ſaltem tanquam Deus minorum gentium coli vellet, eumque honorem putidiſſimi aſſentatores ei exhiberent; iure eum negauit Mardochæus, vt benè ſtatuit S. Thomas 2.2. q. 84. art. 1. ad 1. colligiturque ex eo quòd negans cultum illum Mardochæus, rationem reddiderit eò quòd eſſet Iudæus, vt habetur cap. 3. Eſther. Regi autem Aſſuero nunquam exhibuit niſi honorem ciuilem, nec ipſe plus à Iudæis popoſciſſe videtur, conſcius eos non ceſſuros turpiſſimo mori Miror porro Caietanum in cap. 3. Eſther, impingere mentionem Mardochæo diſertè profitenti ſe negaſſe Aman cultum quem expetebat, ne transferret in hominem, honorem Dei ſui. Haud quaquam ita eſt, ait Caietanus, cum etiam renuerit Amani aſſurgere: (vt habetur cap. 5.) quod tamen ad diuinum honorem non pertinebat; idque capiti 13. inſertum, Caietanus reprobat tanquam apocryphum. Hoc temerè à Caietano factum eſt, cum editio authentica, eam Mardochæi excuſationem clarè contineat. Noluit ergo Mardochæus aſſurgere Amani, vt tantò elongatiorem ſe monſtraret ab exibendo cultu ſupremo, quē iam ab eo exquiſierat affectator honorum diuinorum ſuperbiſſimus Aman.

Tobias vir Dei, doctus ab infantia religiosè numen colere & piè timere, cùm probatus à Deo eſſet, immiſſa inter ſanctè operandum cæcitate, à cognatis deriſus eſt, tanquam qui ſtultè pius fuiſſet, vt habetur cap. 2. v. 15. & 16. Nec defuit Tobiæ (ſicut ſancto Iobo,) ſua Eua, per quam Satan inſidiaretur ei. Anna quippè vxor Tobiæ, irata ob ſanctum monitum à Marito ſuggeſtum, reſpondit; *Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt. Atque his & huiuſmodi verbis, exprobrabat ei.* Vocabat vtique ſuperſtitioſum, ſimplicem, inſulſum, delirè pium, qui totus fuiſſet in actionibus externa ſpecie religioſis ac piis, reuera inanibus: ac nunc etiam in calamitate perſeueraret ſimiliter ineptiens, quantùm per cæcitatem licebat; precabundus ſcilicet, aut potiùs muſſabundus; vel quod correptio adhibita ferebat concionabundus: cum tamen Deus ſatis ſuperque teſtatus eſſet repoſitione cæcitatis, omnem ſimplicis hominis religionem, inſulſitatem fuiſſe. Hanc calumniam, quæ viro ſancto in graue cordolium fuit, itaut oraret recipi in pace ſpiritum ſuum, cenſens expedire ſibi mori magis quàm viuere; Deus ipſe ſufficienter diluit, tot mirabilibus poſt calamitatem circa eum editis; & nominatim commendatis per Raphaelem cap. 12. eius precibus, & multiplicibus pietatis operibus ex intentione diuini cultus. Quo ſuffragio pietati Tobiæ præſtito, obſtructum eſt os deriſorum, qui locuti erant de eo iniqua.

Chriſtus dominus ex ore Dauidis pſal. 68. deriſa, & in iocū verſa ſua pia opera in Dei laudem ac bonum noſtrū edita, conteſtatur verbis illis, quę quominus de Dauide accipiantur obſtat S. Auguſtinus, reprehendens

prehendens eos qui ea aliter quàm de Chriſto accipiunt, quæ toties ab Apoſtolis & Euangeliſtis de Chriſto ſunt expoſita, ac nominatim Rom. 15. Ait ergo Chriſtus per Dauidem. *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Et operui in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi. Et poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum. Ego verò orationem ad te Domine.* Fieri in parabolam, interprete D. Auguſtino, eſt derideri, & fieri in ſimilitudinem improperij, vt loquitur Sapiens; id eſt in prouerbium inſultantium atque deridentium. Qua ratione videmus iactari de aliquibus per modum adagij, quòd aliquid inſulsè fecerint: toties id per iocum & cum ſannis recolendo, quoties affine quippiam recurrit. Chriſtus ergo profitetur, ſua religioſa & pia opera ac perpeſſiones in Dei cultum exceptas, deriſui carnalium patuiſſe, ſeque inde ſimplicem ac inſulſum audiuiſſe; qui tamen erat abſolutiſſima ſolidæ ac Deo accceptiſſimæ religionis Idea; vt proinde calumnioſas fuiſſe voces illas, quibus pietas eius inanis & ſimplex audiebat, non liceat dubitare.

S. Helena Auguſta, ſolitæ religionis & vndecunque nitentis pietatis exemplar, grauata per calumniam eſt, probro ad hunc locum pertinente. Id enim eſt, quod *ſtabularia* eſt denominata. Inſinuat quidem S. Ambroſius ad finem Monodiæ Theodoſij, B. Helenam dictam eſſe *ſtabulariam*, quia filia fuerat hoſpitis, in ſtabulo, id eſt in caupona excipientis aduentantes hoſpites: per quam occaſionem à Conſtantio ſeniore adamatam fuiſſe volunt. Cùm enim Conſtantius ab Aureliano Imperatore, ad ſubigendos ſæpe rebellantes Britannos, eſſet in eam inſulam amandatus refertur, ſpecie Helenæ, hoſpitis, apud quem diuerterat filiæ captum eſſe & ſuſcepiſſe ex ea Conſtantinum Magnum. An tanquam ex pellice, vt Aldelmus in Britannia Epiſcopus lib. de laude Virginit. loquitur, an tanquam ex legitima vxore, variant ſententiæ. Sed ſuo loco monſtrabo, verè Helenam fuiſſe Conſtantino ſeniori legitimam coniugem. Nunc tantùm agitur, an B. Helena à ſtabulo, ſiue ab hoſpitio quo pater hoſpites pro mercede exciperet dicta ſit *ſtabularia*; quod ab aliquibus iactatum eſſe refert nihil affirmans S. Ambroſius.

Verius tamen videtur, S. Helenam non eſſe inde denominatam *ſtabulariam*. Neque enim qui res Britannicas ſcriptis mandarunt, agnoſcunt, S. Helenæ parentes, ei ignobili quæſtus faciendi modo dediſſe operam; ſed ex Coëlo apud Britannos Coloniæ Regulo, ortam produnt: inque eius rei monumentum, Colonienſes Britanni, Helenam ciuem ſuam conteſtantes, in publico clypeo crucem nodoſam inter quatuor coronas, monimentum repertæ ab ea Crucis Dominicæ præferunt, vt refert Camdenus in Chorographia Britāniæ, tametſi id damnat fabuloſitatis, deceptus autoritate Nicephori, qui Helenam Bithynam aſſerit, & à Britannia ablegat. Sed perperam, vt latè proſequitur Michaël Alfordus, in Britannia illuſtrata. Itaque vera ratio denominandi S. Helenam *ſtabulariam*, ducenda videtur, ex veſtigato, tandemque reperto, & à prophanitatibus Ethnicorum liberato præſepi ac ſtabulo in quo Chriſtus fuſus eſt ex matris vtero. Hoc enim eius ſtudium ſubſannantes Ethnici, & iugem ſtabuli ab ipſa expurgati frequentationem deridentes, *ſtabulariam* appellauerunt. S. Ambroſius ſub finem Monodiæ Theodoſij, tametſi vulgarem eius denominationis originem ab hoſpitali ſtabulo refert; tamen ex ſua mente, idcirco dictam meritò ſtabulariam ſignificat

ficat, quia Chriſti ſtabulum exornauit, & idcirco fuit Ethnicis lampas, & ſtultæ ſuperſtitionis notata.

S. Pulcheria Auguſta, à Matthia Flauio Illyrico & combibonibus Centuriarum conſarcinatoribus, ſuperſtitionis inſimulatur. Quam enim pro perſona quam ſuſtinebat, magnis negotiis inſiſtere par fuerat, in minutiis circa pietatem & religionem ſtudioſius iuſto hærentem, in ſanctorum offi.ius vndecunque colligendis laborantem, votis aſſiduè congeminandis inſiſtentem, labante imperio (cùm firmari per coniugium in tempore initum, & prolem ex eo ſuſceptam poſſet;) certam nuptias legitimas reſpuere, nec niſi ânum, ſpecie coniugij, virum non virum ſortiri Marcianum; vt ſuperſtitioſam traducunt, religioſi ſcilicet homines. Calumniam potenter diſiiciunt, immenſa laudum præconia, quæ S Leo Magnus ſolidæ pietati ac religioni S. Pulcheriæ, non ſemel panxit. Ad eandem & ſorores, eius exemplo & monitis Virgines, S. Cyrillus Alexandrinus de fide ad Reginas librum conſcripſit, quo immenſis laudibus ornat ſanctam hanc Virginem. Ei quippè præcipuè ac primò debentur, encomia ibi Reginis ſororibus promiſcuè tradita. Sed ſigillatim S. Pulcheriæ pietatem & ſolidam religionem à ſuperſtitione remotiſſimam, extollit inſigniter Concilium Chalcedonenſe epiſtola ad ipſam Pulcheriam Auguſtam; & actione 6. in proſphonetica, vocans *Nouam Helenam, cuſtodem fidei, ſemper piam, amatricem Chriſti, per quam fides firmata eſt, quæ omnes Hæreticos fugauit.* Et hoc eſt, quod effrontes illos calumniatores, qui ſanctiſſimam Auguſtam allatrarunt, emouit. Cùm enim ſpurciſſimi hæretici ſint, auos ſuos ab hac ſancta Amazone exagitatos ferunt iniquè.

Robertus de Abruſcellis fundator Ordinis fontis Ebrardi, inſignis ſuperſtitionis inſimulatus eſt, referente Goffrido Vindocinenſi l. 4. epiſt. 47. quæ eſt ad ipſum Robertum. Rumor enim fuit, excogitatum ab eo eſſe nouum genus colendi Deum, imo nouum martyrij incruenti genus; cubando in eodem lecto cum Virgine quapiam Deo ſacra, & efferueſcentem carnem generosè reprimendo. Non aſſerit id quidem de eo Goffridus; teſtatur tamen eſſe iactatum, acerriméque inſectatur. Affinia ſunt quæ à S. Bernardo ſerm. 63. in Cantic. intorquentur in licentiùs agentes cum mulierculis, & tamen prætendentes omnia ſalua, quos ſeueriſſimè corripit. Sed Goſridus ſeueriùs. Nec ſine dubio, inſectatio vlla par eſſe poſſit, ei ſuperſtitioſo, imò inſano Dei cultui proſcindendo. Nihil tamen tale à Roberto factum, & per calumniam affictum illi eſſe infame illud ac propudioſum carnis martyrium, debet eſſe extra dubium. Is ſiquidem fuit odor ſanctimoniæ Roberti, ſiue dum hîc ſuperſtes eſſe, ſiue poſt felicem eius tranſitum, qui putorem omnem calumniæ propoſitæ prorſus eliminet. Paſchalis Papa eo diplomate quo inſtitutum Fontebraldenſe confirmauit, *hominem magnæ religionis* appellauit. Lucius 2. *ſpectatæ religionis Presbyterum.* Epiſcopi & Abbates qui ægrum viſerunt, *donatum à Deo conſiliarium animarum.* Baldricus Dolenſis Epiſcopus, *habitaculum Ieſu Chriſti, templum & organum Spiritus ſancti, reſponſalem & Vicarium altiſſimi, ipſius delibutum ſermonibus.* Gauffridus in vita S. Bernardi Tyronenſis *fortiſſimum propugnatorem iuſtitiæ & totius iniquitatis ac iniuſtitiæ oppugnatorem.* Hæc & alia pro teſtatiſſima Roberti ſanctitudine diuinis prodigiis ac prænuntiationibus nobilitata, addenſat R. P. Honoratus Nicquetus l. 1. & 2. hiſtoriæ Ordinis Frontebraldenſis, & in Opella cui titulus, *Gloria B. Roberti de Abruſcellis*, multis farta teſtimoniis, quæ calumnioſum illud, inſanæ ac propudioſæ ſuperſtitionis Roberto affictæ com-

mentum,

mentum, protſus euertunt. Ne tamen incredibile videatur, huiuſmodi probrum in aliquem cadere potuiſſe; præſtat apud Niderum l. 3. fornicarij cap. 6. mulieres, ad ſe vincendum.

S. Gangulphus, (cuius memoria illuſtris eſt in tabulis Eccleſiaſticis 5. Idus Maij,) ſub Pipino Francorum Principe, factis militaribus ita conſpicuus erat, vt ſimul in operibus pietatis & cultu numinis totus eſſet. Qua ex cauſa, hebes ac væcors à pleriſque; pietatem eius, inſulſitatem interpretantibus habitus eſt, ac nominatim ab vxore; quæ mariti (vt vocabat ſimplicitatem ad Licentiam viuendi trahens, rupta coniugij fide, clancularijs cum homine ſacro turpitudinibus fœdabatur. Qua de re diuino miraculo certior factus vir ſanctus, qui inter præuias vehementiſſimas ſuſpiciones occurſantem animo cogitationem de confodienda adultera ſæpè repulerat; dimiſſam, ſibi deinceps permiſit, ipſe pietati & religioſis numinis obſequiis liberiùs daturus operam. Perfida vxor iam maniſeſtè mœcha, ſannas in viri pietatem, (quam ipſa hebetudinem, & cordis inopiam ſuperſtitione implicitam nominabat,) cumulauit viricidio per ſacrilegum Concubinum patrato. Cúmque ſecurè deincenceps ſynoris turpitudinis, fruituram ſe bonis arbitraretur, & in beati viri hebetem pietatem plura in dies nefariè vibraret verborum ſpicula, ita vt miracula quoque quibus Deus ſanctum ſuum mirificabat, deriſu exciperet, & eluderet calumnioſè; vigil de cœlo ſacrilegum mœchum primò, eadem qua Arrium ſubita effuſione viſcerum in latrinas, inexpiatum multauit, ſpurcam verò lupam quamdiu aduixit, fœdo ſupplicio ad calumnioſa eius verba admenſo puniuit, vt habent Gangulphi Acta 11. Maij, eóque ipſo abſterſa eſt calumnia.

S. Petrus de Murono, ex Eremita ad faſtigium honorum euectus, recogitans annos priores, & quietem qua in deſerto fruebatur, præ tumultibus quibus in Pontificia dignitate obiectus erat, munere abdicato ad priorem vitam regreſſus eſt, pleriſque admiratione & ſtupore defixis ob tantum dignitatis culmen, ad quod tam multi adeò cupidè aſpirant, humilitatis propè miraculo poſthabitum: aliis verò ex ſuo genio factum æſtimantibus, (quod Petrus de Alliaco l. 2. Actorum ſancti viri cap. 15. notauit,) calumniantibus eum; quaſi non ex vera humilitate & ſolida pietate, ſed ex vilitate animi, & hebetudine renuntiaſſet Pontificiæ dignitati. Eamque ob cauſam Danteſ. Poëta virum hunc ſanctum ſuo Inferno immiſit. Sed Deus calumniantium ora obſtruxit. Nam confeſtim à renunciatione, inſigne miraculum per eum edidit, vt agnoſcerent mortales, nihil ab eo geſtum non ſanctè ac piè: & deinceps inter obloquentium ſannas & vexationes omnino graues quæ carò denique vexatoribus ſteterunt, multa & magna Deus per illum operari dignatus eſt, quibus indicium proborum de vera eius virtute, nec hebeti & inſulſa pietate, liquidò confirmaretur. Et verò poſſe præfecturam ſacram quamcunque, atque adeò etiam ſupremam, renuntiatione deponi, non modò Bonifacius VIII. B. huius viri ſucceſſor declarauit, & in iure expreſſum extare voluit, ſed etiam à Petro Damiani ſtabilitur Opuſcul. 20. cap. 2, iungenda pro huius ſancti viri expurgatione, quæ dicam infra tractans calumniam de hebetudine & aſinitate.

Rupertus Abbas Limburgenſis, ex Philoſopho Pariſienſi acutiſſimo, Philoſophus Dei VVormatiæ ciuitate ſua factus, in cœnobij denique Limburgenſis quod in Spirenſi Diœceſi ſitum eſt, Abbatem prouectus, præ ſpiritus feruore & magno deſiderio antiquorum Eremitarum, & priſcorum multorum Monachorum inſtituta renouandi, induxit in

ſuum

ſuum cœnobium genus abſtinentiæ, paucis Monachis, qui diſſenſerant, agentibus vt Arnoldus Epiſcopus Spirenſis, eum ſuperſtitionis & vanæ nouitatis nomine accerſeret, grauitérque criminaretur: præſertim quia Rupertus, ſe tuebatur autoritate diuinæ cuiuſdam reuelationis, quam Epiſcopus confictam ſuſpicabatur. Abſtinentia à Ruperto inducta, erat ſanè rigidiſſimè, & pridem in cœnobiis deſita. Non ſolùm enim à carnibus abſtinere ſuos volebat; ſed etiam à piſcibus, ouis, lacticiniis, & omnibus planè quæ vixiſſent aliquando, vel viuere potuiſſent; ſolis leguminibus, piſis & fabis ad cibum adhibitis: ad potum autem, vinum (extra infirmitatem,) vſurpari nolebat. Hanc eſſe ſupeſtitionem nouam, expoſtulabat Epiſcopus: & plenum temeritatis, vſum à Ruperto inuectum, de conſilio multorum Prælatorum & Clericorum diuerſi ordinis, pronuntiabat: vt latè refert Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, anno 3. Volmari Abbatis, Chriſti 1124.

Verùm Deus ſteriſſe pro Abbate viſus eſt, & querelam ei impactam, calumnioſam declaraſſe. Conteſtatus enim Abbas, neminem ad eam abſtinentiam à ſe adactum; Monachóſque ſuos vltrò in eam conſenſiſſe zelo diuini honoris, & antiquorum Patrum imitatione, quorum plerique pane & aqua & pauco ſale contenti, vitam exegerant; alij autem inter quos S. Martinus cum ſuis Monachis abſtinentiam hîc inſimulatam exercuiſſe leguntur: his inquam prolatis, Abbas diuinum de ea abſtinentia monitum per reuelationem ſibi factam expoſuit, & horribili iuramento firmauit: imprecatus ſibi dira quæque ſi ſciens falleret. Ceſſit Epiſcopus conſtantiæ Abbatis, tum quidem, ſed poſt paucos menſes regreſſus, turbas denuo excitauit aduersùs Rupertum ea ex cauſa: qui Epiſcopo citam mortem ante exactum annum denuntiauit in verbo Domini. Et non fuiſſe denuntiationem vanam, non ita multò pòſt, ſubitus Epiſcopi tranſitus conſecutus monſtrauit. Abbas autem poſt renouatas ſub Epiſcopi ſucceſſore Sigefrido procellas, ſibi denique permiſſus, ſancto fine quieuit, non minùs abſtinentiæ merito cumulatus, quàm purus labis ſuperſtitioſæ vanitatis, quali nota deformatum iam olim Alcibiadem Lugdunenſem martyrem ſanctiſſimum, purgare memini in Indiculo. Et eiuſdem probris notatos Catholicos, inſimulatóſque Manichæiſmi, mentio eſt apud Autorem Epiſtolę de Cereo Paſchali tomo 9. Hieronymi.

S. Ludouicus IX. Regum gemma, diuino cultui & piis operibus, pro Rege, ſupra fidem addictus, in ſermones animalium hominum incurrit, tanquam minùs dignè eo gradu, demitteret ſe ſpecie religionis & cultus diuini, ad multa opera de ſeculi ſenſu abiecta; cuiuſmodi ſunt, quolibet ſabbatho aliquot pauperum ſuamet manu pedes abluere, tergere, ac fixis oſculis ſuauiari: In peruigiliis ſolemnium feſtorum, pauperes ad ducentos cibare, appoſitis ſua manu eduliis: Tres ſenes inopes quotidie habere conuiuas, & de reliquiis ciborum quæ eis ſupereſſent, nominatimque offarum ab eis prægustatarum, veſci ex eodem vaſculo, non abhorrendo à cibis quos contrectauerant, & demanſis iuſculorum, vnde illi partem hauſerant: Morbidos quoſcunque libenter viſere, ac ne à leproſis quidem, queis naſus & oculi planè exeſi fuiſſent abhorrere. Hæc & alia huiuſmodi, viro ſancto quotidiana, tenuitatem ingenij & ſuperſtitioſam inſulſitatem interpretabantur, aliqui ſapientia carnis (quæ mors eſt,) tumeſcentes. Sed Deus calumniam abſterſit. Nam variis prodigiis ſanctum ſuum nobilitauit & deriſores pietatis Regiæ malè aliquando multauit, vt nominatim

contigit

contigit cuidam Lutetiâ reduci, de quo Geldriæ Comes ſciſcitabatur, num Regem Ludouicum vidiſſet. Cùm enim ſubſannans ſancti viri pietatis ſpeciem (vt vocabat,) reuera autem ſuperſtitionem & ſemiinſaniam; reſpondiſſet, *Vidi vidi illum miſerum papelardum Regem, ad ſcapulas capitium geſtantem:* facies eius vlciſcente Deo, conuerſa eſt retrorſum, & ſic contorta remanſit: demonſtrans quàm præpoſtera fuiſſet de ſancto Rege calumnia.

Quis credat, ſanctum Regem iam cœlo illatum, iam Eccleſiaſtico iudicio vindicatum, cœleſti ſuffragio clarum, à Gallis ipſis ſecundùm carnem ſapientibus, calumniâ pulſatum ſuperſtitioſæ pietatis, ob ſuſceptas in terram, quam calcarunt pedes Domini, binas expeditiones, ſummis cum cladibus, & ærarij exhauſtione? Stephanus Paſchaſius, non dubitauit hinc notare ſancti Regis inconſultam religionem; cum tanto (vt quidem homini politiciſſimo viſum,) regni diſpendio: præſertim quia in prima expeditione, Rex ipſe captiuus factus, non niſi immenſo litro annumerato, redemit ſuam exſolutionem: in ſecunda verò ex lue, qua contactus eſt, nullo per vtrumque iter pretio operæ, migrauit è viuis. Sed aduerſus huiuſmodi importunos ſancti Regis criminatores & calumniatores, vſurpare rectè poſſumus illa Sap. 10. *Sapientia omnium potentior, venditum iuſtum non dereliquit; ſed à peccatoribus liberauit eum, deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam aduerſus eos, qui eum deprimebant: & mendaces oſtendit qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Audin Paſchaſi, quo loco habeat Deus maculam falsò imponentes ſanctis; quod tu hac ſancti viri ſugillatione præſtitiſti? Claritate æterna affuſa ſancto ſuo Deus optimus maximus omnes offucias veſtras diſpulit, vóſque mendaces oſtendit. Serui ſui pietatem ſolidam & improuidentiæ expertem, contrà quàm vos contenditis, declarauit: atque adeo vos calumniatores eſſe, teſtatum fecit. Accommodatiſſima verò huic quoque loco eſt, apologia, quam pro ſe in ſimili euentu contexit S. Bernardus l. 2. de conſiderat. cap. 1.

S. Catharina Suëtica, filia B. Birgittæ vnà cum Eghardo marito, fatuæ & ridiculæ ſuperſtitionis nomine damnata eſt; cùm ab aliis, tum ſigillatim à Catolo eiuſdem Beatæ Catharinæ fratre. Damnandi cauſa fuit, quod cùm Catharina patre Vlphone iubente Eghardo nobiliſſimo iuueni nupſiſſet; illa ad reſpuendas commercij nuptialis delicias Eghardum induxiſſet, ita vt interpoſito iureiurando illibatum pudicitiæ florem Deo vterque conſecraret, & ſancto aſtu ſæcularis pompæ ſpecie exteriùs retenta, Chriſtianæ perfectionis ſtudia excolerent, ieiuniis, vigiliis, ac precationibus aſſiduè dantes operam; noctu autem intra idem cubiculum ſpreta cubilis mollitudine, ſubſtrato humi panno; ceruicali ſuo ſeorſim cuiuſque capiti ſuppoſito, ſecubarent, ne hyeme quidem eo more immutato. Hoc cùm à domeſticis quibuſdam Catolus Catharinæ frater accèpiſſet, irrupit improuiſus in cubiculum, & deprehenſos humi ſeiunctim cubantes, homo non ſapiens ea quæ ſunt ſpiritus, ſimplicitatis fatuæ, ac ſuperſtitioſæ notauit: quòd licitis voluptatibus non indulgerent, & vitæ rationem ſuſciperent diuinis prope aduerſantem inſtitutis; cùm Deus coniugibus benedixerit, eaque ratione propagati & multiplicari genus humanum, illecebrâ honeſtæ voluptatis appoſitâ, inſtituerit.

Hoc fuit animalis hominis ea, quæ Dei ſunt non ſapientis iudicium. Sicut enim coniuges, fraudare ſe ad tempus ex conſenſu; vſu poteſtatis mutuæ in cor-

pora ad vacandum orationi, ſanctum eſt & ab Apoſtolo commendatum: ita qui eiuſdem poteſtatis vſu prorſus ſibi interdicunt ab initio, ex conſenſu mutuo, vt Deo puriùs, ac liberiùs vacent, magnæ perfectionis conſilium ineunt: tantùmque abeſt vt pugnent cum diuina inſtitutione, vt potiùs quæ Deus prælegit & acceptiora habet quouis fructu carnis, religioſè complectantur. Nemo ſanè Catholicus, Ioſephi & Beatiſſimæ Virginis coniugium improbauit; quamuis veriſſimum eſſet coniugium abſque corporum mixtione. Deinceps quoque variis Chriſtianis ſeculis, multa talia coniugia venerationi fuere, vt Martiniani & Pulcheriæ, Henrici & Chunegundis, Anaſtaſij & Theogniæ in vita S. Baſilij per Amphilochium cap. 9. Amantium duorum apud Gregorium Turonenſem lib. 1. hiſtor. Francor. cap. 42. Elzearij & Delfinæ, Iuliani & Baſiliſſæ, Arnulphi & Stambergæ. Alia exempla addenſo alibi. Nec pauca Eſperuæus l. 6. de continentia c. 3. Falſus tamen circa Mariam OEgniacenſem, quam Iacobus Cardinalis Vitriacus vitæ autor lib. 1. cap. 2. & 3. ad tempus coniugio vſam, non diſſimulat.

Superſtitionis, inaniſque religionis, ſubulcus haræ Caluinianæ, cuius nomen his cartis illinendum non eſt, notabat non ita pridem Fratres Minores quod refugerent contactum pecuniæ quaſi contactus in vitio ſit & non poſſidendi affectus, aut quaſi pecunia iuxta Manichæorum blaſphemiam ſit à Deo malo, ideóque deuitandus ſtudioſè ſit eius contactus, tanquam rei per ſe malæ & labem ab origine ſua haurientis. Hæc tamen eſt calumnioſa popæ Caluiniani cauillatio, non culpa vlla FF. Minorum, quibus nunquam in mentem venit exiſtimare pecuniam ex ſe ſordere, aut ab alio quàm à Deo per idoneas cauſas in terræ viſceribus procreari, vnde erura formetur multipliciter. Nemo id Chriſtianorum commentus eſt. Nec id ferunt illa Tertulliani l. de habitu mulieb. cap. 5. conclamantis in aurum & argentum. [Aurum & argentum principes materiæ cultus ſæcularis, aſſint neceſſe eſt vnde ſunt. Terra ſcilicet planè glorioſior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis, pœnali opere deplorata, nomen terra in igni reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutatur.] Haud quaquam Tertullianus *maledicta* vocat metalla, quaſi non ſint Dei opera. Sed quia miſeri Chriſtiani ad metalla damnati, dirè admodùm in illis eruendis ac expurgandis laborabant, vt apud S. Cyprianum videre eſt epiſtol. 77. Conſilium itaque Fratrum Minorum in refugiendo peniæ attactu pium & ſanctum eſt. Vt enim aſſueſcant affectum ab eo obiecto tam multos in ruinam ineſcante auocare, etiam manum à contactu ſemouent. Sicut olim Hebræi vetabantur morticina contingere, non quòd cadaueribus piorum inſit immunditia, ſed vt admonerentur ſecedere ab operibus mortuis & ſeruire Deo viuenti. Videſis an non Arator deſcribens proiectionem pretij ante pedes Apoſtolorum vſum antiquum ſimilem inſinuarit in Apoſtolis cum ſic canit:

——————Nunc aſpice partes
Lector docte pias, & tecum mente ſagaci.
Volue quid eſſe putes, rutili quia pompa metalli
Ponitur ante pedes, ſacris non tradita dextris.
Deſtitui debere probant quod tangere vitant
Calcandumque docent quod ſubdunt pedibus aurum.
De quo terrena veniunt ad corpora curæ.
Conſimili iactatur humo; quo ſiſtat auare
Mens tua diſce loco, quod tu cuſtodis anhelus.

Quod

Quod ſtatione premis, quod cernere ſæpius ardes,
Cuius in amplexus per ſomnia cuncta recurris.
Horreſcunt tractare pij, nec tunc quoque geſtant.
Cum bona facta parant. Quantum ſpeculantur in illo.
Stare nefas,& damna gerens contemnitur aurum.

Quis vetet huc item transferre priſcum vſum, non accipiendi ab alio pecunias porrecta manu, ſed extenſa chlamyde, abſque pecuniæ attactu per accipientem, ne rapi videretur? Adeundus de eo priſco vſu Iacobus Durantus Caſellius lib. 1. Variat. cap. 20. qui eum illuſtrat ex Ammiano, & aliis.

S. Elizabetha Hungariæ Regis filia, Lantgrauij Thuringiæ vxor, ſocrui Sophiæ, (apud quam ante nuptias educabatur,) tanquam ſuperſtitioſa & cœnobio,quàm palatio aptior,in contemptum venit; quòd procedens feſtis diebus ad templum cum magna gloria & coronam geſtans in capite, cum primùm ad templum perueniſſet, deponebat ſignum ſuperbiæ, (ſic enim poſt Eſtherem cap. 14. nominabat coronam:) confirmans dedecere, vt vbi Chriſtus ſpinis coronatus colitur, Chriſtianæ caput redimitum corona appareret. Auxit deſpectionem Socrus, & cæterorum, qui ei applaudebant, ſimplicitas vitæ, & intenta ſemper in Deum cura Elizabethæ; morbidorum & pauperum ardens ſtudium, & humilitatis vndecunque captata materia; ita vt mortuo denique marito, impotentiâ æmulorum ad inopiam redacta, cum liberis, præ patientiæ & humilitatis Chriſtianæ amore tenuitatem illam & abiectionem, factâ regreſſus ad pinguem fortunam optione, nollet relinquere. Quod vbi compererunt Magnates,eius pietatis oſores, (inquit Auctor Auctorū ſanctæ Principis Iacobus Montanus cap. 19.) [Tanta ſunt excandeſcentia permoti, vt ne videre quidem æquis illam animis deinceps poſſent, inſanam, fatuam, ac ſuperſtitioſam clamitantes, quòd poſt defunctum Principem, alteras detrectando nuptias gauderet; quòd diuitias, honores, voluptates, reiiceret; quòd religionem cæteris nobilibus inæqualem præferret.] Sed probauit Sanctæ Principis inſtitutum Chriſtus Dominus, dignatus eam diuinis viſis, & alloquiis, & multis ac inſignibus miraculis teſtatam faciens ancillæ ſuæ ſanctitatem. Probauit etiam Chriſti Vicarius Gregorius IX. & ſuperſtitem ſolatus, ac hortatus literis, & defunctam quarto poſt obitum anno, cœlitum honoribus condecorans: quod ad diſcutiendas calumnias omnes, de hebeti & ſuperſtitioſa eius pietate, eſt pluſquam ſatis.

Fideles Sacramentum Euchariſtiæ frequentantes, extra tempora ab Eccleſia omnibus præſcripta, ſuperſtitionis notati ſunt, teſte Chriſtophoro Madridio in præfatione ad Opuſculum ſuum de frequenti Communione: qui addit, eum fuiſſe ſenſum, non rudis duntaxat plebeculæ, rerum noſtrarum imperitæ, ſed etiam quorundam Religioſorum, omni ope annitentium, vt ea ſuperſtitio (ſic enim appellare placebat,) tanquam plena periculi exſcinderetur. Id verò non clanculum, aut in cubiculis,ſed pro ſuggeſto ab illis factum, ſcribit Nicolaus Orlandinus l. 16. hiſtor. Soc. notans, illos Oratores ſacros in frequentationem Euchariſtiæ adhuc exarſiſſe, vt quos pro ea agere viderent, facerent ſuſpectos erroris: adeò perſuaſi erant, hanc frequentiam periculo graui non vacare; quippè quæ vt minimùm, familiaritate paritura eſſet contemptum, vel ad abnegationem præſentiæ Chriſti in vſu adeò parabili tanti Sacramenti, manuducere videretur. Hanc craſſiſſimam religioſſimi vſus calumniam, cum Chriſti inſtituto è diametro

metro pugnantem, & Eccleſiæ, ac Sanctorum Patrum ſenſui planè contrariam, conuelło alibi: & idem fortiter fecit laudato proximè libello Madridius, quem compeſcendis calũniatoribus plurimum valuiſſe, teſtatur loco allegato Orlandinus. Et verò vſus perantiquus veterum Chriſtianorum, ducibus ipſiſmet Apoſtolis, ad calumniæ reiectionem planè ſufficiebat.

CAPVT. XII.

De Simonia.

ADuerſatur religioni & diuino cultui Simonia, ſubiiciens pretio rem ſacram, & perfuſam Chriſti ſanguine; proindéque illam dehoneſtans. Quare calumnia de admiſſa Simonia, ad hunc locum ſpectat. Eſt autem tetra omnino calumnia, ſicut tetrum planè eſt probrum quod imponit. Simoniæ virulentiam vndecunque demonſtro in Opere cui titulus eſt, *Mala bonorum Eccleſiæ* l. 2. c. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. vbi tametſi duntaxat ago de Simonia in beneficiis, tamen par eſt ratio malignitatis in quacunque Simonia. Imò Simonia in beneficiis, pro qua tanquam peſtifera ab Eccleſia excludenda, certarunt tanto ſtudio Pontifices ac Patres, videtur cæteris leuior: quia res temporales, quarum emptio & venditio à Simoniacis quæritur, tametſi ob nexum cum munere ſacro ſpiritualitatem inducunt, & idcirco abſque ſcelere ſubiici pretio non poſſunt, ſeiunctione ſpiritualitatis & rei temporariæ, ſub poteſtatem Simoniacorum nequaquam cadente, vt benè tradit Petrus Damiani l. 5. epiſt. 13. contra Capellanos Ducis Tuſciæ; tamen earum ſpiritualitas, eſt ſatis extrinſeca materiæ Simoniacæ, V.G prædio, aut vineæ, præbendam conſlantibus: nec illis niſi moraliter aduenit, à nexu cum munere ſacro, & à deputatione Eccleſiæ, duo illa vinculante. Vnde prædium, interueniente Eccleſiæ autoritate nexum illum diſſoluente, poteſt fieri venale, abſque ſacrilegio & violatione religionis. Quod non poteſt accidere circa Sacramenta, quibus ſanctitas eſt intimè nexa; ac proinde Simonia in illis, eſt inexpugnabiliter mala, dimiſſo in præſentia iure redimendi circa ea vexationem, in euentu vrgentis neceſſitatis de quo aliàs. Cætera item circa quæ poteſt cerni Simonia, (vt ſi venderetur Calix prout conſecratus,) habent quodammodò intimiorem & coniunctiorem ſpiritualitatem: quia per ſeipſa deſeruiunt ſacro miniſterio, non autem vt prædium, & vinea, remotè duntaxat, ratione ſumptuum ad ſacrum miniſterium, propriamve ſuſtentationem, quos ſuppeditant miniſtris ſacris. Quare ſi Simonia in beneficiis adeò horret, eſtque ſemper & vbiuis culpa mortifera; quantò iuſtius eſt, idem pronunciare de Simonia in illis aliis materiis? Hoc infami probro, per calumniam notati ſunt inſignes quidam viri, è quibus paucos ſubiicio.

S. Syluerius Papa & Martyr, Simoniacè intruſus ab Anaſtaſio his verbis ſcribitur. [Syluerius, leuatus eſt à Tyranno Theodato, ſine liberatione decreti. Qui Theodatus, corruptus pecuniæ dato, talem timorem indixit Clero, vt qui non conſentirent in eius ordinationem, gladio punirentur.] Ita quidem de S. Syluerij ordinatione Anaſtaſius, addens poſtmodùm ratam habitam eius qualemcunque electionem, metu Schiſmatis. Sed calumniam eſſe in Sanctiſſimum Pontificem, apparet ex Liberato Carthaginenſi, res illius æui coràm ſpectante. Nam cap. 22. Breuiarij, electionem Syluerij refert à Clero factam; nulla pecuniæ, Tyranno in eam rem datæ, mentione. Et verò Syluerius, qua fronte triennio poſt, damnans Simoniæ Vigilium ſedis ſuæ inuaſorem, potuiſſet in Vigilio damnare,

re, quod abs ſe admiſſum, non poſſet difficeri? Itaque Anaſtaſius calumniam Sancto Pontifici ab hoſtibus illatam, nimis ſimpliciter chartis commiſit.

Zacharias Papa, notatum ſe labe Simoniæ, occaſione pecuniarum quas ab iis experiiſſet, quibus pallium, (id eſt plenitudinem Archiepiſcopalis dignitatis) conferebat, ipſemet ſcribit, & his verbis calumniam depellit epiſtol. 5. ad S. Bonifacium. [Reperimus etiam in immemoratis tuis litteris, quæ nimis noſtros animos conturbant, quòd talia à te nobis referantur, quaſi nos corruptores ſimus canonum, & Patrum reſcindere traditiones quæramus, ac per hoc, (quod abſit;) cum noſtris Clericis in Simoniacâ hæreſim incidamus, accipientes, & compellentes, vt hi quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed cariſſime frater, hortamur charitatem tuam, vt nobis deinceps tale aliquid minimè tua fraternitas ſcribat; quia faſtidioſum à nobis & iniurioſum ſuſcipitur dùm illud nobis ingeritur, quod nos omninò deteſtamur. Abſit enim à nobis, & à noſtris Clericis, vt donum, quod per Spiritus ſancti gratiam ſuſcepimus, pretio venundemus; dum & illa tria pallia, quæ te ſuggerente, (vt prædiximus,) ſumus flagitati, nullum ab eis quiſpiam commodum expetiit. Inſuper & chartas, quæ ſecundum morem à noſtro ſcrinio pro tua confirmatione, atque doctrina tribuuntur, de noſtro conceſſimus, nihil ab eis auferentes, abſit; vt ſic quippiam à tua fraternitate criminis nobis ſimoniaci obiiciatur. Anathematizamus namque omnes, quicunque auſi fuerint donum Spiritus ſancti pretio venundare.]

Adrianus. I. in Epiſtola planè luculenta Taraſij Conſtantinopolitani ad eum contra Simoniacos, quæ legitur in calce ſeptimæ Synodi, tametſi multis à Taraſio laudibus cumulatur, tamen Simoniæ ſit ſuſpectus. Hæc tamen eſt manifeſta calumnia in Adrianum, non à Taraſio, ſed à flagitioſo quopiam Græculo cuſa. Neque enim epiſtola Taraſij ſyncera, tale quippiam habet de Adriano. Id quod euidens eſt ex editione eius Epiſtolæ, per Theodorum, Balſamonem, Romanorum Pontificum hoſtem iuratum. Neque enim prætermiſiſſet illud Romanæ Eccleſiæ probrum, ſi verè illud legiſſet in Epiſtola Taraſij. Signum ergo eſt, falſarium quempiam Græcum, arte Pelaſga, (vt ſæpè aliàs,) adulteraſſe Taraſij Epiſtolam, addito eo inepto & iniurioſo aſſumento. Quomodo enim Taraſius laudum Adriani buccinator in ea Epiſtola, ſimul Adrianum tanti probri ſuſpectum aut reum egiſſet? Porrò ex iis quæ de infermentatione huius Epiſtolæ in Codice Balſamonis retulimus, perſpicuum eſt, hallucinatos eſſe Baronium anno 787. & Binium in notis ad Epiſtolas Adriani, cum cenſuerunt Epiſtolam illam Taraſij Adriano calumnioſam, non eſſe Taraſij, ſed fuiſſe ſuppoſitam à Balſamone, vt Adrianum Simoniæ infamaret. Non eſſet id quidem præter morem Balſamonis, atque Græcorum, tamen hac in parte Balſamon notam Calumniatoris meritò deprecatur, vel potius à ſe amolitur omni iure.

Taraſius Conſtantinopolitanus, & quòd Simoniacè ordinatos recepiſſet, accuſatus eſt; & quòd Simoniacas per pecuniam feciſſet ordinationes. Sed hanc fuiſſe meram calumniam, dubitare non licet. Nam grauis teſtis S. Theodorus Studita l. 1. epiſtol. 38. & 53. Taraſium labis huius planè expertem fuiſſe teſtatur. Et idem confirmatur ex opera ab eo ſtrenuè nauata in eradicationem Simoniæ, vt teſtatur in eius Actis Ignatius Monachus, docentque Epiſtolæ Taraſij duæ, planè in hanc rem inſignes; altera ad Adrianum Papam, altera ad Ioannem Anachoretam: ex quibus liquet, Taraſium

Digitized by Google

fuiſſe ſimoniacis infenſiſſimum. Et veriſimile eſt, ad infringendam eius conſtantiam, eos quos infeſtabat, falſis rumoribus diſſeminatis, eandem illi maculam inurere molitos eſſe.

Odalricus Aquenſis Epiſcopus, primus in Gallia Confidentiarius Præſul, pronunciatur à Fileſaco, in Querela Eccleſiæ Gallicanæ de ſacrilegio laico. Ait enim Odalricum egiſſe fiduciarium Epiſcopum, Rhemis, donec Hugo Heriberti Comitis potentiſſimi filius, adoleſceret & regendæ Eccleſiæ Rhemenſi, per ætatem, par eſſet. Hæc tamen videtur eſſe calumnia in Odalricum. Vt enim habetur ex Flodoardo in Chronico anno 925. & anno 928. Odalricus non habuit in titulum, Rhemenſem Epiſcopatum. Sed cùm ob occupatam à Saracenis vrbem Aquenſem exularet, adhibitus eſt ab Heriberto, ad exercenda Rhemis munera Pontificalia, eóque nomine Abbatiam S. Timothei, & vnius Clerici præbendam accepit. Sicut ergo Epiſcopos, qui in illuſtrioribus Eccleſiis aſſumuntur ad obeunda Pontificalia, nemo dixerit eſſe Epiſcopos fiduciarios; cum nihil pepigerint de futura ceſſione Epiſcopatus in perſonam aliquam. Ita Odalricus, qui illud reuera munus Rhemis in minore ætate Hugonis obiuit, nec aliud reipſa fuit, quàm adiutor pro Epiſcopo in ſpiritualibus, (*ſuffraganeum* plerique appellant,) iniuria audit confidentiarius, & fiduciariorum Antiſtitum in Gallia coryphæus. Nihil sanè iuriſdictionis Epiſcopalis tractaſſe Rhemis Odalricum, in minuta Hugonis ætate, conſtat ex eodem Flodoardo lib. 4. hiſt. Rhemenſis Eccleſ. cap. 20. vbi docet, adminiſtrationem Epiſcopatus, & vniuerſæ Iuriſdictionis exercitium, per tempus minuſculæ ætatis Hugonis, electi in Epiſcopum, conceſſum eſſe Abboni Sueſſionenſi per Ioannem Papam. Itaque Odalricus non eſt potitus Epiſcopatu Rhemenſi ad tempus, cum pacto reſtituendi deinde Epiſcopatum Hugoni iam per ætatem ad illum capeſſendum idoneo: atque adeò non fuit confidentiarius, vt per calumniam illi imponebatur.

Gregorius VI. tunc Presbyter, nomine *Gratianus*, accuſatus eſt ſimoniæ, & ea ex cauſa ab Henrico II. Imperatore in Concilio Sutrino deiectus Pontificatu, quòd pecuniam numeraſſet tribus ſedis Apoſtolicæ inuaſoribus, ſimul Romæ ſedentibus, vt prætenſo Pontificatu cederent in eius fauorem, qui pacificè & legitimè eligeretur. Quod cum obtinuiſſet, & eam ob rem acceptiſſimus Romanis euaſiſſet, ab iiſdem in Pontificem eſt electus, & dictus Gregorius VI. Eam ergo numerationem pecuniæ, factam inuaſoribus vt loco cederent, ſugillauit poſtea ſimoniæ Henricus II.

Sed hæc mera fuit calumnia in Gregorium, virum optimum atque ſanctiſſimum, cui hoſtes ſimoniæ implacabiles, Gregorius VII. & Petrus Damiani, puram & ſynceram Pontificatus adeptionem adſcripſerunt. Gregorius quidem in concilio Romano, celebrato anno 1080. Petrus verò, datis ad ipſum Gregorium VI. Epiſtolis. Sunt prima & ſecunda libri primi. Teſtatur item Otho Friſingenſis, Hildebrandum cùm electus eſt in Pontificem, de induſtria aſſumpſiſſe nomen Gregorij ſeptimi, vt monſtraret Gregorium VI. fuiſſe verum Pontificem, & malè ab Henrico exturbatum; non alia reuera ex cauſa, (quicquid denique prætexeret,) quàm quia ipſo Imperatore inconſulto electus fuerat. Eundem Gregorium VI. effusè celebrant, atque adeò labis ſimoniacæ purum agnoſcunt, Glaber lib. 5. & Malmesbur. lib. 2. de geſtis Anglo. cap. 13. Ac ne quis cauſetur, Gregorium quidem non eſſe adeptum ſedem Pontificiam ſimoniacè, priùs tamen incurriſſe labem ſimoniæ, numerando pecuniam pro eo qui legitimè

promo

promoueretur, quod eſſe ſimoniacum tradit Toletus lib. 5. Inſtruct. cap. 90. num. 4. & Leſſius lib. de Iuſt. cap. 35. num. 143. monſtrandum eſt, ne anterius quidem Gregorium fuiſſe ſimoniacum. Nam ea numeratio pecuniæ ad remouendos laceratores & dehoneſtatores ſedis Pontificiæ, fuit potiùs laude digniſſima; quippè plena charitatis & zeli; fuit enim iniquæ vexationis redemptio, ac pacis comparatio. Erant ſanè Pſeudopontifices illi, vita turpiſſimi, & per occaſionem diſſidij quod tot capita inuehebant, Eccleſia malis grauiſſimis afficiebatur. Itàque optimè ad pacem Eccleſiæ conciliandam, & obtinendam liberationem à tantis malis, numerari potuit pecunia. In huiuſmodi quippè euentu, fas eſſe ad præcludenda vel auertenda grauia mala, numerare quibuſuis electoribus pecuniam, tradit Layman lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 23. allegatis Caietano, Soto, Suare, Leſſio. Multò ergo magis licitum erit, idem præſtare pro electione ſummi Pontificis, cuius electio tot malis remedium afferre poteſt. Deum ipſum, miraculo atteſtatum eſſe innocentiæ Gregorij VI. ſcribit. Gregorius Polidorius in Gregoriano.

Gregorius VII. Pontifex Sanctiſſimus, & in Eccleſiæ puritate, ac libertate tuenda infractus, ſimoniæ inſimulatus eſt à ſchiſmaticis, vt ſcribit Lambertus Schaffnaburgenſis ſub finem Chronici. Sed Gregorius innocentiam ſuam probauit, perceptione diuinæ Euchariſtiæ; hortatus Henricum Regem, in cuius gratiam calumnia illa conflata fuerat, vt ipſe ſimiliter in teſtimonium innocentiæ quoad crimina de quibus arguebatur, communicaret, inuocato in teſtem Chriſto, qui in Euchariſtia percipitur, quod Rex malè ſibi conſcius noluit facere. Ad quinquaginta teſtes innocentiæ Gregorij, producit Gretſerus in Apologia pro Gregorio VII. quorum exſcriptio, neceſſaria hoc loco non eſt, cùm neminem lateat, per quantam calumniam, hoſtis perpetuus ſimoniacorum, ſit ſimoniæ notatus.

Alios pleroſque Romanos Pontifices, ſimoniacis accenſet Pertus le Vieil in Opere de ſimonia cap. 15. nimirum Conſtantinum II. Formoſum, Bonifacium VII. Siluestrum II. Benedictum IX. Clementem II. Damaſum II. Alexandrum VI. Hæc tamen ferè omnia ad calumnias pertinent, quas vulgo iactatas, bonus hic ſenex inconſideratè corraſit. Quidam enim horum Pontificum calumniis multis patuerunt, vt Formoſus quem Luitprandus lib. 1. hiſtor. cap. 8. Anaſtaſius in Nicolao, Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. hiſt. cap. 20. laudatiſſimum fuiſſe Pontificem monſtrant: tamen & viuus & mortuus immanibus calumniis patuit, quas inter recenſenda eſt hæc calumnia de ſimonia, à qua reuera procul abfuit. Idem eſt de Syluestro II. quem facultas ingenij & multa peritia in ſeculo admodùm impolito, plurimis & grauibus obiecit calumniis, tanquam per Magiam atque ſimoniam eò aſcendiſſet, quò legitimè & canonicè pertigerat. Clementem II. conſtat coacto Romæ concilio ſtrenuè egiſſe in ſimoniacos; & cùm à Petro Damiani lib. 1. epiſto. 3. ad eum data, arguatur nimiæ lenitatis in quoſdam facinoroſos Antiſtites, minimè tamen arguitur ſimoniæ, quam Petrus Damiani iuratus hoſtis ſimoniacorum non diſſimulaſſet. Damaſum II. Leo Oſtenſis, & Hermanus Contractus, omneſque illius æui ſcriptores, canonicè electum agnoſcunt. Vnde ergo figmentum de eius ſimonia? Idem dico de Alexandro VI. Quare è tot veris Romanis Pontificibus, (nam Pſeudopontifices, vt Conſtantinus II. & Bonifacius VII. fruſtra annumerantur Pontificibus Romanis de ſimonia notatis,) vnicus eſt qui ſimoniæ verè reuincatur

Benedictus

Benedictus IX. homo profligatæ prorſus vitæ; & quod habet ex diuino viſo Petrus Damiani, ad inferos poſt turpem obitum meritus. Eum per vim primò intruſum, poſtea vtcunque admiſſum, tum eiectum, habet Autor cum quo agimus, ſolum & vnicum quem ſimoniæ labe iure aſpergat, aliis veris Romanis Pontificibus ea calumnia liberatis.

Henricus Senonenſis Archiepiſcopus, referente S. Bernardo epiſto 51. accuſatus eſt ſimoniæ. Sed per calumniam quam S. Bernardus qui eam retulit, perſpicuè depulit, ſic ſcribens ad Hamericum Cancellarium. [Quouſque durat illa ſententia: *omnes qui piè volunt viuere in Christo, perſecutionem patiuntur?* Quouſque relinquitur virga peccatorum, ſuper ſortem iuſtorum? Quis det vt ſtare incipiant iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt? Quis iam ferat, tantam inter cœlum terramque diſcordiam, vt exultantibus Angelis ſuper emendatione malorum, filij Adam fremant & tabeſcant? Quaſi non ſit paſſus Ieſus pacificans in ſanguine ſuo, quæ in terra ſunt & quæ in cœlo? aut in ipſo Deus non fuerit mundum reconcilians ſibi? Laudabatur quondam Archiepiſcopus in deſideriis animæ ſuæ, & in ſæculari vita & habitu benedicebatur. At nunc ſub pannis infantiæ Ieſu, quæritur ſimonia: & inter naſcentes virtutes emortuorum, vel cadauera vitiorum ſcrutatur curioſa malitia. Videtis & nunc ſtare Ieſum in ſignum, cui contradicitur. Per ipſum vos obſecro, pro ipſo ſupplico vobis: Habet ſiquidem, vnde & illum reuereamini, & vnde illi miſereamini. State pro ipſo nunc in defenſione Archiepiſcopi, cui quandoque & vos adſtare habetis in examinatione veſtri.]

Iulius ſecundus, per ſimoniam ſubiiſſe thronum Apoſtolicum dictus eſt, vt refert Andreas Gambarus in explanatione Conſtitutionis ipſiuſmet Iulij II. contra ſimoniacam Pontificiæ dignitatis captationem. Nam prolatis variis cauſis de illius Conſtitutionis condendæ occaſione, hanc poſtremo loco attexit. [Non deſunt qui dicant, eum inuidiſſe poſteris artes proprias, adeò prona ſunt hominum ſtudia ad maledicentiam, interpretandaque in deteriorem partem omnia.] Denigratum ad hunc modum fuiſſe Iulium, à Floriano Dulpho Bononienſi, ſcurra ſtrenuiſſimo, proditum eſt: de quo illud Iulius ipſe (ſalibus eius aliquando delectatus in humiliore fortuna) pronuntiauit referente Gambaro. [Non eſſe mirum ſi maledictis, ſententiiſque à communi hominũ iudicio alienis abundaret: homo, qui claudus, varus, gibbus, luſcus, habebat animam vitiis illis obnoxiam.] Anonymus autor libri ſub huius ſeculi initium vulgati, cui titulus *Papatus Romanus*, Andreæ item Gambaro eum ſenſum de hoc Iulij probro tribuit, referens illum Iulio etiam tum ſuperſtiti, commentarium ſuum inſcripſiſſe his verbis præfantem. [Lætor Pater ſancte, ſimoniam quam in tui electione commiſiſti, cum tanto horrore prohibere.] Infert verò inſuper ex ea Iulij Conſtitutione, idem Anonymus, Pontificatum ſimoniacè initum caſſante, ipſum Iulium non fuiſſe verum Petri ſucceſſorem, & exinde deſiiſſe Pontifices verè Pontifices.

Hæc omnia ſunt meræ calumniæ, & paralogiſmi. Falſum in primis eſt, Iulium fuiſſe ſimoniacè electum: idque patet ex Conciliabulo Piſano contra Iulium congregato, annitentibus Maximiliano Cæſare, Ludouico XII. & aliis potentiſſimis Iulij Aduerſariis. Itemque ex controuerſia poſt Iulij obitum excitata, eſſentne Cardinales, quos Iulius abdicarat, ad ſucceſſoris electionem admittendi. Re enim hinc inde variis ſcriptionibus Pariſiis anno 1612. recuſis acerrimè agitata; cum hoſtes Iulij quæcunque in cum

eum tela odium, neceſſitaſque ſuggerebant, exprompſiſſent; & periurij, negligentiæ, contumeliæ, ſæuitiæ, tyrannidis illum incuſaſſent; de ſimonia, quæ maximè vrgenda fuerat, nè verbum quidem ab vllo eſt factum. Mendaciter autem affingitur Gambaro, quod viuenti Iulio Commentarium illum inſcripſerit, ingeſta impudenter laudatione abſterſæ labis ſimoniacæ in Pontificatus aditu admiſſæ. Mortuo quippe Iulio, Gambarus editum à ſe illum Commentarium diſertè prodit, ac proinde non eſt affatus Iulium in dedicatione, petulanti modo propoſito. Nec ſi fuiſſet Iulius in ſua electione ſimoniacus, deſiiſſet vi ſuæ Conſtitutionis eſſe verus Pontifex: quia non ſuæ, ſed ſucceſſorum electioni proſpiciebat, vt benè monuit M. Antonius Cappellus diſput. de ſucceſſione Pontificis Romani in Pontificatum S. Petri. Porro euiguiſſe bullam illam Iulij, neque vnquam fuiſſe receptam,& à Pio IV. abrogatam, intelligi monuit Suarez lib. de Simonia.

CAPVT XIII.

De ſacrilegio.

SAcrilegij nomine, deſignatur culpa qua peccatur contra reuerentiam debitam rebus ſacris; ſiue ſint perſonæ Deo inferiores,ad Deum tamen attinentes, ità vt iniuria in Deum refundatur, ipſeque violetur vt obiectum *cui*, ſiue ſint loca,ſiue res aliæ diuino cultui conſecratæ. Perſona ſacra ſacrilegè violatur, vel per iniectionem manuum violentam, aut vim quomodocunque aliter illatam, ratione fori, aut tributorum, vel indebitorum onerum; vel per fœdationem contra caſtitatem. Locus ſacrilegè violatur, exercendo inibi actum ſpecialiter indecorum atque prohibitum. Violatio verò ſacrilega aliarum rerum ſacrarum, (comprehenſis inter eas ſpeciebus diuinæ Euchariſtiæ, vt Chriſti tegminibus,) continetur profanatione aliqua earum, aut indigna, Deoque ipſi, cuius miniſterium ſpectant, indecora & irreuerenti contrectatione, vel vſurpatione. Hanc non pauci titulo militiæ honeſtari putant. Verùm in quocunque huiuſmodi membro ſacrilegij, culpa eſt non leuis, quia redundat in Deum, qui in re ſua flocci fit. Valetque hîc quod Heli iuſto mollior pater, verè ſed remiſſiùs, aiebat ad filios ſacrilegos. *Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Quaſi dicat, peccata contra religionem, eò cenſeri debere periculoſiora, quòd ſunt contra reuerentiam Deo debitam: à quo tamen quærenda eſt peccati condonatio. Cùm igitur ſacrilegium ſit contra religionem, & Deus per illud violetur in rebus ſuis; non eſt dubium quin calumnia, qua hæc noxa falsò alicui imponitur, grauis ſit & ex genere ſuo terrior ac probroſior, quàm ea per quam imponitur noxa aduerſus reuerentiam cuicunque homini in rebus ſuis debitam. Et quòd titulus militiæ,aliquibus ſacrilegiis obtenditur, ridiculum & impium eſt: vt dico in opere cui titulus *mala bonorum Eccleſiæ*, & benè Petrus Bacherius in ſpec. milit. cap. 15. Inſimulati falsò ſunt talium probrorum varij Sancti, quorum nonnullos appendo: iis tamen ad ſeriem ſecundam dimiſſis, qui inſimulati ſunt ſacrilegij circa perſonas, de quo commodiùs.

S. Athanaſius, à Meletianis, impudentiſſimis planè calumniatoribus, ipſomet Conſtantino Magno iudice, accuſatus eſt per Iſchyram fictum presbyterum, quaſi calicem initiatum confregiſſet. Tametſi poſtea (vt S. Athanaſius Apolog. 2. teſtatur,) calumniæ belliqùe ei inædificati moles, in Macarium Preſbyterum Athanaſij perſtudioſum incubuit;

R

buit; ſed ita vt inuidia, & fuligo calumniæ in Athanaſium redundaret. De eo itaque facrilegio, immenſis clamoribus variis locis nunc contra S. Athanaſium, nunc contra Macarium, egere Meletiani, iuncti Euſebianis Arianorum primariis. Sed fuit meta calumnia, quam his verbis reuincit S. Athanaſius Apolog. 2. [Poculum myſticum, quod, aut quonam in loco à Macario fractum eſt? Id enim furſum ac deorſum obuolitantes iactitant. Atqui Athanaſium, ne accuſatores quidem auſi fuiſſent eius criminis inceſſere, niſi ab ipſis ſubmiſſi inſtructique fuiſſent. Sed tamen illi ſummam eius criminis in Athanaſium referunt, quod ne in Macarium quidem, qui victus non eſt, referri debet.] Subdit, quàm indecorè accuſatores, culpam illam prætenſam de re prorſus arcana, apud Cathecumenos, imò & apud Iudæos ac Ethnicos, ventilari in iudicio voluiſſet. Genium item calumniatorium Meletianorum, & quàm olim Catholicæ Eccleſiæ infeſti fuiſſent, accuratè deſcribit. Tum reueniens ad hanc accuſationem de confracto per Macarium presbyterum poculo, addit [Atqui locus ille, in quo confractum poculum iactitant, Eccleſia non erat, nec quiſnam presbyterorum ei loco vicinus, nec dies, quo id factum à Macario volunt, Dominica: quum igitur neque Eccleſia ibi eſſet, neque ſacra fierent; neque dies hoc ipſum requireret, quale aut quando, aut vbi, myſticum illud poculum fractum eſt? Pocula multa paſſim in ædibus, atque adeo in medio foro haberi, nemini dubium, quæ colliſa collidentem non impiant. Myſticum autem poculum, impium reddens, qui id vltro frangit, nuſquam niſi apud legitimos Eccleſiæ præſides inuenias: hic enim vnus vſus eſt calicis, & præter eum alius nullus, eoque ſolo vos legitimo ritu, propinatis populo, eumque vos pro canone Eccleſiaſtico accepiſtis, idemque duntaxat penes eos habetur, qui Eccleſiis præſunt. Solùm enim veſtrum eſt propinare ſanguinem Chriſti, & præterea nullius. Cæterum vt impius eſt, qui hunc myſticum calicem frangit, ita multò magis impius eſt, qui ſanguini Chriſti contumeliam facit: contumeliam autem facit, qui præter Eccleſiaſticam inſtitutionem calice illo abutitur. Et hæc quidem eò à nobis dicuntur, non quòd vel ſchiſmaticum poculum Macarius fregerit, ſed quòd ibi omnino nullum fuerit: quî enim fieri potuit, cùm nec ipſe locus dominicus eſſet, neque quiſpiam ibi Eccleſiaſticus, atque adeò nec tempus quidem myſteriorum ageretur.

In Epiſtola Iulij Papæ, quæ eidem S. Athanaſij Apologiæ conſerta eſt, diſertè teſtatur Pontifex, Iſchyræ accuſatoris teſtimonio compertum fuiſſe, hanc totam de calice confracto accuſationem fuiſſe calumnioſam, fatente Iſchyra ſe fuiſſe ſubornatum, vt talia aduerſus S. Athanaſium atque Macarium comminiſceretur. Quò porro ſpectaſſet hæc calumnia, eadem Apologia accuratè docet S. Athanaſius, nempè vt [Arrianorum ſtudioſi; ſub iſtiuſmodi occaſione & ſpecie iudicij, aduerſarios impietatis è medio tollerent, & impietatem in locum pietatis inducerent, Arrianóſque in Eccleſiis locarent, quò illi, qui pietatem exterminatam cuperent, per impietatem rerum potiri poſſent: & ij qui partes impietatis contra Chriſtum ſuſceperant, hoſtes impietatis ſummouerent. Et iam calicem nobis proferunt confractum, vt videatur Athanaſius in Chriſtum impius eſſe. At quæ cura myſtici poculi ab illis expectanda eſt? aut vnde impietatis in Chriſtum anteſignanis vlla de myſtico poculo religio? aut vnde illi, qui Chriſtum non cognoſcunt, poculum Chriſti cognitum habent? aut cur Domini calicem ſe in reuerentia habere ſimulant, qui Chriſtum Dominum contumeliâ afficiunt

afficiunt? aut quónam pacto calicem deplorant, qui Epiſcopum myſteria, ſacráque in eo facientem, occidere ſatagunt, & quantum in ipſis eſt iam occiderunt? Aut quanam ratione delamentantur throni Epiſcopaliter ſtolati vicem, qui Epiſcopo in throno ſedenti, necem moliuntur, vt thronus Epiſcopum deſideret, & populi pia doctrina ſpolientur? Verùm neque poculum illos, aut ſedes, aut illa denique ſcelerum ſpecies, quas prætexunt; ſed ſolùm Arrianorum impietas huc adegit, in cuius ſolius gratiam, Athanaſio & cæteris Epiſcopis inſidias faciunt.]

Sacrilegium aliud, cuius S. Athanaſius per calumniam reus eſt factus, menſæ ſacræ, id eſt, altaris, euerſio fuit. Hoc in Mareotide factum iactabant, id eſt, in vno aliquo è pagis immediatè ſubiectis Epiſcopo Alexandrino, vt videre eſt in Epiſtola ſynodi Hieroſolymitanæ, quam S. Athanaſius Apologiæ ſecundæ ſub finem intexuit. Sed depulere calumniam Mareotici omnes Presbyteri & Diaconi, ac plebs vniuerſa, datis ad ſynodum literis, quarum hæc eſt ex parte ſententia. [Ante omnia dicimus, illum nullam Eccleſiam in Mareote habuiſſe, qua in re Deum teſtem facimus, neque calicem vllum confractum eſſe, neque menſam à noſtro Epiſcopo Athanaſio, neque à quopiam aliorum, qui cum illo degunt, euerſam eſſe, nihilque in iſtis verbis eſſe niſi calumniam: & iſta quidem vt conſcij pro teſtimonio loquimur, vtpote qui nec longis finibus ab Epiſcopo diſtamus, & comites ei in luſtranda Mareote adhæſimus. Nunquam enim ille ſolus viſitandi causâ itinera obire ſolet, ſed comites ſecum trahere presbyteros, & Diaconos, & non paucos ex plebe: & quia illi per omnia itinera comites fuimus, quo tempore ad nos acceſſit, ideò hæc nobis pro teſtimonio dicimus, nec poculum confractum eſſe, nec menſam ſubuerſam: ſed omnia Iſchyram mentiri, quod & ipſe ſua manu teſtatum confitetur.]

Aſclepas Gazæ Epiſcopus, altaris ſacrilegè euerſi inſimulatus eſt, eamque ob cauſam Epiſcopatu deiectus, vt ſcribit Sozomenus lib. 3. cap. 7. Sed mera calumnia fuit, ideoque à Iulio Papa, negotio ritè diſcuſſo, Aſclepas abſolutus eſt, & ſedi ſuæ reſtitutus. Calumniæ origo prima, ex odio Arianorum in Aſclepam manauit. Nam Aſclepas Arianorum ante Nicænam ſynodum partiarius, veritati Catholicæ adhærens, factus eſt eorum hoſtis; quod Ariani, multiplices in eum accuſationes commenti, & in Conuenticulo Tyrio, & alibi, factis ſunt teſtati. Sed in Concilio Antiocheno, & Sardicenſi, ac Romano, Aſclepas nitens ſemper, ac purus apparuit. Ambigi poteſt an hac quoque calumnia pulſatus ſit S. Athanaſius. Nam Apologia 2. ſæpè mentio eſt euerſæ Menſæ, quod de menſa Domini, id eſt, de Altari eſt accipiendum. Non ſemel ergo, ea Apologia, inter referendum alias calumnias S. Athanaſio impactas, narratur iactatum eſſe crimen euerſæ menſæ; & Iſchyram falſum eſſe ſe à Meletianis fuiſſe ſubornatum ad id comminiſcendum; reuera tamen neque poculum initiatum confractum eſſe, neque menſam euerſam. Cùm ergo calumnia de poculi confractione in S. Athanaſium aliquando ceciderit, veriſimile eſt, ei quoque dicam de euerſo altari fuiſſe impactam. Nam ſolemne erat Arianis, quæcunque in Athanaſij neceſſarios fingere poterant, eidem communia facere; & perinde atque ab eo admiſſa iactare, vt iam de Macario eſt annotatum, circa calicis confractionem, cui item hæc menſæ ſubuerſio Athanaſio impacta adſcribitur, ſub finem Apologiæ ſecundæ.

Sacrilegij ſimilis, inſuperque aliorum hactenus recenſitorum, per calumniam accuſatus diu poſteà eſt S. Norbertus,

Digitized by Google

tus, vt habent eius Acta cap. 47. Cùm enim ſecretò reuelatum accepiſſet, Eccleſiam maiorem, ob certam cauſam expiatione ex ſacrorum Canonum præſcripto indigere, ad eius reconciliationem ſe accinxit. Refragantibus autem primariis Canonicis, rem noctu eſt aggreſſus, cum duobus aliis Epiſcopis, nonnulliſque è Clero. Sed tumultu per alios, qui aduerſabantur, excitato, populus ad arma confugiens, in ſanctum Antiſtitem impetum fecit. Manarat enim in vulgus rumor Epiſcopum fregiſſe altaria, ſacrarium reſeraſſe, feretra & phylacteria diſſoluiſſe, ſibique repoſuiſſe; & illa ipſa nocte cum vniuerſo Eccleſiæ theſauro, fugam meditari. Recepit ſe vir ſanctus in munitiunculam templo continentem, ibique in precibus exegit reliquam noctem: cùm interim hoſtes vndecunque aucti, vim facere, & ſacrilegiū vlciſci pararent. Itaque illuceſcēte randé die, ſanctus Antiſtes cum ſuis, quà ſagittis, quà iaculis & miſſilibus appetitur; ab aliis in eius necē cōiuratis ſtricti gladij educuntur, & in sūmā turrim irrūpitur: ſed cùm iamiam nefariam cædem perfecturi viderentur, ſancti viri conſpectu, & conſtantiſſimo ad mortem animo percuſſi, ad pedes eius acciderunt, poſcentes veniam. Et ſuperueniente denique vrbis Rectore, turbis huc illuc dilapſis, nihil fractum aut aſportatum, (vt calumnia malignè diſſeminata ferebat,) repertum eſt, ſed omnia ſalua & ſana ſunt deprehenſa.

Sacrilegij circa veſtem ſacram in profanum ſcenicorum vſum diſtractam, accuſatus eſt ab Acacio Ariano S. Cyrillus Hieroſolymitanus apud Sozomenum l. 4. hiſtor. cap. 24. & apud Theodoretum lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 27. nonnulla apud vtrumque varietate in adiunctis, tametſi ſubſtantia accuſationis apud vtrumque eſt eadem. Contulerat Hieroſolymitano Epiſcopo Macario Conſtantinus Magnus veſtem ſacram admodum pretioſam, ad vſum miniſterij Eccleſiaſtici. Eam veſtem diſtraxiſſe ferebatur Cyrillus: & quidem thymelico, qui ea indutus publicè in ſcena ſaltaſſet, & iuſto Dei iudicio lapſus, in ea veſte efflaſſet animam. Inde Conſtantij Imperatoris in Cyrillum exacerbatio, eiuſque è ſede ſua deiectio eſt conſecuta. Verùm fecit hoc Conſtantius in Cyrillum Catholicum Antiſtitem, eodem ſtylo quo alia pleraque, id eſt, periniquè. Nam S. Cyrillus, quod prouidum, eóque loco dignum Antiſtitem decebat, præſtitit; cùm vigente graui fame, veſtem illam ſacram, aut vt habet hiſtoria tripartita lib. 5. cap. 37. vaſa, ſacratáque vela diſtraxit, vt inopiæ pereuntis plebis conſuleret: quod magna cum laude à præſtantiſſimis Antiſtitibus ſæpè factitatum, præſertim occaſione redemptionis captiuorum, monſtro latè in Opere cui titulus eſt, ***Mala bonorum Eccleſiæ*** lib. 1. ſect. 1. cap. 4. Atque ita S. Cyrillus, de bono opere, tanquam de ſacrilegio, lapidatus eſt, & pro encomio, quod ei pangendum fuerat, retulit calumniam.

Sacrilegij librorum ſacrorum combuſtorum, poſtulatus eſt S. Athanaſius, vt habet Epiſtola ſynodi Sardicenſis verbis illis.] Ipſe ſceleratiſſimus Iſchyras, qui mentitus erat Athanaſium neſcio quem librorum ſacrorum combuſſiſſe, & de eo crimine conuictum eſſe, poſtmodum confeſſus eſt, ſe per id tempus, ægrotaſſe & decubuiſſe, cum Macarius ſuperueniret, vt vel inde facilè eum colligas ſycophantam eſſe.] Et hoc quoque Macario adſcriptum lego, in Apologia ſecunda. Nam immediatè ante allegationem literarum Concilij Hieroſolymitani, hæc leguntur.[Dicente Iſchyra combuſtos eſſe libros à Macario, ſubornati ad eam rem teſtes, nihil tale factum eſſe, & mentiri Iſchyram aſſeuerauerunt.] Quantus numerus Sanctorum Africanorum hoc genere probri infamatus ſit, cum edicto

Diocletiani

Diocletiani fideles iuſſi ſunt ſacra vaſa proferre, & libros ſacros tradere ad comburendum, ex Optato & Auguſtino eſt vulgatiſſimum. Donatiſtæ enim cum ſchiſmatis ſui prætextum arripuerunt, vt à legitimis Antiſtitibus ſecederent; tanquam vel pollutis traditione illa, vel communicatione cum Traditoribus. Quam fuiſſe pinguem calumniam, ſuprà eſt demonſtratum.

Epiſcopus Rumelienſis, profanati vaſis ſacri accuſatus eſt apud Agapetum Papam, à calumnia purgatus eſt diuino viſu. Rem ſic narrat Ioannes Moſchus cap. 150. Limonarij. [Narrauit nobis Abbas Theodorus Romanus, dicens, eſt procùl à Romana vrbe breue oppidum, quod Rumelium dicitur, in eo oppidulo Epiſcopus erat magnæ virtutis & meriti. Die ergo quodam habitatores oppidi ingreſſi ſunt ad beatiſſimum Romanum Antiſtitem, Agapitum, accuſantes Epiſcopum ſuum, ac dicentes, quia in ſanctificato vaſe manducat: Pontifex autem ſolo auditu perculſus, mittit duos ex Clericis, vt vinctum Epiſcopum & pedibus iter agentem, Romam perducerent. Venientem verò continuò miſit in carcerem. Cùm ergo tres dies in carcere egiſſet Epiſcopus, venit Dominicus dies. Et cùm Papa quieſceret, illuceſcente Dominico die vidit in ſomnis quendam ad ſtantem ſibi, ac dicentem: Hac die Dominicâ, neque tu offeras ſalutarem hoſtiam, neque alius quiſpiam Epiſcoporum, qui ſunt in vrbe iſta, niſi ſolus Epiſcopus quem habes carcere incluſum. Illum enim hodie offerre volo. Expergefactus autem Papa, & de viſione quam viderat hæſitans, dicebat in ſe ipſo: Talem contra illum accuſationem ſuſcepi, & ipſe habet offerre? Venit igitur ei ſecundò vox in viſione, dicens. Dixi tibi, vt Epiſcopus, qui eſt in carcere, ſolus offerat. Ambigenti adhuc, tertiò apparuit illi eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex, miſit ad carcerem, & accerſito ad ſe epiſcopo, percunctabatur eum dicens. Quod eſt opus tuum? Epiſcopus autem illi nihil aliud reſpondit, niſi, Peccator ſum. Cùm verò Epiſcopo perſuadere non poſſet, vt aliud diceret, tunc ait ad eum Papa: Hodie tu offerre debes. Cùm ergo ſancto altari aſſiſteret, & Papa propè illum ſtaret, diaconis altare circundantibus, cœpit ſancta Miſſarum ſolemnia Epiſcopus. Et cùm compleſſet orationem oblationis, antequam concluderet ipſam, cœpit ſecundò, ac deinceps tertiò & quartò dicere ipſam ſanctam oblationis orationem. Cunctis verò eam moram moleſtè ferentibus, dicit ei Pontifex. Quid hoc eſt, quòd cum quartò hanc orationem dixiſti, nec eam concludis? Tunc reſpondit Epiſcopus. Ignoſce mihi pater ſancte. Quia non vidi iuxta conſuetudinem ſancti Spiritus deſcenſum, idcirco non terminaui orationem. Sed ſancte mi Domine, Diaconum illum propè me aſſiſtentem, qui flabellum tenet, ab altari remoue; ego enim illi dicere non audeo. Tunc iuſſu Diui Agapiti receſſit Diaconus, & continuò vidit Epiſcopus, & Papa ſancti Spiritus aduentum. Sed & velum quod altari ſuperimpoſitum erat vltrò ſublatum eſt, texitque Papam, & Epiſcopum, & Diaconos omnes, qui ſacro altari adſtabant, quaſi per tres horas. Tunc venerandus Agapitus, agnita ſanctitate Epiſcopi, ex perſpecto miraculo, quámque falſam calumniam cognoſcens quòd illum vexauerat triſtis effectus, ſtatuit non iam ampliùs per ſubreptionem quippiam agere, ſed cum maturo, conſideratoque iudicio, & magna longanimitate procedere.]

S. Chryſoſtomus ſacrilegij eſt accuſatus, quod ad communionem admiſiſſet non ieiunos: quod ipſe refert, & purgat inficiatione cum iuramento, in Epiſtola ad Cyriacum. [Multa quidem (inquit)

aduerſum me confinxerunt, & dixerunt, quòd ad communionem non ieiunos receperim. Et ſi quidem hoc feci, expungatur nomen meum ex albo Epiſcoporum, & non ſcribatur in libro orthodoxæ fidei. Quoniam ecce ſi tale quid admiſi, abiiciat me etiam Chriſtus è regno ſuo.] Subdit mox vir ſanctus, aliã calumniæ dilutionem ex facto Apoſtoli, & ipſiuſmet Chriſti. Nam Apoſtolus Actor. 16. totam domum poſt cœnam baptizauit: atque adeò etiam pro antiquo vſu, Euchariſtiã impertiit. Chriſtus item poſtquam cœnatum eſt Apoſtolis communionem præbuit. Quæ non idcirco profert S. Chryſoſtomus, quaſi licitum ſit ſuppoſita lege poſitiua vetante, communicare non ieiunos; ſed vt appareret, id non eſſe intrinſecè malum, ita vt in nullo euentu diſpenſationi locus eſſe poſſit. Metaphraſtes, & Georgius Alexandrinus in vita Chryſoſtomi, & Leo Imperator in ſancti viri encomio, referunt aliam calumniam ſacrilegij ei impactam. [Adornantur (inquit Leo) & contexuntur libelli, & mittuntur ad Imperatorem, qui continent omnes vanitates & inſanias falſas. Poſtremum verò erat, quod poſt communionem, hic Ioannes faceret omnes guſtare aquam, aut paſtillum propter ſputum, & ante omnes ipſe.] Paulo explicatiùs Metaphraſtes. [Cùm inueniſſet (Theophilus Alexandrinus hoſtis Chryſoſtomi,) duos Diaconos, quorum alter quidem erat reus adulterij, alter verò cædis, & ideò à magno Ioanne fuerant depoſiti, eos vir ille egregius, cum magna authoritate (ô ſacræ leges) abſoluiſſet; libellos, quorum ille rurſus fuerat opifex, exhibere facit aduerſus ſanctum; libellos, qui erant pleni quidem calumniis, nullum autem habebant veſtigium veritatis: niſi quòd hoc ſolùm moderatè attingebant, etiamſi non ab eis eadem diceretur iintelligentia, quod aquam vel vinum, vel paſtillum ſuadebat guſtare poſt communionem, iis qui communicabant. Quid tum? Erat enim hoc eius qui ſtatuebat vt adhiberetur cautio, & qui accuratè tenebat ea, quæ, ſunt noſtræ fidei, ne cuidam contingeret cum iis, quæ expuuntur, etiam ex ſanctificatis aliquid excidere.] Niſi calumnia cœcum quid eſſet, mirum videretur, Theophilum Alexandrinum, ſancti viri factum vertiſſe probro, & calumniatum eſſe. Quid enim non ſanctum in tali eſu, aut potu, poſt vſum Euchariſtiæ?

Sui Cœnobij Monachum apprimè pium, ſcribit S. Dorotheus doctr. 9. num. 4. ſacrilegij incuſatum, quod in Paraſceue accederet ad ſacram communionem, poſt ſumptum cibum. Id enim calumniator abs ſe viſum confirmabat. Itaque apud Abbatem egit, vt Monachus ille à ſacra menſa arceretur, quam ſacrilega ſumptione poſt profanas eſcas contaminatum veniebat. Fuiſſe verò calumniam, mox deprehenſum eſt. Nam Abbas cùm alteram aurem reo reſeruaſſet, auditum, agnouit innoxium. Certò enim comperit, eum ad locum, in quo ſoluiſſe ieiunium dicebatur, illa die non acceſſiſſe; & qua hora calumniator ſumptum ab eo cibum mentiebatur, procùl fuiſſe à cœnobio. Quo legitimè comperto, calumniator exſibilatus eſt, & qui per calumniam infamatus fuerat, labis purus eſt pronuntiatus. Sanctus quidem Dorotheus, culpam criminatoris reuocat ad ſuſpicionem malam: quia criminatus eſt fratrem de comeſtione, quam per ſuſpicioſiſſimum genium ſuum viſus ſibi erat videre, nec tamen viderat. Nihilominus reipſa criminatio erat calumnioſa, quia erat falſum probrum impoſitum innoxio, nec abſque ſublucente notitia iniuriæ ac impoſturæ; cùm viſio quæ obtendebatur, careret fundamento idoneo.

S. Rembertus Archiepiſcopus Bremenſis, omnibus quæ habebat in captiuorum

uorum redemptionem conſumptis, ad ſacra vaſa in eundem finem manum admouit. Hoc aliqui damnarunt ſacrilegii, eò quòd nefarium ſit, & religioni planè aduerſans, in alios vſus conuertere, quæ ſacris erant addicta miniſteriis. Hanc calumniam egregiè his verbis retudit ipſe S. Rembertus. [Non ignoro res Eccleſiaſtici officij, dignè tractandas, & ſub magna obligatione ad hoc opus eſſe depoſitas. Veruntamen plus eſt apud Deum per eas ſubueniri captiuis Chriſtianis in anguſtia conſtitutis, quàm depoſitum eas cuſtodiendi. Cúmque incumbit neceſſitas, è duobus bonis alterum eligendi, præferendum eſt illud, quod eſt præſtantius, & quod inferius eſt, relinquendum. Vnde etiam ego cùm nullum aliud ſuppetit conſilium, non ſum arguendus impietatis, ſi Chriſtianum, qui filius Dei eſt, theſauris Eccleſiæ redimo: quandoquidem ſemper inuenire poſſumus, quod ad vſum ſacri miniſterij ſufficiat; irrecuperabilis verò damni eſt, ſi Chriſtianus in captiuitatis afflictione deficiat.] Eundem fuiſſe ſenſum S. Ambroſij, & S. Auguſtini, aliorumque ſanctorum Antiſtitum, monſtratum eſt in Opere cui titulus eſt. *Mala bonorum Eccleſiæ* lib. 1. ſect. 1. cap. 4. vbi honeſtas diſtractionis ſacrorum vaſorum ad vſum redimendi captiuos, alio litro deficiente, eſt comprobata. Et idem benè tradit Ioannes Molanus lib. 2. de Canonicis cap. 13.

Henricus Suſo Ordinis Prædicatorum vir magnæ pietatis, ſacrilegij ob ſubductam de loco ſacro rem diuino cultui addictam inſimulatus eſt. Venerat ipſe ad quoddam Oppidulum vbi in ſacra ædicula Crucifixi Chriſti lignea imago religioſè aſſeruabatur, ad quam plurimæ ceteræ imagines & ingens ceræ vis congeſta erat pleriſque reos ſe votorum agnoſcentibus, aliis vt optatis frui liceret vota nuncupantibus. Cum aliquandiu ad eam Chriſti ſuffixi imaginem oraſſet Henricus aſtante puella ſeptenni, & per noctem ſacrilegi fures in ædiculam perrrantes ceram vniuerſam abſtuliſſét, reus ſacrilegij deferenre puella renuntiatus eſt Henricus, & parum abfuit, quin, à furente multitudine ad furcam poſtularetur. Hæſit aliquandiu ea macula hominis innoxij famam inquinans. Sed perbreui deterſa eſt Deo ſerui ſui honorem tutante, vt Laurentius Surius Actorum Suſonis Scriptor. cap. 25. prodidit.

CAPVT XIV.

De Magia, & ſocietate cum Satana.

SIcut priuatio, & forma ad eundem ordinem referuntur; ita cum calumniis quibus quis dehoneſtatur ob violatum nomen, vel imminutum cultum ei debitum, iungenda eſt calumnia, qua quis afficitur ob initam ſocietatem cum Dei hoſte primario, ſiue Satana, quæ eſt calumnia atrociſſima, ſicut probrum illud, eſt planè tetrum & horridum. Et verò ſi (vt ſuprà vidimus,) adeò fœdum & noxium eſt contrahere ſocietatem cum hominibus improbis, ſed tamen hominibus, nec adhuc extra viæ ſcamna poſitis; ac proinde capacibus regredi in viam, & ad æternam beatitudinem pertingere; quantò indignius ac pernicioſius erit, fœdus icere cum hoſte Dei æterno, cuius ſpes eſt planè ſucciſa, nec niſi ruinam noſtram & exitum, præ odio Dei, quo flagrat, & rerum ſuarum deſperatione, affectat? Hoc ſanè nihil aliud eſſe videtur, quàm deſertis Dei caſtris, in quæ tranſcripti eramus, deficere ad hoſtes, per indigniſſimam proditionem: rectéque tale fœdus ineunti, obiici poſſit illud Ioabi ad Dauidem 2. Reg. 19. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Nam qui talis eſt, auertitur à Deo & Angelis ſanctis, à quibus diligitur: adhæret autem Satanæ, à quo odio habetur, & qui verè

verè eſt hoſtis noſter, vt tradit S. Auguſtinus in Pſal. 40. ad *verſ.* 2. Vnde ſer. 26. de diuerſ. cap. 16. de Diabolo accipit illud dictum antiquis, *odio habebis inimicum tuum.* Et meritiſſimò ad eum aptatur illud Sapientis. *Ne credas inimico tuo vſque in æternum.* Noſtri exitij, eſt ipſamet ſitis, iuxta S. Gregorium l. 14. moral. cap. 5. Eſt ergo horrenda ſtultitia ſimul & miſeria, ſocios fieri dæmoniorum, quod vetabat Apoſtolus 1. Corinth. 10. Nec vlla diſpenſatione poteſt id eſſe licitum, vt nimis ſimpliciter ſcriptum eſt ab autoribus Mallei part. 2. quæſt. 2. cùm de Epiſcopo vſo maleficio ex Nicolai Papæ (ſcilicet) diſpenſatione. Aperiunt huius peccati atrocitatem diligenter Sanchez l. 2. in decalog. cap. 38. num. 6. Torreblanca l. 3. dæmonolog. cap. 6. Suarez l. de ſuperſtit. cap. 14. à num. 10. Delrio 2. Mag. quæſt. 4. ſub finem concluſionis tertiæ & in Monitis quæ tradit in Anacæphal. monito 2. Cùm ergo tanta ſit iniquitas coniungi Satanæ, calumnia, qua hæc noxa falsò imponitur, tetra eſt & omnino grauis. Subiacuere tamen illi, plerique Sanctorum.

Adam, Abel, Enoch, Abraham ſocietatis cum Satana infamantur; dicunturque non modò Magiam dæmoniacam nouiſſe & factitaſſe, ſed etiam ſcriptis libris docuiſſe poſteros; & vt res ſit credibilior, affirmant qui iſta referunt, quæ libris illis continentur, fuiſſe à Raziele, Angelo Adami cuſtode tradita, & à Raphaële Tobiæ comite. Ita ex Magiæ ſtudioſis recitat Delrio 2. Mag. quæſt. 3. Sed ſunt calumniæ caſtigatione digniſſimæ. Quis enim ferat viros ſanctiſſimos tam fœdis probris onerari, vt non modò dicantur Magiam dæmoniacam factitaſſe, ſed etiam aliis eam factitandi autores fuiſſe? Adam quidem vxori malè credulus, Satanam pellicientem ad malum, ſemel audiuit; ſed abſque pacto & inita cum eo ſocietate: à qua multò magis abhorruit vniuerſo vitæ tempore, ex quo deprehenſa virulentia breuiſſimi cum ſerpente affatus; didicit ex iis, quæ paſſus eſt, adhærere Deo: & cùm poſt primum naufragium vixerit & obierit ſanctiſſimè, eductus per ſapientiam à delicto ſuo, vt habet ſana doctrina apud Philippum Abbatem l. de ſalute primi hominis 1. & malè inficiatus eſt Tatianus; nullo modo habendus eſt contaminatus tali iniquitate. De Abele, nugacitas & impietas eſt talia comminiſci. Enoch librum ſcripſit, cuius meminit S. Iudas: cùmque fuiſſe verè Propheticum, multis confirmat Hieronymus à Rua controuer. 5. poſitiua: & præiuerat Tertullianus l. de habitu mulieb. cap. 3. vbi Pamelius varios aſtipulatos adducit. Vt autem aliquid præterea ſcripſerit, non eſt vnde aſſeratur; quòd item dico de Abrahamo. Nugæ itaque ſunt, & tetræ calumniæ, quæ de horum ſanctorum Magia ſuperſtitioſa & Magicis libris per Magos ſibi proſpicientes circumferuntur.

Moyſes famulus Domini à Plinio l. 30. cap. 1. inter Magos numeratur; & quidem cum Ianne & Iotape Iudæis. Accenſuerat item Moyſem Magis ante Plinium, Lyſimachus & alij apud Ioſephum l. 2. contra Appionem. Et agunt omnes de Magia panurgica, commercium cum Satana ſupponentes. Verùm hæc eſt horrenda in virum ſanctiſſimum calumnia, quam operoſum non ſit diſiicere. Et quidem Plinius eo loco tot menda admiſit, quot voces adhibuit. Quos enim Moſis Magiæ ſocios, & in eandem cum eo fœdi commercij ſocietatem adunatos proponit, Moſis erant Aduerſarij teſte Apoſtolo 2. Timoth. 3. Ex quo intelligimus, eos fuiſſe Magos Pharaonis, Apoſtolo ex antiqua traditione compertos, proindéque Ægyptios fuiſſe, non Iudæos: nec dictos Iannem & Iotapen, ſed Iannem & Mambrem. Quo item nomine donantur apud Palladium in Lauſiaca cap. 20.

cùm

Digitized by Google

cùm de acceſſu S. Macarij Alexandrini ad eorum ſepulchrum, necnon apud Heraclidem cap. 6. & 10. paradiſi, vbi eadem narratio habetur. Non potuit porro Moyſes cum iſtis impiis fœderari Magica ſocietate, quandoquidem teſte Apoſtolo, Moyſi reſtiterunt, & ab eo diuinitus operante, non per incantationes & dæmoniacas præſtigias contranitente, ſuperati ſunt & confuſione adoperti.

Salomonem, ex quo infatuatum eſt cor eius per mulieres Magiæ dediſſe operam, contendit Pineda l. 7. de Salom. cap. 12. & ſuffragatur Ioſephus, qui lib. 8. Antiquit. curatos à Salomone morbos per incantationes teſtatur. Neminem item latent Salomonis ſcriptiones Magicæ, vt *Clauicula*, & *Incantationis*, & *Annulus*, quibus libris traditam ab eo ferunt nefariam Magiam, ad euocandos, aut annulo includendos Dæmones. Verùm tametſi facta poſteriora Salomonis, iuſtis pleriſque querelis eum obiecerunt, & ſalutem eius ancipitem apud multos haud immeritò fecerunt: tamen quæ de eius cum Satana ſocietate iactantur, ad calumniam planè pertinent. Et Ioſephus quidem tam multa alibi mentitus, & toties ac tam grauiter falſus, (vt fusè monſtrant Baronius in Apparatu ad Annales; Canus, l. 11. de locis cap. vltimo, Franciſcus Mirand. l. 7. de prænot. Poſſeuinus l. 2. Biblioth. cap. 25. ſed maximè Salianus in Annalibus paſſim;) non poteſt Salomonem multùm grauare, cùm gratis ait, eum Magiæ dediſſe operam: quod de Naturali (quam vocant,) Magia in tanta rerum naturalium peritia quâ Salomon excelluit, facilè admiſerim: de panurgica verò quam Salomoni affingit Ioſephus, non aſſentior. Neque ſi auari, & curioſi, & mulieroſi, facilè in Magiam vetitam prolabuntur; conſequens eſt, Salomonem illis maculis ſordentem, Magiæ quoque addictum fuiſſe, quæ ſunt Pinedæ argumenta capite illo 12. Nam vt ad magiam ex illis fœcibus deueniant, qui ardentiſſimè expetunt quæ conſequi aliter non poſſunt, perſæpè contigit. At Salomonem qui ſcientia abundabat, & opibus, ac fœminarum gregibus, veriſimile non eſt eam ob cauſam dediſſe Magiæ operam.

[Quod verò libri impij de Magicis argumentis conſcripti à Salomone traduntur, fictitium cenſeri debet cum Pineda l. 3. de Salomone cap. 29. num. 7. Delrio 2. Magic. quæſt. 3. Sixto Senenſi l. 2. Biblioth. *in Salomone*, ac Baptiſta Sehnio l. de vero ſtudio Chriſtiano c. 7. eſtque in huiuſmodi ordine collocandum, id eſt, planè confictum cenſendum, illud Salomonis opus ſeptem diſtinctum partibus, quo multa Dæmonibus fieri ſolita ſacrificia & dona fuiſſe deſcripta, refert Nicolaus Eymericus part. 2. Director. Inquiſit. quæſt. 28. addens ſe illud opus ſub Innocentio VI. flammis publicè addixiſſe, neglecto falſo Salomonis prænomine. Scribit quoque ex Euſebio Glycas, 2. part. Annal. libros quoſdam falsò inſcriptos Salomoni, quibus Magia tradebatur, à pio Rege Ezechia fuiſſe concrematos. Neque tamen omnia talia nefaria opera exterminauit Ezechias, cùm apud Nicetam l. 4. Annal. Manuelis Comneni num. 7. referatur de quodam Aarone Corinthio Magiæ perito, quòd deprehenſus ſit, euoluens librum Salomonis euocandis & conſulendis dæmonibus vtilem. Et recentiore memoria Gretſerus l. 1. de iure & more prohibendi malos libros cap. 10. Scribit viſum à ſe in Bauarica Bibliotheca librum Græcum de Magia inſcriptum Salomoni. Hæc omnia falsò imponi Salomoni, cenſeo omnino verum; ſicut non dubito quin falſum ſit, quod Ciniflones quidam in ſuæ vanitatis patrocinium ſcripſerunt, de libris à Salomone conſcriptis de Chryſopœia. Similiter ergo Magi captant patrocinium ſuæ impietati à Salomonis lucubrationi-

bus Magicis, quas ei per calumniam affingunt.

Chriſtus Dominus, & à Iudæis, & à Gentilibus, Magiæ & ſocietatis cum ſatana per calumniam horrendiſſimam eſt inſimulatus. De Iudæis liquet ex Lucæ 11. vbi referuntur ex eis quidam dixiſſe, *in Belzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Et Marci 3. *Scribæ qui ab Ieroſolymis deſcenderant, dicebant quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Qui locus Marci, inſinuat eodem pertinere, facereque eundem ſenſum, illud apud Ioannem, *nónne bene dicimus nos; quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Nam ſicut Beelzebub habere, apud Marcum, eſt habere Diabolum familiarem & amicum, ac cum eo feciſſe pactum operandi hoc aut illud; ita habere dæmonium, idem videtur ſignificare. Idem de hac Iudæorum in Chriſtum calumnia aſſeruerunt multi veterum, ipſéque imprimis Pilatus. Extat Pilati Epiſtola ad Tiberium, quæ perperam alicubi Claudio inſcribitur. Recitat eam Hegeſippus l. 3. de excid. Hieroſol. cap. 5. eámque eſſe genuinam, agnoſcunt viri doctiſſimi. Et videtur illa ipſa eſſe, quam à Pilato ad Tiberium eſſe exaratam, illico à Chriſti morte, profitentur Tertullianus cap. 5. & 21. Apolog. Euſebius l. 2. hiſtor. cap. 2. Paulus Oroſius l. 7. cap. 4. & Gregorius Turon. l. 1. hiſtor. cap. 24. In ea igitur Epiſtola, Pilatus hæc de Chriſto habet, præter cætera. [Tenuerunt eum, mihique tradiderunt, & alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, aſſerentes eum magum eſſe, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita eſſe, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum.] Sanctus item Cyprianus, cauſam mortis Chriſto illatæ refert ad impactum illi crimen Magiæ. Sic enim loquitur l. de Idolor. vanit. [Iudæi qui illum crediderant hominem tantùm, de humilitate carnis & corporis; exiſtimabant Magum de licentia poteſtatis. Hinc Magiſtris eorum atque primoribus, hoc eſt, quos & doctrina ille & ſapientia reuincebat, accenſa ira & indignatio prouocata eſt: vt poſtremò detentum, Pontio Pilato qui tunc ex parte Romana, Syriam procurabat, offerrent, crucem eius & mortem ſuffragiis violentis, ac pertinacibus flagitarent.]

Aliis tamen quàm Iudæis, hanc calumniam de Chriſti Magia adſcribit Auguſtinus; vel quiſuis alius Autor orationis contra Iudæos atque Paganos cap. 18. nimirum ad Gentiles Chriſti miraculis obſtrepentes, & cùm non haberent, quid contrà muſſarent, obtendentes ea per Magiam à Chriſto fuiſſe patrata. Gentiles ergo idem probrum Chriſto affinxiſſe, habetur ex Arnobio l. 1. vbi refert illas (vt ait,) multorum calumnioſas & pueriles de Chriſto voces. [Magus fuit, clandeſtinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis, Angelorum potentium nomina, & remotas furatus eſt diſciplinas.] Vocat *clandeſtinas artes, & remotas diſciplinas*, arcana & lucifuga myſteria, ac ritus euocandi potentes, id eſt maleficos dæmones; ſicut Saluianus l. 5. Circem maleficam, potentem nominat. Arbitrabantur ergo Ethnici, eſſe quædam arcana numinum nomina, quæ ſi quis addiſceret, poſſet illorum interuentu quælibet mira agere. Quod Iſidorus Peluſ. l. 1. epiſtol. 9. de Babyloniis narrat: & idem finxiſſe de Chriſto Iudæos, tradit Viuez l. 3. de veritat. fidei cap. 11. ſpecialiter verò inter Ethnicos Celſum infamaſſe Chriſtum hac calumnia, ſcribit Origenes l. 1. contra eum. De Hierocle idem habet Lactantius l. 5. inſtitut. cap. 3. Videndus item Euſebius l. 3. de demonſtratione cap. 6.

Verùm has fuiſſe blaſphemas calumnias, monſtrauit quoad Iudæos Chriſtus ipſe

ipſe luculenta argumentatione quam ſanctus Lucas cap. 11. repræſentauit. Ex eo enim quòd regnum Satanæ tandiu perſtitiſſet incolume, probat Chriſtus, ſe non eieciſſe Satanam in virtute Satanæ: quia ſic Satanas in ſe ipſum diuiſus eſſet, nec perſtaret regnum eius. Quoad Gentiles autem, præclara eſt huius calumniæ Chriſto impoſitæ confutatio, quam adhibet Arnobius loco allegato, verbis illis. [Quid dicitis ô paruuli incomperta vobis, & neſcia temerariæ vocis loquacitate garrientes? Ergone illa, quæ geſta ſunt dæmonum fuere præſtigia, & magicarum artium ludi? Poteſtis aliquem nobis deſignare, monſtrare ex omnibus illis Magis, qui vnquam fuere per ſæcula, conſimile aliquid Chriſto milleſima ex parte qui fecerit? qui ſine vlla vi carminum, ſine herbarum & graminum ſuccis, ſine vlla aliqua obſeruatione ſolita, ſacrorum, libaminum, temporum? Non enim vrgemus, & quærimus quæ ſeſe ſpondeant facere, vel in quibus generibus actuum ſoleat omnis illorum doctrina & experientia contineri. Quis enim hoc neſciat, aut imminentia ſtudere prænoſcere, quæ neceſſariò (velint, nolint,) ſuis ordinationibus veniunt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem, aut familiarum dirumpere charitates, aut ſine clauibus reſerare quæ clauſa ſunt; aut ora ſilentio vincire; aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare, aut vxoribus, & liberis alienis (ſiue illi mares ſint, ſiue fœminei generis,) inconceſſi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates? Aut ſi vtile aliquid videantur audere, non propria vi poſſe, ſed eorum quos inuocant, poteſtate. Atqui conſtitit, Chriſtum ſine vllis adminiculis rerum, ſine vllius ritus obſeruatione, vel lege, omnia illa quæ fecit nominis ſui poſſibilitate feciſſe. Et quod proprium, conſentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, ſed opiferum, ſed ſalutare, ſed auxiliaribus plenum nobis poteſtatis munificæ liberalitate donaſſe.]

Luculentum aliud argumentum contra hanc calumniam Chriſto à Celſo impoſitam, conficit Origenes, quod iuuat non omittere. Sub finem ergo libri primi, poſtquàm retulit calumniam Celſi, quòd omnia Chriſti miracula dici poſſent ſimilia operibus Magorum, qui ab Ægyptiis edocti magicam, mirabiliarij apparebant populo, ſubdit Origenes. [Quia probare videtur (Celſus,) quæ ante propoſuit, Magicis comparat rebus quæ de Ieſu ſcribuntur. Et eſſent forſitan comparanda, ſi vt Magi ſolent præſtigiis ille, quæ geſſerit, prætendiſſet. Nunc verò Magorum nemo, per ea quæ facit, ad morum immutationem, ſpectatores inuitat, nec eos, Deum vt vereantur inſtituit, qui eius ſpectacula demirentur: nec nititur quidem his, ita vt viuant, perſuadere, qui ſpectando aſſiſtunt, vt iuſtum à Deo iudicium ſint pro meritis relaturi. Ergo nihil horum effecerunt, quia nequeunt, magicæ artis ſectatores: vel fortè nolunt, quæ homines moderantur & corrigunt, exercere, vt qui haud ſecus ac cæteri ſint fœdiſſimis ac ſordidiſſimis facinoribus obuoluti. At Ieſus ex rebus ipſis mirandis quæ factitaret, ad caſtigationem omnibus inuitatis, qui eius facta intuerentur; quo pacto non erit exiſtimandus non modò ſuis diſcipulis, ſed & mortalibus cæteris optimæ vitæ exemplum exhibuiſſe? ita vt diſcipuli ipſi ad homines pro Dei arbitrio edocendos incitarentur, & cæteri omnes vbi ex Ieſu cùm dictis, tũ moribus, tũ mirabilibus factis, quemadmodum eſſet vita ducenda perdidiciſſent, æquè omnia facerent, omnipotenti Deo vt gererent morẽ. Quod ſi Ieſu vita erat huiuſmodi, cur quiſpiam hunc cum Magicis hiſce nefanda patrantibus, iure contulerit?] Rationes phyſicas quibus hoc falſiloquium

de operibus Chriſti ad Magiam relatis excinditur, ſubminiſtrabit Toletus in cap. 2. Ioannis annotat. 2. concluſ. 3. Figmentum calumnioſum, quo iactatum à quibuſdam nugiuendis eſt, Chriſtum ſcripſiſſe libros de Magia per quam mira ediderat, confutat validè S. Auguſt. l. 1. de conſ. Euang. c. 8. & 9. videſis Ferrandũ noſtrum lib. 1. diſquiſ. reliq. c. 4. art. 3. ſect. 4.

Tres Magi, qui ad Chriſti cunabula adorabundi acceſſerunt, à nonnullis nominis *Magi* cortici inhærentibus, inſimulati ſunt Magiæ illicitæ, & ſocietatis cum Dæmone. Et diſertè in ea ſententia Origenes l. 1. contra Celſum, & hom. 13. in Num; Iuſtinus dialog. cum Tryphone, Baſilius homil. de humil. Chriſti gener. Tertullianus l. 9. & l. contra Iudæos cap. Theophylactus in c. 2. Matth. creditus Auguſtinus quæſt. 65. in Nouum Teſtamentum, S. Hieronymus in cap. 19. & 24. Iſaiæ. Hanc tamen maculam, in Magos de quibus agitur non cecidiſſe, probatior ſententia fert: pro qua ſtant Maldonatus Matth. 2. ad illud *Ecce Magi* quæſt. 1. Petrus Simonis tract. de Epiphan. cap. 3. & Suarez tom. 2. 3. part. diſtinct. 14. ſect. 2. concluſ. 2. Melchior Incofer opere de tribus Magis, hos primos è gentibus Chriſti cultores, non eſſe dictos Magos ab infami & nefaria Magia, ſed à ſapientia; penes quam in oris illis è quibus appulerunt, ſapientes denominantur Magi, vt diſertè tradit S. Hieronymus Dan. 2. Eo autem fundamento euerſo, euaneſcit calumnia ſanctis hiſce Magis illata. Non enim aliam ob cauſam à primis illis, quos retulimus, dicti ſunt fuiſſe vſi ſocietate Dæmonum, quàm quia à ſcriptura ipſa vocantur *Magi*, quod nomen in communi vſu ſonat maleficum Satanæ fœderatum. At veritas habet eos, fuiſſe ſapientes atque Philoſophos, & Aſtrologos; cui ſcientiæ Chaldæi (inter quos iſti,) erant addictiſſimi. Tribuunt hiſce Magis hanc peritiam ablegatis maleficiis atque præſtigiis S. Leo ſerm. 4. de Epiphan. Hieronymus Dan. 2. & Iſaiæ 47. Autor libri de operibus Chriſti Cardin. ſerm. de Stella & Magis, Petrus Babyon Matth. 2. ille ipſe, qui nomine S. Anſelmi malè vulgo circumfertur, & alij non pauci. Nobis ſat eſto, calumniam primitiis gentium falsò irrogatam, depuliſſe.

Diſcipuli Chriſti, æquè ac ipſe Chriſtus Dominus, apud Ethnicos habiti ſunt Magi, & malis artibus impliciti. Videbant enim Apollonium, & alios pleroſque Magos, multa præſtare per Magiam, iis in ſpeciem ſimilia, quæ Apoſtoli patrabant; atque adeò vtroſque habebant pro Maleficis ac Magis. Refellit accuratè hanc calumniam Euſebius l. 3. de demonſtrat. cap. 8. & Chriſti diſcipulos æquè ac Chriſtum ipſum à Magicis artibus abfuiſſe quàm longiſſimè, rectè euincit his præter cætera argumentis, quòd Magorum diſcipuli & ex Magi alicuius præcellentis informatione, Magiam factitantes, ferè captent quæſtum, aut voluptates, vel apud homines illuſtrem famam. Cùm tamen Chriſti diſcipuli, ex Magiſtri doctrina & imitatione, fluxas opes contempſerint, & à carnis voluptatibus abhorruerint, nec quæſierint in ſæculo nomen, contenti habere gloriam apud Deum. Deinde nihil vnquam tale à Chriſti diſcipulis adhibitum eſt, quale Magis & incantatoribus, in vſu eſt admouere; Non enim periaptis vel amuletis ex pacto cum Satana vim habentibus, aliquando vſi ſunt, aut aliis autores fuere vt talia vſurparent: cùm tamen Magis id ſit perpetuum, vt dæmones aduocent cooperarios; & quod ſuo marte non poſſunt, arte Tartarea perficiant, aut perficere, certè videantur. Quid quòd Lucas deſcribens actus Apoſtolorum, teſtatur Chriſti diſcipulos auertiſſe auditores ſuos à lectione & vſu librorum Magicorum? Ita vt multi eorum

eorum qui fuerant curioſa ſectati, id eſt qui Magiæ dederant operam, auditis ſermonibus diſcipulorum Chriſti, contulerint libros, & flammis conſumpſerint, non exiguo certè numero, quandoquidem pretium illorum ad quinquaginta millia denariorum pertigiſſe, Lucas prodidit. Qui ergo alios inducebant efficacitate ſermonum, vt in ſupellectilem Magicam adeò pretioſam iniectis flammis graſſarétur, quomodò inſimulati poſſunt Magiæ, & non ab omni ſuſpicione talis nequitiæ remotiſſimi ſunt habendi? Ad hæc ex diſcipulorum Chriſti doctrina, innumeri in vtroque ſexu extitere, vitæ innocentia & terrenorum omnium contemptione clariſſimi; ita vt cùm inter Græcos vix vnus & alter, Democritus inquam & Crates, fortunæ bona quibus potiebantur, deſpexerint, idem ex doctrina diſcipulorum Chriſti præſtiterint pene numero infiniti, nec viri tantùm ſed & mulieres. At hoc nullus vnquam Magus, vel molitus eſt, vel perfecit, quia vitæ puritas, & nitor morum, cum doctrinis Magicis & ſpurciſſimi earum Magiſtri ſatanæ ſocietate, non cohæret. Quid quòd ex doctrina per Chriſti diſcipulos diſſeminata, diſſoluta ſæpè conſtat Diaboli opera, ipſumque Satanam è corporibus in quibus degebat, extruſum? quod certè non contigiſſet, ſi doctrina diſcipulorum Chriſti, Magica fuiſſet, & ad Satanam autorem referenda. Nam ſi Satanas in ſeipſum diuiſus eſſet, quomodò ſtetiſſet regnum ipſius? Hæc & alia fortiſſimè eo loco vrget Euſebius, contra calumniam de Magia diſcipulorum Chriſti, vnde etiam inferendum ſtatuit, quàm blaſphemè iactaſſent aliqui impij, Chriſtum ipſum Magicis incantationibus ſorduiſſe.

Sacerdotes & Exorciſtæ Catholici Magiæ damnantur paſſim à ſectariis: Sacerdotes quidem quia profitentur prolatis paucis illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, & ea prolatione cum halitu facta, corpus Chriſti de cœlo deduci, & panem aboleri: variiſque benedictionibus & inunctionibus, aut aſperſionibus certo ritu & ex præſcripta verborum formula peractis, profitentur expiari peccata & auerti Satanam. Exorciſtæ verò, quia recitatis certis precibus, & additis quibuſdam characteribus ac execrationibus, non abſque repetito ad nauſeam Dei & Mariæ nomine, dæmones eiicere nituntur, & ad id varia materialia conſecrant. Ita fusè Godelmannus l. 1. de Magis c. 6. à num. 22. prolatis teſtibus eiuſdem furfuris, Kemnitio 2. part. Examen. Concilij Tridentini, Benedicto Aretio in Problem. Theolog. de Exorciſtis, Ludouico Lauatero de ſpectris parte 3. cap. 10. Peucero de Incantat. fol. 158. Bodino l. 3. dæmonom. cap. 6. VViero l. 5. de præſtig. cap. 25. Imò eſſe communem Caluini, Brentij, & aliorum Sectariorum calumniam, legere eſt apud Bellarminum l. 1. de Sacram. in genere c. 20. *ad ſecundam obiectionem*, & paſſim apud Hæreſeologos.

Verùm hæc calumnia, æquè inſulſa eſt, ac blaſphema, Nam quòd conſecratio corporis Chriſti, ex eius præſcripto, & in eius perſona à ſacerdotibus facta, dicitur opus Magicum; viuicomburio expiandum eſt, quandoquidem ea ratione, Chriſtus ipſe autor & inſtitutor ritus illius ſacri, inter Magos ex pacto cum Satana operantes eſſet referendus. Et eadem labe aſpergerentur Apoſtoli, & Sacerdotes omnes, quos à Catholicæ Eccleſiæ initio ſacris his inſtitutis adhæſiſſe notiſſimum eſt, benéque euincitur à Pamelio in Opere liturgiarum Latinarum. Neque verò Sacerdotes conſecrantes profitentur ſe Chriſtum cœlo, carmine deducere, vt olim Magi Lunam; ſed per infinitam Chriſti potentiam ſacro eorum miniſterio ſubiunctam, ex Chriſti inſtitutione, Chriſtum dextera Patris non

relicta, præſentem in ara ſacra conſtituunt, extruſa prorſus panis ſubſtantia per veram conuerſionem in Chriſti corpus, factam ad illorum verborum pronuntiationem, iuxta Chriſti præſcriptum: ſiue adhibeatur halitus, vt garrit ſectarius, ſiue non adhibeatur. Benedictiones quoque corporearum creaturarum per Dei verbum & orationem, malignè & impiè à ſectariis traducuntur tanquam Magicæ, cùm ipſe Apoſtolus, ſanctificari eo modo creaturam doceat. 1. Timoth. 4. Diſputat in hanc rem plenè VValdenſis tom. 3. cap. 167. & 168. & multa etiam profert Bellarminus l. de cultu Sanctorum cap. 7. ac Pamelius ad Tertull. de Bapt. num. 27.

Quòd ad Exorciſtas denique Pontificios attinet, quos omnium maximè mordet calumniator Godelmannus, certum eſt, tam illos abeſſe à Magia, quàm ſectarium à bona mente. Nihil enim reuerà præſtant Exorciſtæ, ſiue ab initio Eccleſiæ agniti, ſiue qui deinceps ſunt ſecuti, quàm quod Chriſtus præſcripſit, & Eccleſia ſemper probauit; euentaque docuerunt Deo ſuffragante perfici. Nam ab initio Eccleſiæ, hæc poteſtas dæmones per Exorciſmos pellendi, fuit in vſu, vt ex variis Patribus demonſtrant Bellarminus l. de Baptiſmo cap. 25. *circa ſextam ceremoniam*, Pamelius in epiſtol. 76. ſancti Cypriani num. 54. & ad Tertullianum de Baptiſ. num. 1. Thyræus de Dæmoniacis à cap. 33. ad 40. Nec ſi Vlpianus, homo Ethnicus & immanis Chriſtianorum hoſtis l. 1. ff. de var. & extraordin. cognit. dixit ſugillans Chriſtianos, verbum *exorciZandi* eſſe proprium Impoſtorum, deteritur inde poteſtas Exorciſtarum Catholicorum. Sicut non idcirco Religio Chriſtiana reproba & impia eſt, quod digeſtione nefariorum contra eam edictorum in ſeptem libros, illius ſe hoſtem Vlpianus prodiderit, teſte Lactantio lib. 5. Inſt. c. 11. *in fine.*

SS. Proceſſus & Martinianus, à B. Petro Romæ baptizati, à Paulino Magiſtro Officij, (vt habent antiqua horum ſanctorum Acta,) calumniam paſſi ſunt Magiæ nefariæ. Cùm enim Paulinus in eis torquendis laboraret, contigit ſubitò illum ſiniſtro oculo orbari, quod deprehendens, exclamauit; *O carmina artis Magicæ!* Et cùm idem Paulinus, poſt triduum ſubitò arreptus à dæmone, egiſſet infelicem animam, filius eius Pomponius Palatium adiit, conclamans in Sanctos, tanquam imbutos arte Magica. Sed iuſta numinis ira, perperam referebatur ad Sanctorum cum dæmone ſocietatem.

S. Cæſarius Diaconus, à Luxurio Conſulari, Magus pronuntiatus eſt, cùm ad eius preces, Idolum corruens oppreſſiſſet Firminum Idolomaniæ Pontificem. Et cùm de pœna, qua plectendus eſſet, ageretur; idem Luxurius Leontium Conſularem rogauit, vt conuocaretur vniuerſa ciuitas ad templum dirutum, in quo Magiam ſuam exercuerat Cæſarius; vbi ad cœtum vniuerſum verba faciens Luxurius, queſtus eſt de templo antiquo. Cæſari, incantationibus euerſo, & Pontifice Firmino extincto: cùm è contrario S. Cæſarius, conteſtaretur ſe non ope dæmonum, (vt ferebat calumnia,) ſed auxiliante Deo, poſſe quicquid poſſet. Legeſis Acta S. Cæſarij quæ exhibet Surius 1. Nouembr.

S. Seraphia ſub Adriano paſſa, cùm ob fidei confeſſionem à Beryllo Præſide damnata eſſet ad proſtibulum, & duobus libidinoſiſſimis Ægyptiis tradita; illis diuino viſo planè eneruatis & malè multatis, habita eſt à Præſide Maga: quæ calumniam diluit dicens; [Nobis Chriſtianis, fas non eſt artes Magicas exercere.] Præſide autem vrgente, vt precibus ſaltem, ad Deum verum fuſis, Seraphia duos iuuenes vigore priſtino redonaret, conteſtata denuò S. Seraphia ſe Magam

non

non eſſe; præmiſſa publicè oratione acceſſit & tetigit iuuenes, qui confeſtim exilierunt,& valentes conſtiterunt. Præſes contactum à Seraphia adhibitum, Magiam interpretatus, inſtitit, vt ſciret quibus artibus Seraphia rem tantam perfeciſſet. Quæ iteratò conteſtata eſt; [Ego malas artes odi. Imò Chriſtiani omnes, Chriſti expreſſo nomine, incantationes omnes profligabunt, nec quicquam eis officient.] Obfirmatus nihilominus Præſes in calumnia, & maleficam, ac Biothanatam Seraphiam appellans; (quod ipſa probrum in Præſidem ac ſuos meritò retorſit;) rabie percitus ob ſpoliatum viſu inter ſanctam cædendam dextrum ſuum oculum,fragmine tenui in oculum inſiliente;Seraphiam damnauit, vt Magam & in maleficiis deprehenſam;non reipſa,ſed per calumniam.

SS. Prothus & Hyacinthus, S. Eugeniæ Eunuchi, ab vna ex Baſillæ ancillis, vocati ſunt *autores artis Magicæ, quam Chriſtiani committunt*, vt eſt in Actis S. Eugeniæ cap. 24. Vniuerſum verò eorum maleficium erat,quòd verum Deum colerent, & ſanctum piarum Virginum propoſitum de Virginitate retinenda,fouerent pro viribus.

S. Mercurius, iuſſu Decij dirè excarnificatus & gladio & igne admoto; cùm mox cenſeretur efflaturus animam, proiectus in obſcuram domunculam, ibique diligenter cuſtoditus, ad Chriſti apparentis conſpectum illico curatus eſt: ita vt ne vibices quidem in corpore cernerentur. Ad eius,qui pro mortuo habebatur, & rediuiui & valentis conſpectum, Decius accuratè inquirens, num quis acceſſiſſet,qui ei medicinam feciſſet, vbi à ſatellitibus certò accepit, neminem mortalium ad eum adiiſſe, exclamauit. [Videte artem Magicam Chriſtianorum. Qui heri putabatur eſſe mortuus, hodie aſtat ſanus.] Et conuerſus ad S. Mercurium, dicit. [Quis te curauit? Dic cum veritate. Nam ſine præſtigiis & arte Magica, non puto te eſſe curatum. Dixit S. Mercurius. Sicut priùs dixiſti nolens, Dominus noſter IESVS Chriſtus, verus Medicus animarum & corporum, ipſe me curauit. Veneficos autem, & incantatores, & ſortibus diuinantes, ſimul cum iis,qui adorant ſimulachra,abdicat.] Deſcribit iſta in ſancti viri certamine Metaphraſtes. 24. Nouemb.

SS. Laurentius & Pergentinus fratres, à Tiburtio Decianæ in Chriſtianos ſæuitiæ ſtrenuo adminiſtro, tanquam malefici, & qui maleficiis ſuis vrbem Aretium,quam incolebant, euertiſſent,damnati ſunt, & plexi capite; conſtanter abnuentes ſe maleficos eſſe, aut per maleficia quippiam feciſſe; ſed profitentes ſe eſſe Chriſti ſeruos, qui præſtigiatores & maleficos auerſatur.

S. Nemeſius Diaconus (vt habent Acta S. Stephani Papæ,) à Valeriano, tanquam Magus, & cædium per præſtigias patrator, eſt habitus, tantùm quia Dei hoſtibus ita viſum.

S. Martina,cùm ad molem immanium cruciatuum manſiſſet infracta, mandato Alexandri Imperatoris,raſa eſt caput; ne poſſet per maleficia ſua obſiſtere cruciatibus. Perſuaſi quippè erant Gentiles, præſidium Magis eſſe in capillitio. An ex deprauatione hiſtoriæ Samſonis, cuius robur euanuit reciſa coma? An quod arbitrarentur intra capillos abdi potuiſſe aliquid maleficum? Id ſanè eſſe in cauſa videtur, cur hodiéque Iudices, agentes cum ſagis,aut maleficis,abradant diligenter eorum capillos omnes, etiam barbæ & naturalium partium: quod fuiſſe vtile,multis exemplis confirmat Damboudèrius in praxi crim. cap. 37. num. 21. & Ferrandus noſter ſuprà laudatus. ob aliquam igitur talem cauſam, cùm perſuaſum eſſet Ethnicis Iudicibus, maleficos radendos eſſe, S. Martinam tanquam Magam radi iuſſerunt, non ad ignominiam

Digitized by Google

ignominiam tantùm, (quo pacto hanc pœnam, quoad Chriſtianas mulieres exponit Baronius ad Rom. Martyrol. 20. Septemb.) ſed etiam ob cauſam propoſitam, ratis hoſtibus per abraſionem fore vt nudaretur fortitudine, quam eatenus exprompſerat; eamque ob cauſam deraſæ inſultatum eſſe, tanquam deinceps imbelli & virtute nudatæ, habent Acta. Sed Deus calumniam retudit, collato Virgini tanto robore, vt ad mortem vſque infracta perſtiterit.

S. Vitus à Valeriano Præſide inſimulatus Magiæ, conſtanter negauit ſe Magum eſſe; quippè Chriſtianum, à Chriſto edoctum deteſtari dæmones, & omnem eorum operationem.

S. Athanaſius Magus eſt habitus, nominatim cùm Arſenius quem Meletiani extinctum finxerant, manu eius abſciſſa, (vt fingebant) in medium producta; ſanus comparuiſſet. Cùm enim pudore ob tam turpem calumniam obruerentur, aliò vertentes arma iactarunt omnia iſta à S. Athanaſio per Magiam eſſe patrata. Malignè planè, Dei circa ſeruum ſuum prouidentiam, adſcribentes ſocietati cum Satana, quod tamen non puduit eos in Concilio Tyrio iactare, & paſſim alibi. Et idcirco Virgilius in diſputatione Laodicæna Athanaſij cum Arrio, Iudice Probo, homine Ethnico, *in ipſo fine*, inducit Arium ſic cum Probo conteſtantem. [Nulli dubium eſt quin Magicis artibus Athanaſius non deſinat Iudicum peruertere ſenſus, vt rectæ fidei tramitem erga eos, qui illam religiosè ſectantur & colunt, tenere non poſſint. Et idcirco quod in examine tui culminis explicare non valeo, Principis iudicio reſeruabo, vbi veritatis indago præpollet & Magicas artes ob veræ fidei obſeruantiam præualere non poſſe, credendum eſt.]

Manauit hic ſenſus de Athanaſio Mago, ab Arrianis ad Ethnicos, vt videre eſt apud Ammianum lib. 15. Et fouit conceptum à Gentilibus de Athanaſio Mago peruerſum ſenſum, multiplex eius prophetia diuinitus inſpirata, vt notauit Sozomenus lib. 4. cap. 9. qui vnam præter cæteras refert adſcriptu dignam. Tranſibat fortè per plateam ciuitatis Athanaſius, cùm apparuit Coruus verſus eum volitans & crocitans. Ethnici aſtantes cùm Athanaſium veluti Magum ſubſannaſſent, ab eo petierunt, ecquid ſibi vellet coruus ſuum *cras cras* tunc temporis ingeminans. Nobis (inquit Athanaſius) *cras* latinè ſonare proximè ſecuturam diem. Itaque obnuntiat vobis hic Coruus, diem craſtinum vobis peracerbum, & quàm triſtiſſimum ſuperſtitioni veſtræ fore. Excepta cum riſu & ſannis eſt prænuntiatio. Sed Deus qui non irridetur, verbum, quod ſeruo ſuo inſpirauerat, caſſum excidere non eſt paſſus. Craſtina itaque luce, literæ ab Imperatore ad Magiſtratum perferuntur, quibus cauebatur ne deinceps Ethnici feſta ſua celebrarent, vel ad fana ſua accederent, & conuentus peragerent, rituſue conſuetos obirent. Vnde quãtus mœror Ethnicis acceſſerit, facilius eſt cogitare quàm dicere. Sed inde accreuit Gentilium in Athanaſium tanquam Magum exacerbatio, quaſi notitia, quam diuinitus hauſerat, partus fuiſſet commercij cum Satana, atque Magiæ damnatæ, cuius primam ſuſpicionem inſeuerat tam frequens veréque miraculi plena, inſidiarum ab Arianis ad Athanaſium prehendendum poſitarum, declinatio per extraordinariam numinis in ſeruum ſuum prouidentiam.

S. Lebuinus Saxonum Apoſtolus, cum iam aliquos lucrifeciſſet Chriſto, dictus eſt ab aliis Magus. Vnde hæ illorum voces quas repræſentat Hucbaldus Elnonenſis in ſancti Lebuini actis cap. 10. [Quidnam eſt illud phantaſma vagabundum, quod ſuis præſtigiis alienat mentes, infatuat ſenſus, mores peuertit

cit noſtrorum ? Nonne cernitis quòd iam multos à ſuæ qualitatis ſtatu corrupetit, & quaſi deliros effecerit? Ergo antequam nos omnes in poſterum ille faſcinationis ſuæ fraudibus circumueniat, ocyus perquiratur, effugetur, aut potiùs peſſundetur: vel cum ſua illa Magica ſcena, viuus flammis addicatur.] Sic furioſi illi, prædicationem Euangelij qua mores commutantur in bonum, dixere Magiam.

S. Hilarion Monachus cuius vitam S. Hieronymus tranſmiſit ad poſteros, refertiſſimam ſanctitatis, & diuinorum operum, à duobus malè feriatis, calumniam Magicarum artium ſuſtinuit. Catoptromantiæ eum inſimulauit Sectarius Caſaubonus ad Spartiani Iulianum. Abuſus enim loco Menologij Græcanici, & narratione conſcripta à D. Hieronymo in vita S. Hilarionis, de equis & rheda Italici, effutiuit, S. Hilarionem adhibuiſſe Magicum remedium. Erat Italicus municeps Gazenſis, Chriſtianus, qui aduerſus Gazenſem duumuirum Marnæ idolo deditum, Circenſes equos nutriebat. Italicus æmulo ſuo habente maleficum, qui dæmoniacis quibuſdam imprecationibus huius impediret equos, & illius incitaret ad curſum; venit ad B. Hilarionem: & conteſtatus functionem eſſe publicam, & hoc non tam ſe velle quàm cogi; nec poſſe hominem Chriſtianum vti Magicis artibus, ſed à Chriſti ſeruo potiùs auxilium petere maximè contra Gazenſes aduerſarios Dei, & non tam ſibi quàm Eccleſiæ Chriſti inſultantes, renitentem diu S. Hilarionem, adhibita fratrum eius prece, denique inflexit ad opem ferẽdam ipſi Italico: quod fecit, ſcyphum fictilem quo bibere conſueuerat aqua iubens impleri, qua Italicus & ſtabulum, & equos, & aurigas ſuos, rhedam, carcerumque repagula aſpergeret. Vnde conſecuta Italici victoria; & præpeditio equorum aduerſarij, qui vulgatum Italici factum irriſerat. Exclamat hîc ſectarius Caſaubonus. [Quis neget κατοπτρομαντείας his verbis deſcribi illã ſpeciem, quæ cum aqua & cyatho perficiebatur?] Craſſa planè & nequitiæ referta eſt iſta calumnia aduerſus virum ſanctiſſimum, qui pietate inferior ſtatuitur Italico, allegante (vt vidimus,) nefas eſſe homini Chriſtiano vti Magicis artibus. Atque ita Chriſtianus de plebe, religioſior fuiſſet viro ſanctitatis in Dei Eccleſia decantatiſſimæ. Ipſemet S. Hilarion cùm de expellendo dæmone à puella, maleficiis in foueam acta, ageretur, adeò abhorruit ab omni malèficij ſpecie, vt laminam ſubter limen defoſſam maleficio grauidam, erui noluerit, priuſquàm virtute Crucis abegiſſet dæmonem. Quomodò ergo in hoc negotio dæmonem adhibuiſſet, ad impediendos Ethnici hominis equos? Apage horrendam calumniam tam malignè viro ſanctiſſimo impactam, quàm tetra eſt & horrenda labes Magiæ. Norunt viri ſancti dæmones torquere, & pro poteſtate flagellare, non eis ſupplices accidere: quod omnibus æquè veris Chriſtianis commune eſt, vt Tertullianus lib. de anima cap. 57. admonet, & D. Auguſtinus 10. Ciuit. cap. 21. & 22. Aqua Italico conceſſa, à benedictione viri ſancti, vel ab eius poculo, virtutem abigendi dæmonis, & aduerſarium impediendi hauſit, Deo ſic remunerante D. Hilarionis merita, non autem à Catoptromantia.

Haud leuiùs, S. Hilarionem in hoc facto calumniatus eſt Sauaro ad carmen 23. Sidonij *verſ.* 328. tradens ex leg. athletas ff. de iis qui notantur infam. & ex Feſto *verſ. Naſiterna*, miniſtrum equis aquam ſuffudiſſe, vt incitatiores eſſent, ea aquæ Neptuno ſacræ affuſione, in honorem Neptuni, cui Circus ſacer erat, ex Saluiano 6. de prouid & Tertulliano lib. de ſpectac. Vnde voluptuoſus furor,

vt verbum Sidonij vſurpem, quadrupedantibus à Neptuno ſic inuocato aſpirabatur. Inter exempla ergo huius affuſionis aquæ in Neptuni honorem, ad exorandam equis incitationem, numerat Sauaro factum S. Hilarionis. Admodum profectò improuidè, & iniurioſè in S. Hilarionem, qui ea ratione aſſeritur dæmonem inuocaſſe ad expeditum curſum equis Italici conciliandum; & idololatriæ ſpurcitiis cōtaminatur; à quibus ſordibus tantùm aberat, quantùm criminatores eius à ſana mente: Poterat Sauaro, chriſtianè dicere, voluiſſe S. Hilarionem vſum Ethnicum ſanctificare, vt quando Ethnici ad exorandum effectum prædictum, adhibebant aſperſionem aquæ incantatæ & Neptuno conſecratæ; voluerit ipſe adhiberi aſperſionem aquæ, ſed ritu Chriſtiano benedictæ, & vero Deo conſecratæ per piam precationem.

S. Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus miræ ſanctitatis, ex diuina reuelatione cœcum quendam Felicem nomine, viſu redonauit, conſignans cruce oculos eius. Cùm Felix eſſet toti vrbi Carthaginenſi notiſſimus, res ad Hunericum confeſtim delata eſt. Aſtantes autem Tyranno Epiſcopi Arriani, vt miraculum eleuarent, dixerunt, *Hoc Eugenius per maleficia fecit*. Sed erat calumnia omnino Phariſaica, quam Arriani cæde Felicis cumulare tentarunt: ſicut Iudæi Lazarum interficere cogitarunt, ne miraculum ſuſcitationis eius, oculos ipſorum vlteriùs perſtringeret.

Simeon Salus, qui per ſtultitiæ ſpeciem, eximiam ſapientiam nouo Satanam conterendi more occuluit, ſocietatis cum dæmone calumniam ſuſtinuit, quia infamatus de ſtupro ab ancilla illuſtris cuiuſdam familiæ, prædixit eam non parituram, donec verum eius, ex quo prægnans erat, nomen ediceret. Ancilla per tres dies cum immanibus cruciatibus conflictata, ad extremum oppetiens mortem, faſſa eſt quod erat, & Simeonem purgauit, ſtatimque enixa eſt incolumis. Prænuntiationem Simeonis, fuere qui ad Satanam referrent; dicentes, homini qui eam vitam viueret, non potuiſſe tale quid innoteſcere, niſi per Satanam, quæ tamen geminata erat calumnia. Nam & Simeon vitæ erat innocentiſſimæ: & prænuntiatio non à Satana, ſed à Spiritu ſancto Simeonem edocente, ortum habuerat.

S. Gregorius Agrigentinus, ab æmulis Habino ac Creſcentino, quorum loco Epiſcopus inauguratus fuerat, Magiæ nomine eſt infamatus. Cùm enim crebris & grandibus illuſtraretur miraculis; [Quouſque nos (inquiunt apud Metaphraſtem,) huic impoſtori atque venefico ſubijciemur, qui ignaris ac ſimplicioribus hominibus, admirationem præſtigiis ac impoſturis excitat. An ignoramus quemadmodum hic effugerit, & cum quodam Mago manſerit, à quo nefariam hanc & maleficam artem hauſit, qua hominibus inſtar Simonis illius, dæmon ex hominibus factus imponit? Non cernis vt neque omnino comedat, neque bibat, quod dæmones ſubinde faciunt?] Dæmonem ex homine factum calumniantur, iuxta errorem Ethnicorum à Platone in Cratylo traditum, & improuidè ab Origene ex Platone hauſtum, de tranſitu animarum humanarum in dæmones, vt notat Viues ad librum 9. de Ciuit. cap. 11. Mentiebantur ergo, S. Gregorium tranſiſſe in dæmonem, vt ſignificarent, eum quaſi diuinum factum interuentu Magiæ: quæ erat calumnia atrociſſima, cùm vir ſanctus adhærens Deo, atque adeo factus vnus cum eo ſpiritus, quàm longiſſimè ab omni dæmoniaco commercio abhorreret.

S. Norbertus cùm immane cædis periculum impendens ab immiſſis ſicariis, & tumultu plebis in eum concitatæ euaſiſſet diuino nutu, ab aduerſariis magus habitus.

habitus eſt; vt habent eius Acta cap. 48. Sed Deus, ſilente ſancto Antiſtite, eius innocentiam & inimicorum malignitatem teſtatam fecit, ipſiſmet hoſtibus ei ſupplicantibus, & ſatisfacientibus.

Dunſtanus Cantuarienſis Epiſcopus, in iuuentute habitus eſt Magus, vt ſcribit Osbertus Monachus, deſcribens eius in regio palatio conuerſationem; qui tametſi longiuſculè id refert, tamen dignus videtur qui audiatur. Sic habet ſub vitæ initium. [Sciens quoque otioſitatem inimicam animæ eſſe, nunc iſtis, nunc illis operibus intendebat, & diuerſitate eorum, ſubrepens faſtidium ſibi, tollebat. Peritia namque ſcribendi, pingendi quicquid vellet, in cera, ligno, vel ære ſculpendi, & ex auro, argento, ferro, vel ære fabricando, ita claruit, vt à multis quàm maximè admirationi haberetur. Super hæc inſtrumentis muſici generis, quorum ſcientia non mediocriter fultus erat, non tantùm ſe, ſed & multorum animos à turbulentis mundi negotiis ſæpè demulcere & in meditationem cæleſtis harmoniæ, tam per ſuauitatem verborum, quæ modò materna, modò alia lingua muſicis modulis interſerebat; quàm & per concordem concentum, quem per eos exprimebat, concitare ſolebat. Propter hæc igitur à multis frequentabatur, & ab eo multa fieri petebantur. Ille autem, quoniam erat ad omnes charitate diffuſus, nulli negabat, quod vellet ab alio ſibi concedi. Hæc inter opera ſua, rogatur à quadam matrona, religioſa quidem, & ſtudium habente placendi Deo, domum ſuam venire, & oratium ſibi, quod ad ornatum & miniſterium Eccleſiæ inaurare volebat, artificioſa, quam in auri opere imitaretur, arte præpingere. Iam Dunſtanus in manibus opus habebat & cithara eius, quam ad domum veniens, ſecum fortè detulerat, parieti affixa, iuxtà pendebat. Cœpit ergo ipſa cithara pulſius hominis attactu pulſata, per ſe, antiphonam iſtam diſtinctis vocibus reſonare: Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia per eius amorem ſanguinem ſuum fuderunt, ideò cum Chriſto gaudebunt in æternum. Ad hæc, admiratio non parua comprehendit omnes, qui in domo conſiſtebant. Singuli ergo deflexis oculis ab opere iuuenis, quò prius intenderant, vultus & aures ad citharam erigebant: & alij quidem ſimplicem vocem chordarum captabant: Dunſtanus verò quid ſonus depromeret, quidve moneret, ſolus intelligebat. Intelligebat enim, in eo quod citharizabatur, quia ſi cum Chriſto vellet in æternum gaudere, non formidaret, ſi neceſſitas vrgeret, pro eo ſanguinem fundere, nec anima eius gaudium in cælis adipiſceretur, ſi Chriſti veſtigia non ſequeretur. Itaque citharædum ictum, verè Angelico modulamine adminiſtratum, ita accepit, quaſi ex ſenſibili præſentia Dei doceretur, quid ſibi deinceps foret agendum. His ita ſe habentibus, ij qui primò virum valde ſe diligere demonſtrabant, & ei quaſi fidelem ſocietatem in cunctis conſeruabant, nunc prouectibus eius inuidere, & eum ſiniſtris artibus vti, ac manſuetum ad omnes habitum eius, hypocriſi & quorunque ſimplicium deceptioni magis, quàm alicui religioni inſeruire, conuiciari cœperunt. Ad cuius calumniæ firmamentum, id quod in cithara factum fuit, velut quoddam argumentum inducunt, adſtruentes in huiuſmodi inſtrumento nihil tam inſolitum fieri potuiſſe, niſi conſtaret, aliquo diabolico carmine illico per eum, cuius erat, anteà tactum fuiſſe. Quid plura? Creſcit iſte nequiſſimus tumor, & in dies fit ſeipſo deterior. Spargitur per aulicos & perducitur vſque ad principis aures.] Sed Deus non eſt paſſus eam calumniam ſeruo ſuo adhæreſcere; quem mox glorificauit in

conſpectu Regum, & ad primam Angliæ ſedem euexit.

S. Goaris Presbyter, à Ruſtico, Treuirẽſi Epiſcopo, de Magia illicita calũniã paſſus eſt. Albivvino enim & Adalvvino, quos ad S. Presbyterum ablegarat, reuerſis & mira quædam ab eo circa ceruas manſuefactas patrata elocutis, reſpondit Antiſtes. [Ea quæ Goaris egerit, non tam ope diuina, quàm Magica arte & maleficiis ab eo patrata.] Ruſus cùm ſanctus ſacerdos, de via feſſus, cucullam qua grauabatur, de fuſte roboreo (vt putabat,) reuera de ſolis radio ſuſpendiſſet; Antiſtes vim Magicam in his factis cauſatus aduerſus ſanctum Presbyterum tanquam Magum, inſtituit iudicium. Is vno breui reſponſo, calumniam ſic diluit. [Deus Iudex iuſtus, fortis, longanimis, ſcrutator cordium, & ſecretorum inſpector; nouit me nihil prorſus artis Magicæ, aut ſciſſe aliquando, aut ſcire, neque parti aduerſæ in aliquo velle præbere conſenſum. Feras autem mulſi, non vllis incantationibus, quarum nullam omnino ſcio. Quod ad ſalutem eorum qui me comitabantur, pietas mihi diuina conceſſit & ordinauit, impleui. Neque veſtem meam de ſolis radio, (vt dicitur,) pendere ſcio, ſed de fuſte roboreo.] Inſtante Epiſcopo, vt ad diluendam Magiæ infamiam, Deum interpellaret circa verum parentem infantuli expoſiti ante triduum; alioqui futurum, vt pro cæteris, in eum tanquam in Magũ & maleficum animaduerteretur, Deus prægrandi miraculo calumniam Magiæ ſeruo ſuo impactam repulit, & Epiſcopum inſigni rubore perfudit. Nam à S. Goare interrogatus infantulus, ecquis eſſet pater eius, reſpondit eſſe Ruſticum Epiſcopum; illum ipſum qui S. Goari de Magia calumniam intentabat, matrem verò ſibi eſſe Flauiam, quæ de Epiſcopo concepiſſet. Sic calumnia ſancto viro illata euanuit.

Sylueſter II. (antea Gerbertus,) ex Abbate Robienſi Archiepiſcopus primùm Rhemenſis, tum Rauennas, ac denique Romanus, quod de ſe ipſe apud Helgaldum in Roberti Regis vita eo verſu expreſſit.

Scandit ab R. Gerbertus in R. poſt Papa viget R.

Hunc Benno Pſeudo-Cardinalis, in declamatione (ſic enim nominanda eſt,) contra Gregorium VII. ait fuiſſe Magũ, & maleficiis ſibi paraſſe aditum ad illud honorum culmen, pacta Diabolo anima; quam ei dæmon poſt annos ſedis quatuor, obtorto collo in æde S. Crucis in Hieruſalem abripuerit. Huius calumniæ primus faber fuit Benno cuiuſcunque demum fuerit illud os Diaboli, quod in perſona Bennonis locutum proditur. Adhæſit Bennoni Petrus de Pruſſia in vita Alberti Magni cap. 13. poſt Vincentium Bellouacenſem lib. 25. ſpeculi hiſtor. cap. 98. At Sergius Silueſtri ſucceſſor, epitaphio quod eius ſepulchro appinxit, & à Baronio anno 1003. recitatur, omnia alia de eo habet. Diligenter item Sylueſtrum purgat Onuphrius, retuſis telis omnibus hoſtilibus. Colorem verò nonnullum præbuit calumniæ, hominis ex humili fortuna ad honorum apicem euectio; nec non Aſtrologiæ peritia in tam rudi & illiterato ſeculo: (nam anno Chriſti milleſimo, proſtratis ferè literis ſedebat:) ac denique artificium inſigne ad maximos quoſque ſibi deuinciendos, quo Gerbertus pollebat. Sunt tamen hæc omnia planè inania fundamenta, ad inædificandam de Gerberti Magia calumniam à Bennone fabricatam, cui pueriliter nimis adhæſit Sigebertus in Chron. anno 998. anceps, eſſetne Sylueſter annumerandus Romanis Pontificibus: de quo Ditſmarus, Helgaldus, Glaber, Lambertus, Hermannus, ac Marianus, res illius æui cominus contuiti, tanquam de vero Pontifice, abſque vlla horrendi exitus aut Magiæ mentione, honorificè ſcripſerunt.

pſerunt. Legeſis pugnantē pro Syluestro Couium Tom. 1. lib. 7. artic. 15. & præter cętera obſeruat, quę apud Sigebertum de Syluestri Magia leguntur non haberi in Sigeberti Manuſcripto chronico, ſed ei attexta nequiter fuiſſe à quodam Galfrido qui vixit ſub annum 1490.

Piget ſimiles calumnias aliis Pontificibus impactas excutere *Bona pars Pontificum* (ait Godelmannus Tract. de Magis lib. 1. cap. 2. num. 13.) *Magicis artibus Pontificatum aſſecuta eſt. Legantur illorum vitæ, Syluestri II. qui caput aneum habuit quod conſuluit; Benedicti VIII. Gregorij VII. Ioannis XX. & XXI. Alexādri VI. & aliorum.* Legimus ſanè ô Godelmanne vitas illas, & demptis auorum tuorum mendaciis, nihil reperimus quo tuæ calumniæ in ſummos Eccleſiæ Rectores, vel in ſpeciem firmarentur.

Alexius Protoſtator, à Manuele Imperatore cognato per calumniam Aatonis Iſacij Magi, incuſatus Magiæ, exturbatus eſt. Rem ſic deſcribit Nicetas Choniates lib. 4. de rebus Manuelis num. 6. [Manuel cum ab Alexio Protoſtatore nulla re eſſet offenſus, nec eius fidem & beneuolentiam deſiderare poſſet, ac tenuem pro meritis ei gratiam retuliſſet: ſola ſuſpicione adductus, & improborum hominum calumniis impulſus, quia eum & ducibus & militibus eſſe charum videbat; & liberalitate erga homines vti, (quanquam fortaſſis etiam diuitias eius clàm appetebat;) Sardicæ agens, hominem ante lucem cum vxore ſua cubantem comprehendit, & omnibus opibus multatum, in monaſterium quoddam Papycij montis conijcit. Ne autem id facinus manifeſtæ iniuriæ damnaretur, ſycophantæ præſto erant, qui crimini darent, eum magicis præſtigiis Imperatorem petere: quæ haud ſcio an ita efficaces ſint; (ſanæ quidem aures ab iſtiuſmodi commentis abhorrent) vt hominem efficiant volucrem: itáque perſtringant oculos, vt ſtricto enſe irruens non conſpiciatur. Cuius generis illa ſunt, quæ Græci olim de Perſeo fabulabantur. Eorum calumniatorum, princeps eſſe ferebatur Aaron Iſacius, qui Corinrho cum cæteris in Siciliam abductus, ibique Latinam linguam exquiſitè edoctus, Latinorum interpretem agebat apud Imperatorem. Alexij verò vxor, Alexij primogeniti fratris Manuelis filia, pietate in maritum & pudicitia inſignis, & illuſtre muliebris ſexus ornamentum; fruſtra ſibiipſi manus afferre conata, ad patrui pedes ſupplex aduoluta, ſummoque cum luctu & ſanctiſſimo iureiurando, mariti innocentiam, & erga Imperatorem fidem, atque obſeruantiam teſtificata; permouere tamen eius animum ad miſericordiam, quamuis miſerabili habitu, nec à ſententia deducere potuit. Itaque ex perpetuo mœrore ſolitudinis & luctu, caſtæ turturis inſtar, mentis errore vſque ad obitum affecta, & tabe confecta eſt, duobus filiis ſuperſtitibus. At Alexius nigrum habitum amplexus, diuino amore leuabatur, ſummi boni appetitione acquieſcens, & inſtar aquilæ volantis inferiora deſpiciens.]

[Albertus Sueuus cognomento *Magnus*, à non paucis Magus eſt habitus; præſertim ex quo in die Epiphaniæ, Gulielmum, Hollandiæ Comitem, Regem Romanorum, Coloniam (vbi Albertus erat,) digreſſum, conuiuio excepit, & horridam hyemem in florigeram fructiferámque æſtatem vertit, vt ſcribit Trithemius in Chron. Sphanheimi anno 1254. Accedit vulgaris narratiò æquè magiam redolens, de capite æneo, cui ab Alberto conciliatam humanam elocutionem ferunt. Multa denique operum eius, fermento Magico contaminata leguntur, ac nominatim liber de Mirabilibus, & de ſecretis mulierum. [Verùm Albertus omnino abfuit à Magia illicita, atque adeò per calumniam audit Magus.

Ioanna Darcia (vulgo *puella Aurelianenſis*, à liberata Aurelianenſi ciuitate ab Anglis,) ex pago Dam Remigi in agro Tullenſi apud Lotharingos, viuicomburio vitam finiuit Rotomagi, anno 1431. agente maximè Petro Cauchonio: Bellouacenſium Epiſcopo, calumniam paſſa Magiæ. Occaſionem calumniæ præbuit, admirabilis eius vocatio ad Regem Carolum VII. regno propè exutum ab Anglis, reſtituendum in auitam ditionem, pulſis Anglis occupatoribus. Incredibile dictu eſt, quanta perbreui fecerit puella ruſticana annorum duodeuiginti, ab ouium cura ad militiam ſubitò exiliens; & viri habitu ex equo pugnans, ac ductans acies, & ferè vbicunque apparebat, fundens ac ſternens hoſtes, euentu adeò felici, vt Gallia ei ſuam anaſtaſim debeat, Anglia excluſionem à Gallia, quam occuparat. Hinc illæ Anglorum in eam iræ, & diſſeminatio calumniarum; cùm cæterarum, quas diluit Gerſo (ad calcem Tomi ſecundi, vbi habet geminos de hac puella tractatus:) tum nominatim Magiæ: quam in ea puella plagam renouauit nuper Torreblanca l.1.dæmonolog.cap.29.n.8. Et tamen Magiæ in ea puella nulla planè indicia ſupperebant, imò prorſus contraria. Itaque Calixtus III. anno 1456. delegatis ad eius cauſam recognoſcendam Iudicibus, pronuntiauit, Ioannam planè innoxiam fuiſſe, & crudeliter, ac iniuſtè in eam ſæuitum eſſe. Videndi præter Gerſonem, Belleforeſtius l. 5. hiſtor. à cap. 87. ad 93. Æneas Syluius in Europa cap. 43. & l. 6. Gobellini, Mariana l. 20. de rebus Hiſpan. cap, vltimo, Papyrius Maſſonius l. 4. Annal. Franciæ, Sauſſayus l.14.hiſtor. Aurelian. & Ioannes Hordal Lotharingus in Collectaneis de hac ſua ciue, ac nonnulli alij, quos profert Delrius, innocentiam huius puellæ propugnans l. 4. Mag. cap. 1. quæſt. 3. 5. 6. regula 7. Impoſitum verò eſt Ioanni Nider l. 5. formicarij cap. 8. Ioannam latè criminanti, quia nimis credulus fuit literis Regis Angliæ, ad Imperatorem datis in ea cauſa. Librat & inſigniter extollit Ioannæ huius fortitudinem, Thomas Boſius l. de bellico robore contra Macchiauellum cap. 8.

Ioſephus Anchieta Canarienſis, ex Societate IESV, ob pleraque præter ſolitum morem ab eo edita circa omnis generis bruta, & ob futurorum, ac procul poſitorum cognitionem familiariſſimam & propè aſſiduam; tranſmutationes denique variarum rerum in alias, nec non ægritudinum diuerſarum ſubitas ſanationes; apud nonnullos calumniam paſſus eſt Magiæ. Sed hæc adeò tetra eſt, & adeò malè materiata maledicentia, vt confutatione non egeat. Ioſephi enim vita innocentiſſima, & iugis cum Deo vſus, apud homines micā iudicij retinentes, eius innocentiam & exemptionem à Magicis turpitudinibus, ſecuram præſtant: Et ſpes eſt, breui ora loquentium iniqua, linguario per ſedem Apoſtolicam immiſſo, eſſe coërcenda. Per eam ſanè mordendi, & gratis pro libidine calumniandi licentiam, quilibet ſancti, præſertim Thaumaturgi, poſſent eodem iure (id eſt nullo,) audire Magi. Nec alio iure impiiſſimi quique Iudæorum, cùm miracula Chriſti aliter eleuare non poſſent, reum Magiæ fecere Chriſtum, vt ſuprà aduertimus. Itaque bellè huc cadit ea Chriſti prænuntiatio, *ſi patrem familias Beelzebub vocauerunt; quanto magis domeſticos eius?* Si vnquam Chriſtus Dominus, dictus eſt neceſſitudinem habere cum Principe dæmoniorum, idque Iudæos in Spiritum ſanctum peccantes non puduit effutire: quantò minùs mirandum eſt, hominem ex Societate IESV, de ſe homuncione talia audire? Sed calumniatores ſeruorum ſuorum, Deus diſperdet. Poteram omnium operum quæ in Ioſepho criminationi patuerunt contentionem

quinatur. Faceſſat ergo calumnia malè materiata de Syluestro ex Monacho Apoſtata.

Robertus S. Bernardi nepos inter Ciſtercienſes auſteriorem regulam profeſſus, interpoſita Summi Pontificis autoritate ad mitiorem ſiue molliorem vitæ formam inter Cluniacenſes tranſgreſſus, Apoſtaſiæ notatus eſt. Nec abhorret ab eo ſenſu S. Bernardus epiſtola 1. quæ eſt ad ipſum Robertum. Præfatus enim precibus ſe, ac blandiloquiis agere præ ſua cum Roberto neceſſitudine, ſubdit. [Quis alius non magis diſcuteret reatum & incuteret metum, non opponeret votum & proponeret iudicium; non argueret inobedientiæ, non indignaretur A P O S T A S I Æ; quod de tunicis ad pelliceas, de oleribus ad delicias, quod denique ad diuitias de paupertate tranſieris?] Et inferiùs ſeduci ipſum ait ab iis qui blandiebantur de abſolutione Apoſtolica; nihilominus enim id eſſe miſiſſe manum ad aratrum & reſpicere retro. Additque. [Time quoniam (vt cum venia tua dixerim) quicquid tibi ampliùs indulges in victu, veſtituque ſuperfluo in verbis otioſis, in vagatione licentioſa & curioſa, quàm videlicet promiſiſti, quàm apud nos tenuiſti; hoc proculdubio retrò aſpicere eſt, præuaricari eſt, Apoſtatare eſt.] Non eſt dubia S. Bernardi mens circa Apoſtaſiam Roberti ad tranſitum à Ciſtercienſibus rigidioris inſtituti profeſſoribus ad molliores Cluniacenſes, etiamſi factum indulgente Pontifice.

Nihilominus communis doctrina eſt, tranſitum à religione ſeueriore ad remiſſiorem, Apoſtaſia non ſordere. Ita habent omnino multi Doctores quos adducunt Ricciullus l. 8. de iure perſonar. extra Eccleſ. cap. 3. num. 1. Sanchez l. 6. in decalog. cap. 8. num. 8. Fagundez in 2. decalog. præcept. l. 8. cap. 5. à num. 3. qui eidem ſubſcribunt ſententiæ. Et ratio eſt quia tranſire ad aliud religioſum inſtitutum etiamſi minùs perfectum, non eſt ſimpliciter, & abſolutè recedere à religione; vnde qui ſic tranſit manet aſtrictus nexibus ſubſtantialibus inſtituti religioſi, & vt ſit religioſus, non eget noua profeſſione iuxta Boërium deciſ. 260. num. 29. Itaque non deficit à Religioſo ſtatu, atque adeò non eſt Apoſtata, propriè & in rigore loquendo: quod ſufficit ad depellendam notam de qua agimus. Eſto latè & paulo laxiùs loquendo, ſimilitudinaria quædam defectio in eo tranſitu ad remiſſiorem vitæ formam cernatur, quod vnum voluit S. Bernardus, cuius dicta omnia in parænesi ad nepotem, quem ad perfectius inſtitutum reuocare ſatagebat, non ſunt exigenda ad ſeueritatem Theologicam.

Antiſtites è Religioſo inſtituto aſſumptos, eſſe à religioſo ſtatu apoſtatas vulgi eſſe ſententiam refert Thomas Valdenſis l. 3. doctr. art. 1. cap. 17. num. 5. Sed hæc eſt pinguis & atrox calumnia in pleroſque ſanctos Antiſtites aſſumptos è religionibus qui velut Soles perfectionis fulſerunt in templo Dei, cuiuſmodi nominatim fuerunt S. Hugo Lincolnienſis, S. Petrus Tarentaſienſis, Amedeus Lauſanenſis, Nicolaus Albergatus & Pius V. quos Apoſtaſiæ notare inſolentiſſimæ ſit impudentiæ. Nec eſt ad huius calumniæ tot viris magnis impactæ depulſionem neceſſaria ſingularis reſponſio Thomæ Valdenſis, affirmantis idcirco calumnioſè hos Antiſtites notari Apoſtaſiæ, quia tales à religione minus perfecta tranſeunt ad perfectiorem. Vnde ſicut qui relicto laxiore inſtituto capeſſit aliud, quod ſtrictius ſit, atque perfectius tantum abeſt, vt apoſtatare dicatur vt potiùs commendetur à ſtudio maioris perfectionis per eum tranſitum captatæ: ita iuxta Valdenſem, qui è ſtatu regulari vulgato promouetur in Epiſcopum, idcirco non apoſtatat, quia tranſit adſta-

V tum

Digitized by Google

tum religionis perfectioris. Nego hoc fundamentum eſſe neceſſarium ad depulſionem calumniæ de qua agimus, quia & falsò aſſumitur ſtatum Epiſcopalem eſſe ſtatum religioſum eo modo quo paſſim loquimur de ſtatu religioſo, qui longè alius eſt à ſtatu perfectionis, in quo ſunt Epiſcopi vi ſtatus ad quem proueuntur; & falsò etiam ſupponitur in ea reſponſione Epiſcopum è religioſo ſtatu aſſumptum, deſerere religionem quam profeſſus erat: quod verum non eſt, cùm Epiſcopus è religione aſſumptus, ſemper maneat aſtrictus regularibus inſtitutis quantum per dignitatem Epiſcopalem licet. Vnde & habitum Ordinis ſui geſtare aſtringitur & bonorum è beneficio comparatorum non Dominus eſt ſed adminiſtrator & prudens ac fidelis Oeconomus, vt alibi demonſtro, & obligationibus religioſis cum ſtatu Epiſcopali compoſſibilibus non liberatur. Videſis Suarem tom. 4. de relig. tractat. 9. l. 3. cap. 16. 17. & 18. ac Choppinum l. 1. Monaſt. titul. 3. num. 5. Abſit ergo vt Epiſcopos è religioſo ſtatu aſſumptos dicamus eſſe à religioſo ſtatu Apoſtatas; vt ferebat profani vulgi calumnia à Valdenſe relata. Quamuis negandum non eſt Epiſcopum è religioſo ſtatu prouectum, ſi iis quas dixi obligationibus religioſis cum ſtatu Epiſcopali compoſſibilibus, ſine cauſa ſe exoluat, nec plus curet religioſa inſtituta, quàm ſi nunquam illis adhæſiſſet, in magno verſari ſalutis diſcrimine, & aliquatenus dici poſſe ſimilitudinarium Apoſtatam. Videndus Cæſarius l. 4. cap. 79.

SERIES II.

De calumniis quibus falsò imponitur calumnia in proximum.

SECVNDA Series calumniarum quibus plerique Sanctorum grauati ſunt, continet eas, quibus falſa probra ſpectantia proximos, ſunt impoſita. Hæc vero probra, pro vario genere malorum, quæ inferri proximis poſſunt, ſunt planè varia. Poteſt enim proximus lædi, vel in corpore per cædem aut fœdationes illicitas, vel in honore & fama; vel in fortunis. Quæ omnia damna, ſunt contra ius propriè dictum. Poteſt præterea abſque iuris proprij violatione peccari in alium, violando partes iuſtitiæ potentiales, vt fidelitatem, & veracitatem. Hæc omnia probra contrahi poſſunt erga quoſcunque, atque adeò etiam falsò imponi poſſunt, tanquam admiſſa in quoſcunque, etiamſi priuatos. Sunt autem alia quædam probra, quibus quis grauari falsò poteſt, ob violatam perſonam publicam, vel communitatem; quæ quia vniuerſalius malum ſpectant, cæteris ſubnectentur.

CAPVT I.

De Homicidio.

ACtum eſt de huius probri grauitate non indiligenter l. 3. de Virtut. à num. 140. Nunc obiter dicendum eſt, hoc crimen eſſe planè atrox, cùm reſpectu Dei cuius iura conuelluntur in re quæ eius dominio peculiariter ſubiaceret: (ſoli quippe Deo obnoxia eſt vita hominis:)

Digitized by Google

hominis :) Tum etiam reſpectu hominis interfecti, quod adeò luculentum & eximium eſt artefactum, vt propè diuinum cenſeri poſſit, ſi Lactantium audimus l. de Opif. Dei cap. 8. apud quem de concinnitate & perfectione humani corporis multa & perpulchra legere licet, quæ pleriſque aliundè corrogatis illuſtrata dedimus,in ſcalis à viſibili creatura ad Deum gradu 11. Benè autem & perpaucis multa attigit Minutius in Octauio, formæ noſtræ pulchritudinem, ſenſuum ſedes, membrorum omnium officia, ad decorem ſimul & neceſſitatem aptata, ſimilitudinem vniuerſorum, ſimulque diſſimilitudinem ſingulorum, per quædam lineamenta vnicuique deflexa, iure demirans. Tam affabrefactum animal, euertit homicida, ita vt liceat illud Pſaltis Deum alloquentis huc transferre, *quæ perfeciſti, deſtruxerunt*, Accedit diſcrimen æterni exitij cæſo creandi, ſi contingat cædem improuiſo illatam, occupare illum in malo ſtatu. Tantam atrocitatem criminis, Deus ipſe miraculo plerumque detexit, cùm latebat. Miraculum enim omnino eſſe videtur, ſanguinatio cadaueris ad præſentiam homicidæ, de cuius euentus frequentia, ſcatent libri. Fruſtra autem ad alias cauſas quàm ad diuinam manum recurri in tali euentu, docent, quos adduxi in Moral. diſt. 3. à num. 402. Eſt igitur homicidium vt Arnobius Pſal. 139. dixit *ſummum malum in hominibus.* Eſt inquam homicidium immane probrum. Pleriſque tamen Sanctis, falsò & per calumniam eſſe impoſitum, liquebit ex iis quæ ſubiicio.

S. Thomas Apoſtolus, (vt ex veteribus Indorum monumentis recitat Petrus de Iarric l. 2. hiſtor. Ind. cap. 17.) apud Sagamum Regem, per calumniam accuſatus eſt de homicidio, quod impius Pater ex Brachmanum ſuperſtitione admiſerat, vt eo ſcelere Apoſtolum infamaret, & Regi odioſum ac morte dignum efficeret. Quanquam diſcuſſis poſtmodum tenebris, per factam ab Apoſtolo cæſi anaſtaſim, impius pater de vita periclitatus eſt, eaque concitato in ipſum Sagamo excidiſſet, niſi Apoſtolus benignè in bona volunrate ſua faciens, Regem placaſſet, & parricidæ filij, ſuo autem calumniatori, vitam exoraſſet.

Chriſtiani apud Ethnicos, paſſim accuſati ſunt infanticidij, *Fabulam* vocat Cæcilius Ethnicus apud Minutium, non quod rem confictam arbitraretur, ſed ſumpto *fabulæ* nomine, provt à *fando* ſiue *loquendo* dicitur, ita vt fabula idem ſit, quod narratio, etiamſi vera. Qua ratione S. Hieronymus præfat. in Daniel. hiſtoriam Beli quæ ibi recitatur, *fabulam* vocat. Et in Traditionibus in Geneſ. ad cap. 11. *fabulam* vocat, quòd Chaldæi Abrahamum ob ignem non adoratum, coniecerint in ignem, quod tamen ibidem vocat *veram traditionem:* & ita habetur ex 2. Eſdræ 9. Similitérque epiſtola 33. ad Caſtrutium, narrationem de B. Antonio Alexandriam accito per S. Athanaſium, vocat *fabulam*; Et epiſtol. 24. *medias fabulas*, vocat *media colloquia*. Nam *confabulari* eſt *colloqui*, vt habetur Lucæ 24. Hoc præmiſi, ne Cæcilius Ethnicus & hoſtis Chriſtianorum, qui fabulam de infanticidio Chriſtianis impacto refert, cenſeatur rumorem falſum cenſuiſſe, quod de eo infanticidio iactabatur. Ait ergo Cæcilius. [Iam de initiandis tyrunculis, fabula tam deteſtanda, quàm nota eſt. Infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei, qui ſacris imbuitur. Is infans à tirunculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus prouocato, cæcis, occultiſque vulneribus occiditur: huius (proh nefas!) ſitientes ſanguinem lambunt; huius certatim membra diſpertiunt, hac fœderantur hoſtia: hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur; hæc ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora.] [Hanc

Digitized by Google

in lucem editus eſt, interficere: vt neque non exponere infantem, tanquàm omnes, qui exponunt parricidæ (aut ſi ita dicere licet, infanticidæ,) ſint, eum verò eductum occidere.] Tertullianus fortiſſimè iiſdem argumentis depellit hanc calumniam cap. 7. Apolog.

Hauſerant Ethnici hanc criminationem à Iudæis, à quibus primùm iactata eſt, teſte Origene lib. 6. contra Celſum. Vt autem rectè notauit Zephyrus ad c. 7. Apolog. Tertulliani Calumniæ huius origo prima, ad myſterium Euchariſtiæ pertinuit, & manifeſtiſſimè patet, ex eo quòd his infans farre contectus iactabatur, vt Cæcilius referebat. S. Cyrillus catech. 16. agens de Montano eiuſque ſectatoribus, aliam huius calumniæ originem his verbis aperit. [Midram in Phrygia accipiens (Montanus,) Hieroſolymam appellauit, quæ nequiſſima omnium mulierum, paruulos pueros iugulabat, & concidebat in eſcam nefariam, prætextu eorum, quæ apud illos vocantur myſteria. Propterea hactenus in perſecutionibus hoc ipſum nos facere gentes ſuſpicabantur, eò quòd & Montaniſtæ quamuis falsò, eodem tamen Chriſtianorum nomine vocabantur.]

Ante Montaniſtas, impiiſſimi Gnoſtici ſimili atrocitate infanticidij ſacra ſua funeſtarunt, vt refert S. Epiphanius hær. 26. deſcribens horrendas illorum corporatorum dæmonum impuritates, quas blaſphemè vocabant *corpus Chriſti*, & *Paſcha*. De quo Paſchate mox ſubdit. [Si prægnans facta fuerit mulier, quid grauius aut horribilius deſignant tales, audi. Detractum enim fœtum, quocunque tamen tempore id aggreſſi fuerint, accipiunt, & in mortario quodam, piſtillo tundunt, & admixto melle, ac pipere, & aliis quibuſdam aromatis, ac vnguentis, ad auertendam nauſeam, ſic congregati omnes porcorum ac canum horum ſodales, participes fiunt contuſi pueri: atque ſic humanæ carnis eſu peracto, deinceps preces fundunt ad Deum, Quod non illuſum eſt nobis (inquiunt,) à principe concupiſcentiæ, ſed collegimus delictum fratris, & profectò hoc perfectum paſcha dicunt.] Haud dubiè præ priore; quod cùm non niſi ex materia in carnem nondum efformata celebrare ſe dicerent, non erat Paſcha perfectum correſpondens Iudaico, quo carnes manducabantur.

Ab his propudiis omni ſcelere coopertis, manaſſe infamiam infanticidij in Chriſtianos; vel admodum promotam eſſe famam malam à Iudæis occaſione Euchariſtiæ iactatam in Chriſtianos, ambigere non licet. Vt videas ſubdolum Satanæ conſilium, iis pecoribus in communionem Chriſtiani nominis aduocandis, vt nomen Chriſti blaſphemaretur inter gentes, vt Epiphanius ſupra monet, ac Saluianus lib. 4. de prouid.

Catholici Afri, cædis Marculi & Donati Epiſcoporum, & aliarum quarundam cædium ſunt inſimulati à Donatiſtis, vt refert Optatus lib. 3. & S. Auguſtinus lib. 2. contra liter. Petil. cap. 19. ac tract. 11. in Ioan. ſed fuiſſe calumniam, monſtratur verbis S. Auguſtini libro illo 2. cap. 21. [Illi de quibus maximam inuidiam facere ſoletis, Marculus & Donatus, vt moderatiùs dixerim, incertum eſt vtrum ſeipſi præcipitauerint, ſicut veſtra doctrina non ceſſat quotidianis exemplis: an verò alicuius poteſtatis iuſſu præcipitati ſint. Si enim incredibile eſt Magiſtros Circumcellionum ſolitas mortes ſibimet intuliſſe, quantò incredibilius, poteſtates Romanas inſolita ſupplicia iubere potuiſſe? Itaque de hac re quàm minus inuidioſam putatis, ſi verum eſt quod dicitis, quid hoc pertinet ad Dominicum triticum? Palea quæ foras volauit, paleam quæ intus remanſit, accuſet: non enim tota poterit, niſi ventilabro vltimo ſepa-

 rari.

Digitized by Google

que priores in illum iniuriæ ipſorum animis ſufficiunt; ſed noua & atrociora illis accumulata volunt, homines ſcilicet admodum manſueti & moribus æquis; vel quod verius eſt, improbi & perquam acerti, qui terroribus & minis potiùs quàm pietate & æquitate, quod Epiſcopos decet, ad pœnas deproperant. Tot enim cædes, hominumque mactationes, quas ne prophanus quidem homo & curioſus, & conſectator criminum in calumniis diceret, ea ipſi effundere minimè veriti ſunt; non ſolùm apud præſidem aut alium quemuis magnum virum, ſed & apud tres Auguſtos; neque in eam rem longitudines itinerum illis graues fuere, dummodo omnia maiora tribunalia calumniis implerent. Calumnia enim eſt quam tentant, eaque grauiſſima & maximè omnium capitalis, idque in ſummis rerum humanarum tribunalibus.) Sigillatim verò illuſtriſſima fuit calumnia S. Athanaſio impoſita, de cæde Arſenij Epiſcopi Meletiani: qui tamen diuinitus immutatus, ſtetit pro S. Athanaſio, & è latebris in quibus à ſuis detinebatur erumpens, totam ſtropham retexit: & falsò eius tanquam ab Athanaſio occiſi, manum fuiſſe prolatam conuicit, comparens viuus & nequaquam mutilus [Athanaſius (ait S. Hieron. apol. 3. *ſub fin.*) tertiam Arſenij amputauit manum: Duas enim qui mortuus priùs fingebatur, viuens poſtea habere monſtratus eſt.] Res ſic deſcribitur in eadem Epiſtola ſecundæ Apologiæ intexta. [Iam ſi quid in accuſando ſit actum, quæras; longè maiori admiratione capietis. Arſenium quendam occiſum ab Athanaſio criminabantur, & poculum myſticum fractum eſſe. At Arſenius iſte in vita ſupereſt, & placet ſibi de veſtra communione, neque aliunde teſtimonia expectat, vt viuus eſſe doceatur, ſed ipſe ſeſe confitetur viuere, idque in litteris ſuis ad Epiſcopum noſtrum Athanaſium perſcripſit, quem iſti Arſenij interfectorem aſſeuerabant. Nec puduit impios, hominem tanta intercapedine locorum & itineribus terrâ marique diſiunctum, ab eo occiſum comminiſci, cuius per illa tempora locus vbi agebat, nemini mortalium cognitus fuit, adeò ille nullo dum attractus malo ab accuſatoribus celabatur, quem quoad licuit in alium orbem tranſtulerant, occurri eum libenter, vt homine verè extincto, Athanaſium quaſi de certa cæde conuictum occidere poſſent. Sed diuinæ hîc prouidentiæ gratiæ agendæ ſunt, quæ nihil iniuſti inualeſcere ſinit, Arſeniumque ſub omnium oculos viuum produxit, dilucidè ſua præſentia calumnias eorum & figmenta retegentem. Quod nos nequaquam vt interfectores ſuos auerſatur, aut vt iniurioſos odit: nihil enim mali à nobis paſſus eſt, ſed noſtræ communionis auidus in noſtro grege conuerſari cupit, quod ipſius ſcripta declarant: ſed hoc nihil Athanaſio profuit, qui oppreſſus calumniâ quaſi verus homicida ab illis in exilium actus eſt. Non enim parens Imperatorum, ſed horum calumniæ illum in exilium exterminauerunt.] Hanc calumniam, de nece Arſenij Athanaſio impacta per calumniam, propoſui vt inſignem, quia quæ de tot cædibus ab eodem patratis (vt ferebat calumnia,) retulerunt Patres Alexandrini, videntur omnino ferre, S. Athanaſium paſſum eſſe calumniam multorum homicidiorum. Quanquam non inficior, ex Epiſtola Conſtantini Magni ad S. Athanaſium intexta Apologiæ ſecundæ, euentum illum de Arſenij conficta per Athanaſium nece, narrari in numero multitudinis, quaſi multæ tales ſtrophæ fuiſſent à Meletianis concinnatæ. Sed hoc ad popularem quendam loquendi modum referri poteſt. Quod autem Patres Alexandrini retulerunt, non poteſt ad eum modum accipi. Quare rectè poſitum eſt;

eſt, calumniam de Arſenij nece, eminere inter alias plures tales de cæde calumnias, S. Athanaſio impoſitas.

Hiſtoria à S. Ephrem recitata, de quodam ſuo æquali, & in eodem ſecum carcere verſato, eſt adſcriptu ac lectu digna. Adoleſcentem S. Ephrem contigit per calumniam accuſari cuiuſdam ſceleris, & detrudi in carcerem. Ibi per viſum Angelus docuit S. Ephrem, veram cauſam cur in carcere detineretur, & adiunxit exemplum duorum reorum vnâ cum ipſo vinctorum; quorum alter per calumniam cædis inſimulabatur, cùm reuera cædem non patraſſet: ſed permiſſu Dei ea calumnia vexabatur, vt ſic elueret aliam maculam quam contraxerat, cùm duorum in ponte rixantium alterum, is qui valentior erat de ponte deiiciſſet in flumen, vbi merſus eſt, fruſtra inclamans opem tertij huius de cæde falsò inſimulati, qui aderat pereunti; & iuuare poterat, nec iuuit, ſed vorticibus ſorberi permiſit. Sigericus S. Sigiſmundi Burgundiorum Regis filius, calumniis impiæ nouercæ, inſidiarum in vitam Patris inſimulatus, à nimiùm credulo patre iuſſus eſt ſtrangulari. Rem deſcribit Gregorius Turo. lib. 3. hiſtor. cap. 5. & lib. de glor. martyr. cap. 75.

Palladius referente Theodoreto in *θεοφ.* cap. 7. inſimulatus eſt homicidij Rem ſic deſcribit Theodoretus. [In prædicto vico (*Iemme*,) fit celeberrimus conuentus, qui vndique attrahit mercatores, & maiorem multitudinem quàm quæ poſſit numerari. In eo quidam mercator, iis, quæ attulerat, venditis, & auro coacto, noctu volebat recedere. Quidam autem homicida, qui aurum illic collectum aſpexerat, œſtro quodam & furore percitus, ſomnum quidem à ciliis depulit; obſeruabat autem quando vir ille eſſet profecturus. Poſt galli autem cantum, ille quidem abibat ſecurus: hic autem præueniens, cùm quendam locum aptum inſidiis occupaſſet, repentè adortus eum, & percuſſit & cædem fecit. Execrando autem facinori, impium quoque aliud factum adiicit; nam cùm aurum cœpiſſet, mortuum illud corpus proiecit ad oſtium Palladij. Cùm autem dies veniſſet, & fama peruaſiſſet, & totus hominum conuentus de eo, quod factum erat, paſſim loqueretur, concurrunt omnes, & effracto oſtio, cædis factæ pœnam exigere volebant à diuino Palladio: vnus autem ex iis, qui hoc faciebant, erat is qui ſua manu cædem fecerat.] Accuſationem fuiſſe calumnioſam, euentus patefecit. Subdit enim Theodoretus. [Cùm enim vir diuinus circumſideretur à tanta multitudine, cœlum intuens, & mente cœlum ſuperans, ſupplicauit Domino, vt calumniæ mendacium refelleret, & veritatem quæ latebat, oſtenderet. Cùm ſic oraſſet, & iacentis manum prehendiſſet, Dic, (inquit,) ô adoleſcens, quis hanc tibi plagam intulerit: oſtende quis hoc execrandum facinus admiſerit, & libera innocentem ab hac improbâ calumniâ. Sermonem autem ſermo quidem eſt conſecutus. Dextera autem homo etiam ſedens circumſpiciebat quidem eos, qui accedebant, digito autem oſtendebat homicidam. Clamor ſublatus eſt ab omnibus, & miraculum ſtupentibus, & calumniam, quæ fuerat intentata, deflentibus. Cùm autem illum ſceleratum exuiſſent, & gladium inuenerunt adhuc cruentum ſanguine, & aurum illud quod cædis cauſam dederat. Diuinus autem Palladius cùm priùs fuiſſet admirabilis, hinc meritò euaſit longè admirabilior.]

Quod hîc factum eſt à Palladio, retegi curante homicidam, in aliis circumſtantiis negatum eſt à S. Macario, vt eſt apud Ruffinum lib. 2. vitæ Patrum c. 28. Cum enim coram vtrinque contendentibus acceſſiſſet ad defuncti tumulum & in

in nomine Domini iuſſiſſet defunctum edicere, num hic qui aderat & homicidij per calumniam grauabatur, reuera reus eſſet cædis: vbi innoxium dato per cæſum reſponſo purgauit, noluit petere, quis ergo eſſet, qui ipſum interfeciſſet, quod vt faceret, vrgebant qui innoxium grauauerant. Reſpondit enim S. Macarius. [Hoc non interrogabo. Sufficit enim mihi vt innocens liberetur, non eſt autem meum, vt reus prodatur.] Additur lib. 3. eiuſdem Operis num. 41. dediſſe S. Macarium hanc negationis ſuæ rationem. [Forſitan enim reus compungetur adhuc pro ſcelere, quod commiſit & aget pœnitentiam vt ſaluetur anima eius.] Palladius (vt vidimus) in aliis circunſtantiis aliud fecit, & detegi reum abſque ſcrupulo curauit.

De Diacono *Ioanne* nomine, S. Simeonis Abbatis qui *Salus* cognominatus eſt, peramico, ſic habetur in actis eiuſdem Simonis. [Malefici quidam fecere cædem, acceptumque corpus per feneſtram proiecere in domum prius dicti viri, maximè pij & Dei amantiſſimi. Cùm itaque non paruus exortus eſſet tumultus, res delata eſt ad Magiſtratum. Is verò tulit ſententiam, vt in furca ſuſpenderetur dominus Ioannes. Cùm ergo abiret ad mortem, nihil apud ſe dicebat adhuc, niſi, Deus Sali, adſis mihi in hac hora. Cùm Deus autem vellet eum ſeruare ex tali ſycophantia, venit quidam, & dicit Abbati Simoni: O miſer, Ille tuus amicus dominus Ioannes ducitur ad furcam. Rectè, ſi moriatur, tu fame morieris. Nam nemo tui curam gerit vt ille. Dicit verò ei quoque quemadmodum ſit contextum crimen cædis. Cùm ſe itaque tanquam ſtultum geſſiſſet Abbas Simeon, dimiſit eum, qui hoc illi dixerat, & ſeceſſit in locum occultum, vbi ſemper orabat, quem nemo ſciebat, niſi amicus eius, pius & Dei amans Ioannes. Flexiſque genibus Deum rogauit, vt ipſe liberaretur à tali periculo. Cumque ij qui eum eduxerant ad ſuſpendium, peruenìſſent ad locum, vbi erant poſituri eius furcam, ecce accurrunt equites, & dicunt, vt is ſoluatur, quoniam inuenti erant, qui cædem reuera fecerant. Abſolutus itaque, rectà cucurrit ad locum vbi ſciebat Abbatem Simeonem ſemper orare. Cúmque eum vidiſſet procùl, manus ad cælum extendentem, extimuit. Iurabat enim ſe vidiſſe globos igneos, ab ipſo in cœlum aſcendentes, & circa eum in orbem tanquam clibanum ardentem, adeò vt non appropinquarit, donec perfeciſſet orationem. Cùm is autem conuerſus eum vidiſſet, ei dixit: Quid eſt Diacone Ioannes? præter demenſum bibiſti? ſed vade, oia. Hæc autem tibi accidit tentatio, quoniam venerunt ad te duo pauperes: Cumque tibi ſuppeteret, quod eis dares, eos es auerſatus. Non enim tua ſunt, quæ das, ò frater.] Euentus monſtrauit accuſationem eſſe calumnioſam, & tamen à Deo idcirco permiſſam, vt alia Diaconi culpa elueretur.

Martianus Auguſtus, (nam id ei ab initio cognomen,) cùm etiamnum adoleſcens iter faceret, incidit in quoddam cadauer media via iacens, & diu miſeratus cæſi ſortem, hæſit ad ipſum corpus, iuſta defuncto curaturus. Conſpicati hærentem aliqui, ad Magiſtratum Philippopolis Martianum detulerunt, quaſi cædis autorem. Magiſtratus apprehenſum Martianum ſubiicit tormentis; iamque Martianus agendus erat in furcam, niſi ex improuiſo, Marcianum tutante numine, deprehenſus fuiſſet verus homicida, & calumnia diſcuſſa, liberatus eſſet Marcianus, vt ſcribit Euagrius lib. 2. cap. 1.

S. Cyrillus Alexandrinus, iuxta Suidam V. *Hypatia*, autor fuit cædis Hypatiæ, Virginis Alexandrinæ, (perperam quippe Suidas coniugem facit,) cuius erudiciſſimæ ſcriptiones, & de Platonicis

ac Ariſtotelicis dogmatibus publicæ prælectiones, miraculo erant omnibus. Pudicitia verò fuit adeò inſigni, vt iuuenem ſpecie ipſius captum, prolatis pannis muliebribus, & obiecti, quod deperibat, ſpurcitiis demonſtratis ad ſanam mentem reuocarit. Facto planè Chriſtiano, eique gemino quod legitur apud Gregorium Turon. lib. 1. mirac. cap. 22. Sunt Syneſij ad hanc Hypatiam Philoſopham, Epiſtolæ ſeptem. Hanc ergo ſupra fœminam, eruditione & pietate præſtantem, nec (quod aliqui ſunt arbitrati,) Ethnicam; ſed Chriſtianam à S. Cyrillo letho datam, præ inuidia, quod tantos honores, quibus decoratam videbat, acerbè ferret, Suidas prodit, ſed planè calumnioſè. Verum eſt Petrum Lectorem, S. Cyrilli perſtudioſum, machinatum eſſe Hypatiæ cædem; quòd iurgia inter Oreſtem Alexandriæ præfectum, & S. Cyrillum fouere putaretur. Sed S. Cyrillo, labes Petri de ſuo cerebro talia moliti, non eſt affricanda. Præſertim cùm non fuiſſet difficile S. Cyrillo, aliis honeſtis rationibus coërcere Hypatiam, ſi verè in eam excanduiſſet: quandoquidem S. Cyrillus, adeò potens & locuples erat, vt dominium vrbis Alexandrinæ, inter omnes totius orbis ciuitates ſecundum vtramque Romam præcellentiſſimæ, iuri Alexandrini Epiſcopi tranſcripſerit, vt habet Socrates lib. 7. cap. item 7.

S. Daniel Stylites, eiuſque diſcipuli, artificio hæreticorũ, per ſcortum cui nomen *Baſiana*, inſimulati ſunt attentati & quantum in ipſis fuit, opere perfecti homicidij. Rem deſcribit accuratè Metaphraſtes in Actis S. Danielis XI. Decembr. Summa eſt; Byzantios quoſdam hæreticos, à Satana in ſanctum Stylitem inflammatos ad perdendam ſancti viri virtutem, ſubornaſſe ſcortum illud; quod omnibus pellaciis in ſancto ad turpitudinem pelliciendo cùm laboraſſet, & nihil tam circa ipſum, quàm circa eius diſcipulos profeciſſet, regreſſum ad illos, finxit de viro ſancto, quod confixus turpi amore, iuſſiſſet admotis ſcalis ſurſum ad ſe perduci Baſianam: qua renitente, Danielem, eiuſque diſcipulos, ne intemperantia ipſorum euulgaretur, de ea interficienda conſilium iniuiſſe, vixque potuiſſe fuga ſibi conſulere, & incolumem regredi. Sic mentitam Mœnadem illam, & duplici calumnia, in ſanctum virum eiuſque aſſeclas graſſatam, Deus calumniæ vindex atque depulſor, dæmoni occupandam & diuexandam conceſſit, per quam calamitatem, inuita ſtropham patefecit, & ſubornatam ſe ab Hæreticis, talia de ſanctis commentam, apertè enuntiauit. Qua calumniæ abſterſione præmiſſa, vir ſanctus miſeratus afflictæ ſortem, liberauit eam; & priſtinæ ſoſpitati reſtituit, immenſis gratiarum actionibus proſequentem, quem proximè adeò proſciderat, & calumnioſè dehoneſtarat pro viribus.

S. Hoſpitius iuxta Nicæam Salyum incluſus, eo loco quem vulgus obtorto Sancti huius nomine, vocat S. Sanſpir, homicidij reus eſt habitus per calumniam. De eo hæc præter cætera Paulus Diaco. lib. 3. de geſtis Longob. cap. 1. [Erat vir iſte magnæ abſtinentiæ & probabilis vitæ; qui conſtrictus ad carnem catenis ferreis, indutus deſuper cilicio, pane in cibum cum paucis dactylis vtebatur: in diebus autem quadrageſimæ, radicibus herbarum Ægyptiacarum quibus eremitæ in Ægypto vſi fuerant, exhibitis à negotiatoribus, alebatur. Per hunc Dominus magnas virtutes operari dignatus eſt, quæ ſcriptæ habentur in libris venerabilis viri Gregorij Turonenſis Epiſcopi.] nempe lib. 6. hiſtor. Franco. cap. 6. & l. de glor. confeſſ. cap. 97. ſignatim verò cap. illo 6. notatur, hunc hominem Dei, vermibus ſanctos eius artus perforantibus plenum fuiſſe; eos

tamen

tamen cum primùm vir ſanctus animam efflauit, euanuiſſe, nec vllatenus deprehenſos eſſe. Inſignia miracula ab eodem ſuperſtite & vita functo patrata, attingit ibidem ex parte Gregorius : ſed attingit tantùm, nec niſi aliqua; profeſſus, non plura de plurimis à ſe conſcribi, quod plerique de eius rebus ſcripſiſſent. Eorum tamen ſcriptorum, nullus comparet. Hic ergo ſanctiſſimus vir, in monaſterij turri incluſus, aduenturos in eas terras Longobardos prænuntiauit; cauſam vexationis per eos inferendæ, referens in peccata grauia, quibus vniuerſa illa ora inquinabatur. Monachos item, tametſi renitentes, ad diſceſſionem adegit, præmonitos aſportare citra moram, quæcunque poſſent. Factum eſt, & aduenrantibus Longobardis ſolus in turri relictus vir ſanctus, patuit iniuriis impiorum. Quanquam enim cùm ad turrim in qua concluſus erat, perueniſſent, qua parte ad hominem qui per turris feneſtellam videndum ſe exhibuerat, pertinere poſſent, non agnoſcerent; tandem tamen duo ex iiſdem, ſupra turris tectum euadentes, illudque diſcooperientes, ad virum Dei peruenerunt, quem conruiti cinctum catenis, & coopertum cilicio, dixerunt: [Hic malefactor eſt, & homicidum fecit, ideò in his ligaminibus vinctus tenetur.] Et vir ſanctus, vt erat humillimus, & contemptionis ſitibundus, interrogatus num homicida eſſet, confeſſus eſt & non negauit, [ſe homicidam eſſe, & omnium criminum reum.] Calumnia erat, quam pro more multorum ſanctorum, vir Dei viſus eſt agnoſcere, dum verbis ambiguis aut reſtrictis, indignitatem ſuam gaudet profiteri. Sed cùm vniuerſa anterior vita pura & innocens, eam labem ſufficienter abſtergebat; tum maximè, quod eo ipſo tempore corrigit diuinum prodigium. Nam ex Lõgobardis illis vnus quiſpiam, præ cæteris ferox, in ſanctum virum tanquam in homicidam gladium vibrauit, demeſſurus eius caput : Sed brachium, vlciſcente Deo nequitiam, ac ſeruum ſuum tegente, diriguit, nec niſi ad viri ſancti, ſociorum precibus interpellati, orationem & ſalutaris ſigni impreſſionem deriguit. Quo beneficio trux Longobardus, non modò Ethniciſmum, quo ad eam diem ſorduerat, eiurauit, ſed ibidem Monachum profeſſus, ſanctè vitam exegit.

Gundeberga Adaloaldi germana, vxor Charoaldi ex Duce Taurinẽſi, Regis Lõgobardorum, cum eſſet forma præſtans, ſed Chriſtianis virtutibus, ac præſertim pudicitia & beneficentia in egenos præcellens, calumniam ſuſtinuit machinationis cædis mariti, vt Taſoni Duci eo defuncto nuberet. Calumniam concinnauit Adalulphus Longobardus, quem Gundeberga ſpecioſum corpore & elegantem aſpectu pronuntiauerat, cùm de eo ſermo incidiſſet. His quippè Reginæ verbis inescatus Adalulphus, ratus Gundebergam ſui amore ſauciam, non dubitauit clàm omnibus aditam, interpellare de flagitio. Sed auerſata petulcum ſancta fœmina, & vberi ſaliua in faciem eius coniecta deformatum, procùl ablegauit. Adalulphus non ignarus, quæ eum manerent mala, ſi Reginæ criminationibus præueniretur, concitus Charoaldum Regem adit, & ad arcanum colloquium admiſſus, de Reginæ cum Taſone Regis hoſte affatibus, in regis perniciem edocet, vt Rege interfecto, Taſonem habeat coniugem, ac in Regnum proueheat. Rex calumniatori credulus, Gundebergam comprehenſam contruſit in turrem, donec per otium in eam animaduerteret. [Sed non tulit Dominus, virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum diu incumbere. Contingebat Gundeberga cognatione Reges Francorum. Iraque cùm Clotarius Rex ad Charoaldum Legatos ea ex cauſa miſiſſet, & Rex Charoaldus, deiectæ ac in turrim compactæ Gunde-

X 2 bergæ

bergæ cauſam protuliſſet, quam Adalulphi malignitas ſuggeſſerat; Anſoaldus è Clotarij legatis vnus, popoſcit à Charoaldo, vt Reginæ calumniatorem armis inſtrui, & in campum prodire iuberet pugnaturum cum campione quem dediſſet Gundeberga, ad innocentiæ ſuæ tutelam, & iuſtum Dei iudicium in malignum impoſtorem, per monomachiam exquirendum. Arriſit Charoaldo & proceribus eius, propoſitio. Itaque Charoaldus Adalulfum ſiſtere ſe in campo iubet, & cum Pittone pro Regina certaturo confligere. Factum eſt, & cadente in certamine cæſoque calumniatore Adalulpho, Gundeberga quæ iam per tres annos concluſa intra turrim hæſerat, comperta innocens, famam nitentem cum diademate recuperauit. Ità habetur in Appendice ad Hiſtoriam Francorum Gregorij Turonenſis num. 51.

Leo ſapiens, ſextus eo nomine Imperator, clarus fide orthodoxa & pietate, artibus impij Theodori Santabareni, Photio euirato, Orientis incendiario coniunctiſſimi, calumniam de machinatione cædis Baſilij Macedonis patris ſui, paſſus eſt. Erat Theodorus, Magia & aliis ſceleribus inſignis. Præſtigiis verò ſuis adeò dementauerat Baſilium Imperatorem Leonis Patrem, vt eſſet illi ſanctitatis & miraculorum nomine percharus, ſed Leoni ob improbitatem & fraudes exoſus fuit. Quare ad calumnias verſus Santabarenus, autor fuit Leoni, vt pugionem, figendis in venatione cum patre feris, vel patri aduerſus eas (ſi fors ferret,) tutando, ſecum haberet. Quod cùm Leoni perſuaſiſſet, Baſilium clàm admonet Theodorus, caueat ſibi à filio, quem in venatione mortem ipſi moliri, & ad eam rem pugione armatum prodire, certus eſſet. Deprehenſis, pugione reperto, confictis inſidiis, Baſilio in filium ſupra modum exacerbato, parum abfuit, quin Leo exocularetur; idque maximè vrgebat doli artifex Santabarenus. Sed ſenatu enixè deprecante pœnam Leonis reddidit Deus vicem impio calumniatori. Nam Leo poſt ſeptennem carcerem denique liberatus, patri poſtmodum in Imperio ſucceſſit, & damnatum exilio Santabarenum exoculauit: omnibus iuſtum Dei iudicium collaudantibus, qui reddidiſſet impio iuxta adinuentiones ſuas.

S. Lioba Abbatiſſa, eiuſque congregatio calumniam infanticidij ſtuprum ſacrilegum conſecuti, paſſa eſt; ſed Deus inſigni miraculo calumniam patefecit, & innoxias purgauit. Rem geſtam, verbis Rudolphi Monachi, qui iubente Rabaco Abbate S. Liobæ Acta confecit, iuuat adſcribere, quod Rudolphus, & calumniam, & calumniæ depreſſionem optimè expreſſiſſe videatur. Sic igitur habet cap. 14. & 15. [Erat ibi quædam paupercula, debilitate contracta, quæ ad portam monaſterij iacebat, eleemoſynam accipiens: cui quotidie à menſa Abbatiſſæ ſtatutus dabatur victus, & à ſingulis ſanctimonialium veſtes & alia quælibet neceſſaria pro diuini amoris intuitu præbebantur. Contigit autem poſt dies aliquot, vt decepta ſuggeſtionibus diabolicis, turpitudinem fornicationis incurreret. Cúmque intumeſcente vtero, conceptum fœtum celare non poſſet, crimen admiſſi ſceleris ſimulata infirmitate contexit. Inſtante autem partus tempore, progenitum infantulum panniculis inuoluit, & in ſtagnum fluminis quod per medium loci eius influebat, nocturno tempore expoſuit, malis videlicet mala adiiciens. Nam ſtupro homicidium, & aquæ contaminationem coniunxit homicidio. Die autem facto, cùm ad hauriendam aquam mulier quædam veniſſet, conſpecto infantuli cadauere, factum exhorruit fœmineoque accenſa furore, villam omnem inordinato clamore compleuit; & ſanctis virginibus cum indignatione

natione improperans ait: O quàm caſta congregatio, quàm glorioſa conuerſatio virginum, quæ ſub velo poſitæ, filios pariunt, matrum pariter & presbyterorum fungẽtes officium, eoſdem, quos generauerint, ipſæ baptizant. Non enim (ô ciues,) molendi vſibus tantùm hanc ſtagnatis aquam, ſed nouo huic & inaudito baptiſmati neſcientes præparaſtis. Nunc ergo rogate eas, quas virginum appellatione ſublimare ſoletis, & tollentes cadauer de flumine, nobis aquam reddant viſibilem. Videte, videte, quæ ex Monaſterio deſit, & eam ſcelus hoc perpetraſſe cognoſcite. Ad hanc vocem plebs tota commota eſt: omnis ætas, omniſque ſexus, quaſi ad ſpectaculum vno agmine cucurrit, videnſque nefas, facinus exhorret; ac virgines ſacras deteſtatur. Cùm autem Abbatiſſa, audito tumultu, rem geſtam comperiſſet, conuocatis ſororibus cauſam expoſuit, nullamque ex eis præter Agatham deeſſe cognouit: quæ ante paucos dies à parentibus ſuis vocata, pro quadam neceſſitate ad domum eorum cum licentia perrexerat. Hanc itaque miſſo nuntio ſine mora reuocauit, tantæ infamiæ notam diutiùs ferre non valens. Quæ cùm veniſſet, cauſamque ſceleris ſibi imputari cognoſceret, reſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait: Deus omnipotens, qui omnia noſti antequam fiant, & quem nullum latet ſecretum, quique Suſannam in te confidentem, de falsò crimine liberaſti: oſtende miſericordiam tuam ſuper hanc congregationem in tuo nomine collectam, & ne patiaris eam propter peccata mea fœdo rumore maculari: ſed illam, quæcunque hoc nefas commiſit, ad laudem & gloriam nominis tui, dignare detegere & publicare. Quo audito, mater venerabilis de eius puritate iam ſecura, præcepit omnibus oratorium ingredi, & extenſis in modum crucis brachiis ſtare, quoadusque ſingulæ Pſalterium totum ex ordine, pſallendo complerent: & deinde per tres vices in die, hoc eſt, tertiâ horâ, & ſextâ, & nonâ, vexillo crucis elato, cùm litaniis monaſterium circuire, & pro purgatione ſua diuinam miſericordiam inuocare. Quod cùm feciſſent, & in hoc ordine iam bis expleto, horâ nonâ omnes Eccleſiam intrarent, cunctúſque populus pariter congregatus adeſſet, Beata virgo Lioba, perrexit ad altare, & ſtans ante crucem, quæ iam tunc tertiò portanda parabatur, extendit manus in cœlum, & cum gemitu ac lachrymis precabatur, dicens: Domine IESV Chriſte, Rex virginum, integritatis amator, inuictiſſime Deus, oſtende virtutem tuã, & libera nos ab hac infamia: quia improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper nos. Hoc cùm dixiſſet, mox miſerrima paupercula illa, antiqui hoſtis & captiua pariter & miniſtra, dæmonio repletur, & quaſi flammis circundata, nomen inuocat Abbatiſſæ, crimenque quod commiſerat, confitetur. Tum verò clamore in cœlum ſublato, plebs, omnis ſtupuit miraculo: ancillæ Dei fleuere præ gaudio, & in commune ab omnibus vno ore meritum Liobæ virginis, & Chriſti Saluatoris potentia prædicatur. Factum itaque eſt, vt nomen virginale, quod Diabolus ſiniſtrâ famâ obruere conatus eſt, magis clareſceret, & celebriùs vbique laudaretur. Miſera tamen illa purgari, non meruit, ſed vſque ad finem vitæ ſuæ, ius in ea poteſtatis ſuæ inimicus obtinuit.]

Odo Abbas S. Dionyſij, à ſuis Monachis, qui eum gradu moueri cupiebant, cùm aliorum probrorum, tum nominatim homicidij accuſatus eſt, vt refert S. Bernardus epiſtol. 286. & 287. & tacito crimine epiſtol. 285. vbi pro Abbatis innocentia, & malignitate calumniatorum demonſtranda, ſic ſcribit ad Eugenium Papam. [Fruſtra quidam in-

ſurrexerunt in hominem, quem fama publica ſatis excuſat, immo celebris commendat opinio. Boni videlicet filij, qui patris verecunda tam curioſè ſcrutati ſunt, neſcio quæ incomperta omnibus crimina ſomniantes. Stupent qui audiunt ad ſubitam & inopinatam criminationem. Erubeſcunt, quia nunquam fuerat dictus ſermo huiuſcemodi de Odone, Sancti Dionyſij Abbate, nequaquam ſub modio latet, ſuper candelabrum ſtat, vt etſi velit, non poſſit diſſimulare quod eſt. Et lumen eius, vt fumus eius, ab omnibus videatur, neceſſe eſt. Nunquid iſti Lynceos in eum oculos intenderunt, videntes quæ nemo adhuc videre alius potuit? Suſpecta, fateor, mihi horum delatio eſt. Magis autem incredibilem reddit vnus illorum, nomine *Raymundus*, qui (vt aiunt,) caput eſt huius attentatæ malitiæ: homo (vt comperi,) palàm loquax, clàm ſuſurro, anxiè ambitioſus, adulatoriè blandus, totus compoſitus ad fallendum, ad perturbandum non minùs. Notaui ſub pelle ouina lupum, ac certis deſignaui indiciis, quòd iam aut mordere non audeat, aut nocere non valeat.] Addit epiſtola ſequenti. [Inſimulatus de morte hominis; ſi ſe purgare non poteſt, moriatur. Quanquam quis non videat, nec veriſimile eſſe, vt quem paulo ante de morte eripuerat, in mortem tradiderit? Qua fronte hæc audent inſuſurrare vobis, qui viderunt & cognouerunt zelum Abbatis in liberatione illorum, qui priùs homicidium perpetrauerunt, & in vltione eorum qui ſanguinem proximi vlti erant?] & epiſt. 287. [De morte G. ne ipſos quoque aduerſarios, reor eum potuiſſe habere ſuſpectum; quippe qui eundem G. & ſuos omnes concluſos ab hoſtibus, ab ipſo mortis articulo, multo quidem labore eripuit.] Itaque rectè ſtatuit S. Bernardus, calumniam illã, ne veriſimilem quidem fuiſſe.

Clemens IV. cædis Conradini Sueui, & Federici Auſtriaci à Carolo Andegauenſi Victore patratæ, autor fuiſſe inſimulatur; ita vt Carolum, non niſi ſatellitem ac miniſtrum ſæuitiæ Pontificis, denominet Hiſtoria Auguſta in interregno de ſtatu Imperij poſt Federicum II. Paſſim etiam alij, in Clementem eo nomine ſtringunt calamos, illumque non ſecus ac exploratum homicidam criminantur; nec eſt quem lateat illud veluti Clementis reſponſum ad Carolum, quid de duobus illis Principibus ſtatuerit ambiguum; *Mors Conradini, vita Caroli*. Hic omnes ſectarij, in Clementem vt ſanguinarium conclamant, nominatim Gundelfingus Scriptor Auſtriacæ hiſtoriæ, Carion, & Peucerus in Chronologia. Ioannes Serranus in Ludouico IX. & ſcriptorum omnium effrontiſſimus Ioannes Balæus Centur. 4. in Appendice ad num. 2. Sed hæc omnia ad calumniam pertinere, & Clementem omnia alia cogitaſſe, monſtrat accuratè Claudius Clemens in Clementis IV. vita cap. 19. 20. & 21. Tantùm ſanè abeſt, vt Clemens autor fuerit cædis Conradini & Federici, vt potiùs Carolum victoria immoderatè vtentem, compeſcuerit per literas quas exhibet Bzouius. Et vt hoc teſtimonio nitoris Clementis deſtituerémur, ſuppetunt in vniuerſa Clementis vita, tot argumenta humanitatis & benignitatis, omniſque virtutis & ſanctimoniæ; vt dubitare non liceat, hanc in captiuos Principes ſæuitiam, quæ Carolum, etiam apud ſuos non parum denigrauit, ad Clementem verè ſui nominis Pontificem, nequaquam pertinere. Sed Sectariis leue eſt, quaſcunque calumnias fundere, dummodo Pontifices inſectentur, ſuámque in Diui Petri ſucceſſores & Chriſti Vicarios malignitatem, non ſinant latere.

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, ſcripto à Germania ante annos quinque

quinque ſuprà viginti euulgato, reus factus eſt multorum infanticidiorum; de quibus ad ſcortationes tegendas admiſſis, cùm eum tandem aliquando non pœnituiſſet, Lauretum peregrinatus, ferebatur ſi fortè ibi tot maculas eluere liceret, à ſacerdote, cui de tam immanibus flagitiis confiteri voluit, cum horrore repulſus, præ mœrore in deſperationis barathrum proiectus, nec ita multò poſt infeliciter expiraſſe dictus eſt. Scriptionem illam, qua adiuncta huius criminationis ſignabantur, alia ſcriptione confutauit Iacobus Gretſerus, quantum video non magno pretio operæ. Quis enim non videat, quàm malè conſarcinata fuerit hæc calumnia in hominem vitæ innocentiſſimæ,& totius ſanctitatis viuum ſimulachrum? Supeſtes ipſe Cardinalis, tiſit ſcriptum illud, quo iam fato functus renuntiabatur; & viuens viuens ipſe confeſſus eſt Domino. Sed Hæreticis, vel ad vnam horam vagum mendacium, in lucro ponitur. Reuera tamen ex hoc mendacio, deceſſit illis haud exiguum. Siquidem inde deprehenſum eſt, qua fide ex horum mendaciloquorum maioribus quiſpiam,ex commentitia S. Vdalrici Epiſtola, ſex millia capitum infantilium, intra puteum Gregorij ſecundi cùm is vxores ſacerdotibus abſtuliſſet,reperta dixerit. Non eſt enim ouum ouo ſimilius, quàm hoc de Bellarmini infanticidiis ſcriptum, & illa S. Vdalrici Epiſtola de cædibus per Clericos & ſacerdotes ſcortatores, aduerſus quam ſubditiciam S. Antiſtitis Epiſtolam, & ipſe Bellarminus l. de Cleric. cap. 22. & Baronius anno 591. aliique certarunt.

Socij Paderbornenſes, occiſi pueruli criminationem ſuſtinuerunt, in nupera per Succos occupatione illius vrbis. Iuſſis enim exulare ſociis, & eorum rebus omnibus direptis, vnus quiſpiam hoſtium ſcrutans ſupereſſétne quippiam quod ſibi haberet,ſuſpicatus vaſa alicuius pretij coniecta in puteum fuiſſe, in puteum deſpexit: & ſuperinnatare cadauer conſpicatus, nefas à Ieſuitis patratum illicò inclamauit; datum ab eis neci puerulum, cuius cadauer iuſtè ſcelus patefaciente numine, puteo innatet. Aduolarunt magno numero ſpectatores, præſertim de Lutheri cauſa, & omnes voce vnanimi conteſtati ſunt, cadauer eſſe puelli à Ieſuitis mactati, ſiue ad tegendum ſub dicto fœtu turpitudinem, ſiue ad vſum ne nominandum quidem, ſiue ex atroci crudelitate.

Fuiſſe calumniam, & quidem perridiculam, docuit euentus, quem ad ſcribo verbis Angelini Gazæi ſcripturis feſtiuiſſimi, à quo calumniam & ſpongiam habeo. Sic igitur ille parte altera Hilariorum piorum.

——————Cogitur
Concilium, eóque vera vergunt omnia,
Vt in profundum, fune vir longiſſimo
Demiſſus,id cadaueris vellat foras:
Fore vt puellus quis ſit, agnoſci queat.
Ergo puteana trochlea demittitur
Bina lucerna ſeptus atque vnco graui:
Puteíque medium vix ſalutarat,manu
Naſum obſidere cœpit; at vicinior
Aqua ſuprema, nec puellum,nec virum,
Sed putrefactam conſpicit ciconiam.
Tonátque ab imo puteo,ab imis faucibus,
Citò me,& cadauer iſtud infauſtiſſimum
Eruite ſurſum. O extrahite,ciconia eſt;
Non eſt puellus,non puella; Fœtida eſt,
Fœtore validos qui camelos enecet.
Puteo relicto cum ſua ciconia
Abiere ſenſim,quoquot aduolauerant.
Nec tam ille fœtor,quàm calumniæ putor
Qua Ieſuitas vſſerant innoxios,
Illos abegit; quando hic infernè furit,
Educite; (ac inde nemo reſponſum edere:)
Extrahite:(nullus:) peſtis in vos exeret,
Quicquid veneni ventre nutriuit ſuo,
Ab orbe nato: mille vos cancri vorent.
Tandem miſertum eſt eius: ac ſodalium
Hunc vnus, alter eruunt. Ciconia

Eruta

Eruta deinde putris, eſt tumulo data
Ne in vulgus iret fama. Verùm ipſe ſuam,
Exin Acatholicos mittit ad ciconiam,
Catholica plebs; & iocando hæc accinit
De Ieſuitis falſa comminiſcier,
Et falſiora ſerere, tam pronum eſt malis
Hæreſeos onis, quàm natare piſcibus,
Latrare canibus, Diabolis mentirier.

Nec id nouum, aut primò in Ieſuitas tentatum. Nam iam olim ſanctus Auguſtinus admonuit, Epiſtola 137. Hoſtes Eccleſiæ cum in fidei cauſa ſuccumbunt, criminari Eccleſiæ pugiles, allegatis probris perſonalibus; quæ cum reipſa non ſuppetunt, conficta è penu calumniatorum promuntur.

CAPVT II.

De homicidio penes occidendi modum tetriore.

Tametſi omne homicidium eſt admodùm tetrum, tamen interuenit aliquando modus quidam, à quo tetrius redditur. V. G. quia admittitur per veneficium, aut cum latrocinio. Nam interficere miſto veneno, (quod faciunt venenarij,) genus eſt cædis proditoriæ, quam iura valdè deteſtantur, & ſeuerè plectunt. Tertullianus l de pudic. venenarios cum Magis in vertice criminoſorum locat; Et in Apologet. cap. 43. eos nectit cum ſicariis, Magis, lenonibus, perductoribus, aquariolis: qui ſunt apices ſceleratorum. Latrocinium autem, quod fit à viarum inſeſſoribus, non continet ſolam expilationem bonorum, ſed etiam habet adiunctam cædem, vt diſertè notat Gregorius Nyſſenus in Epiſtol. Canon. ad Latoium; nec abſque ſociis ad ſceleris ſecuritatem aſſumptis, vt ibi obſeruat Balſamon. Quæ tanta eſt enormitas criminis, vt Imperatores Honorius & Theodoſius l. *prouinciarum* Cod. de feriis à Latronum tormentis, ne ipſum quidem ſacrum Paſchæ diem, exemptum voluerint; profitentes Deo id non futurum graue, vnde ſalus & incolumitas omnium expectatur. Sunt ergo hæc homicidia horridiora ſimplici homicidio; & paſſim dicuntur *qualificata*, tanquam inſignia in genere malitiæ, & notabiliter deteſtanda. Sicut qui inter ciues vulgo dicuntur *qualificati*, ij ſunt, qui in ciuitate eminent. Huiuſmodi cædium horrendarum, accuſatos per calumniam lego ſanctos nonnullos, quos hîc appendam.

Chriſtus Dominus innocentiæ exemplar, *latro & latronum ductor* appellatus eſt ab Hierocle, apud Lactantium lib. 5. Inſtit. c. 3. Nam is quem ſecundo loco profert Lactantius c. 2. & ad quem pertinet hæc calumnia deſcripta cap. 3. fuit Hierocles, vt manifeſtè patet ex titulo libellorum eius memorato à Lactantio; referente eum autorem ſe dixiſſe *Philalethen*, ſeu *veri amantem*; quo ipſo titulo, inſignitur liber Hieroclis in eius confutatione apud Euſebium. Ait enim apud Lactantium Hierocles. [Chriſtum à Iudæis fugatum, collecta nongentorum hominum manu, latrocinia feciſſe.] Hæc fuit horrenda mendacitatis referta calumnia, quam à Iudice, (nam in eorum numerum erat Hierocles, vt à Lactantio præmiſſum erat cap. 2.) concinnatam eſſe; & vnde ius expectari debebat, tantam iniuſtitiam manaſſe, indigniſſimum fuit. Itaque Hieroclem ſic confodit Lactantius. [Quis tantæ authoritati audet repugnare? Credamus hoc planè: nam fortaſſe hoc illi in ſomnis Apollo aliquis nuntiauit. Tot ſemper latrones perierunt, & quotidie pereunt, (vtique multos & ipſe damnaſti:) quis eorum poſt crucem ſuam, non dicam Deus, ſed homo appellatus eſt? Verùm tu forſitan ex eo credidiſti, quia vos homicidam Martem conſecraſtis, vt Deum: quod tamen

Digitized by Google

non feciſſetis, ſi illum Areopagitæ in crucem ſuſtuliſſent.]

S. Polycarpus Smyrnenſium Epiſcopus in Opere cui titulus *Viola ſanctorum*, dicitur fuiſſe princeps latronum, per cædes & nefaria quæque graſſantium. Sic enim in eo libro habetur 26. Ianuar. [S. Polycarpi Epiſcopi Natale apud Smyrnam, qui fuit diſcipulus B. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui fecit eum Patriarcham totius Aſiæ, & commiſit ei ſeptem Eccleſias in Aſia. Hic creditur fuiſſe ille iuuenis quem S. Ioannes ſub depoſito cuidam Epiſcopo commendauit; quem poſtmodùm principem latronum factum in propria perſona repetit, & ipſum ad veram pœnitentiam reduxit: qui tantum profecit, vt ei totam Aſiam commiſerit.

Hæc eſt atrox in S. Polycarpi famam graſſatio. Nam S. Polycarpus à tenera ætate & per totam vitam fuit moribus nitentiſſimus, nec niſi per craſſam hallucinationem confunditur cum eo graſſatore qui per S. Ioannem ſanæ menti eſt reſtitutus, vt habetur apud Euſebium lib. 2. hiſtor. cap. 17. ex Clemente Alexandrino, quem Latina Euſebij editio refert, ſcripſiſſe, iuuenem illum ſibi redditum fuiſſe miniſterio Eccleſiæ præfectum, id quod de S. Polycarpo habet S. Hieronymus lib. de ſcriptor. Quod ergo Euſebius Latinè verſus dicat Iuuenem illum fuiſſe Eccleſiæ præfectum, & id quoque de S. Polycarpo dicat B. Hieronymus, erutum inde videtur quod S. Polycarpus fuerit ille met iuuenis ex latrone præfectus Eccleſiæ Aſianæ. Verum Græca verba Clementis & Euſebij, non ferunt quod ille iuuenis poſtquam graſſari deſiit, fuerit præfectus Eccleſiæ, ſed quod ſit à S. Ioanne reſtitutus Eccleſiæ. αὐτὸν κατέστησε τῇ ἐκκλησίᾳ. Veriſſimum igitur eſt S. Polycarpum longè alium eſſe ab illo quandoque graſſatore reſtituto Eccleſiæ, non autem præfecto per Apoſtolum. Veriſimilius diceretur, Epiſcopum illum cui iuuenis ante graſſationem concreditus erat ab Apoſtolo fuiſſe S. Polycarpum. Nam chronicon Alexandrinum refert Epiſcopum illum iuuenis poſtea graſſatoris curatorem, fuiſſe Epiſcopum Smyrnenſem. Non occurrit autem alius Eccleſiæ Smyrnenſis, eo tempore Epiſcopus, præter S. Polycarpum. Atque ita Petrus Halloix in Notis ad vitam & ſcripta S. Polycarpi, exiſtimat eum Epiſcopum, cui adoleſcens ille à S. Ioanne concreditus erat, fuiſſe S. Polycarpum: quod ægrè admitto, quia fides Chronici Alexandrini non raro labat. Et admiſſo quod in eo Chronico traditur nempe quod is Epiſcopus cui S Ioannes iuuenem commiſerat, fuerit Epiſcopus Smyrnenſis, atque adeò S. Polycarpus, non lenis nota inuritur huic ſanctiſſimo Antiſtiti: quia Epiſcopus adoleſcentis curator, malè obiti muneris & negligentiæ non vulgaris inſimulatus eſt ab Apoſtolo, quam tetram labem S. Polycarpo non inuſſerim, niſi validiora proferantur.

S. Nemeſis Ægyptius, latrocinj calumniam ſuſtinuit, vt ex Dionyſij Alexandrini ad Germanum Epiſtola recitat Euſebius lib. 6. hiſtor. cap. 34. his verbis. [Nemeſis quidam, & ille etiam Ægyptius, falsò in crimen vocabatur, quòd cum latronibus ſocietatem coiuiſſet: ſed iſtam calumniæ notam ab eo alieniſſimam quidem, cùm coram Centurione diluiſſet; iterum per iudicem fuit delatus, quòd Chriſtianus eſſet, vinculiſque conſtrictus, ad præſidem venit. Iſte iniuſtiſſimus præſes, Beatum martyrem tormentis & verberibus duplò grauioribus, quàm latrones ipſos, affligens, exemplo Chriſti inter latrones, interiectum, (vnde non parum honoris adeptus eſt,) feruido ignis exurit incendio.] Beata planè huius ſancti ſors, quòd Chriſtum tanquam latronem inter latro-

nes pendentem, eſt imitatus, mortis per calumniam illatæ genere. Idipſum Methodio viro ſanctiſſimo, Theophili Imperatoris Iconomachi deſtinatione, obtigiſſe; cùm iuſſus eſt includi ſepulchro inter duos latrones, ex Conſtantino Manaſſe in annal. num. 188. deſcribo, in Tractatione de S.Latrone cap.2.num.12. vbi etiam de Cartuſianorum Patrum denario, iuſſu Henrici 8. Angliæ Regis anno 1534. cruci confixo inter latrones. Sed & S. Colomannum inter latrones fuiſſe ſuſpenſum infrà referam cap. de impacta Sanctis proditione.

S. Oëlbertus, ſiue Odelbertus, malignitate Sicariorum calumnia patrati homicidij oneratus, à ſicariorum inſecutoribus eſt iugulatus, in Oïſterhout pago Antuerpienſis Diœceſis, apud Bredam. Cùm enim truculenti ſicarij cædem in ea ora patraſſent, veriti inſecutores qui aduentare timebantur, bono Oëlberto exarationis labore feſſo, & tantillam requiem in campo per ſomnum meridianum captanti, enſem cruentum appoſuerunt. Iudicis adminiſtri ex gladio ſanguine perfuſo, dormienti appoſito, rati eum de cæde patrata conuictum, abſque peniriore cauſæ diſcuſſione, letho dederunt innoxium. Videndus Molanus in Natalibus SS. Belgij. 22. Octobris.

S. Bauo, inter latrones numeratus eſt à Sigeberto in Chronico anno 614. referente, S. Amandum conuerſionis Bauonis, (qui & *Allowinus* dictus eſt,) cauſam fuiſſe; conuerſum autem recluſiſſe Gandaui. Hæc tamen eſt manifeſta calumnia in Sanctum virum, quem Theodoricus in eius rebus geſtis cap. 1. & 2. eximium Principem vixiſſe docet, ac etiamnum laicum, vitam egiſſe Monachi. Similiter Philippus Abbas in Actis S. Amandi c. 19. tradit quidem S. Baaonem à vanitate ſæculi conuerſum eſſe à S. Amando, non tamen à latrocinio. Molanus in Indiculo SS.Belgij, de ſplendore natalium eius, & vita pia ante Monachatum, habet non pauca. Itaque faceſſat commentum calumnioſum, de S. Bauone latrone. Vnum duntaxat occurrit, quod colorem aliquem calumniæ præbere potuerit: nimirum quod Theodoricus cap. 14. ſcribit S. Bauonem, latronum more caput totum detonderi voluiſſe. Sed hic nullo modo poteſt ſtabiliri calumnia de qua agimus. Nam S. Bauo, præ humilitate eam ſibi ignominiam optauit, eo quòd ſeruum, quem habuerat rei domeſticæ negligentem, iuſſerat olim venalem exponi. Compunctus ergo vir ſanctus, eo quòd ſanguinem Chriſtianum expoſuiſſet venalem, eo ſe pacto multatum voluit etiamſi reipſa alieniſſimus eſſet à culpis, ob quas latrones detondentur vniuerſo capite, ac etiamſi fortaſſis in eo facto nihil deliquiſſet. Quare faceſſat calumnia illata viro ſanctiſſimo, quem vel ſoli eius natales, tali criminationi ſubducunt.

[Maria Imperatrix Orientis, vxor Conſtantini filij Irenes Imperatoris, à marito accuſata eſt, quod vitæ ipſius eſſet inſidiata, apparato ei veneno. Quare exturbatam è regio ſolio, Conſtantinus, includi iuſſit in Monaſterio, eique in pœnam veneficij attentati, ſuffecit thori & regni conſortem, Theodotem cubiculariam. Sed hanc calumniam effuſa libidine Conſtantini compactam, magni illius æui Patres redarguerunt, collaudata Mariæ innocentia; & imprimis S. Theodorus Studita, qui tametſi ſanguine iunctus Theodotæ, Conſtantinum ob vxoris legitimæ abiectionem, dicto publicè anathemate multauit. Egit etiam ſtrenuè in ea cauſa, Theodori patruus S. Plato Monachus, nec non Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui nuptiis & coronationi Theodotes, quantumuis vrgente Imperatore, nunquá voluit ſuffragari: ideoque Conſtantinus.

rinus per Ioſephum Oeconomum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, omnia peregit. Iſque eſt Ioſephus ille, de quo apud S. Theodorum, & in Actis S. Platonis, crebra mentio, cum deteſtatione. Incredibile eſt, quantis malis hæc calumnia innocenti Imperatrici falsò impoſita, inuoluerit Eccleſiam Orientalem, & Imperium, ipſumque nominatim Imperatorem: quem Deus ab ipſamet eius matre, in pœnam calumniæ, & peſſimi exempli nuptiarum exoculari permiſit, haud ita multò poſt; nec diu florere & damnatis frui voluptatibus ſiuit.

[Clemens V. Romanus Pontifex, Imperatorem Henricum VII. letho dediſſe inſimulatus eſt, horrifico malignitatis genere; hoc eſt porrecta ei Euchariſtia veneno perfuſa. Ita habet Franciſcus Hotomanus libro contra Matharellum. Sed eſt calumnia propudioſiſſima, & digna ingenio Hotomanico, eaque rabie quam vbique in Romanos Pontifices prodit furioſus iſte ſectarius. Reuera autem, Clemens abfuit quàm longiſſimè ab eo ſcelere, quo vix truculentius vllum fingere liceat. Platina ipſe, tametſi nullam prætermittit occaſionem Pontificum probra ſi quæ occurrebant detegendi, nihil tamen tale affingit Clementi: ſed narrans Henrici mortem Bonconuenti obitam, ait eum è vita exceſſiſſe, non ſine ſuſpicione veneni, opera Florentinorum, quibus infeſtus erat, exhibiti; ſubornato pollicitationibus ac præmiis Monacho quodam, ad ei porrigendam diuinam Euchariſtiam veneno perfuſam. Non iam vt ſuſpicionem, ſed vt narrationem veram, idipſum referunt plerique: vt Ioannes Fontanus in vita Ioannis XXII. quæ præfixa eſt eius Extrauagantibus, Michael Riccius lib. 3. de Regibus Siciliæ, Genebrardus in Chronico, Pirartus Decade 5. hiſtoricopolit. cap. 9. (qui ait eum Monachum, dictum eſſe Bernardum à Monte Politiano;) & diffusè Nauclerus Generat. 44. qui tamen addit, Ordinem Prædicatorum in Piſana ciuitate quæ Henrici cadauer aſſeruat, habere literas, teſtantes fratrem prædictum eſſe innocentem, & totum hoc eſſe confictum. Sed fortè legibiles illæ literæ ampliùs non ſunt. Nemo non videt quò ſpectent hæc Naucleri poſtrema verba. Mihi in præſentia ſatis ſuperque eſt, quod Clemens Pontifex tam horrenda calumnia, quam primus ei affingit Hotomanus, manifeſtè liberetur. Neque tamen diffiteri licet, (proh mores Chriſtianos!) quin portentum illud ſceleris, potuerit in Henricum VII. exerceri, cùm Victor III. Romanus. Pontifex, iniecto ſacrilegè in calicem dum ſacrificaret, veneno præſentiſſimo, obiiſſe referatur à Martino Polono, Hermanno Contracto, Caſſulano Præmonſtratenſi, & aliis, haud obſcurè ſuffragante Platina in Victore III. Hic eſt patientia Chriſti, vt monui in Candelabro ſeptiluſtri ſect. 3. cap. 6. num. 25. vbi ſimilis ſacrilegij exemplum addidi ex Gregorio Turonenſi lib. 3. hiſtor. Franco. cap. 31.

Gerfredus Monachus Flauiniacenſis, de Adalgario Heduenſi Epiſcopo per veneficium extinctoaccuſatus eſt (ſi tamen accuſatus dici debet) qui vt eſt in Concilio Epiſcoporum celebrato anno 894. inſtituto in ea cauſa iudicio; nec euidentem accuſatorem, nec alicuius certitudinis proclamatorem reperire potuit. Et alioqui ea erat Gerfredi perſona, totque & tanta Adalgarij in ipſum beneficia, vt incredibile viſum ſit omnibus, quod de illo fama vulgauerat, cum totius Eccleſiæ horrore. Ipſe verò Gerfredus, ne labe illius *iniquiſſimi ac Deo ſimul & hominibus horrendi & nefandiſſimi, tamque inauditi ſceleris*, (ſic enim de eo veneficio loquuntur Acta conſcripta anno 894.) famam ſuam diutiùs inquinaret, decreto Epiſcoporum ſubire canonicam purgationem delegit, adhibito illo

Y 2 corporis

corporis & ſanguinis Chriſti examine, *quod ſolum verius probatur & terribilius, imo ſalubrius creditur*, vt eadem Acta loquuntur. Omnibus autem ritè perfectis, magno in id Antiſtitum ſtudio, præſertim VValonis Æduenſis Epiſcopi, & Aureliani Lugdunenſis qui *totius Galliæ Primas* ibi denominatur, Gerfredus innocens pronuntiatus eſt; ac ne quidem veriſimile quippiam aduerſus eum deprehendi potuiſſe, inuidiæ verò inſtinctu & malorum hortatu obortam eſſe infamem famam de pio Monacho, eſt declaratum. Extant Acta purgationis Gerfredi Tomo III. Conciliorum Galliæ, ad annum 894. ſub Formoſi Pontificatu.

Maria Franciæ Regina, Philippi tertij vxor ſecunda, apud maritum calumniam paſſa eſt de interempto per veneficium Ludouico priuigno, Philippi primogenito ex Eliſabetha Aragonia ſuſcepto, cum duobus aliis: quibus item Maria venenum paraſſe dicebatur, vt ſola eius proles regno potiretur. Eoque res proceſſit, vt regina, (quod ſcribit in Belgicis Annalibus Ægidius de Roya ad annum 1276.) tanquam Regiæ prolis interemptrix, igni ſit adiudicata per delectos à rege Iudices; quos tamen Ioannes Dux Brabantiæ frater Reginæ, oblato nobili qui ſingulari certamine Reginę innocentiam aduerſus quemcunque criminatorem tutaretur, remoratus eſt à pœnæ irrogatione. Vnde factum, vt accuſator territus metu certaminis indicti, & conſcientia lancinante, calumniam faſſus ſit. Is erat Petrus Brocius, ex S. Ludouici Chirurgo Philippi Regis cubicularius, omnia apud Regem pro arbitrio ſtatuens; Reginæ verò infenſus, quòd vxorem ſuam, fœminam ignobilem criſtas, & ſupra nobiles quaſque attollentem, Regina à comitatu ſuo ſummouiſſet. Brocius magna omnium inuidia laborans, cùm denique deprehenſus eſſet, literis agere cum Rege Caſtellæ, Philippi tunc hoſte; leſæ maieſtatis reus, communi latronum patibulo addictus eſt, & de informis lethi alta trabe pendens, expiauit infamiam veneficij, illatam innocenti Reginæ: quam etiam Beguina quædam Niuellenſis, ſubmiſſis clàm à Rege in eam rem Antiſtitibus, vt claram reuelationibus virginem interrogarent, criminis puram renuntiauit.

Henricus Suſo qui anno 1365. ſanctiſſimè è vita exceſſit, atroci huius generis calumnia impacta, venit in vitæ diſcrimen, vt ſcribit in eius Actis cap. 27. Laurentius Surius. Hæſerat Henrici ſocius de via madidus in caupona, vt veſtes ſiccaret. Digreſſo per oppidum ad negotia Henrico, ſocius à quinque armatis, tanquam qui venena ſpargeret comprehenſus, emota mente homo, culpam reiecit in Henricum, falſus id eum ſuſcepiſſe à Iudæis grandi pecunia ſubornatum, vt fontes omnes ad Alſatiam vſque, toxico immiſſo corrumperet. Idque iam in oppidi fonte præſtitiſſe confirmauit. Furere omnes & arma corripere, vt Henricum omni crudelitatis genere excarnificatum, letho darent. Non erat qui pro eo hiſcere auderet, etiam ſi plerique hominem eſſe ab eo ſcelere alieniſſimum, non ambigerent. Deſpondebat Henricus, è tam ferocium tamque malè animatorum hoſtium manibus euaſionem; donec Deus, ſuſcitauit ſpiritum naui cuiuſdam probique ſacerdotis, qui Henricum non ſine magna difficultate in tuto locauit; & calumnia breui euanuit.

Dominicani Patres anno 1390. in Gallia veneficij ſunt inſimulati. Contigit enim eo anno, variis regni locis detegi venenarios, qui fontes & puteos inficiebant; interuentu mendicabulorum oſtiatim ſtipem colligentium; Rei denique deprehenſi, confeſſi ſunt infectas

abs

Digitized by Google

abs ſe aquas, iniectione præſentiſſimi veneni, ex ſanguine buffonum, & vngulis, ac carne patibulariorum, aliiſque ſordibus confecti. Infamia tamen veneficij inde in Dominicanos transfuſa dicitur; quòd qui veneno aquas perfuderant, cùm primùm ſunt deprehenſi; ſibi quidem ignotos eſſe veneficos dixerant, eos tamen veſte talari ſubtea alba, extrinſecus verò pulla amictos deſcripſerant. Hanc verò fuiſſe tetram calumniam, nemo non videt. Henricus Spondanus ad annum 1390. num. 15. iſta referens, calumniæ huius originem repetit, ex odio quo Galli aduersùs Patres illos flagrabant, occaſione ſententiæ de B. Virginis maculata conceptione. Sed non amat Virgo æmulatores decorum ſuorum, cum laceratione ſeruorum Dei, & impoſturis atrocibus malignè afflictis cœtui innoxio. Quod ſi radix vltima huius malignitatis ſpectanda eſt, non aliam cenſuerim fuiſſe tam dira innocentibus imponendi cauſam, quàm ſatanicum odium in nauos & induſtrios rei Chriſtianæ curatores, quos ſatanæ intereſt infamari, vt fama imminuti, inefficaciores ſint in iuuandis proximis. Hanc certè habuere originem, calumniæ poſtea aſperſæ in eodem regno, aliis ſtudio boni animarum flagrantibus: quos tametſi puritatis conceptæ Deiparæ ſtrenuos defenſores, calumniæ malignitas horrendis parricidiis infamare aliquamdiu non erubuit.

CAPVT III.

De monſtris fœditatum in corpus alienum.

CAlumnias dei fœdato per turpitudinem alieno corpore, auſpicor à vertice. Eum enim planè occupant ſpurcitiæ contra naturam, quas S. Gregorius ſcribens ad Sabinum Subdiaconum, adeò deteſtatus eſt, vt cum apice iniquitatum (ſic enim idololatriam appellare licet,) eas contulerit, Tertullianus l. de pudic. cap. 4. vocat libidinum monſtra, non delicta. Philo l. de ſpecial. legibus, hac teterrima fœculentia oblitos, vocat *probroſos, & familiæ ſuæ ac patriæ dedecora, atque adeò totius humani generis.* Et inſignitet quoque l. de vita ſupplicum *ſub medium*, nec non S. Chryſoſtomus l. 3. contra vituper. vitæ Monaſt. Multa ex variis patribus ad huius infandiſſimi probri deteſtationem, collegit Hincmarus Opuſcul. de diuortio Lothatij, ad interrogationem 12. Et præter cætera illud habet ex D. Auguſtino l. de bono coniugali, quo hanc eſſe ſummitatem turpitudinum, disertè affirmatur. [Malum eſt fornicatio, peius adulterium. Peius eſt enim alienum matrimonium violare, quàm meretrici adhærere. Et peior eſt inceſtus, quia peius eſt cũ matre, quàm cum aliena vxore concumbere: & ſemper de malo ad peius, donec ad ea perueniatur quæ ſicut ait Apoſtolus, turpe eſt etiam dicere.] Locus eſt ex cap. 8. dicti libri, ſed nonnihil immutatus. Aduerſus tantam labem conclamat Petrus Damiani Opuſcul. 7. cap. 16. & 17. ac Ioannes Langheomius lib. 3. de vita hiſtor. Cler. cap. 16. & inter ipſos Ethnicos Cœlius Aurelianus l. 4. paſſ. cap. 9. Complures in hanc turpitudinem iuſta ira ſcribendo armatos, produxi l. 6. de virtut. num. 146. & 147. præter quos Cenedo in Collectaneis ad Decretales collect. 130. quàm plurimos profert Iuriſperitos. Et adhuc ſupereſt tetrior & terribilior labes, ex mixtura cum diuerſa ſpecie. Tantas tamen infamias, innoxiis aliquando eſſe impoſitas per calumniam, docebunt quæ ſubiicam.

Beatiſſima Virgo Maria, ſpeculum puritatis nitentiſſimum, fuit verè terra ſancta, imò Sancta ſanctorum, iux-

ta Damaſcenum orat. 2. de Imag. qui inde id confirmat, quod de terra in qua rubus igneſcens & tamen inconſumptus viſus eſt, dictum ſit Moyſi, *locus in quo ſtas terra ſancta eſt.* Si igitur terra qualiſcunque Deiparæ typus, ſancta eſt, quantò magis Deipara ipſa, Sancta ſanctorum eſt? Hoc inexplicabile paradiſi monile, (ſic enim eam nominat Epiphanius Orat. de laud. Deipar. *ſub finem*,) hanc ſpecioſiſſimam & puriſſimam columbam, iuxta perelegantem de ea Philippi Abbatis diſputationem l. 6. in Cantic. cap. 8. hunc ſolem myſticum ab omni terrena concretione ſemotiſſimum, vt latè diſſerit Richardus à S. Laurent. l. 7. ſpeculum iſtud & ſpeciem totius caſtitatis, nomenclatore Hildefonſo ſerm. 3. de Aſſumpt. Nullus fuerit finis, ſi vel tenuem diligentiam probare voluero, in proferendo ſenſu Sanctorum de ſanctiſſimæ Virginis nitore & puritate, nullis ne dum verbis noſtris explicanda, ſed ne cogitationibus quidem apprehendenda. Sic tamen proluſum oportuit, ad recitationem alienæ blaſphemiæ, & calumniæ ſuprà omnem malignitatem horrendæ, quam niſi præfando veniam, & pectus inter referendum percutiendo, illinere chartis non liceat: Adhuc hæreo, ſed audendum eſt, ne præuaricari in cauſa ſuſcepta videar. Nam cum inſtituerim munire pectus aduerſus calumnias, exemplo Sanctorum in quos fœda quæque & indigna falsò ſunt intorta; vt qui falſis probris dehoneſtantur, habeant vnde ſolatium petant, videntes ſe nationi filiorum Dei aggregatos per falſa probra; quomodo non proderem cauſam ſuſceptam, ſi calumniam omnium quas infernus vomuit fœtentiſſimam & horribiliſſimam, ſilentio obuolutam vellem, prætexens perſonæ in quam coniecta eſt, teſtatiſſimam puritatem, & turpitudinis impactæ, calamos & labia dehoneſtaturæ, fœditatem? Clauſis ſanè oculis in alienum cœnum irruit Origenes, l. 1. in Celſum, referens impij Iudæi, vel Celſi ſub Iudæi perſona, calumniam in B. Mariam Deiparam, quam turpiter fœdatam (modum ſciens premo.) Chriſtum concepiſſe, blaſphemauit. At Origenes libro illo 1. contra Celſum, vrget in contrarium, mitiſſimos mores Chriſti; cùm tamen ſi infandos illos natales habuiſſet, non potuiſſet ferinis pronitatibus, & beſtialibus ad bruta & fœda quæque propenſionibus, deſtitui; cùm influant ſimul cum ſemine, ſicut morbi, ita & procliuitates eorum è quibus quis progignitur. Accedit ſummus nitor matris, & propheticis oraculis prænuntiatus, & omnium quibus beato eius conſpectu frui licuit aſſertione teſtatiſſimus. Quid quòd ex mixtura cum aliena ſpecie, exiſtere hominem poſſe, à vero abhorret, vt de Nereïdibus ac Tritonibus ſiue hominibus marinis ex indebita permiſtione enatis, (iuxta Baronium anno 343. num. 3.) pronuntiauit Scaliger Exerc. 226. num. 12. adductus in Natur. Theolog. diſtinct. 2. num. 55. vbi in hanc ſententiam pluſcula. Nec fabula, de gente Vrſina, ex Vrſo & muliere Saxonica ortum habente, aliud non eſt quàm fabula, tametſi ei admodùm ſimpliciter adhæſit Gul. Pariſ. 2. part. de vniuerſo part. 3. cap. 25. Mihi omnis hæc depulſio & confutatio blaſphemæ calumniæ recenſitæ, otioſa videtur, & dimittenda. Nam nimis falſa non ſunt refellenda, ne videantur poſſe eſſe credibilia, vt rectè dixit S. Athanaſius Epiſtola ad Epictetum approbante S. Epiphanio hæret. 77. Quis verò finis fuerit altercandi, ſi quiduis ab ore quopiam Diaboli, ſine vllo prorſus fundamento, abſque teſte & indiciis, ex mera virulentia & calumniandi ſcabie iactatum, perſequi confutando placeat.

S. Ioannes Chryſoſtomus pudicitiæ ſpeculum, cùm aliis circa caſtitatem calumniis pulſatus eſt, in pſeudoſynodo

ad

ad Quercum, tum nominatim pæderaſtiæ. Eo enim ſpectauit fœdum crimen, viro ſancto impactum à Ioanne ipſius Diacono, quod ob domeſticum puerum Eulalium pulſatum, eieciſſet prædictum Ioannem. Agmen duxit hoc probrum, inter vndetriginta à prædicto Ioanne impoſita ſancto viro fuitque omnino graue ob monſtroſam fœditatem turpis commercij cum puero Eulalio, qui οἰκεῖος παῖς, id eſt, concubinus appellatur. Horreſco iſta referens, & virum ſanctiſſimum, adeò tetri probri infamiam ſuſtinuiſſe, propè impoſſibile duco. Sed eò vſque pertigit calumniæ malignitas. An hic Ioannes Diaconus ſancti Chryſoſtomi criminator, adulterij aut cædis patratæ reus fuerit, definire non poſſum. Alterutrius tamen noxæ eum notat Metaphraſtes in ſancti Chryſoſtomi Actis, agens de ſancti viri accuſatoribus à Theophilo Alexandrino ſubornatis.

S. Carion ex coniugato in Sceta Monachus, filium Zachariam adducente coniuge, quod fames dira vrgeret prouinciam, ſuſcepit educandum. Species perelegans ſuſpicionem incitauit impuri nidoris, quaſi non quod prætexebatur filius, ſed ſpurcus quiſpiam Adonis eſſet. Quæ S. Carioni ac Zachariæ, ſecedendi è Scetana ſolitudine in Thebaidem, occaſio fuit. Verùm neque ibi calumnia quieuit. Imò quòd minùs noti eſſent quàm in Sceta, quò mater puerum adduxerat & ſuum ex Carione filium profeſſa erat, increuit calumniæ procacitas, ita vt reuertendum patri ac filio fuerit in Scetam vbi digreſſi fuerant, ſi fortè temporis effluxu, quies optata & à muſſitationibus calumniarum tranquillitas obueniret. Cùm rurſus Scetani exarderent in eos velut ignis in ſpinis, Zacharias egregio facinore nefariarum ſuſpicionum fontem occluſit. Erat in vicinia lacus nitroſus; (quæ ſit nitri vis ad exedendam ſpeciem corpoream & exterminandam elegantiam formæ ex iis quæ diſſerit Plinius l. 31. cap. 10. licet cognoſcere.) In eum lacum adoleſcens, narium tenus per horam merſus, florem corporis adeò corrupit, vt regrediens nudus, & manu veſtem præferens penè agnitus non ſit à Carione. S. Iſidorus Scetæ Archimandrita factum Zachariæ diuinitus edoctus, proximè ſequenti Dominica cùm omnes ad ſynaxim conueniſſent, [Zacharias (inquit) Dominica præterita nobiſcum communicauit vt homo, nunc idipſum fecit vt Angelus.] Sic calumnia innoxiis impacta euanuit. Exſcripſit ex Patrico hanc hiſtoriam Raderus 3. part. Virid. cap. 6. §. 1. conatus calumniam aliò auertere, vt pudori conſuleret, cùm tamen ſatis ſe ipſamet prodat.

Terberga Lotharij Imperatoris vxor, ab eodem Imperatore ad Valdradæ pellicis coniugium aſpirante, accuſata eſt de crimine peſſimo, & quod horribilius eſt, cum fratre. Hiſtoria quidem Treberorum, ex qua longum fragmentum Opuſculis Hincmari præfixit Cordeſius, inceſti duntaxat accuſatam Tetbergam ſcribit. Tamen Hincmarus qui rem cominùs perſpexit, & eo ipſo tempore fortem lucubrationem in hac cauſa conſcripſit, proponens interrogationem primam & in reſponſione referens cap. 15. cuiuſdam Tomi, diſertè tradit, impoſitum fuiſſe Terbergæ, ſtuprum cum fratre, atque adeò inceſtum, ſed contra naturam; addidúmque eſſe, quòd ex eo flagitio concepiſſet, ſed ad celandum facinus, hauſiſſe potum, & partum aboriuiſſe; & nihilominus vt habetur interrog. 12. Virginem permanſiſſe, non obſtante eo præpoſtero conceptu. Horremus, iſta vel legentes, vel referentes. Sed quò pertingat malignitas calumniæ, hinc diſcendum fuit. Therberga enim erat innocentiſſima, & teſtibus omnibus deficientibus, (vt ibidem habetur,) inficiata crimen, ad iudicium aquæ feruentis prouocauit.

cauit per Vicarium qui feruore aquæ nihil læſus, Reginæ innocentiam perſpicuè euicit. Tametſi poſtmodum, Lothario Valdradæ amoribus ſemper implicito, corruptis in eum finem primariis aliquot Epiſcopis, quorum conſilio geſta abs ſe omnia Lotharius eſt accuſatus, eò deuentum eſt, vt Terberga vltro ſibi crimen illud impingeret, metu maiorum malorum. Ita quidem recitat Hincmarus in capitibus quæ interrogationi illi primæ intexuit. Reuera tamen confeſſionem illam Terbergæ fuiſſe confictam, idem Hincmarus tradit, certans aduerſùs Lotharij intemperantiam, cui Epiſcopi lenocinabantur, præſertim Guntharius Colonienſis, & Theutgaudus Treuirenſis quos Romam profectos ad implanandum Nicolaum I. idem Pontifex collecta ſynodo gradu mouit, & infracto ſemper animo inſtitit, vt Lotharius Valdrada pellice abiecta, Terbergam honori ſuo reſtitueret, quod denique eſt aſſecutus, ſaltem in ſpeciem, tametſi cor Lotharij Nicolaum Fictis verbis diſtinentis, non eſſet cum Terberga; vnde denique exitium ſibi creauit, & omnibus qui magno numero ei adhærebant. Nam profectus Romam ad Adrianum Nicolai ſucceſſorem, qui decreta Nicolai pro Terberga & contra Valdradam rata habuit, ſub communionem diuinæ Euchariſtiæ, adiuratus ab Adriano, vt niſi ſincerè auerteretur à pellice, abſtineret communione, nihilominus ſacri cibi particeps factus, Deo vlciſcente ſordes periurio & & ſacrilegio admiſtas calumniamque in vxorem iniuſtam infeliciſſimè ſucciſſus eſt, cum vniuerſis qui eadem temeritate de Pontificis manu communicarant. Omnes enim intra annum ſunt conſumpti. Hic finis tragœdiæ, quam libido concepit, calumnia verò parturiuit. Et mirabile eſt, calumniatores iſtos adeò cœcutiuiſſe, vt contra totius phyſiologiæ canones, conceptum ex auerſo illo Terbergæ complexu auſi ſint comminiſci. Phlegon quidem cap. 26. mirabilium, cynædum Alexandriæ concepiſſe ſcribit, eiúſque fœtum miraculi cauſa aſſeruatum. Sed hoc inter mirabiliarium alia occurrunt.

Macedonius, non ille Spiritus ſancti aduerſarius, ſed alius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Orthodoxus, qui Anaſtaſio Imperatori perditiſſimo, ſtrenuè pro Catholicæ fidei indemnitate obſtitit, variis ea ex cauſa ab impio illo affectus eſt incommodis, & multiplicibus appetitus calumniis: ac præter cæteras, adoleſcentes duo pecuria corrupti, accuſarunt illum de crimine peſſimo. Cùm non ſuppeteret Macedonio, alia ratio turpem maculam in fidei odium impoſitam abſtergendi, nihil moratus, tunicam in omnium conſpectu ſubduxit, & virilibus ſe deſtitutum oſtendit. Qua ratione aduerſarios confudit, & calumniam apertè depulit, vt ſcribunt Euagrius l. 3. hiſtor. c. 32. ac Nicephorus l. 16. c. 26.

Iſidorus Alexandrinus, ſi Palladium in Dialogis de vita S. Chryſoſtomi, & Metaphraſtem in eiuſdem Chryſoſtomi vita audimus, vt inſignis ſanctimoniæ; ſi autem Baronio anno 400. & aliis adhæreamus, Origeniſtarum anteſignanus, à Theophylo Alexandrino, per atrocem calumniam de crimine peſſimo exturbatus eſt. Ex hac occaſione Fœmina primaria Theodore, mille aureos in veſtimenta pauperum mulierum Alexandrinarum erogandos tribuit Iſidoro, iuſſo rem totam celare Theophylum; ne ſi ille acciperet, conſumeret in lapides, (vt ſolebat) & in ædificia; (id enim cauſatam eſſe Theodorem, reſpondit poſtea Iſidorus, criminante ſilentium eius Theophilo.) Cùm igitur adhibitus à Theodore Iſidorus, fideliter exequens mandata, exacerbaſſet Theophilum: is corrupto numeratis quindecim aureis adoleſcente, qui ſe ab Iſidoro nefaria paſſum aſſirmaret,

maret, Iſidorum tūc octogenarium, annis duodeuiginti poſt patratum facinus, (vt quidem ferebat accuſatio, deiecit è gradu.

Sed fuiſſe calumniam affirmat Metaphraſtes, tum quia mater adoleſcentis, filium ſuum à ſorore Theophili, quindecim aureos ad eam ſycophantiā ſtruendam accepiſſe, renuntiauit Iſidoro: tum quia Iſidorus vultum habens nuntium virtutis, & ſpectatorum animis magnam iniicientem reuerentiam, de libello ante duodeuiginti annos porrecto, & per Theophilum tandiu preſſo, nunc demum producto abſque accuſatoris nomine, expoſtulauit, & calumnia ſe petitum docuit. Retuli quæ Metaphraſtes de atroci calumnia Iſidori à Theophilo impacta docuit. Quæ an verè ab eo ſtructa ſit, non habeo quod dicam. Nam tametſi à pleriſque viris Magnis, laudatus etiam poſt mortem reperitur Theophilus, vt à Paulo Emeſeno in homilia ad populum Alexandrinum, & à S. Leone epiſtol. 52. & 64. & à Ioanne Moſcho cap. 195. limonarij, aliiſque nonnullis: tamen ab aliis quoque non paucis, grauiter reprehenditur; non modò ob malignitates in in S. Chryſoſtomum, quas in fine vitæ, volens nolens expiare impenſa eius imagini veneratione adactus eſt, ſed etiam alias ob cauſas. Sanè refugiſſe Theophilum purgare ſe in ſynodo de obiectis criminibus, ſcribit Sozomenus l. 8. cap. 2. Eundem Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſt. 152. vocat infecto lapillorum amore flagrantem, atque aurum pro numine habentem; qui ex occaſione huius Iſidori de quo agimus in ſanctum Chryſoſtomum ferociuerit. Non eſt ergo cur videatur impoſſibile, Theophilum ſycophantiæ Iſidoro ſtructæ fuiſſe architectum.

Quicunque verò fuerit tam atrocis calumniæ in Iſidorum ſtructor, mihi ſatis eſt ſtatuere calumniam fuiſſe, & Iſidorum fuiſſe, à tam tetra labe planè innoxium: quem etiam titulo ſanctitatis clarum agnoſcunt Eccleſiaſticæ tabulæ, Romanæ, Adonis, Vſuardi, Notkeri, 15. Januar. Nec qui in iiſdem tabulis celebratur vt fide præclarus & S. Athanaſio adhæſit in Romana profectione & commoratione, quod Baronius quoque anno 340. n. 50. admittit, culpandus eſt Origeniſmi. Id enim in alium Iſidorum cadit, qui in Thebaide pater mille Monachorum fuiſſe dicitur à Ruffino l. 2. de vitis Patrum c. 17. hic inquam eſt quem S. Hieronymus epiſto. 61. & ſcribens ad Cteſiphontem contra Pelagianos, Origeniſtarum ducem facit: à qua labe S. Iſidorus Presbyter de quo egimus, & ſtructa infamis ſceleris calumnia purum demonſtrauimus, quod vnum hîc habuimus propoſitum.

S. Romualdus, infamia huius immanis probri reſperſus eſt. Petrus Damiani in ſancti Viri Actis cap. 49. calumniam ſimul refert & diluit his verbis. [In Syria quot contumelias, quot ſcandala à ſuis diſcipulis paſſus ſit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Ex quibus videlicet vnum hîc ponimus, cætera breuitatis ſtudio præterimus. Habebat namque quendam diſcipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, ſed omnino degener actione. Hunc itaque vir ſanctus, cùm pro ſuæ carnis immunditia non modò verbis argueret, ſed ſæpe etiam verberibus grauiſſimis coërceret, auſus eſt Diabolicus vir, titulum illi eiuſdem reatus opponere, & impudenter contra ſancti Spiritus templum ſacrilego ore latrare; dicens videlicet, ſanctū virum vnà ſecum ex eadem contagione peccaſſe. Mox itaque diſcipuli omnes aduerſus eum irati, omnes infeſti; alij clamant, ſemen impiū laqueo debere ſuſpendi; alij dignum iudicant cum ipſa cellula ignibus concremari. Quod vtique valdè mirabile fuit, præſertim ſpirituales viros de decrepito ſene, & vltrà quam centenario, tam nefarium ſcelus credere po-

tuiſſe: cui etiamſi voluntas adeſſet, natura tamen & frigidus ſanguis, & ariditas attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum eſt procul dubio, ad augendum ſancti Viri meritum, hoc ſibi tam grauis aduerſitatis cœlitus accidiſſe flagellum. Nam & ipſe aſſerebat, hoc in Eremo, vnde nuper abſceſſerat, veraciter agnouiſſe, & ad hoc dehoneſtatis improperium ſubeundum alacriter aduertiſſe. Ille autem Sarabaita reprobus, qui ſancto viro crimen intenderat, Epiſcopatum poſtmodùm Nucerinum per Simoniacam hæreſim acquiſiuit, & per triennium illum occupans in primo anno incenſam ædem cum libris; & tintinnabulis, ac cæteris ſacris ornamentis, exigentibus ſuis meritis, vidit; in ſecundo autem dignitatem cum vita, diuina illum feriente ſententia, miſerabiliter perdidit.]

Subdit ſequenti capite Petrus Damiani, S. Romualdum ſuſcepiſſe humiliter pœnitentiam ac ſi crimen admiſiſſet. Quæ quomodo accipienda ſint, diſcutiam infra ſect. 4. Miraculum ſanè Chriſtianæ demiſſionis, in eo facto agnoſcere licet. Nam huius ſceleris tantum eſt dedecus, vt ij ipſi Ethnici qui illud in occulto patrabant, palàm tamen damnarent. In quam rem perpulchrè S. Cyprianus Epiſtola ad Donatum. [O ſi & poſſis (inquit,) in illa ſublimi ſpecula conſtitutus, oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare, aſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſit aſpicere frons pudica. Videas quod vitiorum furore gementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant. Libidinibus inſanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec ipſis, nec illis poſſunt placere, qui faciunt. Mentior niſi alios, qui talis eſt, increpat, turpis turpes infamat: & euaſiſſe ſe conſcium credit, quaſi conſcientia ſatis non ſit. Iidem in publico accuſatores, in occulto rei; in ſemetipſos cenſores pariter & nocentes. Damnant foris, quod intus operantur. Admittunt libenter, quod cùm admiſerint, criminantur. Audacia prorſus cum vitiis faciens, & impudentia congruens impudicis. Nolo mireris, quæ loquuntur huiuſmodi ore polluto. Quicquid iâ voce delinquitur, minus eſt.]

S. Nantouinus anno Chriſti 1286. VVolfratuſium ſuperioris Boicæ oppidū, (quod Auentinus l. 7. Veliphoratuſium nominat) inter peregrinandum, diuertens, aliquot inſtructus ad vitæ neceſſitatem nummis, à Ganthero illic iudice qui ad eius pecuniolam oculos adiecerat, de peſſimo crimine inſimulatus quaſi puerum de ſtupro appellaſſet, ignibus per viuicomburium falsò impactam noxā expiauit ſeptimo Idus Auguſti. Quod in monumentis VVolfrathuſianis, vir ſanctus dicatur *Frater Nantuuinus*, ſuſpicio ingeritur eum regularem vitam eſſe profeſſum: nam vt Romipetis quo titulo ibi donatur, appellatio *Fratrum* tribuatur, non videtur vſu receptum. Vt vt ſit, vir ſanctus diro ſupplicio ab homine iniquo per calumniam eſt affectus; ſed eius innocentiam Deus multis illuſtrauit miraculis, eóque nominatim quod nequiſſimi Iudicis Gantheri cum illac haud ita multo poſt cædem S. Nantouini tranſmitteret, equus ſubitò occæcatus eſt, nec niſi admotis per famulum innocentis exuuiis temerè illic iacentibus, viſum momento recepit: aliáque multa ibidem edita diuinitùs ferūtur in quæ Bonifacius VIII. anno ab obitu viri ſancti duodecimo, inquiri ritè iuſſit, & per delectos cognitores ædiculam ſacram, quæ poſtea in iuſtum templum excreuit, depromptis è theſauro Eccleſiæ opibus ditari voluit. Diploma deſcribit Raderus Bauariæ ſanctæ vol. 2.

Philippus Abbas Bonæ-ſpei, turpis maculæ ad hunc ordinem referendæ, videtur inſimulatus, vt ſatis apertè inſinuatur Epiſtola eius 12. quæ eſt ad Eugenium III. Summum Pontificem, vbi ærumnas

ærumnas ſuas & vexationes latè refert;& inter alia ait, fuiſſe qui de ipſo diceret tale quid ab eo patratum eſſe, quod publicè efferri honeſtas prohiberet; fuiſſe item qui eum comburi digniſſimum diceret. Mox etiam ait, expoſtulaſſe ſæculares aduerſus ipſius Philippi ſodales, quòd eum grauiter deliquiſſe,& cuiuſdam execrandi facinoris præcipitium incurriſſe conſcij, non debuerant ad externorum notitiam tam tetra Ordinis probra diffundere, quibus religionem euerſam eſſe manifeſtum fieret,iuſtaque offenſio apud ſæculares talia de Religioſis audientes concitaretur: ſicut concitatam eſſe ex hac ſui proſciſſione teſtatur Philippus, referens fuiſſe è ſæcularibus non paucos, qui iurarent, nihil ſibi rei cum tali ordine futurum, vel ſi mors ingrueret. [Tot & tanta (inquit,) de me inconuenientia prædicarunt, tantis me calumniis, pudore ſepoſito, diffamarunt, vt etiam ſæculares tantum piaculum abhorrerent, admirantes quomodò Religionis homines, de quouis fratre ſuo talia dicere ſuſtinerent.]

Tantam labem calumnioſè Philippo affictam fuiſſe, ac peruersè diſſeminatam,euentus docuit;quandoquidem permiſſus eſt ad Eccleſiam è qua exturbatus fuerat, regredi, nec abſque teſtimonio innocentiæ, vt ſub finem epiſtolæ illius 12. habetur: tametſi præualente gratia eorum quos infeſtos & accuſatores ſenſerat, nihil in calumniatores ſit conſtitum. Fragrantia item famæ Philippi,nitori eius hac in parte atteſtatur. Nam qui potentiis illis probrorum quorum hîc meminimus, reipſa ſorduerunt, nominis ſui infamiam nunquam euadunt, iuſto Dei iudicio; vt idem ipſe Philippus egregiè docuit l. de ſilentio Clerico. cap. 98. obſeruans idcirco Deum ſulphur & ignem pluiſſe in ciuitates pentapolitanas. [Sic nimirum cenſura diſtrictior, ſicut contrariis nonnunquam contraria, ſic etiam ſimilibus aliquando punit ſimilia;]Nam & igne impudicitiæ exarſerant, & fœtorem inde emiſerant non ferendum. Philippum ergo quem nulla apud poſteros grauat infamia,imò cuius bonus odor è tot piis lucubrationibus afflatur, purum labis planéque nitentem cenſeo.

CAPVT IV.

De Inceſtu.

INceſtus, horrenda labes eſt, ſi ſumatur pro vulgata illius vocis notione, nimirum pro fœdatione perſonæ iam iunctæ vinculo neceſſitudinis. Aliàs enim aliquando *inceſtus* ſumitur pro quouis ſtupro. Apud Rutilium verò lib. 1. de quarto auſu irrepere in regnum Cæſareum, dicitur; *Inceſti pœnam ſoluit adulterij.* Ad quem locum Ioſephus Caſtalio ex Placidi Grammatici gloſſis, obſeruat, *incaſtum* dici quaſi *incaſtum*, & ſignificare violationem alieni thori, & peccatum *inceſtum*, quod erat vinculi coniugalis teſſera. Eſt enim *caſtus*, zona pellicea Veneris, quæ legitimas nuptias ligat. Non ſuffragatur tamen ei *inceſtus* notioni, orthographia legitima, quæ *inceſtum* abſque dipthongo exhibet,cuius eſt vſus in voce *caſtus*. Vt vt ſit, nos hîc inceſtum cum Iuſtiniano Nouella 12. & l. vlt. ff. de ritu nupt. & l. *ſi adulterium* ff. de adulter. vſurpamus pro fœdatione perſonæ coniunctæ: quam eſſe horridam labem, certum eſt, Nemo ambigit, abominabiles fuiſſe Perſas, qui connubia iunxere cum matribus, & auiis, filiabuſque ac nepotibus, hallucinati ex lectione Geneſeos, vt ſcribit Anaſtaſius Sinaita lib.8.exaëm. Nemo item non auerſabitur Tullium filiæ inceſtu inquinatum, ſi vera ei obiecit Salluſtius & Q. Fuſius Calenus apud Dionem lib. 46. Æquè ab omnibus confixi ſunt Stoici & Epicurei, de quibus idem habet Theo-

philus lib. 3. ad Autolyc. *initio*, & quoad Stoicos Origenes lib. 4. contra Celſum, futile eorum argumentum referens & elidens. Dictum de iis eſt lib. 6. de virtut. num. 147. addita contra huiuſmodi ſcelus ratione, ex reuerentia talibus perſonis debita, quæ cum coniugali licentia non cohæret, vt differunt S. Ambroſius Epiſto. 66. & S. Auguſtinus 15. Ciuit. cap. 16. Optimè item argumentari licet cum Petro Damiani Opuſc. 8. cap. 3. ex eo quòd inceſtus pugnet cum ea amplificatione caritatis, quam Deus per coniugia intendit. Quæ eſt etiam egregia diſputatio S. Chryſoſtomi hom. 34. in 1. ad Cor. & aliorum Patrum, quos adduco lib. 4. de virtut. num. 88. *in fine*. Deus enim quia amorem inter homines maximè diffundi cupiebat; inter perſonas coniunctas (quia ſat inter eas intercedat titulorum amoris,) interdixit coniugio. Ac proinde qui eiuſmodi perſonas fœdat, diuinum hoc interdictum violat, & diuinæ iræ obnoxium ſe facit, vt contigit Roberto Regi Galliarum, de cuius inceſtu, diuinitus & per Eccleſiam punito, illuſtre exemplum recitat Petrus Damiani Opuſc. 34. cap. 6. Huius tam ſpurci probri, notatos lego per calumniam quoſdam innoxios.

Nicolaus è ſeptem Diaconis per Apoſtolos delectis vnus, (vt habetur Actor. 6.) habitus à pleriſque eſt autor ſpurciſſimæ hæreſis Nicolaitarum, qua coniugiorum indifferentia admittitur, atque adeò inceſtæ copulationes approbantur; Ita diſertè de Nicolao tradit Rupert. Apocal. 6. & præiuerant S. Irenæus l. 1. cap. 27. Tertullianus lib. de præſcript. cap. 46. idem inſinuat S. Hilarius cano. 25. in Math. annumerans Nicolaum falſis Prophetis, per quos multi ſunt ſcandalum paſſi. De eo item vt ſpurciſſimo, loquuntur S. Hieronymus Epiſto. 1. & 48. & Epiphan. hær. 25. Turrianus l. de 6. 7. & 8. ſynodo, Vaſquez 3. p. d. 247. capite 8. & quotquot hæreſim Nicolaitarum illi autori adſcribunt, vt Philaſtrius l. de hæreſ. D. Auguſtinus l. de hæreſibus in V. Addit Bernaldus Presbyter. in Apologeſtico pro Gregorio VII. cap. 13. ex Clemente Alexandrino 3. ſtrom. Nicolaum ad eam vxorum promiſcuam communnitatem aſſerendam, adduxiſſe illud, *& erant illis omnia communia*, inter quæ vxores quoque numerauerit.

[Hanc tamen fuiſſe calumniã in Nicolaũ Diaconum, nec illi adſcribi poſſe ſpurcam illam hæreſim quarumuis commixtionum approbatricem, graues DD. prodiderunt, & ipſe imprimis S. Ignatius, qui Epiſtola ad Trallianos, ait. [Fugite etiam illos immundos Nicolaitas, falſi nominis voluptatum amatores, calumniatores & ſycophantas.] En vocat illos Hæreticos calumniatores: haud dubiè, quia falsò ſe à Nicolao denominabant, autorem illum facientes impurorum dogmatum à quibus abhorruerat quàm maximè. Ad hunc S. Ignatij locum, verba illa tanquam S. Ignatij, aſſuunt Pamelius ad Tertullianum de Præſcript. c. 46. hæreſi 5. & Prateolus in Catalogo. V. *Nicolaitæ. Nam talis non fuit Nicolaus Apoſtolorum miniſter.* Textus tamen Ignatij, ea verba deſiderat. Rurſus S. Ignatius Epiſto. ad Philadelph. [Si quis dicat illegitimas mixtiones aliquid bonum eſſe, & beatitudinis finem voluptatem ponat, qualis eſt ille falſi nominis Nicolaita, is neque Dei, neque Chriſti amans eſſe poteſt, ſed ſuæ ipſius carnis corruptor, & idcirco Spiritu ſancto vacuus, & à Chriſto alienus. Omnes eiuſmodi, cippi ſunt & ſepulchra mortuorum, in quibus duntaxat nomina mortuorum hominum inſcripta ſunt.] Hoc item loco S. Ignatius, eadem cum Nicolao viuens ætate, purgat illum: & ſpurcos nominis eius contaminatores, ab eo diſſociat. Quod item facit eiuſdem temporis ſcriptor Clemens Rom. 6. conſt.

Digitized by Google

conſt. cap. 8. & Hippolytus libro de 72. diſcipulis, ac in ſynopſi Dorotheus. Ex recentioribus idem faciunt Pamelius ad cap. 46. Tertullian. de præſer. hær. 5. & Baron. anno. Chriſti 68.

Purgarant item Nicolaum ab hac calumnia Clemens Alex. 3. ſtom. (malè in contrarium adductus à Bernaldo,) & eum ſecuti Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 23. Theodoretus lib. 3. hæretic. fabul. ac Nicephorus lib. 3. hiſtor. cap. 15. ſed ita Nicolaum purgarunt ex hoc capite, vt non omnino illimem fecerint. Dixerunt enim, Nicolaum fuiſſe caſtiſſimum. & ſoli legitimæ coniugi virum; ex qua filium perperuò cœlibem, & filias in Virginitate demortuas ſuſceperit. Cùm autem ab Apoſtolis increpitus fuiſſet ob Zelotypiam, qua laborare videbatur homo vxorem habens ſpecioſiſſimam, narrant eum coram Apoſtolis productam vxorem dimiſiſſe, facta poteſtate vt nuberet cuicunque eſſet collibitum, adiunctis inter dimittendum verbis illis, ***abutendum eſſe carne***, quæ aliqui peruersè interpretati, ad licitum quarumcunque ſpurcitiarum vſum detorſerint: cùm tamen Nicolaus, ***abuſum carnis*** vocaret, eius afflictationem per ſubductionem ſpecioſi corporis, vt interpretatur Nicephorus. Verùm hæc Nicolai excuſatio, continet accuſationem. Neque enim Nicolaus potuit abſque ſcelere abdicare à ſe vxorem, facta ei poteſtate nuptiarum cum alio ſe ſuperſtite, quia cõiugia Chriſtianorum ſunt inſolubilia quoad vinculum, ex quo ſemel ſunt conſummata. Itaque Nicolaum quem primi illi Patres, Ignatius ac Clemens Romanus, habent pro nitente ac illimi, eodem planè loco habeo: & hanc quoque eius excuſationem habeo pro calumnia. Nec aliter ſtatuo de aliis hæreſibus, quæ ei impinguntur in nuper refoſſo S. Hieronymi libro de hæreſibus num. 3. & 6. Si quod inſinuat Petrus Damiani Opuſc. 18. cap. 8. Nicolaitæ dicti eſſent à Nicolao quodam Clerico, qui coniugia ſacrorum hominum admittenda eſſe contenderit, & alius fuerit à Nicolao è ſeptem primis Diaconis vno; haberemus vnde omnes calumnias quibus hic Dei ſeruus oneratus eſt, excuteremus. Sed vniuerſa antiquitas Nicolaitas dictos cenſuit à Nicolao, vno è ſeptem primis; etiamſi ambiguum fuerit apud non paucos, an Nicolaus verè fuerit parens Nicolaitarum, qui poſtea dicti ſunt Gnoſtici; erubeſcentes quantùm arbitror de ementito viri ſancti nomine, & ad ſuas turpitudines traducto: quam ob cauſam à peritis ſycophantiæ arguebantur.

Chriſtiani, promiſcuorum, atque adeò inceſtorum concubituum ac ne temperationis quidem à ſororibus notantur apud Theophilum lib. 3. ad Autolyc. Nec aliter incuſantur à Cæcilio apud Minutium ex fama vulgatiſſima. [Et de conuiuio (inquit,) omnes loquuntur, id etiam Cirtenſis noſtri teſtatur oratio: Ad epulas ſolemni die coëunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis, illic poſt multas epulas, vbi conuiuium caluit, & inceſtæ libidinis ebrietate feruor exarſit, canis, qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ vltra ſpatium lineæ qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur: ſic euerſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt per incertum ſortis, & ſi non omnes opera, conſcientia tamen pariter inceſti, quoniam voto vniuerſorum appetitur, quicquid accidere poteſt in actu ſingulorum. Multa prætereo conſultò, nam & hæc nimis multa ſunt, quæ aut omnia, aut pleraque omnium vera declarat ipſius prauæ religionis obſcuritas.]

Depellit iſta eodem Minutij Dialogo Octauius, faſſus ſe item aliquando talibus calumniis aures præbuiſſe; ſed ea

diſcuſſa, mutaſſe mentem ac correxiſſe ſententiam. Subdit verò. [Et de inceſto conuiuio fabulam grandem aduerſum nos, dæmonum concio mentita eſt: vt gloriam pudicitiæ, deformis infamiæ auerſione macularet: vt antè exploratam veritatem, homines à nobis terrore infandæ opinionis auerteret. Sic de iſto & tuus Fronto, non vt affirmator teſtimonium fecit, ſed conuitium vt orator aſperſit. Hæc enim potiùs de veſtris gentibus nata ſunt. Ius eſt apud Perſas miſceri cum matribus: Ægyptiis & Athenis cum ſororibus legitima connubia. Memoriæ & tragediæ veſtræ inceſtis gloriantur, quas vos libenter & legitis & auditis. Sic & Deos colitis inceſtos, cum matre, cum filia, cum ſorore coniunctos. Meritò igitur inceſtum penes vos ſæpè deprehenditur, ſemper admittitur. etiam neſcientes miſeri poteſtis in illicita prorrere. dum venerem promiſcuè ſpargitis, dum paſſim liberos ſeritis, dum etiam dominatos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis, neceſſe eſt in veſtros recurrere; in filios inerrare. Sic inceſti fabulam nectitis, etiam cùm conſcientiam non habetis. At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus: vnius matrimonij vinculo libenter inhæremus: cupiditate procreandi, aut vnam ſcimus aut nullam. Conuiuia non tantùm pudica colimus, ſed & ſobria; nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore. Plerique inuiolati corporis virginitate perpetua, fruuntur potiùs quàm gloriantur. Tantùm denique abeſt inceſti cupido, vt nonnullis rubori ſit, etiam pudica coniunctio.]

Athenagoras ſub finem legationis pro Chriſtianis, in eiuſdem calumniæ redargutione multus eſt, orſus à ſanctitate Chriſtianæ profeſſionis, quæ Deum conſcientiæ arbitrum & cogitationum quoque diſcretorem & iudicem agnoſcit. Addit verò. [Quòd cum ita ſe habeat, ſponte nos malos eſſe, & magno iudici tradere nos ipſos puniendos velle, probabile non eſt. Illos quidem ea de nobis fingere, quæ de ſuis etiam Diis referunt; quorum (vt dixi) paſſiones & libidines, myſteria nominant, mirum non eſt. Atqui ſi licentioſum & promiſcuum coitum tantopere damnant, oportebat eos vel Iouem odiſſe, qui ex Rheâ matre, & Core (Proſerpina) filia liberos ſuſtulit, & ſorori ſuæ matrimonio iunctus eſt: vel Orpheum poëtam & fictorem huiuſmodi ſcelerum, qui ipſo etiam Thyeſte deteſtandum magis ac ſceleſtum Iouem fecit. Nam Thyeſtes, etiam oraculo monitus, vt ſe ſuumque regnum conſeruaret, cum filia rem habuit. Nos certè tantùm à promiſcua illa Venere abſumus, vt ne intuitus quidem nobis laſciuior, aut libidini coniunctus permittatur. *Nam qui mulierem* (inquit magiſter noſter) *vel aſpectu ſibi deſiderarit, adulterium iam corde ſuo deſignauit.* Quomodo igitur non caſtos aut pudicos ſuſpicetur aliquis illos, quibus in alium vſum oculos ſuos vertere nefas eſt, quàm à Deo conditi ſunt, hoc eſt vt corpori luceant; & quibus laſciuiùs intueri, adulterij inſtar eſt, quum in alios vſus oculos ſibi factos, & ſe cogitationum quoque ſuarum reos futuros intelligant? Non enim cum humanis legibus nobis res eſt, quas etiam improbus aliquis effugerit. A Deo quidem diſciplinam noſtram eſſe traditam (homini) ab initio affectui. Summa apud nos lex eſt, quæ iuſtitiæ modum & exemplar in nobis ipſis requirit, à nobis ad proximum transfert. Quamobrem etiam pro ætatis diſcrimine, alios pro filiis & filiabus, alios pro fratribus & ſororibus habemus: prouectiores ætate, patrum & matrum loco honoramus. Illorum igitur quos tanquam fratres & ſorores, aut alio cognationis

tionis nomine coniunctos nobis ducimus, inuiolata & integra manere corpora, maximi apud nos ſit.]

Subdit, etiam oſculum minùs purum, à Chriſtianis reſpui; & vxoribus ex quo grauidæ ſunt, viros eſſe deſinere, modumque concupiſcentiæ definiri procreatione liberorum. [Quòd ſi Virginum & illorum qui vltro eunuchi ſunt, vita, Deo magis conciliat; concupiſcentia verò & impurior cogitatio (quamuis non erumpens,) adducit: certè illa quæ cogitare non ſuſtinemus, multò priùs magiſque, ne ipſo perpetremus facinore, cauebimus. Non enim in meditatione ſermonis & ſtructura verborum, ſed in rebus opere declarandis, tanquam doctrina viua, profeſſio noſtra poſita eſt. Quare vel vt natus eſt vnuſquiſque noſtrûm manet, vel nuptiis copulatur vnicis: ſecundæ enim decorum quoddam adulterium ſunt. *Qui enim vxorem ſuam dimiſerit, & duxerit alteram, adulteratur*, inquit Dominus noſter:) neque illam dimittere concedens, cuius delibata eſt pudicitia, neque alteram ducere. Nam qui primâ vxore, licet defuncta, ſe ipſum priuat, adulter eſt, quanquam diſſimulanter; & manum Dei tranſgreditur: quoniam à principio Deus virum vnum & mulierem vnam creauit: & carnem à carne, & vnionem miſcendi vtriuſque ſexus ſeparat.] Non pertinent iſta ad errorem Montaniſtarum ac Tertulliani, de ſecundis nuptiis inter adulteria recenſitis; quem errorem Patres apud Pamelium parado. 15. imitati Apoſtolum 1. Cor. 5. & 7. omnino reprobant. Tantùm itaque voluit Athenagoras, inſinuare diuiſionem quam inducunt ſecundæ nuptiæ; & earum minorem perfectionem inde colligere; vt mirum non ſit, ſi Chriſtiani puritatis & honeſtatis perfectæ amantiſſimi, illas non tam appetant, quàm concedant, vt loquitur S. Hieronymus Epiſto. 54. quod erat potens argumentum ad calumniæ Chriſtianis impactæ depulſionem. Incumbens in eiuſdem calumniæ depulſionem Tertullianus cap. 8. Apolog. vrget horrorem naturalem propudioſi illius ſceleris, quod nemo vel propoſita mercede æternæ vitæ, velit admittere. [Vt fidem (inquit,) naturæ ipſius appellem aduerſus eos qui talia credenda eſſe præſumunt, ecce proponimus horum facinorum mercedem, vitam æternam repromittimus. Credite interim. De hoc enim quæro, an & qui crediderit, tanti habeatis ad eam tali conſcientia peruenire *&c.* Diſcumbens dinumera loca: vbi mater, vbi ſoror, nota diligenter, vt cùm tenebræ ceciderint caninæ, non erres; piaculum enim admiſeris, niſi inceſtum feceris. Talia initiatus & conſignatus, viuis in æuum. Cupio reſpondeas, ſit tanti æternitas; aut ſi non, ideò nec credenda. Etiamſi credideris, nego te velle: etiamſi volueris, nego te poſſe. Cur ergo alij poſſunt? Alia nos opinor natura, Cynophanes, aut Sciapodes: alij ordines dentium, alij ad inceſtam libidinem nerui. Qui iſta credis de homine, potes & facere. Tu homo es & ipſe, quod & Chriſtianus; qui non potes facere, non debes credere. Homo eſt enim & Chriſtianus, & quod tu.]

Fundamentum huius calumniæ cæteroqui incredibilis Michaël Medina l. 3. de continent. cap. 40. cenſet fuiſſe coitiones nocturnas & antelucanas Chriſtianorum vtriuſque ſexus ad Dominicum, de quibus ad Traianum Plinius l. 10. epiſt. 103. quam allegat Tertullianus cap. 2. Apolog. Apud Minutium Cæcilius aliam inſinuat cauſam; nimirum quòd ſe Chriſtiani inuicem fratres ac ſorores promiſcuè dicerent. [De vltima fæce (inquit ille adhuc ethnicus,) collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem prophanæ coniurationis inſtituunt:

tuunt : quæ nocturnis congregationibus & ieiuniis ſolemnibus , & inhumanis cibis , non ſacro quodam , ſed piaculo fœderantur , latebroſa & lucifugax natio, in publico muta , in angulis garrula. At iam vt fœcundiùs nequiora proueniunt, ſerpentibus in dies perditis moribus , per vniuerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt; eruenda prorſus hæc & execranda conſenſio , occultis ſe notis & inſignibus noſcunt; & amant mutuò pene antequàm nouerint : Paſſim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miſcetur ; ac ſe promiſcuè appellant fratres , & ſorores, vt etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum ; ita vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur.]

Sed neutrum tam atrocis calumniæ fundamentum, vlla ratione eſt idoneum. Nam quod Chriſtiani antelucanos cœtus haberent, præter præuentionem in maturitate , & ſolis ad benedicendum Deum anteoccupationem , in Scripturis laudatam, cogebat immanitas perſecutionum, quæ diurnas coitiones intercludebat ; & ad loca latebroſa ſiue cryptas, indici conuentus adigebat. Nomen autem fratrum & ſororum, (cui impudiciſſimi homines notionem ſubſternebant, qualem ſuggerebat eorum corruptiſſima mens,& propudioſiſſima vita,) omnia alia ſpectabat ; vt inſigniter tradiderunt qui hanc calumniam depellunt. Minutius charitatem inde inſinuatam docet. [Nos (inquit,) quod inuidetis, fratres vocamus vt vnius Dei parentis homines , vt conſortes fidei , vt ſpei cohæredes. Vos enim nec inuicem agnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis , nec fratres vos , niſi ſanè ad parricidium recognoſcitis.] Eodem modo Tertullianus cap. 39. Apolog. [Sed eiuſmodi (inquit ,) vel maximè dilectionis operatio, notam nobis inurit penes quoſdam. Vide , inquiunt , vt inuicem ſe diligant. Ipſi enim inuicem oderunt. Et vt pro alterutro mori ſũt parati. Ipſi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt. Sed & quòd fratres nos vocamus, non aliàs , opinor , inſaniunt , quàm quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectione ſimulatum eſt. Fratres etiam veſtri ſumus , iure naturæ matris vnius : & ſi vos parum homines , quia mali fratres. At quantò dignius fratres & dicuntur & habentur,qui vnum patrem Deum agnouerunt , qui vnum Spiritum biberunt ſanctitatis , qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem,ad vnam lucem expirauerunt veritatis.] Lactantius l. 5. cap. 16. ad humilitatis doctrinam , nomen *fratrum* inter Chriſtianos promiſcuum retulit. Quærenti enim nonne inter Chriſtianos ſingulos aliquid intereſſet, reſpondet , [Nihil. Nec alia cauſa eſt , cur nobis inuicem fratrum nomen impertimur , niſi quia pares eſſe nos credimus. Nam cùm omnia humana , non corpore ſed Spiritu metiamur , tametſi corporum ſit diuerſa conditio , nobis tamen ſerui non ſunt , ſed eos & habemus & dicimus ſpiritu fratres , religione conſeruos.] Quanquam hæc *fratrum* appellatio non adeò erat promiſcua, quin antiquiores aut ætate vel gradu ſacro prouectiores , *patrum* nomine donarentur , & fœminæ antiquiores , *matrum* à quibus inferiores , *filij & filiæ* , denominabantur , vt Athenagoras ſub finem legationis annotauit. Generale tamen Chriſtianorum nomen , erat nomen *Fratrum* , & Chriſtianitas ipſa vulgò dicebatur *fraternitas*. In quàm rem latiſſimè ex innumeris Patrum locis diſſerit Eſpenceus in cap. 4. poſterioris epiſtolæ ad Timoth. digreſſ. 26. & in appendice ad eam digreſſionem *ſub finem*. Quanquam audiendus non eſt , cùm cenſet S. Chryſoſtomum homil. 25. ad Hebr. & hom. 80. in Matth. & S. Thomam quodl. 7. artic. 17. ad 4. cenſuiſſe , monachos non fuiſſe tempore Apoſtolorum , eò quòd dicant, nullos

tunc

tunc fuiſſe fratres, quales nunc apud Chriſtianos eo donantur nomine, hoc eſt Monachos. Id enim non eſſe de horum ſanctorum mente, monſtrare memini in Tractatione de Cereo Agno conſecrato cap. 4. num. 10.

Criſpus Conſtantini Magni ex Minervina priore coniuge filius, à Fauſta noverca de inceſtu apud Patrem accuſatus, veneno periit iuſſu patris propinato, vt habet Sidonius lib. 5. epiſt. 8. & Gregorius Turon. lib. 1. hiſt. Franco. cap. 36. tametſi Philoſtorgius lib. 2. hiſt. cap. 4. cæſum gladio Criſpum affirmat. Fuiſſe Criſpum Chriſtianum, ideoque meritò in hunc ſyllabum Chriſtianorum calumniam paſſorum referri, docet vetus numiſma; hinc Chriſti crucem læua tenentis & dextra benedicentis; inde Criſpi Cæſaris. Docet etiam ex antiquioribus monumentis Nicephorus lib. 7. cap. 35. Cauſam porro necis Criſpi, fuiſſe calumniam à Fauſta tanquam altera Phœdra priuigno illatum, teſtatur S. Hieronymus l. de ſcriptor. *in Lactantio*; & Zonaras, ac S. Artemius Auguſtalis Præfectus, ſub Iuliano deſertore, inſignis Martyr, olim ſub Conſtantino miles; qui defendens Conſtantinum à calumnia Iuliani, incuſantis eum crudelitatis ob fuſum ſuorum ſanguinem, nominatim quod ad Criſpum & Fauſtam attinet, ait; [Vxorem Fauſtam, iuſtè admodum interfecit, vt quæ priſcam Phœdram eſſet imitata, & eius filium Criſpum eſſet calumniata, quòd eius amore captus eſſet, & vim conatus eſt afferre, ſicut etiam illa Hippolytum Theſei filium. Atque primùm quidem, qui ſic in matrem inſanierat, vt volebant eius verba, ille cum eſſet maritus, puniit. Poſtea autem cùm ſciuiſſet eſſe mentitam, ipſam quoque occidit, in eam ferens ſententiam omnium iuſtiſſimam.] Datum id fuiſſe lachrymis Helenæ auiæ, Criſpum inſatiabiliter lugentis, ſcribit Zonaras. Non me latet Sozomenum lib. 1. cap. 5. & Euagrium lib. 3. cap. 40. ac Nicephorum lib. 16. cap. 42. hæc omnia figmenti inſimulare, quaſi Ethnici, ad conflandam Conſtantino inuidiam, iſta ſint commenti, puta Aurelius Victor cap. 41. *Zozimus* lib. 2. Ammianus lib. 14. Eutropius lib. 10. Res tamen videtur exploratior, quàm vt negari poſſit. Sanè Sidonius lib. 5. epiſto. 8. hac ex cauſa Conſulem Ablauium pupugiſſe Conſtantinum eo diſticho clam Palatinis foribus appenſo teſtatur.

Saturni aurea ſecla quis requirat?
Sunt hæc gemmea; ſed Neroniana.

[Quia ſcilicet (inquit Sidonius) prædictus Auguſtus iiſdem ferè temporibus extinxerat coniugem Fauſtam calore balnei, filium Criſpum frigore veneni.] Ad eam Epiſtolam Scholiaſtes teſtatur in Collectaneis antiquis θεαμάτων vrbis Cõſtantinopolitanæ, proditum eſſe; Conſtantinum cœſo Criſpo filio, facti pœnitentem, errore deprehenſo, ſtatuam illi argenteam auro ſuperfuſam, capite aureo poſuiſſe cum hoc titulo ὁ ἠδικημένος ὑιός μου. *filius meus iniuria læſus*. Cuius rei in illis Collectaneis teſtes laudantur Herodotus atque Hippolytus Chronographi.

Theodoſius iunior, turpis commercij cum Pulcheria ſorore inſimulatus eſt à Neſtorianis, vt Suidas refert V. *Pulcheria*. Sed fuit abominationis referta calumnia. Nam Pulcheria erat Virgo, ſanctiſſima ſimul & ſapientiſſima, vt ex S. Leonis de ea encomiis perſpicuum eſt, nominatim Epiſto. 59. & ex Concilio Chalcedonenſi, in quo acclamatum ei eſt, *noua Helena, munimen Orthodoxorum, & gloria Eccleſiarum*. Theodoſius quoque vitæ fuit innocentiſſimæ. Quis ergo ita inſaniat, vt arbitretur, potuiſſe verè inceſtam conſuetudinem, Theodoſium inter atque Pulcheriam intercedere? Itaque Neſtoriani, quod fraudibus & ſubornatione Comitum in latrocinio Epheſino perfecerant, euerſum videntes

Digitized by Google

conſtanti fide S. Pulcheriæ, quæ magnam partem negotia tractabat, & imperium moderabatur, vt S. Cyrillus lib. de fide ad Theodoſium diſertè tradit; verſi ſunt ad calumnias, & ſanctiſſimam virginem idcirco exoſum habere Neſtorium confinxerunt, quòd eſſet ab eo ſeuerè reprehenſa de inceſtu admiſſo cum Theodoſio fratre, quam calumniam nuperrimè renouauit Hæreticus Autor diſputationis de ſuppoſito cap. 5. *ad finem.*

Gregorius Patriarcha Antiochenus, exortis inter ipſum & Aſterium Orientis Comitem ſimultatibus, varios expertus eſt calumniatores, & nominatim quoſdam argentariæ menſæ Præfectos, qui eum de inceſta cum ſorore conſuetudine inſimularunt. Sed Patriarcha iudicio poſtulato Conſtantinopolim profectus, in vtriuſque ordinis cœtu ampliſſimo, poſt multam contentionem, innocens ac purus eſt renuntiatus; accuſatore primario neruis bubulis in pœnam cæſo, vt ſcribit Nicephorus lib. 18. cap. 12.

S. VViborada (quam alij VViberatdem nominant,) ex Virgine ſanctimoniali, martyr Chriſti, anno iuxta Hermannum Contractum 925 infamata eſt multiplicis turpitudinis, & nominatim nefariæ commiſtionis aſſiduæ, cum germano fratre Hittone, S. Galli Monacho atque Presbytero. Impegit hoc probrum piæ Virgini, domeſtica ancilla: quæ quod inſuper heram multiplicium adulteriorum inſimulaſſe dicitur, de adulterio ſpirituali eſt accipiendum, quale Virgo ſacra admittit in atrocem ſponſi Chriſti iniuriam, cùm primam fidem initam facit. Quanquam ex parte prætenſorum procorum, ſi illigati coniugio fuiſſent, potuiſſet ea turpitudo eſſe adulterium. Accuſata eſt igitur B. VViborada multiplicis turpitudinis, quam obtegere dicebatur nocturnis ſpecie orationis diſcurſationibus; vt quod de die ad ſolis præſentiam erubeſcebat admittere, ſecreta & eff[r]ons per mortis caliginem exequeretur. Erat enim ſacræ Virgini perpetuum, frequentare loca ſacra per nocturna ſilentia, priuſquam in cœtum Monialium adſcriberetur, cùm adhuc in ſæculo, ſui iuris eſſet, quo tempore in eam iniqua criminatio inferbuit. Non ferens Virginis infamiam Salomon Conſtantienſis Epiſcopus, ſimulque offenſionis & malorum ſermonum materiam reciſurus, iudicium de eo negotio inſtituit, ſed maximè de inceſta coniunctione aſſidua, quam ſpurca ancilla heræ impingebat, ad anteriores cum aliis ſordes mixta, vt quidem iactabat. Diſcuſſa accuratè cauſa, Antiſtes pro Virginis innocentia pronuntiauit, tanta copioſæ multitudinis quæ iudicio interfuerat gratulatione, vt externis lætitiæ ſignis, perfundentem cor voluptatem effuſè teſtaretur. Rogante autem piam Virginem Præſule, ecquam mulctam criminatrici inferri placeret; vltionem Deo dimiſſam voluit, quem non dubitaret retributurum in tempore, id quod etiam haud ita multò poſt, eſt deprehenſum euidenti experimento. Nam cùm miſera, porrò pergeret de pia Virgine obloqui, & nefarias inceſtaſque commixtiones eius, apud malè credulos diſſeminaret, apprehendit illam diuina vltio. Cuidam enim malefico ſpe fœlicis coniugij adhærens, *non poſt multum temporis*, (inquiunt Acta,) *cœpit diabolizare.* An agi à dæmone, & pythonico aliquo ſpiritu afflari? An maleficiis & ſortilegiis, quorum incentor & autor præcipuus eſt Diabolus, operam dare? Vaga denique, & Caini inſtar profuga, ad extremum per calamitates temporarias & fœdam mortem, migrauit (quantum ex adiunctis externis conijcere licuit,) ad æterna mala. Sed hæ criminatricis calamitates, nitori ac innocentiæ B. VViboradæ; (ita prouidente Deo) ſunt atteſtatæ.

S. Adelais Auguſta à Petro Damiani inceſtæ

inceſta coniunctionis cum Othone Imperatore accuſatur, eaque ex cauſa, Otho à VVillelmo ex priore coniuge Othonis filio Epiſcopo Moguntino excommunicatus proditur, & horrenda morte percuſſus interiiſſe. Scribit iſta Petrus Damiani Opuſc. 34. c.7. Sed fuiſſe calumniam iactatam multis poſt annis, & nullius qui eius temporis res conſcripſerit teſtificatione ſubnixam, notauit Cardinalis Baronius anno 973. & bona in eam rem coniectura ſuppetit, ex eo quòd Otho iunior, ex Adelaide ſuſceptus ab Othone Magno, VVillelmo fratri Præſuli Moguntino fuit acceptiſſimus, eumque diu apud ſe habuit, & omni fraternæ charitatis officio fouit. Quomodo ergo idem VVillelmus, in patrem ob inceſtum coniugium ex quo Ottho ſecundus ſuſceptus erat, adeò exarſit, vt idcirco in Patrem ſtingeret anathema, eidem verò anathematis contemptori & filij Præſulis in carcerem relegatori, diem diceret ad Dei tribunal. Ad hæc Adelaidis Auguſtæ vita, ab Odilone Clunia cenſi conſcripta, omnibus virtutum radiis præfulgens; & exitus ſanctus Eccleſiaſtica vindicatione illuſtratus, inceſtas Adelaidis nuptias, ad calumniam referendas eſſe planè perſuadent.

[Iuuenis Anonymus, nefandi inceſtus, qualis nec inter gentes auditur, per calumniam accuſatus eſt, & ad viuicomburiū damnatus, Auenione ſedente Ioanne XXII. cuius diploma datum 11. Cal. Nouemb. Pontificatus ſui anno 15. continens narrationem euentus miraculoſi, extat Auenione apud PP. Minimos. Cùm enim iuuenis ille atrociſſimi ſceleris accuſatus, à Iudice flammis addictus eſſet, & palo iam alligatus, in eo ipſo loco in quo nunc ſacra ædes Patrum Minimorum eſt ædificata, flammis fuiſſet inuiolabilis, & ab apparente ipſi Deipara ſolutus, omnium ſpectatorum, (& innumeri aderant;) animos ſtupore defixiſſet; Ioannes Pontifex qui tunc Auenione ſedebat, euocatum ad ſe iuuenem, de re tota percunctatus, innocentem comprobauit: & in miraculi memoriam ſacellum inibi conſtrui iuſſit, aſſignato cenſu annuo ad trium ſacerdotum ſacris ibidem operantium ſuſtentationem. Verum eſt, in diplomate Ioannis, non tradi quodnam fuiſſet atrox illud ſcelus, cuius per calumniam inſimulatus fuerat ille iuuenis. Tamen antiqua apud PP. illius loci incolas traditio ab anterioribus quorum in locum ſucceſſere tranſmiſſa, fert quod dixi. Apud Richardum Cluniacenſem in Ioanne XXII. ex quo Bzouius anno 1320. num. 31. & in Chronico eiuſdem temporis ad annum 1322. quo hæc accidiſſe feruntur, habetur; iuuenem illum præpoſteræ libidinis cum ſene fuiſſe reum factum, & vtrumque ob eam turpitudinem verè admiſſam, flammis fuiſſe adiudicatum: ſed iuuenem interpellata Deipara euaſiſſe vim flammarum, quibus ſenex conſumptus eſt. Redarguuntur iſta ex Ioannis Papæ diplomate, quo iuuenis fuiſſe innoxius affirmatur. De ſene verò ſceleris ſocio flammis conſumpto, nulla mentio eſt in eo diplomate: Et tamen ad certitudinem miraculi erga iuuenem præſtiti confirmandam, valde interfuiſſet, non omiti, ſenis illius conflagrationem & incinerationem, ſi verè interfuiſſet. Itaque hoc ſilentium videtur ſuffragari traditioni antiquæ cœnobij; & confirmare, calumniam iuueni impactam fuiſſe quam diximus.

CAPVT V.

De commixtione ſacrilega, viris impacta.

QVantopere dedeceat ſacras perſonas carnalis commixtio, inde liquere poteſt, quòd vas humani corporis

Deo conſecratum, efficitur profanum; & ſanctitas ei conciliata per totum quo fuerat Deo addictum, ſacrilegè euertitur. Accedit incompoſſibilitas ſacrarum functionum, ad quas obeundas perſonæ illæ deſtinantur, & luxuriæ. In quam rem fuſiſſimè diſſerit Michael Medina lib. 1. de contin. à cap. 49. ad 67. quo extremo capite, doctrinam anteriorem vniuerſam quæ ſolos ſacerdotes ſpectare videbatur, extendit ad Diaconos & ſubdiaconos, quòd eorum miniſteria ſint imperfecta quædam ſacerdotia; proptereaque æquè ac ſacerdotes, ad emittendum caſtimoniæ votum aſtringuntur. Quæ ratio ſimiliter euincit, quotquot aduerſus caſtitatem Deo deuotam peccant, graui ſacrilegio obſtringi. Huius ſacrilegij tetram faciem exhibet S. Bonifacius Moguntious epiſto. 19. qua Ethibaldum Regem Merciorum hoc ſacrilegio contaminatum, hortatur ad pœnitentiam. Idem monſtrant ſeueriſſima cõtra huiuſmodi ſacrilegium edicta Eccleſiæ, quæ addenſat Medina lib. 2. de Contin. c. 38. & lib. 3. cap. 4. & 5. & Eſpenc. lib. 2. cap. 7. Multa in huiuſmodi probrum petere licet, ex Regeſto Gregorij VII. contra Clericos intemperantes validè & potenter connixi: quem coniunctiſſimus illi Petrus Damiani, affectatus egregiè eſt, præſertim Opuſc. 17. & 18. Videndi item quos adduco ad libellum S. Anſelmi ad Virginem lapſam, & lib. 3. de Virtut. num. 259. Nunc aliquos ex innumeris viris Deo addictis calumniam hac in parte paſſis, attingere operæpretium eſt.

S. Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymorum, quam hac in parte falsò impoſitam exceperit labem, & quomodò agente innoxij cauſam Deo, ſit abſterſa, ſic recitat Euſebius l. 6. hiſtor. cap. 8. [Cùm quidam nequam & perditi homunciones, grauem & ſerenam eam rationem, qua per vniuerſam vitam, tum in hominibus acriter admonendis, tum in eorum vitiis corrigendis vti conſueuit; neutiquam ferre poſſent, præ metu, ne ipſi propter infinita ſcelera quorum ſibiipſi conſcij erant, iudicati, ab eo pœnas luerent: cœperunt contra illum confutis dolis conſpirare, & turpem quandam criminationis calumniam in eum conijcere: deinde quò magis auditoribus criminationis falsò obiectæ fidem facerent, eam iureiurando confirmare. Atque vnus ſic deierare; ſi non verè dixerim, opto vt ignis incendio miſerè diſperεam. Alter vero ſic; ſi non verè dixerim, opto vt fœdo ac ſæuo morbo corpus abſumatur. Tertius, vt luminibus penitus orbatus ſim. Verùm quamuis nemo ex fidelibus, propter nobilitatem, ac teſtatam inter omnes omninò Narciſſi caſtimoniam, atque adeò ob vitæ rationem ex virtutis regula traductam, illis vel grauiſſimo iureiurando ſe obſtringentibus, animum aut fidem adhibuerit: ille ipſe tamen partim præ indignitate falsò obiectæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ in ſapientiæ ac virtutis ſtudio degendæ, quam iamdiu optauerat; ab oculis vniuerſæ multitudinis ſe penitus remouit, & in ſolitudine lociſque deſertis ad multorum annorum ſpatium, vitam tranſegit. Verùm ſublimis ille diuinæ iuſtitiæ vltioniſque obtutus, his ſceleribus patratis, minimè acquieuit: ſed quàm celerrimè impios illos & nequam homines, qui inter iurandum tam diris execrationibus ſe contra ſeipſos obligaſſent, grauibus calamitatibus oppreſſit. Primus igitur illorum, ſcintilla perexigua noctu in ædes quibus inhabitabat, ex nulla cauſa antegreſſa, ſubitò ruente, miſerè cum tota familia & ſtirpe ſua rapido flammarum ardore, omnino conflagrauit. Alterius corpus eodem morbo, quem ſibi tanquam multam fore imprecatus eſſet, ab extremis pedum digitis ad caput vſque infectum, contabuit. Tertius, ærumnoſos

noſos priorum euentus aſpiciens, & Dei qui omnia intuetur inenitabilem vltionem admodum reformidans, palàm inter omnes maleficia communiter à ſe ſuiſque ſociis per fraudem contra Narciſſum admiſſa confeſſus eſt. Sed tamen dum pro delicto grauiſſimè condoleſcebat, tantis & tam acerbis lamentis ſe affligebat, & vſque eò lachrymas effundere non deſtitit, quoad vtrumque oculum ſibi penitus extinxiſſet. Atque hi pro ea criminatione, falsò contra Narciſſum confecta, tales pœnas perſoluerunt.]

S. Euſtathius Antiochenus, quem ſanctus Hieronymus epiſtol. 126. primum contra Arrium, clariſſimam tubam, bellicum cecinille prodidit, & in Magno Concilio Nicæno, inter tot ſanctiſſimos Antiſtites delectus eſt, vt ſacris in eo operaretur, quod ſcribit Gregorius Preſbyter in eiuſdem Concilij encomio, ac Theodoretus l. 1. hiſtor. cap. 7. & 8. hic inquam S. Euſtathius D. Athanaſio epiſtol. ad ſolitarios, & S. Chryſoſtomo integra oratione laudatus, per calumniam Arianorum, vt ait S. Hieronymus Apolog. 3. *ſub finem* filios dum neſcit inuenit. Nam accuſatus eſt de conſuetudine cum muliercula, eáque ex cauſa depoſitus, & in exilium relegatus, iuſſu Conſtantij; non enim Conſtantini, vt perperam viſum Theodoreto. 1. hiſtor. c. 21. Socrati l. 1. cap. 18. Sozomeno l. 2. cap. 17. & 18. ac ex recentioribus Radero in Viridar. ex Meneis; græco parr. 1. Iunij 5. Sed D. Athanaſij qui aderat teſtimonium præponderat. Subornata ergo in Euſtathium muliercula impura, infantem recèns editum detulit ad Epiſcopos, dicens ſe eum ex Euſtathio concepiſſe; id quod iureiurando confirmabat; nec putabat ſe contaminari periurio, quod reuera ab Euſtathio quodam ærario fuiſſet corrupta. Sed Deus æquiuocationem calumnioſam denique retexit. Nam mulier impura, quæ Arianis, Euſebio præſertim Nicomedienſi, & Theognidi Nicæno, ac Euſebio Cæſarienſi, ad calumniam ſtrenuo Catholicæ fidei propugnatori concinnandam inſeruierat, exitiali morbo correpta, impoſturam à ſe viro ſancto factam aperuit; nec non autores calumniæ, & annumeratam ſibi pecuniam expreſſit: ſicque calumnia in caput fabrorum eius retorta eſt. Alteri Euſtathio, non niſi Lectori, impactam in hoc genere, & miraculo abſterſam calumniam, legere eſt apud Palladium in Lanſiaca hiſtor. c. 141.

S. Athanaſius in conuenticulo Tyrio, ſubornata per Arrianos muliercula, calumniam turpitudinis paſſus eſt. Sed Deus comprehendit calumniatores in aſtutia ſua. Nam ingreſſus Concilium Athanaſius, cum Timotheo Presbytero ſuo, præmonito vt ſe Athanaſium fingeret, poſtquam muliercula impudentiſſimè perorauit, & vim ſibi ab Athanaſio illatam expoſtulauit, manifeſtè innocens eſt deprehenſus. Siquidem Timotheus mulierem affatus, & num ipſe ei vim ac dedecus intuliſſet, ſciſcitatus; habitus à ſcorto pro Athanaſio, molem calumniæ excepit, conteſtante fœmina ſe ab eo vim paſſam, ſignatis loco & tempore peracti ſceleris; iudicibus Arianis quos interpellabat, pudore ſuffuſis ad fœminæ impudentiam, errore incogitato deluſam. Rem geſtam deſcribunt Theodoretus l. 1. hiſtor. cap. 30. Ruffinus l. 11. cap. 7. & Nicephor. l. 8. c. 49. Similiter de adornata in Vincentium Capuanum & Euphratem Colonienſem calumnia per Stephanum Epiſcopum Arianum meretricis conductorem, narrationem texit S. Athanaſius Epiſtol. ad ſolitar. vitam agentes, & diſtinctiùs Theodoretus 2. hiſtor. cap. 9.

S. Macarius Alexandrinus, accuſatus de illato puellæ ſtupro, diuinitus à calumnia purgatus eſt, vt ipſemet his verbis recitat lib. 5. Vitæ Patrum libello 15. num. 25. [Quando eram iuuenis, & ſe-

debam in cellâ meâ in Ægypto, tenuerunt & fecerunt me clericum in vico. Et cùm nollem acquieſcere ad miniſtrandum, fugi ad alium locum. Et venit ad me quidam ſæcularis homo, ſed vitâ religioſus, & tollebat à me opus quod faciebam manibus meis, & miniſtrabat mihi quæ neceſſaria erant. Contigit autem, tentante Diabolo, vt quædam virgo in vico illo, vitiata lapſum faceret. Et cùm in vtero habere cœpiſſet, interrogaretur quis eſſet de quo in vtero haberet: Illa autem dixit; Quia hic ſolitarius eſt, qui mecum dormiuit. Exeuntes autem de vico illo, comprehenderunt me, & adduxerunt ad vicum, & appenderunt in collum meum cacabatas ollas, & anſas vaſorum, & miſerunt me circituram in vico illo, per viam cædentes atque dicentes: Hic monachus, corrupit filiam noſtram, tollite, tollite eum. Et cæciderunt me penè vſque ad mortem. Superueniens autem quidam ſenum, dixit: Quandiu cæditis Monachum iſtum peregrinum? Ille autem, qui mihi ſolebat miniſtrare neceſſaria, ſequebatur retrò cùm verecundiâ: etenim etiam ipſum contumeliis multis affecerant, dicentes: Ecce ſolitarius monachus, cui tu teſtificabaris, quid fecit? Et dixerunt parentes puellæ illius: Quia non dimittimus eum, donec fideiuſſorem præbeat, quia paſcet eam. Et dixi illi qui mihi ſolebat miniſtrare, vt fideiuſſor mihi fieret, & fidedixit mihi. Et reuerſus ſum ad cellam meam, & dedi ei quantas habui ſportellas, dicens: Vende eas, & da illi meæ mulieri manducare. Dicebam autem in animo meo: Macari, ecce inueniſti tibi mulierem, opus habes modò ampliùs laborare, vt paſcas eam. Et operabar non ſolùm in die; ſed etiam in nocte, & tranſmittebam ei. Cùm autem veniſſet tempus infelici illi, vt pareret, traxit plurimis diebus in dolore, & non pariebat. Dicunt ergo ei: Quid hoc eſt? Et illa dixit: Ego ſcio, quare torqueor diu. Et interrogata à parentibus ſuis, Quare? Reſpondit: Quia illi monacho crimen impoſui, & fallens implicaui eum, cùm iſte non habeat cauſam, ſed iuuenis ille talis hoc fecit. Audiens autem verba hæc ille miniſter meus, gaudens venit ad me, & dixit: Quia non potuit parere illa puella, donec confiteretur, quia tu nullam cauſam in conſpectu eius habuiſſes, ſed quia mentita ſit aduerſum te. Et ecce omnes habitatores vici illius volunt venire hîc ad cellam tuam glorificaturi Deum, & pœnitentiam apud te acturi. Ego autem audiens iſta à miniſtro meo, ne affligerent me homines, ſurrexi.]

S. Hieronymus, ab iis quibus minùs grata erat hominis in Clericorum & Laicorum culpis redarguendis libertas, inſimulatus eſt turpis commercij cum ſancta Paula atque Melania, interuentu rumigeruli cuiuſdam; qui fœdum quid abs ſe deprehenſum inter Hieronymum & Paulam, diſſeminauit: tametſi mox captus, & quæſtionibus ſubiectus, omnia retexuit: Et fuit planè indigna calumnia quam ipſe S. Hieronymus epiſtol. 99. ſcribens ad Aſellam validè reuincit, his præter cætera. [Ego probroſus, ego verſipellis & lubricus, ego mendax & Satanas ac te decipiens. Quid enim eſt tutius, hæc vel credidiſſe, vel finxiſſe de inſontibus; an etiam de noxiis credere noluiſſe? Oſculabantur mihi manus quidem, & ore vipereo detrahebant: & dolebant labiis, corde gaudebant. Videbat Dominus, & ſubſannabat illos; & miſerum me ſeruum ſuum, futuro cum eis iudicio reſeruabat. Alius inceſſum meum calumniabatur, & riſum; & ille vultui detrahebat; hic in ſimplicitate aliud ſuſpicabatur. Penè certè triennium cum eis vixi. Multa me virginum crebrò turba circundedit. Diuinos libros, vt potui, nonnullis ſæpè diſſerui, lectio aſſiduitatem, aſſiduitas familiaritatem,

Digitized by Google

familiaritas fiduciam fecerat. Dicant, quid vnquam in me aliter ſenſerint, quàm Chriſtianum decebat? Pecuniam cuiuſquam accepi? Munera vel parua, vel magna non ſpreui? In manu mea æs alicuius inſonuit? Obliquus ſermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud obiicitur, niſi ſexus meus: & hoc nunquam obiicitur, niſi cum Hieroſolymam Paula & Melania proficiſcuntur. Eſto: crediderunt mentienti: cur non credunt neganti? Idem eſt homo ipſe, qui fuerat: fatetur inſontem, qui dudum noxium loquebatur. Et certè veritatem magis exprimunt tormenta, quàm riſus, niſi quod faciliùs creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictum, vt fingatur impellitur. Antequam domum ſanctæ Paulæ noſſem; totius in me vrbis ſtudia conſonabant. Omnium penè iudicio, dignus ſummo ſacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damaſus, meus ſermo erat: dicebar ſanctus; dicebar humilis, & diſertus. Nunquid domum alicuius laſciuioris ingreſſus ſum? Nunquid me veſtes ſericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam poſſet edomare mentem, niſi lugens, atque ieiunans, ſqualens ſordibus, fletibus penè cæcata, quam continuis noctibus miſericordiã Domini deprecantem ſol ſæpè deprehendit? Cuius canticum, Pſalmi; ſermo Euangelium, deliciæ continentiæ, vita ieiunium; Nulla me potuit alia delectare, niſi illa, quam manducantem nunquam vidi? Sed poſtquam eam pro ſuæ merito caſtitatis venerari, colere, ſuſpicere cœpi; omnes me illicò deſeruere virtutes. O inuidia primum mordax tui: ô Satanæ calliditas, ſemper ſancta perſequens. Nullæ aliæ Romanæ vrbi fabulam præbuerunt, niſi Paula & Melania: quæ contemptis facultatibus, pignoribuſque deſertis, crucem Domini, quaſi quoddam pietatis leuauere vexillum. Si balneas peterent, vnguenta eligerent, diuitias & viduitatem haberent materiem luxuriæ & libertatis, dominæ vocarentur, & ſanctæ. Nunc in ſacco & cinere formoſæ volunt videri, & in gehẽnam ignis cum ieiuniis & pedore deſcendere. Videlicet non licet eis applaudente populo perire cum turbis.] Quæ Pſeudo-Auguſtinus ſerm. 24. ad Eremitas, & Euſebius in vita Hieronymi, fabulari ſunt de ſtupri ſuſpicione aduerſus Hieronymum mota, quando noctu in cœtum Eccleſiaſticum eſt progreſſus, cum veſte muliebri quam ſibi malignè à Romanis ſuppoſitam pro ſua induit, ſciens dimitto.

S. Syluanus B. Hieronymi diſcipulus, Epiſcopus Nazarenus, cùm Diabolum haberet infenſum noua arte Satanæ calumniam eſt paſſus. de tentata inſignis matronæ pudicitia, ad cuius cubile dæmon ipſe Syluani ſpecie accedens, & de turpitudine ſollicitans, inclamante domeſticorum opem caſta muliere, deprehenſus eſt, & omnibus probris à muliere Syluanum fuiſſe arbitrante coopertus; à domeſticis verò multis multatus verberibus. Totáque vrbe infamatus eam ob cauſam eſt S. Syluanus, qui fuga ſibi conſulere à furente plebe, & ad S. Hieronymi ſepulchrum Bethleemum confugere, adactus eſt. Vertente anno, cũ è Nazaræis ciuibus aliqui Bethleemum eſſent appulſi, & in Syluanum inibi precantem incurriſſent, illico aduerſus infamiſſimum mortalium omnium, ferrum ſtringunt obtruncaturi; quorum tres retorto in ſe ferro ceciderunt, quartus ad præſtigias Syluani iſta referens, aduerſus ſpurcum ſimul ac Magum Syluanum, turbam prætereuntem concitauit. Cùm Syluanus in tanto diſcrimine, Magiſtri ad cuius tumulũ precabatur, poſtulata ope, ſenſit innocentiæ tutelam. Nam palàm ſpectantibus omnibus, ſanctus Hieronymus è tumulo prodiens, prehenſum manu Syluanum eripuit à furentis populi violentia. Nec mora;

priuſquàm

Digitized by Google

priuſquàm regrederetur in ſuum tumulum, cùm aduenilſet energumena, mandauit ſatanæ S. Hieronymus, vt palàm aperiret, quæ in ſeruum Dei Syluanum malignè & calumnioſè feciſſet. Populus, & maximè Nazareni, qui ſanctum virum adeò exoſum habuerant; detecta ſatanæ arte, laudarunt Dominum, & Syluani innocentiam celebrarunt. Excripſit hanc narrationem fuſiùs Matthæus Radeus 3.p. iurid. cap.1. §. 15. & adhuc pleniùs habetur in Epiſtola nomine S. Cyrilli Hieroſolymitani conſcripta ad S. Auguſtinum de B. Hieronymi miraculis, quæ quod apertè ſuppoſititia ſit, non præſto eius fidem circa hanc narrationem, nullibi vſpiam apud alios propoſitam. Et accedit quod iſte S. Syluanus, (ſi verè refert epiſtola.) Hæreticus Monothelita fuit. Nam inducitur contendens contra Sabinianum, duas in Chriſto voluntates aſſerentem; Chriſtum enim vnicam habuiſſe voluntatem, Monothelitarum dogma eſt. Quod item idem Sabinianus aſſeruiſſe dicitur, per vnam illarum pugnantium inter ſe voluntatum, Chriſtum coactè ſubiiſſe cruciatus, non eſt Catholicum.

S. Chryſoſtomus, ſacrilegi concubitus accuſatus eſt, præter cætera. Refert ipſemet & diluit hanc [calumniam, his perpaucis Epiſto. 125. Criminantur me cum muliere concubuiſſe. Exuite corpus meum, & membrorum meorum mortificationem reperietis.] Summa hæc fuit malignitas, cui hoſtes Sancti viri proluſerant, hoc inter alia propoſito capite aduerſus illum. [Decimoquintò, quod recepit mulieres ſolus cum ſolis agendo, omnes alios reiiciendo foras.] Refert Photius Cod. 59. deſcribens capita accuſationis, propoſita in Synodo ad Quercum. Verùm hæc omnia lolia voluntaria erant malignitatis in virum ſanctum, ab Eudocia Arcadij vxore & Theophilo Alexandrino deſignata: Ardens enim furore Eudocia aduerſus S. Præſulis libertatem, Theophilum alioſque in eum commouit. Theophilus autem ob promotionem Chryſoſtomi, quem ipſe pro voluntate ac imperio in Antiſtites arrogaro, nequaquam rectitus eſſet, malignè in illum exacerbatus, has ſancto viro pedicas iniecit per ſuos emiſſarios. Sed Deus in vtriuſque caput reiecit, quæ in virum ſanctum impiè fecerant. Nam neque Eudociæ aliquantò poſt defunctæ tumulus, quietem nanciſci potuit, ante Theodoſi filij deiectionem coram Chryſoſtomo: neque Theophilus agere animam potuit, priuſquàm ſancti viri imaginem veneraretur; hæc illi decora rependente Deo, pro falsò impactis calumniis.

Sixtus III. Romanus Pontifex, per Anicium Baſſum Exconſulem, & Marianum Patritium Sixto infenſum, ob negatum ei Eccleſiæ prædium, accuſatus eſt de ſtupro Chryſogonitæ Virginis conſecratæ; quod Marianus à Petro Sixti ſeruo ſe audiſſe, renuntiarat Baſſo. Re ad Valentinianum III. & Placidiam eius matrem perlata, magna in Pontificem concitatio animorum facta eſt, nec deinceps Auguſtus eiuſque parens communicare cum Pontifice voluerunt: vnde magna item fidelium ab eo conſecuta eſt abiunctio. Sed innocentia Pontificis mox inclaruit. Nam Sixtus per Leonem Diaconum, (illum ipſum, qui ei ſucceſſit, Leonem Magnum,) ex ſcripto populum dedocens calumniam, popoſcit iudicium Synodale, quo in præſentia totius Cleri Romani, & Imperatoris, ac ſenatus ritè inſtituto, (quanquam Maximo Exconſule conteſtante nemini fas eſſe in Pontificem ſummum ferre ſententiam; & Sixto ipſo profitente in arbitrio ſuo eſſe iudicari aut non iudicari, eò quòd mortalium nulli ſubeſſet; id quod etiam Valentinianus agnouit;) pronuntiatum denique eſt, Sixtum planè innoxium eſſe;

eſſe; Baſſam verò & Marinianum, calumniatores. Quo nomine à Synodo excommunicati ſunt, & bona eorum adiudicata Eccleſiæ per Valentinianum, qui calumniam viro innoxio, & capiti Eccleſiæ irrogatam tulerat grauiſſimè.

S. Brictius Epiſcopus Turonenſis, referente Gregorio eiuſdem poſtea vrbis Antiſtite l. 2. hiſtor. Franco. cap. 1. cùm mulier quæ ſpecie religionis veſtem mutarat, & in abluendis pannis cubiculariis Brictij, locabat operam, deprehenſa eſſet de ſtupro prægnans, eius flagitij calumnia grauatus eſt; populo in eum adeò efferato, vt lapidibus in eum agere decerneret. Sed fuiſſe calumniam, liquidò eſt deprehenſum, cùm S. Brictius in ſuæ innocentiæ teſtimonium, infantem cuius eſſe pater ferebatur, vix triginta natum dies adiurauit, vt palàm ediceret num ipſe pater eſſet; quod infantulus præcisè ac diſertè negauit. Mox etiam in eiuſdem veritatis fidem, in veſtis lacinia prunas poſuit, & ad ſe ſtringens ad ſepulchrum vſque B. Martini detulit, veſte planè illæſa, conteſtatus illa. [Sicut iſtud veſtimentum ab his ignibus videtis illæſum, ita & corpus meum à mulieris coitu eſt impollutum.] Et quanquam iuſto Dei iudicio, ob cauſas, quas ibidem Gregorius refert, nec ipſe Brictius diſſimulat, procella occaſione ſtupri falsò impoſiti cœpta, non reſedit per annos aliquot; tamen compertiſſimum fuit omnibus, & Romano Pontifici ad quem Brictius confugit, abundè probatum, falsò ac per calumniam, Brictio impoſitam fuiſſe ſtupri ſacrilegi maculam. Affini miraculo infantis dies tantum vigintiquinque nati, purgatum à calumnia ſtupri ſacrilegi Danielem Ægyptium, recitat in Prato Ioannes Moſchus cap. 114.

S. Danielem Stylitam, calumnioſè à ſcorto per hæreticos ſubornato, inſimulatum eſſe captatæ turpitudinis, dixi ſuprà cap. 1. cùm de calumnia homicidij.

Pius Monachus referẽte Leontio Epiſcopo Neapoleos in Actis S. Ioannis Alexandrini cognomento *Eleemonis*, puellam ſpecioſam quam ex Iudaiſmo ad Chriſtum adduxerat, circumducebat ſtipem cogens pro ea, vt ali & in parthenone quopiam ſacro collocari poſſet. Sed calumniam paſſus eſt apud S. Ioannem, quaſi ad turpem vſum puellam haberet, cùm tamen eſſet Monachus propemodùm exectus & mancus viribus. S. Ioannes ſacrilegos (vt quidem ferebat calumnia,) validè cædi, & mancipari diuerſis cuſtodiis, imperauit. Per viſum autem edoctus Monachi innocentiam, calumniatores eius è ſuis deiectos gradibus à communione arcuit per triennium; multa apud Monachum excuſans, quem etiam centum nummis donare voluit. Sed ille, qua conſtantia, calumniam ſtupri & plagas pertulerat, pecunias reiecit, negans Monacho fide prædito, nec niſi à fide deſtituto expetitas.

Vitalis Monachus (vt iiſdem Actis refert Leontius,) nouo genere obſequij Deum demereri aggreſſus, annos natus ſexaginta, quicquid ex diurno labore parare poterat, noctu vni alicui ex Alexandrinis meretricibus quarum ſibi ſyllabum confecerat, ad eam diuertens dabat, ne ea nocte Deum offenderet, interim ipſe in angulo cubiculi genua ad Deum pro ſcorto flectens, & obſecrans vt reſipiſceret, donec die illuceſcente, adiurata muliere ne cui factum ſuum aperiret, ad laborem regrederetur. Cúmque è meretricibus vna, ſilentium ſoluiſſet, adiuratione neglecta, dæmonem illi precibus ad Deum idcirco fuſis immiſit, vt cæteræ ſilere diſcerent, & adiurationi deferre. Hac ex cauſa, Vitalis tanquam ſcortator paſſim proſcindebatur. Nec ipſe depellebat calumniam; quin potiùs ambiguo loquendi genere, occaſionem ſic de ſe

Bb ſentiendi

ſentiendi vltrò præbebat, & eos à quibus obiurgabatur, fragilitatis humanæ quæ ne Monahos quidem deficeret, & incentiuorum carnis in eis quoque vigentium, commonebat. Res eò deuenit, vt ſancto ſene egrediente ſummo manè ex primarij ſcorti æde, vnus aliquis eò ingrediens ad exſaturandam libidinem, colaphum ei validè impegerit, dicens; quouſque ô Chriſti illuſor, non deſiſtes ab huiuſmodi fœdo commercio? Ad quam ignominiam, vir ſanctus prænuntiauit fore vt in tempore reponeretur ei colaphus, cuius ſonus Alexandria vniuerſa exaudiretur. Nec diu fuit, cùm moriente Vitali dæmon Æthiopis ſpecie, miſero illi validiſſimum repoſuit colaphum, à Vitali miſſum denuntians, vnaque correptus à dæmone infelix, per ciuitatem Alexandrinam vniuerſam, teſtimonium innocentiæ viri ſancti infelicitate ſua præbuit; qua denique ad ſancti domunculam eſt liberatus. In ea ſanctum virum genu flexo, ſupplicem Deo perinde ac ſi viueret, deprehenderunt qui ingreſſi ſunt; cum eo humi expreſſo lemmate; *Viri Alexandrini, nolite aliquid iudicare ante tempus, donec venerit Dominus.* Confeſſione denique meretricum, (quarum plurimæ eius adhortatione ac piis exemplis vitam mutarant, omnes autem eius puritati ſunt atteſtatæ,) omnis fuligo calumniæ quæ aliquando ſancto viro adhæſerat, eſt deterſa.

S. Ætherius Epiſcopus Lexoënſis, (*an Lexouienſis.*) artibus impuriſſimi & ingratiſſimi Clerici Cenomanenſis, quem ſemel & iterum redemerat, & Archidiaconi qui ad infulas aſpirabat, homo ſeptuagenarius & probatæ ſemper virtutis calumniam ſuſtinuit ſacrilegæ commixtionis, fingente aduerſario eiuſque partiariis, media nocte in eius cubiculum irrumpentibus, [Vidiſſe ſe mulierem è cubiculo egredi, ipſamque ob hoc dimiſſiſſe, dum ad Epiſcopum feſtinarent.] Itaque vinctus catenis, & arctæ cuſtodiæ mancipatus, magna infamia laborauit, donec ſolutus vinculis, vimque diuinam in fuga adornanda expertus, nubilo calumniarum diſiecto, ſuis reſtitutus eſt, vt ſcribit Gregorius Turon. l. 6. hiſtor. Franco. cap. 36.

S. Gregorius Epiſcopus Agrigentinus, à Sabino & Creſcentino æmulis, quibus reiectis antiſtitium adeptus fuerat, ſubornata Eudocia ſpecioſiſſima meretrice, & in lectum viri ſancti inducta, quaſi de turpitudine compertus, cuſtodiæ mancipatus eſt; donec populo inſignibus miraculis confirmato, in ſenſu de ſancti viri innocentia & cauſa primùm apud Exarcham, moxque apud ſummū Pontificem dicta, peiùs etiam ab eo ſubdolis aduerſariorum fraudibus decepto habitus; Conſtantinopoli item apud Imperatorem, ac rurſum Romæ diſcuſſo negotio, poſt multa durè ac dirè tolerata, nec pauca miracula interim patrata, confeſſione Eudociæ quam dæmon occupauit, labis purus renuntiatus eſt, totius accuſationis calumnioſæ ſcelere in Creſcentinum & Sabinum refuſo. Sabino *noui Iudæ* nomen datum, quod B. Gregorio, cuius filiam miraculo ſanarat, rependiſſet mala pro bonis, Iudæ bipedum ingratiſſimi factus æmulator. Narratio eſt longè prolixiſſima & inſignis apud Metaphraſtem 23. Nouembr.

[Broon Epiſcopus, S. Patritij diſcipulus ab attritæ frontis muliere accuſatus eſt quòd eam matrem feciſſet: Nec infantem ex nefaria commixtione editum, alterius quam Broonis Epiſcopi filium nominabat. Negante Broone quòd verè innocens eſſet & labis illius purus, S. Brigida Scota vt eam infamiam à ſacro ordine auerteret, egit cum procaci fœmina, qua impudenter perſtante in Epiſcopi dehoneſtatione, ori eius ſalutare crucis ſignum impreſſit. Nec mora, miſeræ caput & lingua illicò intumuere fœdum in

in modum. Moxque verſa S. Brigida ad infantuli linguam conſignandam, affata eſt illum hiſce verbis. [Dic nobis infantule, quis eſt tuus Pater?] Confeſtim infantulus in has voces erupit. [Epiſcopus Broon non eſt parens meus, ſed deformis ille & vilis homuncio, qui in populo, extremo ſedet loco.] Ad has voces tacta procax fœmina, de calumnia ſancto Epiſcopo illata pœnitentiam egit: omnes verò ad quos tanti miraculi fama peruaſit, laudem Deo panxerunt, qui iniquitate retecta, innoxium à calumnia liberauit.

Similes infantium locutiones ad reuincendos calumniatores, collegerunt alij. Eaque eſt inſignis, tametſi ad depellendam alterius generis calumniam edita diuinitus, qua infantulus vix ante tres dies fuſus ex vtero matris confudit Ruſticum Epiſcopum Treuirenſem, optimo Sacerdoti Goari infenſum; & vt illi negotium faceſſeret, vrgentem vt puerum in concha marmorea excipiendis expoſititiis infantulis deſtinata parentes detegeret, niſi per omnia impoſtor & nequam haberi vellet. Grauatè aſſenſus bonus Presbyter, infantem in Trinitatis nomine adiurauit, vt parentes ſuos nominaret. Quod his verbis clarè & diſtinctè præſtitit. [Iſte eſt pater meus Ruſticus, & mater mea Flauia, nuncupatur.] Sic confuſus à Deo ſancti viri perſecutor, deſiit negotium faceſſere homini Dei.

S. Arnulphus Metenſis, agentibus impiis quibuſdam, quorum caput Noddo, inſimulatus eſt turpis conſuetudinis cum Regina: à qua illum ſpecie conſilij noctu in lecto aditi ad turpitudinem, malignè commentiti ſunt. Sed Deus calumniatores induit confuſione. Cùm enim cubitum ſeceſſiſſent, omnia illorum veſtimenta ignis corripuit, quem aqua copioſè immiſſa extinguere nequiuit; & adeò arctè induſio inhæſerant flammæ, præſertim circa nates & verenda, vt quamuis foras exilientes volutarentur in luto, ad vim flammarũ comprimendam, tamen acre incendium diu ſuſtinuerint, in illis ipſis plexi partibus, circa quas calumniam viro ſancto adornarant. Nec ita multò poſt, Noddo calumniatorum caput, in ſcelere cuius ſanctum inſimularat, deprehenſus; Regia animaduerſione, in pœnæ cumulum, eſt vita multatus.

[S. Lupus Senonenſis, de Veroſiæ ancillæ Dei amore impuro, accuſatus eſt apud Theodoricum Regem & Brunichildem auiam. Qua de re monitus à Fulcario Aurelianorum Comite, ſcuto Euangelico ſe texit, illud ex Matthæo commemorans; ***Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſus vos mentientes*** Moxque inſpectante Comite, vt contemptionem ſermonum hominum præ ſe ferret, Veroſiæ oſculum fixit, dicens. [Nihil nocent homini dicta aliorum, quem propria non maculat conſcientia.] Frequentia miracula ab eo deinceps edita, ſermones eius obſignantia, labem quam calumnia ſynceris & puriſſimis affectibus affricare tentabat, prorſus exterſit.

Sergius Papa, cùm mulierem ex inceſto coitu enixam corrupiſſe diceretur, & pater pueri paſſim conclamaretur, calumniam repulit interuentu S. Althelmi Epiſcopi Schireburnenſis, qui à Beda l. 5. hiſtor. cap. 19. præclarè celebratur. Is grauiter indolens, quod ſedes Apoſtolica in Sergio ſibi peramico, tali ac tanto probro dehoneſtaretur, infantem nouem dies natum, in Dei nomine compellit effari, num Sergius Pontifex eo ſe ſcelere obſtrinxiſſet. Infans diſertè ac diſtinctè purgauit Sergium, & nihil illi cum fœmineo ſexu eſſe commercij, palam omnibus enuntiauit, vt habent ſancti Althelmi Acta 25. Maij apud Surium Tomo 3.

S. Othmarus S. Galli Abbas, referente VValafrido Augienſi in eius vita lib. 1.

cap. 4. 5. & 6. cùm à Pipino Rege aduerſus rapacitatem quorundam nobilium bonis cœnobij ſui inhiantium, egregiè defenſus eſſet; illis exacerbatis, & per Lambertũ quendam ſancti viri Iudam, quem ſubornarant, in concilio ea ex cauſa cõuocato, de turpitudine cũ muliere impudica accuſatus eſt. Et quamuis iuramento innocentiam ſuam firmaſſet, tamen quòd vlteriorem facti ſui purgationem negligeret, damnatus eſt, & fame diutina in carcere multatus; tandemque in carcere, vitam multis anguſtiis grauem feliciter concluſit. Eius innocentiæ, & calumniatorum malignitati, atteſtata eſt corporis incorruptela poſt decennium deprehenſa, & ingens vis miraculorum ad eius tumulum, nec non Lamberti pſeudomonachi pœna. Nam morbo correptus, adeò immutatus eſt, amittens membrorum omnium rectitudinem ac formam, vt capite ad terram beſtialiter inclinato, & deformitate horribilis figuræ, & acri confictæ abs ſe calumniæ deteſtatione, paſſim ingeminata, virum Dei innoxium pronuntiarit.

S. Stephanus iunior, Monachus Auxentianus, Conſtantino Copronymo ob flagrans ſtudium contra Iconomachos exoſus, arte Calliſti ſenatoris à Conſtantino ad hoc adhibiti, corrupto Sergio Sancti viri monacho, per calumniam oneratus eſt variis probris: ac nominatim quod cum Anna nobili vidua, inter moniales ab ipſo cooptata, turpem conſuetudinem haberet. Et vt calumnia teſtatior appareret, Annæ itidem ancillam pecunia corruptam, heræ in faciem obiiciunt: quæ de nocturnis Stephani & Annæ complexibus, teſtimonium tulit. Sed ſancta mulier calumniam deteſtata, ne corporis quidẽ vniuerſi nudatione in omnium conſpectu, iubente ſpurciſſimo Copronymo, ac totius corporis laceratione per quatuor valentiſſimos carnifices, qua ad extrema deducta eſt; flecti potuit vt ſanctum virum falſo crimine aſpergeret. Res eſt ad rabiem truculentorum hoſtium referenda, & quæ legi abſque horrore non poſſit. S. Stephanus, alio denique prætextu martyrium conſummauit. In ancillam, viri ſancti & Annæ heræ ſuæ calumniatricem, Deus exemplum ſtatuit. Nam cùm comminata eſſet, fore vt deregeret per quos ad concinnandam in innoxios calumniam ſubornata eſſet, mercedis loco in ſilentij pretium, nobile coniugium accepit. Vnde prægnans facta, & primo partu gemellos enixa, cùm ſub mediam noctem rabies infantulos corripuiſſet, arreptas maternas mammillas fœdè exederunt: & matre enecta, viperini fœtus, ſimul extincti ſunt, vt habet clauſula actorum S. Stephani, à Iacobo Billio latinè factorum.

S. Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus, furore Ioannis Iconomachi è ſede Patriarchali exturbati, & ſociorum impietatis, ſubornata muliere quæ ſe ei commixtam fateretur, magnam contraxit infamiam, quam etiam refundere viſus eſt in Catholicum nomen. Vnde ingens cordolium omnibus rectè ſentientibus creatum eſt: reliquiæ verò Iconomachorum omnibus lætitiis inceſſere. Cùm ingens cœtus eam ob cauſam coaluiſſet, nec pateret alia via diluendi calumniam, quam tamen dilui Catholicæ fidei interterat; Methodius nouo conſilio, retecta in ampliſſimo grauiſſimoque conſeſſu veſte vniuerſa, nihil pudore abſterritus, pudenda exhibuit videnda omnibus: quæ adeo ex morbo conſumpta & tabefacta apparuerunt, vt prorſus eſſent naturalis virtutis expertia. Rogatus Methodius, vnde ſic affectus fuiſſet, reſpondit cùm Romæ aliquando eſſet, & carnis aculeos perſentiret, ſupplicem accidiſſe. Principi Apoſtolorum; à quo auditum ſe, & per viſum ab omni deinceps libidinis moleſtia.

leſtia liberatum fuiſſe profeſſus eſt. Mulier ab irato Imperatore intentatis grauibus pœnis territa, ſtropham detexit: & à quibus, ac quomodo ad calumniam viro ſancto inſtruendam adducta eſſet, patefecit. Scribit iſta Ioannes Curopalates, cùm de Michaëlis tertij imperio, & Zonaras in Michaële Theophili filio Imperatore.

S.Gregorius VII. incontinentiũ clericorum hoſtis acerrimus, ab iiſdem quaſi recriminantibus, (nam ſollicitiſſimè inſtabat vt vxores abiicerent qui malè ſe iis implicuerant, nec deinceps vllus ex iis qui ad ſacros ordines initiandi eſſent permitteretur coniugio potiri:) accuſatus eſt inceſtæ conſuetudinis cum Mathilde Comitiſſa, ipſius Gregorij per ſpiritualem cognationem neceſſaria. Sed hæc impudentiam pluſquàm meretriciam præferunt, hominum quibus acerbum erat à pellicibus abſtrahi. Et vtait Lambertus ad annum 1077. adeò explorata omnibus fuit tantæ calumniæ falſitas, vt nihil inde infamiæ Mathildi, nihil Gregorio VII. adhæſerit. Ea quippè erat vtriuſque vita, vt ab omni telo venenatarum linguarum, ſatis ſuperque indemnes redderet. Et Deus tot & tantis miraculis mirificauit Gregoriũ, zeluſque eius aduerſus impuros ſacrilegos adeò teſtatus apud omnes erat, vt nulla fuerit ambiguitas, quin peruerſiſſimè, & calũnioſiſſimè ex ea parte appeteretur. Itaque eadem fide Gregorius huius turpitudinis accuſatus eſt, qua Ioannes Cremẽſis Honorij II. legatus: quem Henricus Huntidonienſis lib. 7. hiſtor. ad annum 1125. quia coniugio ſacrorum hominũ infeſtus erat, ſcripſit qua die in Concilio canonem de cœlibatu ſanxerat, & qua item ſactum fecerat, veſperi cum meretrice deprehenſum. Quod primus ſcripſit Henricus, coniugiis ſacrilegis patrocinari ſolitus; & vel confinxit ipſe, vel à ſpurcis Clericis confictum, nimis ſimpliciter credidit, & chartis commiſit.

Petrus Bleſenſis, apud Pontificem Maximum paſſus turpitudinis calumniam, archidiaconatu Bathonienſi deiectus eſt. Rem ipſe his verbis, quibus etiam depulſio calumniæ inſinuatur, ſummo cum mœrore aperit Epiſto. 149. [Ab amaritudine animæ meæ, & ab inconſolabili dolore cordis mei, totus abſorbeor, vtinam omnes cataractæ capitis mei fluant in fletum. Vtinam maxima pars cerebri, atque maxillarum totius miſeri corporis mei, liqueſcat in lachrymas, vt poſſim flere & plangere, quod videre non poſſum. A Rege Henrico vocatus in Angliam, & ab eo atque filiis ex eius ditatus largitionibus effuſis, nec non ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & vniuerſis magnatibus terræ omni veneratione vſque ad malitiam huius temporis exaltatus; nunc occaſione quarundam litterarum, quæ & per taciturnitatem veritatis, & per expreſſionem falſitatis, obtentæ ſunt à domino Papa, crudeliſſimè circumuento toto populo, & clero tantæ ciuitatis, quorum cura & cuſtodia mihi commiſſa eſt; ſenex & emeritus à iuuene, ſimplex & valetudinarius ab ambitioſo, manſuetus & innocens à verſuto; & vt temperantiùs loquar, turpi crimine diffamatus, ab omni honore Archidiaconatus mei violenter expellor. Porro lator præſentium, tragœdiam iſtam vobis apertiùs explanabit: ſingultuoſus enim dolor os meum ſyncopis λειποθυμία impediens, me loqui, aut ſcribere non permittit. Datus ſum per aſtutiam malignitatis, in opprobrium & contemptum.] Argumentum circumuenti Pontificis, & calumniæ impactæ Petro, ſuppeditare videtur, mox ſubſecuta euectio in nobiliorem Archidiaconatum Londonienſem, de qua ipſe teſtatur Epiſto. 151.

Fridericus Abbas Hirſaugienſis XI. magnæ vir ſanctimoniæ, admotus ad illius cœnobij gubernacula, nequaquam

vbique de ſua ex eo grauidatione ſermonibus, magna omnium offenſione qui Henricum ad eam diem vt eximium Dei ſeruum erant venerati. Fuit qui ea ex cauſa mutatus Henrico quondam amico in crudelem & ſermones quibus ad eam diem clarus fuerat & libros quos ediderat eadem cum ipſo infamia grauandos eſſe apud omnes dicet, & priſtinæ familiaritati remitti abs ſe nuntium conteſtaretur.

Exercitum hac vexatione ſeruum ſuum qui inde mirum in modum indoluit vt Laurentius Surius vitæ ſcriptor diffuſiſſimè proſequitur, reſpexit denique Deus & deterſa planè labe impoſita clariorem ac nitentiorem apud omnes effecit: præſertim ex quo notum factum eſt muliérculam Henrici criminatricem ſubita morte extinctam eſſe. Ex iis item qui duriores in ipſum per nubili tempus fuerant aliqui è vita exceſſerunt deſtituti ratione actique in furorem, alij quod luctuoſius eſt, nullis muniti Sacramentorum ſubſidiis obierunt. Prælatus qui præ cæteris ea ex cauſa Henricum afflixerat, per viſum Henrico obiectus docuit ea ſe ex cauſa dignitate excidiſſe ac vita priuatum eſſe, longiſque & immanibus cruciatibus addictum. Nemo fuit cui ex ea calumnia famam Henrici multo clariorem factam perſpectum non fuerit: ipſéque Henricus Dei erga ſe conſilia recogitans & deterſam tantam infamiam admiratus exclamare adactus eſt. [Veriſſimum eſt Domine quod vulgo fertur; Cui Deus benè cupit, illi nemo poteſt officere.]

S. Vincentius Ferrerius, quamuis vt refertur lib. 1. vitæ cap. 12. attentatam impoſitionem calumniæ à gemella filiæ Putipharis hæc Ioſephi, obſtructo per miraculum & ſubitum energumeniſmum infamis lupæ ore vitauit, tamen in aliam eiuſdem generis calumniam incurrit. Modum quo notatus & purgatus eſt, ne quid affinxiſſe videri poſſim, ex c. 14. libri primi vitæ eius, adſcribo [Frater quidam Valentiæ fuit ex ordine Prædicatorum, qui omnem ætatem vſque in ſenectam in laſciuia turpiter vixerat, & ob hoc Beatum Vicentium exoſum habebat, quia videlicet cum ſæpius increpabat, & à malâ vitâ abducere, & ad benè viuendum inducere conabatur. Itaque non ferens animo viri Dei increpationes & ſalutifera monita, ei malignè detrahebat, & in eum multa ſcelera conferebat, diſſeminabatque multa, quibus celebris fama eius obſcurari fœdarique potuiſſet. Igitur exercens corporis ſui aſſuetam obſcœnam libidinem, quadam nocte, meretricem, quæ illis diebus Valentiam venerat, ad dormiendum ſecum introduxit. Manè verò perſoluto meretrici pretio, non tamen tanto, quantum illa ſe habituram ſperabat, eam, vt potuit, ſecretò emiſit. Meretrix autem faciem fratris diligenter intuita eſt, vt videlicet quis eſſet, per effigiem poſſet cognoſcere. Et antequam illa egrederetur, dixit ſe nunquam diſceſſuram, niſi priùs ſciret quo nomine frater vocaretur. Ille mox reſpondens, Vocor, inquit, Frater Vincentius Ferrarij. Et caueas, obſecro, ne cui dicas quod fecimus. His ab eo dictis, abiit meretrix, & lenoni, cum quo morabatur, ac multis aliis dixit, quòd in conuentu fratrum Prædicatorum cum fratre Vincentio per integræ ſpatium noctis dormiſſet: & cùm idem frater Vincentius, multam de ea voluptatem ſumpſiſſet, non tamen ei dignam pro labore mercedem reddidiſſet. Et ad hæc multa alia turpia adiecit, quæ honeſtatis cauſa miſſa facimus. Leno autẽ & plerique alij ſcelerati homines, qui Beatum Vincentium ſummo odio habebant, quia tanquam vitiorum reprehenſor ſeuerus, eorum deteſtanda flagitia denudabat, & terribiliter arguebat; ſtatim per vniuerſam ciuitatem rem diuulgauerunt. Per idem

Digitized by Google

idem tempus erat Valentiæ, Bonifacius, ipſius Beati Vincentij germanus, cuius ſuprà mentionem fecimus, qui & illo tempore erat in vrbe ipsâ vnus ex patribus iuratis, quod eſt quoddam magiſtratus genus, quo non ſolùm Valentina ciuitas, ſed & vniuerſæ penè Cataloniæ ciuitates, vti conſueuerunt. (*Hic Bonifacius, rexit poſtea Cartuſiam Videſis Dorlandum leg.* 4. *Chronici cap.* 25.) Hinc multi ciuium retulerunt ex ordine, rem omnem quæ de fratre eius Vincentio ferebatur. Qui tantum ſceleris credere non potuit, quandoquidem conſcius erat virtutum, quibus præditus erat germanus eius. Propter quod arbitratus eſt prout res ſeſe habebat, ab inuidis ad innocentem, hæc fuiſſe conficta. Itaque ex eius conſulto hi, qui vnâ cum eo magiſtratum gerebant, conſtituerunt, vt fieret per vrbem quædam generalis proceſſio, cui ſinguli Clerici ex ſingulis ordinibus intereſſent. Conſtituta autem die Bonifacius ipſe & collegæ ſui, ac cætera Valentina nobilitas, conſtituerunt locum in quo ſeſe collocare tempore huiuſmodi ſolemnitatum ſolebant, vbi & meretricem illam, quæ ſe cum magiſtro Vicentio dormiiſſe iactabat, poſuere. Iuſſerúntque ei, vt ſingulos fratres ordinis Prædicatorum, incedentes inſpiceret, & eum cum quo dormierat, fideliter indicaret. Procedentibus igitur ſingulis fratribus, cùm tranſiret magiſter Vincentius, iurati eum meretrici oſtendentes, interrogauerunt, an ille eſſet, quem noſſe cupiebant? Illa reſpondens; non, inquit, iſte eſt ille, quem quæritis. Scio enim hunc eſſe illum Dei ſeruum, ad cuius doctrinam audiendam omnes concurrunt: quem & ego, ex quo Valentiam veni, quatuor vicibus vidi prædicantem. Ille verò frater, quem noſſe petitis, ſenex eſt. Deinde vbi ipſe Vincentius, & poſt eum tres alij fratres, ex more præterierunt, mox aduenit frater ille, qui ſcelus admiſerat, & meretrix eum ſine vllo iudice agnoſcens, digito demonſtrans, En, inquit, hic eſt ille quem quæritis. Finitâ autem proceſſione, Bonifacius, cæterique nobiles, qui ciuitati præſidebant, fratrem diffamatorem ad ſe accerſiri fecerunt, eique multam pœnam, ac etiam mortem, ſi opus eſſet, comminati ſunt, niſi coram eis peccatum ſuum confiteretur, & aboleret infamiam, qua virum Dei Vincentium contaminarat. Ille terrefactus, ſtatim fecit quod illi voluerunt. Rem namque, vt erat geſta, narrauit. Deinde ab eis confuſus abſceſſit, pergénſque ad Chriſti ſeruum Vincentium, qui hæc omnia ignorabat, multùm lachrymans ab eo veniam petiit, & facillimè impetrauit.]

Epiſcopum Ebroicenſem in Concilio Baſileenſi retuliſſe ſibi ſcribit Ioannes Nider l. 4. Formicarij cap. 5. fuiſſe ſuo tempore ſtrenuum & perquàm pium Sacerdotem & concionatorem è Collegio quodam Canonicorum: qui cum magnis animarum quæſtubus Deo compararis, inſignem plebis gratiam collegiſſet, in inuidiam nonnullorum Collegarum incurrit. Itaque quem veris probris onerare non poterant, aggreſſi ſunt ſtructa malignè calumnia. Doloſè igitur curarunt clauem nanciſci qua cubiculum eius reſerarent, eaque confecta, cum abeſſet Canonicus, ſcortum in illud induxerunt, præmiſſa pactione de igne iniiciendo, & ope contentiſſimis vocibus imploranda per feneſtras, vt vicinia accurreret, ſicque pius Canonicus infamiam ex ſcorti deprehenſione contraheret. Stropha ex voto impiorum ſucceſſit, ita vt loco cedendum fuerit viro optimo, præ infamia per calumniam nequiſſimè illata. Sed abſterſit denique eam infamiam Deus. Nam cum primarius ſtrophæ architectus in grauem morbum incidiſſet, non priùs à perito & muneris ſui ſciente Confeſſario, abſolutionem extorquere

extorquere potuit, quàm coram teſtibus fide dignis, rem vbique euulgaturis, purgaret innoxium: quod præſtitit, magna innocentis gloria, quem priùs alienum ſcelus grauauerat.

Dedi ſatis multa, calumniæ in hoc genere ſpecimina. Nec tamen adeò multa, ſi ſpectetur vbertas exemplorum ſimilium. Quòd enim materia ſit fœtentiſſima, & præ fragilitate noſtra, ac iudicantium temeritate, ſuſpicionibus admodum patens; inde factum, vt ſatanas debilioribus ſemper imminens; hac ex parte frequentiſſimè ſeruos Dei adortus ſit iam olim, & nunc quoque haud infrequenter adoriatur.

CAPVT VI.

De eadem commixtione ſacrilega, ſexui molliori impoſita.

Hæc labes in ſexu molliore & faciliùs affricatur, & lutulentior ac probroſior habetur. [Tenera res, (ait S. Hieronymus ad Saluinam Epiſto. 9.) in fœminis, fama pudicitiæ eſt: quaſi flos pulcherrimus, citò ad leuem marceſcit auram, leuique flatu corrumpitur, maximè vbi & ætas conſentit ad vitium, & maritalis deëſt auctoritas, cuius vmbra tutamen vxoris eſt.] Auget illius labis falsò imponendæ facilitatem, teſtata & perſpecta nimiùm ſexus illius mollitudo atque fragilitas, ob iudicij imbecillitatem. Eſt enim concupiſcentia carnis, longè moleſtior, & victu operoſior, quàm cæterorum bonorum ſenſibilium, vt S. Chryſoſtomus egregiè diſſerit homil. 5. Epiſtol. ad Titum, & homil. 23. in 2. ad Corinth. *in morali*, quia ſumma omnino eſt propenſio carnis ad carnem, vt S. Baſilius fuſè proſequitur l. de Virginit. In ſexu igitur fragili, ſi vel minima ſuſpicio ſit ſuborta facilius eſt perſuaderi, quod ſuccubuerit tam valido niſui hoſtili, & quidem inteſtino ac inſeparabili & in ſubiecto ad igneſcendum accomodatiſſimo. Nam vt à Macrobio ſcriptum eſt lib. 7. Saturn. Romani denario corporum virilium in rogo concremandorum, vnum fœmineum, quaſi fomitem facilè igneſcentem & flammeum ingerebant. Accedit in ſacris virginibus, præciſa ſpes ſubeundi portum in quo fas eſt coniugatis ſe recipere, iuxta egregiam S. Chryſoſtomi diſputationem l. de Virgini. cap. 9. Quid quòd per inexperientiam dulciùs putatur, quod experti agnoſcunt inſuaue, vt notat S. Hieronymus Epiſto. ad Gaudentium, & epiſto. de ſuſpecto contubernio. Vnde cùm ob hæc omnia, huiuſmodi tentatio cenſeatur eſſe in huiuſmodi perſonis vehementiſſima, mirum non eſt, quòd faciliùs credantur lapſæ, & eo nomine procliuiùs pateant calumniæ. Sanè S. Hieronymus Epiſto. ad Fabiolam, multarum puritatem, in die iudicij, abſterſa falſa infamia, illuſtrandam fore, annotauit. Subnectamus tantæ calumniæ exempla nonnulla.

S. Eugenia Philippi Auguſtalis filia, per Melanthiam opulentam ſed impuram fœminam, paſſa eſt calumniam de ſacrilega turpitudine. Aſſumpto viri habitu, Eugenia inter Monachos degebat, pro viro habita ab omnibus: & poſt multa virtutis argumenta diu præſtita, ad cœnobij præfecturam prouecta. A Melanthia igitur, impuro eius amore correpta, per ſpeciem viſitandi decumbentem, accerſitus Eugenius; (ſic enim paſſim audiebat,) cùm non potuiſſet vllis & fœminæ & amantis pellaciis flecti ad nefarios amplexus, amore in rabiem verſo, Melanthia apud Philippum Eugenij patrem, tum Gentilem, ac quiſnam Eugenius eſſet planè neſcium, deponit calumniam, de attentata per Eugenium ſua pudicitia. Qua delatione ad iram concitatus Philippus, & Eugenium, &

omnes qui cum eo erant Monachos, ad ſe ſiſti,& carceri mancipari iubet. Magna infamia apud omnes flagrabat nomen Monaſticum, propter Eugenium, cui Melanthia, coram & in faciem, Iudice præſente, tentatam pudicitiæ ereptionem exprobrauit, id quod etiam ancilla Melanthiæ confirmabat; pridem quoque ac ſæpè, idem ſibi ab impudiciſſimo Eugenio ingruiſſe periculum, aſſeuerans. Quare Eugenius impudentiam calumniatricum demiratus, videns agi Chriſtiani nominis gloriam apud Gentilem Præfectum, in vrbe populoſiſſima, pro tribunali perſonam virilem poſuit, ſeque (quod erat,) fœminam patefecit. Vnde reuicta eſt calumnia, & ex genere ac nomine ſuo Patri apertè prodito,eiuſdem ac ſuorum ad Chriſtum acceſſio eſt conſecuta. Habet iſta fuſiùs Metaphraſtes Decemb. 25.

Suſanna, quæ & *Ioannes*, patre Ethnico, matre Iudæa, apud Palæſtinos nata ſub Maximiani imperio, baptiſmate à Syluano Epiſcopo luſtrata,omnibus opibus quas habebat maximas in pauperes effuſis, virili veſte ſumpta, inter Monachos per annos viginti, vitam egit probatiſſimam. Exacto eo tempore, Aſcetria quæ Ioannem virum credebat, inſano eius amore flagrans, ſollicitauit eum ad turpitudinem: à quo repulſa,tentatæ ſuæ pudicitiæ crimen Ioanni impegit. Is primùm quaſi criminis conſcius, obtulit pro noxa ſatisfacere.At Epiſcopus Eleutheropoleos, ob tantam turpitudinem à Ioanne (vt putabat,) deſignatam,acriter Cœnobiarcham corripuit. Hic vt cœnobij maculam elueret, veſte ablata, eiicere Ioannem ſtatuit. Res eò deducta eſt, vt Ioannes ſe Suſannam profiteri,ac exhibere, ſit coactus, ſicque reuicta eſt calumnia. S. Suſanna Diaconiſſis exinde ab Epiſcopo præfecta, miraculis & tormentis pro Chriſto exceptis clara, feliciter exceſſit 20. Septemb. qua die Romanis tabulis, & Græcorum Menologio, conſignatur eius memoria.

Indicia, Veronenſis Virgo à S. Zenone conſecrata, conflata per ſcelus inuidia, à vanis, ab hæreticis, à turpibus perſonis, Maximo, præſertim, Renatóque, ac Leontio, ab iis poſtremo qui domo eius eiecti, atque eliminati forent, quòd diſcolora opera ſubtexerent, quàm prima fronte ſuæ profeſſionis prætenderant, apud Siagrium Veronenſem Epiſcopum turpitudinis inſimulata eſt, à quo vt per obſtetricem inſpiceretur, decretum: ratus ſi inſpectione, virgo probaretur, reliquum calumniæ de partu edito ac necato, abiturum in fumum, ſicque monaſterij nitorem ſarrum fore, & peruagantem vrbe tota infamiam propulſandam. Cohorruit ad eam virginitatis probationem S. Ambroſius, docens Epiſtola ſequenti 47. tale remedium tuendæ famæ, relinquendum vernaculis apud quas nulla cura pudoris, & caſtitatis gratia, ſed pœnæ timor eſt. Virgini ſacræ,inſpectionem, partum putari; nec minores inferre cruciatus, quàm inferat partus enitentibus puerperis. Quare ad ſummum poſſe illud remedium vſui eſſe, ſi quæ grauibus appetitæ calumniis, oppreſſæ teſtimoniis, ſtrangulatæ argumentis, ad id confugiant, vt ſe offerant inſpectioni, quo vel corporis probetur cuſtodia, ſi tamen deprehendi poteſt. Hæc & alia in eam ſententiam S. Ambroſius, ſcribens ad Siagrium Veronenſem: quæ diſcuſſa fusè legere licet apud Condronchum in methodo teſtificandi in caſibus Medico oblatis cap. 11. & apud Thomam Sanchez lib. 7. de Matr. diſp. 113. Nobis in præſentia ſufficit, Indiciam Virginem peruersè accuſatam, S. Ambroſij teſtimonio Epiſtola 46. & S. Marcellinæ ſororis ſuæ, aliarumque quas ſub Epiſtolæ finem adducit, graui ſuffragio eſſe purgatam.

Theodora Alexandrina, de violata thori fide, pœnitentia medullitus tacta, in cœnobium

Digitized by Google

cœnobium virorum, decem & octo milliaribus diſtans Alexandria, virum mentita, cooptari petiit, & obtinuit. Miſſa autem ad rem frumentariam cœnobio curandam, in hoſpitio ab adoleſcentula intemperante, ad ſtuprum inuitata eſt, vir enim habebatur, *& Theodorus Monachus* audiebat. Cùm grauiter lupam illam repuliſſet, miſera puella, vno cuidam viatori, qui tunc item in hoſpitio diuerſabatur, turpiter ſe proſtituit: Vnde prægnans facta, & autorem grauiditatis rogata, Theodoro Monacho falſum crimen impoſuit. Cognatis autem aduerſus Monachum & Monaſterium frementibus, & infantem ex quo editus eſt, ad æſtimatum falsò patrem deferentibus, Præfectus Theodorum cum infante foras protruſit, hæſitque Theodora ſic extorris per ſeptennium, radiis feruentiſſimi Solis excocta, nec tantillum ſecedens à Monaſterij aditu. Vnde poſt ſeptenne martyrium incruentum, vrgentibus præfectum Monachis tam diuturna vexatione mollitis, regreſſa eſt in cellam intimam, ibique iuſſa perpetuò demorari, nullo fungens monaſterij miniſterio. Biennio in ea exercitatione decurſo, feliciter obiit, & multis diuinis viſis, ipſaque cadaueris inſpectione deprehenſa eſt mulier; vnáque calumniæ in eam ſtructæ malignitas, eſt patefacta. Geminum ferè eſt exemplum. Marinæ, quæ ſexum & nomen ementita, *Marinus* audiuit: grauataque non diſſimili calumnia, poſt quinquennem pœnitentiam mortua, deprehenſa eſt mulier: firmauitque Marinæ innocentiam, puellæ quæ illi calumniam ſtruxerat, energumeniſmus in ſanctæ obitu obſecutus, nec niſi poſt ſeptiduanas ad eius tumulũ lachrymas excuſſus, vt diffusè narratur l. 1. vitæ Patrum; & apud Surium 8. Februar.

Porphyria quondam mali nominis, ſed ad Deum ſeriò conuerſa, adhæſit cuidam Monacho, iuuanda ab eo in ſpiritu; à quo detonſa & in Monialem aſſumpta, dicta eſt *Pelagia*. Hæc fortè incidens in paruulum à matre truculenter expoſitum, ſuſtulit illum, & aluit, perduxitque Tyrum, vbi vtrique fixa ſedes: paſſimque Tyri vulgatum eſt eum paruulum prolem eſſe Porphyriæ de Monacho conceptam; quæ fama ſeptennium totum tenuit. Eo tempore decurſo, Monachus ad extrema deductus, infuſis in ſinum multis ignitis carbonibus, à quibus illæſus permanſit, conteſtatus eſt Deum, ſe corpore eſſe incorruptum, nec vniuerſa vita ſua commercium mulieris eſſe expertum: ſicque Porphyriæ infamia deterſa eſt, & calumniatorum temeritas caſtigata. In quam rem grauiter ex eo exemplo philoſophatur S. Ioannes Eleemoſynarius apud Leontium in huius Sancti Pontificis Actis.

Sacræ Virgines Africanæ, ab impio Hunerico Ariano, per calumniam inſimulatæ ſunt turpitudinis. Rem ſic deſcribit Victor l. 2. perſecut. Vandal. [Præcepit deinde ſacras Virgines congregari, dirigens Vandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpicienda & contrectanda, contra iura verecundiæ, verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mamillis, & lateribus apponebant, quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite quomodò Epiſcopi vobiſcum concumbunt, & Clerici veſtri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas: aliæ quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus factæ ſunt curuæ. Nitebatur enim ſemitam inuenire, per cuius aditum, publicam ſicut fecit, faceret perſecutionem. Et ita faciens, nullo modo inueſtigare potuit, quomodò Chriſti Eccleſiam macularet.]

Apollinaris Syncletica ſiue patricia, quippe Patre Anthemio ampliſſimis titu-

ferrum candens: Pro Epiſcopo verò cuius innocentiæ non minùs quàm ſuæ Regina ſollicitè ſtudebat, quinque alios paſſus continuos ſuper iiſdem vomeribus conficeret. Admiſit conditionem affliɑiſſima Emma, & cùm noctem præcedentem ad S. Suitini ſepulchrum orans exegiſſet, craſtina luce in eadem ipſa Eccleſia coram Rege ac proceribus, ſtatis ceremoniis præmiſſis nouem illos ignitos vomeres calcauit, ſolutis in lachrymas duobus Epiſcopis vtrumque eius latus claudentibus, plebeia veſte contecta, pedibus ac tibiis ad genua vſque nudatis, oculis in cœlum ſemper ſurrectis. Suſannam diceres cuius cor erat fiduciam habens in Domino. Et reſpondit fiduciæ euentus. Nam nullatenus ab igne eſt violata. Et cùm progrediendo decurſi eſſent vomeres, iamque extra Eccleſiam procederent cingentes Emmam Epiſcopi, interrogauit Emma ecquando ad vomeres eſſet peruentura, quæ rei exitum edocta, immenſas gratias pro tanti probri abſterſione Deo egit. Rex matri ſupplex ad pedes accidit, & pro moleſtia matri ac Epiſcopo Aluino creata, nudo dorſo ritu pœnitentium plagas ab Epiſcopis excepit. Vomeres in clauſtro Monaſterij Vintonienſis humo ſunt obtecti.

S. Iutta ſiue Iuetta incluſa cùm Confeſſarium haberet minùs benè moratum (etiamſi probra eius latebant, ſanctam fœminam frequentatione eiuſdem ſacerdotis ſupra neceſſitatem, venit in ſuſpicionem turpis cum ipſo commercij, eóque nomine apud improuidos aliquamdiu eſt calumniam paſſa. Cohorruit ad eas de ſe voces piiſſima mulier, & B. Virginis charam ſibi Iuttam ſolatæ præſidio ad quod in omnibus neceſſitatibus confugiebat, modus eſt initus, quo ſalua Confeſſarij fama præcideretur materia ſermonum calumnioſorum, ipſo Sacerdote per Decanum cuius eæ partes erant ablegato in alium locum.

S. Catharina Senenſis, à vidua ſorore in Chriſto, cui nomen *Andreæ*, ex fœdiſſimo cancro laborante, & ab omnibus aliis deſtituta, nauatæ in arduo miniſterio operæ pretium retulit, infamationem; ita vt ea ingratiſſimè calumniante, naufragaſſe circa caſtimoniam crederetur. Chriſtus virgini ſe viſendum præbens, optionem fecit geminarum coronarum quas oſtentabat; vnius videlicet aureæ, & alterius ſpineæ. Exẽplo Chriſti ipſius, virgo ſpineam prælegit. Nam Chriſtus cùm alia multa indignè paſſus, tum nominatim fœdis calumniis proſciſſus eſt, ſin minùs contra caſtitatem, vt Origenes rectè notauit l. 1. contra Celſum, at in aliis certè materiis, vt cum Beelzebub eſt appellatus, & dictus in principe dæmoniorum eiicere dæmonia. Pollicitus inſuper eſt Chriſtus, virgini, ſe calumniantium voces in ipſorum capita retorturum, & eius honori ac famæ conſulturum: quod & perfecit, vt Raymundus Capuanus in Beatæ Catharinæ rebus geſtis accuratè monſtrauit.

CAPVT VII.

De Adulterio.

DE huius teterrimi peccati atrocitate & fœditate, omnino multa proferre memini lib. de Virtut. à num. 261. Tertullianus l. de pudic. cap. 5. ex vicinia cum Idololatria id deteſtatur. In eius damnis explicandis, immenſus æquè ac diligens eſt Tiraquellus ad l. 13. Connub. nec eſt opus (quòd Pythagoras apud Iamblicum in Colectaneis eius vitæ admonebat,) recolere in eam rem, cladem Troianam ex adulterio profectam: quò etiam recurrit Clemens Alexand. l. 3. pædag. cap. 2. Nam vbiuis & quotidie, occurſant eluuiones malorum ex hoc fonte. S. Ambroſ. l. 1. de Abrah. c. 2. & 7.

fugere, ita nec illam eius curiæ ſententiam. Hoc enim tribunal, non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquieſcit eo quod diuinum eſt, à Deo noſtris impoſitum mentibus. Verè adulter, per inopiam ſenſus, exitium ſuæ ipſius animæ conciliat. Iſidor.Peluſ. l.4.epiſt.109. ad quemcunque nuptæ ab alieno viro contactum, hanc fœditatem diffundit. Huius adeò damnoſi, adeò infamis tetrique probri falsò piis impacti, exempla ſuppetunt, & vetera & noua. Signo perpauca illuſtriora.

Ioſeph ab impudica hera de adulterio interpellatus, ab eadem repulſam non ferente, & ſcelus ſceleri adiiciente, de vi intentata calumniam eſt paſſus. [In domus parte ſecreta (ait Cyprianus l. de bono pudic.) & ſine arbitris illata & facinoroſis accommodata, putauit ſe pudicitiam adoleſcentis incontinens mulieris impudicitia nunc promiſſis, nunc minis poſſe ſuperare. Et cùm retentus eſt veſtibus, eo quod molitetur fugam, propter tanti facinoris audaciam, ipſas veſtes relinquens, & corporis nudi ſynceritatem habiturus innocentiæ teſtem, ad crimen impudicitiæ ſuæ, impudens mulier adiicere non dubitauit calumniam: & cæteris & marito ſquallida & feruens, ſpreto deſiderio ſuo, conqueſta eſt dolore ſimulato, quod Hebr. adoleſcens, vim ſibi molitus fuiſſet inferre, quã ipſa conata fuerat irrogare, Maritalis ardor rerum inſcius, & vxoris accuſatione grauiter inflammatus, incenditur. Pudicus verò iuuenis, quia delicto conſcientiam non miſcuit, in imum carceris truditur. Sed ſola non eſt in carcere pudicitia, nam eſt cum Ioſeph Deus; & nocentes dantur in manu eius qui innocens fuerat.] Innocentiam Ioſephi, & crimen heræ adulteræ Ioſephum calumniantis, benè librat Philo lib. de Ioſeph *ante medium*: ex quo, de more profecit S. Ambroſius l. de Ioſeph cap. 5. Eidem argumento inſiſtunt Baſilius Seleuc. orat. 8. S. Ephrem in Ioſephi encomio, Chryſoſtomus hom. 32. in 1. ad Cor. & hom. 44. in Geneſ. *in fine*, & apud eum Autor Latinus ſermonis de Ioſepho, inſertus Tomo. 1. latino, Gregorius Nyſſenus orat. in illud *qui fornicatur in corpus ſuum peccat*, Et alij quos adduco in Heteroclitis Spiritualibus part. 1. ſect. 3. puncto 3. num. 5. Pœnas dedit Ioſephus innocens, adulterij ab hera ſpurca attentati, quæ illi per calumniam impoſuit quod ipſa molita erat. Idque non obſcurè agnouit Putiphar maritus. Quomodo enim alioqui, zelus viri pepercisſet, nec ſubitò confodiſſet mancipium, quod impune facere poterat? Nam adulterij [crimen (inquit Philol. de Ioſeph,) cui mortalium non cæde vindicandum videtur? Nam de cæteris diſſentire ſoliti, in hanc ſolam conſpirant ſententiam, ita vt omnes vbique rem capitalem pronuntient, & deprehenſos, iniudicatos, læſo dedant necandos.] Parcens ergo Ioſephi vitæ maritus accuſante vxore, haud obſcurè coniecit, Ioſephum per calumniam fuiſſe delatum: præſertim cùm mulier pallium eius teneret, violentiæ ipſimet Ioſepho illatæ indicem, vt Philo ſuprà perpendit, & attigit Baſilius Seleuc. orat. 8. Itaque Iſidorus Peluſ. lib. 2 Epiſto 236. arbitratur, Putipharum non addixiſſe carceri Ioſephum, niſi ad tegendam vtcunque famam vxoris, & honorem ſuum. Quanquam S. Chryſoſtomus hom. 4. in Epiſtol. ad Titum, id potiùs refert in reliquias amoris, quo priùs Ioſephum ob præclaras dotes, & toties probatam fidem fuerat proſecutus. Quacunque verò demum ex cauſa Ioſephus non ceciderit Putipharis gladio, compactus eſt in carcerem, & ad tempus ſuccubuit ſimilitudinariæ calumniæ: donec Deus iudex iuſtus, attulit illi ſceptrum regni, & mendaces oſtendit qui maculauerunt illum. Octo ſimilia exempla Ethnicisſimo,

mo, luparum quæ viris quos ad nequitiam inflectere nequiuerant, calumniam ſtruxerunt,ſua ipſarum facta illis tribuentes, recenſet Muretus lib. 1. variar. lect. cap. 12.

S. Suſanna ab impuris iudicibus calumniam adulterij paſſa, diuinitus erepta eſt furori calumniatorum, quos bis victrix reos fecit teſtimonij, quum priùs reos feciſſet adulterij, vt loquitur S. Ambroſius Serm. 49. qui eſt de Chriſti accuſatione, & perperam alicubi S. Ambroſio adiudicatur, cùm eadem ex parte verba habeat in operibus indubitatis S. Ambroſius, vel l. 10. in Luc. ad c. 23. ſed quod *bis victricem* vocauit Suſannam, æquè habetur apud S. Cyprianum l. de bono pudic. Suſannæ de calumnia ereptionem, cum B. Virginis liberatione, à ſuſpicione falſa Ioſephi ex vteri tumore commoti, componit creditus Chryſoſtomus Serm. de S. Suſanna; cum ipſo autem Chriſto per calumniam iudicato, & confixo S. Ambroſius Serm. 2. de Chriſti accuſat. Idémque perbellè lib. 3. de Spir. ſancto cap. 7. Dei præſidium in detegenda aduerſus ſenes calumniatores Sanctæ Suſannæ pudicitia, his verbis aperit. [Daniel niſi accepiſſet Dei ſpiritum, nunquam potuiſſet deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. Nam cùm Suſanna presbyterorum coniurationibus appetita, inflexam populi mentem videret contemplatione ſeniorum, & omnibus deſtituta ſubſidiis, ſolâ inter hoſtes pudicitiæ ſuæ conſcientiâ, Deum arbitrum precaretur; *Exaudiuit*, inquit, *Dominus vocem eius, cùm duceretur vt periret: & excitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri adoleſcentis cui nomen Daniel.* Itaque ſecundum accepti Spiritus ſancti gratiam, vacillantia perfidorum teſtimonia deprehendit. Denique non alia niſi diuinæ fuit operatio poteſtatis, vt eos vox ſua proderet, quorum latebat affectus. Percipite igitur Spiritus ſancti ſacrum & cœleſte miraculum. Illa quæ maluit ſibi caſta eſſe quàm populo, illa quæ maluit innocentiæ ſubire periculum, quàm pudoris; quæ cùm accuſaretur, tacebat; cùm damnaretur, ſilebat, conſcientiæ ſuæ contenta iudicio, quæ reuerentiam pudoris etiam in periculis reſeruabat, ne extorſiſſe petulantiam viderentur, qui extorquere non potuerant caſtitatem, vbi Dominum inuocauit, ſpiritum meruit, qui latentem presbyterorum conſcientiam reuelauit. Diſcant pudicæ, calumniam non timere. Nam quæ caſtimoniam vitæ prætulit, nec vitæ diſpendium pertulit, & gloriam retulit caſtitatis.] Egregiè præterea de S. Suſanna Bernardus ſerm. 3. de Annunt.

Valentinianus Auguſtus, Gratiani pater, Imperator Chriſtianiſſimus, cuius præclara fidei profeſſio ſub Iuliano Apoſtata, euectionem eius ad imperium promeruit; calumniam paſſus à Socrate l. 4. cap. 26. referente, Valentinianum Iuſtinæ Virginis amore captum, Seuera coniuge ſuperſtite ſociatum Iuſtinæ eſſe ſecundis nuptiis; nec propria turpitudine contentum, legem tuliſſe qua fas cuicunque eſſet, duas vxores legitimas ſimul habere. Hanc eſſe atrocem calumniam, qua non modò Valentinianus adulterij incuſatur, ſed etiam adulteriorum patronus ſtatuitur, multa euincunt. Et imprimis falsò Socrates, Iuſtinam cum à Valentiniano ducta eſt, virginem facit, quam conſtat viduam fuiſſe Magnentij tyranni. Deinde quòd Seueram ſuperſtitem fuiſſe ait, cùm Iuſtina Valentiniano nupſit, æquè falſum eſt. Qui igitur falſi iam ſemel & iterum in hoc negotio reuincitur, mirum non eſt in criminatione Valentiniani impegiſſe. Sanè Ammianus qui aderat, Valentiniani caſtitatem inſignem, celebrat lib. 30. nec veriſimile eſt ſcriptorem Ethnicum, (cuiuſmodi ipſe erat,) tantam turpitudinem in Chriſtiano

no Imperatore diſſimulaturum. Quod item de Zozimo Chriſtianis Imperatoribus infenſiſſimo, dici poteſt. Non inquam hi Ethnici, abſtinuiſſent vituperatione legis, ſpectantis vſum quem Salluſtius bellum Iugurthinum deſcribens deriſit in barbaris; & in Iulio improbatus eſt, teſte Suetonio cap. 52. & ab Ethnicis Imperatoribus Valeriano & Gallieno, ac Diocletiano & Maximiano. lib. 18. Cod. ad leg. Iul. de adulter. ac l. 2. Cod. de inceſt. nupt. edictis perpetuis eſt proſcriptus. Tandem altum de ea Valentiniani lege ſilentium apud omnes Chriſtianos hiſtoricos, præterquàm apud vnum Socratem qui tantò pòſt vixit, calumniæ arguit eius narrationem. Poſteriores verò quos Socrates implanauit, putà Paulus Diaconus l. 11. append. ad Eutrop. Nicephorus l. 2. hiſtor. cap. 33. Briſſonius de iure connub. pag. 73. multò minùs ſunt audiendi.

Valentinianus tertius paſſim adulterij infamia grauatur, eâque ex cauſa exitium ſibi & imperio cladem acciuiſſe dicitur quòd Maximi Senatoris vxorem formoſiſſimam fœminam per fraudem fœdaſſet, homo adeò in libidines furens vt etiam incantamentis ac magicis philtris matronarum pudicitiæ inſidiaretur. Scribit iſta Procopius l. 1. de bello Vandal. cui Baronius anno 454. paſſimque recentiores aſtipulantur. Eſt tamen qui Valentinianum per calumniam à Procopio notatum ſcribat: à Procopio autem hauſerunt cæteri. Ita Ioannes Tomeus in Regiæ Sanctitatis Illyricianæ fœcunditate, cōtexens vitam S. Placidiæ filiæ Valentiniani huius tertij. Certè Idacius illorum temporum Scriptor cum in Valentiniani necem per Maximum incidit, omnia alia profert quàm quæ à Procopio adducuntur. Cauſam enim cur Maximus rebellarit & incautum Imperatorem ab Aetio diſiunctum perdiderit, refert in ipſius Maximi ſuperbiam qui è genere latus Maximi tyranni à Theodoſio Magno deleti, hanc nactus ſpem in imperium inuolandi, nihil prætermiſit quominus ad votorum ſuorum aſſecurionem pertingeret. Nec aliter Marcellinus Comes in Chronico & & ipſe temporum illorum ſcriptor. Sanè Procopius, toties aliàs lubricæ fidei & in Imperatores Occidentis pro Græcorum vſu iniquior, facilè potuit ſuas de Valentiniano ſuſpiciones aut fictiones in odium eius obtrudere & innoxium calumnia grauare.

S. Damaſus Romanus Pontifex, adulterij accuſatus eſt, vt habent literæ Valentiniani primi Imperatoris. Sed fuiſſe pinguem calumniam, certum eſt. Nam S. Hieronymus epiſtol. 50. virginem illum, & virginis Eccleſiæ Doctorem agnoſcit; eiúſque mores compoſitiſſimos celebrant omnes Hiſtorici, vt Theodoretus l. 5. cap. 2. Socrates l. 4. cap. 27. Sozomenus lib. 6. cap. 23. Solus Marcellinus Romanus Presbyter, factionis Vrſicini, eo libello quem Theodoſio Imperatori porrexit, de Damaſo oblocutus legitur. At hoſti aduerſus hoſtem ſcribenti fides haberi, nec poteſt, nec debet. Fabricatam ergo aduerſus Damaſum adulterij calumniam per Schiſmaticos, ab iiſdem diſſeminatam, eodem loco habere par eſt, quo illas alias de Damaſi feritate, & cædibus per eum cauſaris; à quibus eum fuiſſe alieniſſimum nec niſi calumnioſè de illis notatum, monſtrat Ruffinus 2. hiſtor. cap. 10.

Mulier Vercellenſis, à marito adulterij accuſata, & in carcerem cum iuuene adultero, (vt accuſatio ferebat) compacta pro ſeueritate legum aduerſus adulteros eo tempore à Valentiniano latarum, quibus in pleraſque illuſtres perſonas ſæuitum eſt, vt meminit Ammianus l. 28. iuuene tormentis cedente, & ſe reum adulterij confeſſo; ad eandem gladij pœnam damnata eſt. Sed ſexu fortior ſuo; (inquit S. Hieronymus, qui huic narrationi

mo, luparum quæ vitiis quos ad nequitiam inflectere nequiuerant, calumniam ſtruxerunt, ſua ipſarum facta illis tribuentes, recenſet Muretus lib. 1. variar. lect. cap. 12.

S. Suſanna ab impuris iudicibus calumniam adulterij paſſa, diuinitus erepta eſt furori calumniatorum, quos bis victrix reos fecit teſtimonij, quum priùs reos feciſſet adulterij, vt loquitur S. Ambroſius Serm. 49. qui eſt de Chriſti accuſatione, & perperam alicubi S. Ambroſio adiudicatur, cùm eadem ex parte verba habeat in operibus indubitatis S. Ambroſius, vel l. 10. in Luc. ad c. 23. ſed quod *bis victricem* vocauit Suſannam, æquè habetur apud S. Cyprianum l. de bono pudic. Suſannæ de calumnia ereptionem, cum B. Virginis liberatione, à ſuſpicione falſa Ioſephi ex vteri tumore commoti, componit creditus Chryſoſtomus Serm. de S. Suſanna; cum ipſo autem Chriſto per calumniam iudicato, & confixo S. Ambroſius Serm. 2. de Chriſti accuſat. Idémque perbellè lib. 3. de Spir. ſancto cap. 7. Dei præſidium in detegenda aduerſus ſenes calumniatores Sanctæ Suſannæ pudicitia, his verbis aperit. [Daniel niſi accepiſſet Dei ſpiritum, nunquam potuiſſet deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. Nam cùm Suſanna presbyterorum coniurationibus appetita, inflexam populi mentem videret contemplatione ſeniorum, & omnibus deſtituta ſubſidiis, ſolâ inter hoſtes pudicitiæ ſuæ conſcientiâ, Deum arbitrum precaretur; *Exaudiuit*, inquit, *Dominus vocem eius, cùm duceretur vt periret: & excitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri adoleſcentis cui nomen Daniel.* Itaque ſecundum accepti Spiritus ſancti gratiam, vacillantia perfidorum teſtimonia deprehendit. Denique non alia niſi diuinæ fuit operatio poteſtatis, vt eos vox ſua proderet, quorum latebat affectus. Percipite igitur Spiritus ſancti ſacrum & cœleſte miraculum. Illa quæ maluit ſibi caſta eſſe quàm populo, illa quæ maluit innocentiæ ſubire periculum, quàm pudoris; quæ cùm accuſaretur, tacebat; cùm damnaretur, ſilebat, conſcientiæ ſuæ contenta iudicio, quæ reuerentiam pudoris etiam in periculis reſeruabat, ne extorſiſſe petulantiam viderentur, qui extorquere non potuerant caſtitatem, vbi Dominum inuocauit, ſpiritum meruit, qui latentem presbyterorum conſcientiam reuelauit. Diſcant pudicæ, calumniam non timere. Nam quæ caſtimoniam vitæ prætulit, nec vitæ diſpendium pertulit, & gloriam retulit caſtitatis.] Egregiè prætetea de S. Suſanna Bernardus ſerm. 3. de Annunt.

Valentinianus Auguſtus, Gratiani pater, Imperator Chriſtianiſſimus, cuius præclara fidei profeſſio ſub Iuliano Apoſtata, euectionem eius ad imperium promeruit; calumniam paſſus à Socrate l. 4. cap. 26. referente, Valentinianum Iuſtinæ Virginis amore captum, Seuera coniuge ſuperſtite ſociatum Iuſtinæ eſſe ſecundis nuptiis; nec propria turpitudine contentum, legem tuliſſe qua fas cuicunque eſſet, duas vxores legitimas ſimul habere. Hanc eſſe atrocem calumniam, qua non modò Valentinianus adulterij incuſatur, ſed etiam adulteriorum patronus ſtatuitur, multa euincunt. Et imprimis falsò Socrates, Iuſtinam cum à Valentiniano ducta eſt, virginem facit, quam conſtat viduam fuiſſe Magnentij tyranni. Deinde quòd Seueram ſuperſtitem fuiſſe ait, cùm Iuſtina Valentiniano nupſit, æquè falſum eſt. Qui igitur falſi iam ſemel & iterum in hoc negotio reuincitur, mirum non eſt in criminatione Valentiniani impegiſſe. Sanè Ammianus qui aderat, Valentiniani caſtitatem inſignem, celebrat lib. 30. nec veriſimile eſt ſcriptorem Ethnicum, (cuiuſmodi ipſe erat,) tantam turpitudinem in Chriſtiano

no Imperatore diſſimulaturum. Quod item de Zozimo Chriſtianis Imperatoribus infenſiſſimo, dici poteſt. Non inquam hi Ethnici, abſtinuiſſent vituperatione legis, ſpectantis vſum quem Salluſtius bellum Iugurthinum deſcribens deriſit in barbaris; & in Iulio improbatus eſt, teſte Suetonio cap. 52. & ab Ethnicis Imperatoribus Valeriano & Gallieno, ac Diocletiano & Maximiano. lib. 18. Cod. ad leg. Iul. de adulter. ac l. 2. Cod. de inceſt. nupt. edictis perpetuis eſt proſcriptus. Tandem altum de ea Valentiniani lege ſilentium apud omnes Chriſtianos hiſtoricos, præterquàm apud vnum Socratem qui tantò pòſt vixit, calumniæ arguit eius narrationem. Poſteriores verò quos Socrates implanauit, putà Paulus Diaconus l. 11. append. ad Eurrop. Nicephorus l. 2. hiſtor. cap. 33. Briſſonius de iure connub. pag. 73. multò minùs ſunt audiendi.

Valentinianus tertius paſſim adulterij infamia grauatur, eàque ex cauſa exitium ſibi & imperio cladem acciuiſſe dicitur quod Maximi Senatoris vxorem formoſiſſimam fœminam per fraudem fœdaſſet, homo adeò in libidines furens vt etiam incantamentis ac magicis philtris matronarum pudicitiæ inſidiaretur. Scribit iſta Procopius l. 1. de bello Vandal. cui Baronius anno 454. paſſimque recentiores aſtipulantur. Eſt tamen qui Valentinianum per calumniam à Procopio notatum ſcribat: à Procopio autem hauſerunt ceteri. Ita Ioannes Tomeus in Regiæ Sanctitatis Illyricianæ fœcunditate, cōtexens vitam S. Placidiæ filiæ Valentiniani huius tertij. Certè Idacius illorum temporum Scriptor cum in Valentiniani necem per Maximum incidit, omnia alia profert quàm quæ à Procopio adducuntur. Cauſam enim cur Maximus rebellarit & incautum Imperatorem ab Aëtio diſiunctum perdiderit, refert in ipſius Maximi ſuperbiam qui è genere ſatus Maximi tyranni à Theodoſio Magno deleti, hanc nactus ſpem in imperium inuolandi, nihil prætermiſit quominus ad votorum ſuorum aſſecutionem pertingeret. Nec aliter Marcellinus Comes in Chronico & & ipſe temporum illorum ſcriptor. Sanè Procopius, toties aliàs lubricæ fidei & in Imperatores Occidentis pro Græcorum vſu iniquior, facilè potuit ſuas de Valentiniano ſuſpiciones aut fictiones in odium eius obtrudere & innoxium calumnia grauare.

S. Damaſus Romanus Pontifex, adulterij accuſatus eſt, vt habent literæ Valentiniani primi Imperatoris. Sed fuiſſe pinguem calumniam, certum eſt. Nam S. Hieronymus epiſtol. 50. virginem illum, & virginis Eccleſiæ Doctorem agnoſcit; eiúſque mores compoſitiſſimos celebrant omnes Hiſtorici, vt Theodoretus l. 5. cap. 2. Socrates l. 4. cap. 27. Sozomenus lib. 6. cap. 23. Solus Marcellinus Romanus Presbyter, factionis Vrſicini, eo libello quem Theodoſio Imperatori porrexit, de Damaſo oblocutus legitur. At hoſti aduerſus hoſtem ſcribenti fides haberi, nec poteſt, nec debet. Fabricatam ergo aduerſus Damaſum adulterij calumniam per Schiſmaticos, ab iiſdem diſſeminatam, eodem loco habere par eſt, quo illas alias de Damaſi feritate, & cædibus per eum cauſatis; à quibus eum fuiſſe alieniſſimum nec niſi calumnioſè de illis notatum, monſtrat Ruffinus 2. hiſtor. cap. 10.

Mulier Vercellenſis, à marito adulterij accuſata, & in carcerem cum iuuene adultero, (vt accuſatio ferebat) compacta pro ſeueritate legum aduerſus adulteros eo tempore à Valentiniano latarum, quibus in pleraſque illuſtres perſonas ſæuitum eſt, vt meminit Ammianus l. 28. iuuene tormentis cedente, & ſe reum adulterij confeſſo; ad eandem gladij pœnam damnata eſt. Sed ſexu fortior ſuo; (inquit S. Hieronymus, qui huic narra-

tioni accuratè exarandæ lucubrationem dedit,) cùm equuleus corpus extenderet, & ſordidas fœtore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent, oculis, quos tantùm tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cœlum, &, voluris per ora lachrymis. Tu, (inquit,) teſtis es Domine IESV, cui occultum nihil eſt, qui es ſcrutator renis & cordis, non ideò me negare velle, ne peream; ſed ideò mentiri nolle, ne peccem. At tu miſer homo, ſi interire feſtinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ipſa cupio mori, cupio inuiſum hoc corpus exuere, ſed non quaſi adultera. Præſto iugulum; micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Non moritur, quiſquis victurus occiditur.]

Subdit S. Hieronymus, de amborum crimino ſorum tormentis, vt adigerentur falsò impoſitum crimen fateri; ac denique de gladij impactione, qua iuuenis, falſi ſe criminis vi tormentorum reus profeſſus, illicò obtruncatus eſt. [Poſtquam verò ad fœminam ventum eſt; &, flexis in terram poplitibus ſuper trementem ceruicem micans eleuatus eſt gladius; & exertam carnifex dexteram totis viribus concitauit; ad primum corporis tactum, ſtetit mucro lethalis, & leuiter perſtringens cutem, raſuræ modicæ ſanguinem aſperſit, imbellem manum percuſſor expauit; & victam dexteram gladio marceſcente miratus, in ſecundos impetus torquet, languidus rurſus in fœminam mucro dilabitur, &, quaſi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. Itaque furens & anhelans lictor, paludamento in ceruicem retorto, dum totas expedit vires, fibulam, quæ clamydis mordebat oras, in humum excuſſit, ignarúſque rei, enſem librabat in vulnus. En tibi, (ait mulier,) ex humero aurum ruit: collige multo quæſitum labore, ne pereat. Proh, rogo quæ eſt iſta ſecuritas? Impendentem non timet mortem: lætatur percuſſa; carnifex pallet: oculi gladium non videntes, fibulam vident: Et ne parum eſſet, quòd non formidabat interitum, præſtabat beneficium ſæuienti. Iam igitur & tertius ictus ſacramentum fruſtratus erat Trinitatis. Iam ſpiculator exterritus, & non credens ferro, mucronem aptabat in iugulum, vt qui ſecare non poterat, ſaltem premente manu, corpori conderetur. O omnibus res inaudita ſæculis. Ad capulum gladius reflectitur, & velut Dominum ſuum victus aſpiciens, confeſſus eſt ſe ferire non poſſe. Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos, hymnos edidere pro fletibus, circa quorum ſaraballa, ſanctamque cæſariem, innoxium luſit incendium: Huc beati Danielis recocetur hiſtoria, iuxta quem adulantibus caudis, prædam ſuam leonum ora timuerunt: Huc Suſanna, nobilis fide, omnium ſubeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, Spiritu ſancto puerum replente, ſaluata eſt. Ecce non diſpar in vtraque miſericordia Domini. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladium: hæc à iudice damnata, abſoluta per gladium eſt. [Addit de tribus aliis ictibus, quos eadem mulier citra mortem excepit, manifeſto diuinæ erga innoxium tutelæ indicio. Exemplum affine trium meretricum, quibus Saracenorum turpe commercium refugientibus, & idcirco plexis ceruices nullius gladij quantumuis validè vibrati ictu abſcindi potuerunt, recitat Petrus Damiani Opuſc. 47. cap. vltimo.

Paulinus Domeſticorum Comitis filius, Conuictor Theodoſij iunioris, eiúſque cum Athenaide (poſtea Eudocia,) nuptiarum pronubus, iuuenis ſpecioſiſſimus, adulterij cum eadem Eudocia inſimulatus eſt, cùm pomum eximiæ tam pulchritudinis quàm magnitudinis, ad Eudociam à coniuge Theodoſio tranſ-

miſſum,

miſſum, accepiſſet ab Eudocia: ruſuſque ipſe ignarus vnde Eudocia acceperat, illud ad Theodoſium tranſmiſiſſet. Suborta enim ex hac pomi tranſmiſſione, de furtiuis Paulini cum Eudocia congreſſibus ſuſpicione, plena credulitas conſecuta eſt: cùm interrogata à Thedoſio Eudocia, ecquid pomo feciſſet, reſpondit ſe illud ediſſe, inſtantique, & verè ne illud ediſſet vrgenti Theodoſio, ediſſe firmauit ſacramento. Argumentum id viſum Theodoſio certum turpitudinis Paulini cum Eudocia; vnde conſecuta eſt mors Paulini, nocte inſequente trucidati, iuſſu Theodoſij. Sed calumniam paſſum eſſe Paulinum, Theodoſius ipſe agnouit, Eudociæ denique reconciliatus; & ira quidem, vt magno ſuo malo, & imperij, deiecta ſorore Pulcheria Augusta, per Eudociam & fidos ei adminiſtros omnia gereret. Muliebris metus Eudociæ, colorem aliquem calumniæ præbuit. Nam ſubito pauore correpta, ad Theodoſij de pomo quæſitum, neſciens quid diceret, & in mendacio inconſultè prolato inconſultiùs conſtans, ac iuramentum falſum adiungens, viro innoxio exitium creauit.

S. Elizabetha Luſitaniæ Regina, fœmina ſanctiſſima, & vindicatione Eccleſiaſtica nupera perilluſtris, apud Dionyſium coniugem paſſa eſt calumniam violatæ fidei coniugalis, ex amore ephebi honorarij admodùm pij, quo Regina ad clancularias eleemoſynas & pleraque pia opera adminiſtro vtebatur, non abſque inuidia alterius ephebi, qui idcirco heram apud Regem criminatus eſt de conſuetudine cum ſuo ſocio. Sed fuiſſe horrendam calumniam, atrox ſupplicium criminator diuinitùs repenſum patefecit. Iuſſus enim pius ephebus Regia mandata perferre ad fornacis calcariæ curatorem, iuſſum vt qui ad fornacem tali hora veniret, abreptum illico coniiceret in ſuccenſam fornacem, cùm in via dato ad Sacrum ſigno hæſiſſet, euaſit diſcrimen. Nam Rex præ impatientia cognoſcendi de negotij exitu, ephebum delatorem ſubmiſit, qui reſciret de fornacis curatore num perfeciſſet quod in mandatis habuerat. Ratus curator, hunc ipſum eſſe quem Rex iniici fornaci præceperat, eum vorandum flammis exhibuit. Vix autem abſumptus flammis fuerat teter criminator, cùm aduenit ephebus falsò delatus, quem curator fornacis iuſſit Regi nuntiare, factum eſſe quod præceperat. Perſpecto adeò inopino euentu non dubitauit Rex, quin hæc eſſet digna criminationis iniquæ retributio: ſicque ſuſpiciones omnes de Regina & ephebo abſterſit, laudatuſque eſt Dominus, ſeruans ſanguinem innoxium in die illa. Habentur iſta in B. Elizabethæ rebus geſtis, & in Chronico Minor. l. 8. cap. 28. §. 1. Vnde exſcripſit Granatenſis l. 2. c. 27. §. 10. Et hodiéque ad tantæ rei memoriam conſeruari eam calcariam fornacem, teſtantur fide digni.

Symmachus Papa, malignitate ſchiſmaticorum de adulterio eſt accuſatus, vt ex coniectura ſcribit Baronius anno 502. Sed fuiſſe planè id obiectum Symmacho, habet Ennodius in Apolog. vbi Schiſmatici ſe partem ſuam à Symmachi adulteri conſortio ſubduxiſſe profitentur. Porrò eam accuſationem fuiſſe meram calumniam, perſpicuum fuit ex ſynodo in eo negotio celebrata, cui Symmachus lubens ac volens diſcuſſionem cauſæ ſuæ permiſit, cæteroqui immunis ab omni ſynodali & humano iudicio, ac ſoli Deo debens innocentiam, vt Ennodius ſcitè dixit. Rectè tamen ac prouidè, ex eo quòd Symmachus tali calumnia pulſari potuiſſet qui ſummus Pontifex erat, collegit Laurentius Mediolanenſis Archiepiſcopus, eo præcepto de Concellaneis quod eſt apud Ennodium Opuſcul. 7. expediens eſſe cuique Presbytero & Diacono, habere concellaneum, actuum

ſuorum teſtem. Imò titulus libelli, habet, omnes Epiſcopos, (nempe Mediolanenſi Archiepiſcopo obnoxios,) iuſſos eſſe habere ſocium. Et verè poteſt ad Epiſcopos extendi nomen *Sacerdotum*, ad quos præceptum illud dirigitur. Et cauſa præcepti proponitur, [Ne ſummorum quiſpiam, minimorúmque diſpereat; maximè cùm mali ipſius recèns oculis offeratur exemplum, cùm Apoſtolicæ ſedis Præſulem, & omnium penè Eccleſiarum gubernacula tractantem, per proximi tumultus incędium, inimicorum rabies tali ore momordiſſet, & in ruinã ſuam aliquorũ furor ſine iuſtâ indignatione ſurrexit.]

Guilla ſiua VVilla, Oberti Marchionis coniux, in adulterij calumniam incurrit, quæ tamen diuino miraculo diſiecta eſt. Rem ſic narrat Petrus Damiani opuſcul. 57. c. 3. & 4. agens de Hugone Tuſciæ Principe, Oberti filio. [Obertus Marchio, pater eius, Hugonis Regis, naturalis filius extitit: qui nimirum Guillam, maioris Bonifacij Marchionis filiam, coniugali ſibi fœdere copulauit. Hic non multò pòſt, indignatione primi Ottonis Imperatoris incurrit, ac ſubinde relicta coniuge, Pannoniam profugus exulauit. Qui cùm longo pòſt tempore reſumptus in gratiam rediit; matrem cum grandiuſcula iam prole reperiens, admiratus expauit. Negat homo ſe genuiſſe, quem conſpicit; & zelotypiæ permotus inuidiâ, fœtæ mulieri obſcœnum crimen intendit; nequaquam ſe tam inſperatæ rei perhibet conſcium; diffitetur ſe conceptionis huius noſſe myſterium: nec poſſe fieri, vt ſe aſſerat patrem, qui prægnantem non reliquit vxorem. Ad hoc tandem res diutiùs ventilata protrahitur, vt non aliter quàm peractæ purificationis indicium tam grauis obiectio ſopiatur. Hoc igitur ex vtraque parte conuenit, vt in vaſta quadam ampliſſimæ domus area, conuentus religioſarum fieret perſonarum: quibus nimirum in ſubſelliis ſuis vndique conſidentibus, puer ſolus in medio poneretur: & ſi patrem, quem nunquam antea viderat, adiens peteret, ab omni procul dubio matrem ſuſpicione purgaret. Quid plura? Conueniunt Pontifices, adſunt cum Monachis & Abbatibus, inferioris etiam ordinis Sacerdotes: fletur, gemitur, ſuſpiratur, ad cœlos oculos erigunt, pugnis pectora mœſta contundunt, profluentibus lachrymis triſtitia ora perfundunt. Dimiſſus itaque puer in medio, ſine papate vel gerula, cœpit ire: & cùm pater ſederet inter vulgus, nec ab aliis videretur vlla ſubſellij varietate diſtinctus; contemptis omnibus, puer ad eum ſignanter acceſſit, eique tanquam notiſſimâ familiaritate blanditus, adhæſit. Sic itaque liberauit matrem, dum diuino prouocatus inſtinctu, petiit genitorem. Hoc igitur modo, matri confuſio tollitur, patri filius redditur, & vtriuſque parentis affectus erga ſe inuicem in communi ſobole reformatur. Omnes ergo, qui aderant, tanto ſtupefacti miraculo, votiua mentis coniubilatione, & dignas auctori Deo gratias referentes, exultant.]

Bernardus Ludouici Imperatoris Luſtricus filius Comes Barchinonenſis, (alius à Bernardo Ludouici Nepote exoculato,) à Iuditha Ludouici vxore (ſi tamen vxore, & non mœcha, cum eſſet eius conſanguinea, nec interueniſſet diſpenſatio;) calumniam ſuſtinuit adulterij, vt habent Acta S. Federici Traiectenſis, qui ob reprehenſum illud coniugium, ſubiit martyrium. Ibi refertur, Iuditham Bernardum eximia forma iuuenem, ad illicitum commercium ſæpè ſollicitaſſe. Bernardo autem immanitatem ſceleris deteſtante, & adulterij peccatum eſſe longè grauiſſimum confirmante; Iuditha amore in furorem verſo, præſertim veritam ne tanta turpitudo euulgaretur, à Bernardo, probrum anteoccupaſſe, & inſontem Bernardum detuliſſe ad Imperatorem.

torem; quaſi ipſa non interpellaſſet tantùm, ſed etiam vi tentaſſet opprimere, & nefario adulterio polluere. Idque reipſa poſtea Iudithæ obiectum eſt, à Ludouici filio Pipino & Hilduino Archicapellano, & aliis, vt habet Theganus de geſtis Ludouici Pij num. 36. vbi etiam narrat, Iuditham eo titulo, fuiſſe per vim Monaſterio incluſam, ac fratres eius Conradum & Rudolfum, attonſos: atque ita falſum rumorem Iuditha diſſeminante ſparſum Deus in caput eius regeſſit. Præterquàm quòd ipſe Bernardus, (vt habent Acta S. Federici,) denuntiauit ſingulare certamen, coram Ludouico Pio, & duobus eius filiis Lothario & Ludouico, ineundum aduerſus quemcunque probri illius ſibi affictì aſſertorem nemine prorſus cum eo, tali ex cauſa decertare auſo. Itaque Iudithæ calumnia, omnibus ſatis perſpecta fuit, & Bernardi innocentia comprobata. Quanquam conſtantérne innocentiam in ea materia tenuerit, Acta S. Federici dubitare cogunt.

Comes Mutinenſis, iuuenis ſpecioſiſſimus, à Maria Aragonia Ottonis tertij vxore de turpitudine interpellatus, cùm renuiſſet Imperatoris thorum fœdare, ac coniugalem fidem qua ipſe quoque illigatus erat, violare, ab hac ſecunda Putipharis filia, apud Imperatorem de attentato adulterio accuſatus, vxore priùs de ſtructa ſibi calumnia & iniquitate Imperatricis commonita, letho datus eſt, reſecto capite. Comitiſſa truncatum viri ſui caput excipiens, qua die Imperator viduis ius dicebat, aſtitit pro tribunali; & proiecto viri capite in medium, popoſcit de iniqua mariti damnatione & cæde iudicium, conteſtata ſe viri innocentiam ferri candentis attrectatione probaturam. Quod & fecit, planè illæſa. Nec mora, caput ſibi viciſſim Imperatoris, pro innoxij viri capite iniquè abſciſſo, poſtulauit. Et annuit Imperator ſe reum, inducias tamen concedi à vidua expetiit; ac denique per Proceres non ſine longa colluctatione extorſit pœnæ remiſſionem; ex pacto tamen dedendi flammis nefariam adulteram, totius iniquitatis machinatricem Mariam Auguſtam. Et ita factum eſt, ad Amulam villam haud procul Mutina, tribus in Tuſcia caſtris eidem Comitiſſæ viduæ attributis, ab Imperatore: ob conceſſam ſibi à vidua triplicis vadimonij dilationem. Tragœdiam planè horribilem, & mirabile de calumnia trophæum in ea ſtatutum, Gotfridus Viterbienſis l. 17. Chron. rudi carmine expreſſit, ſignatis admodum diligenter adiunctis omnibus. Habetur etiam ea narratio apud Krantzium l. 4. Saxon. cap. 26. ex quibus profecerunt Delrio 4. Magic. cap. 4. quæſt. 4. ſect. 3. & Baronius anno 998. ac Sigonius l. 7.

S. Chunegundes Auguſta Henrici cognomento *Claudi*, Imperatoris ſanctiſſimi, coniux ſanctiſſima, & de viri aſſenſu virgo, odio Satanæ, calumniam de violata thori fide eſt paſſa, & quidem modo planè ſingulari. Sic enim de ea Autor compilationis Chronologiæ, & Iacobus Gretſerus ad cap. 2. vitæ S. Chunegundis. [Autore Diabolo qui inuidebat eius virginitati, de crimine adulterij vehementer infamata eſt: Callidus namque Diabolus, transfiguratus eſt in formam militis ſpecioſi, qui tribus diebus continuis, manè videbatur pluribus, exire de thalamo S. Chunegundis.] Simile artificium Diabolicum ad imponendum Syluano S. Hieronymi diſcipulo, ſuprà retulimus. Et ſimiliter apud Petrum Cluniacenſem l. 1. mirac. cap. 13. dæmon Monacho ſpecie Abbatis apparuit. Occurrunt paſſim alibi exempla Satanæ, transfigurantis ſe in Angelum lucis, & ita ementientis alienam perſonam, vt contrarium planè quàm re ea eſt, eſſe videatur. Hanc plenam diſcriminis ac dedecoris calumniam, B. Chunegundis pro recepto tunc vſu, ex condicto ſuper

ignitos vomeres nudis pedibus incedens, abſterſit, magna Satanæ confuſione. Leue verò eſt diſſidium in huius narrationis relatione apud Hiſtoricos, quod alicubi dicatur calcaſſe vomeres nudis pedibus, vt nos retulimus, ſecuti Krantzium l. 4. Saxo. cap. 32. & Fulgoſium l. 8. cap. 1. Alibi autem dicatur ſex candentes vomeres portaſſe nudis manibus, quod habet idem Krantzius in Metropoli l. 4. cap. 5. Fortaſſis vtrumque ſucceſſiuè fecit S. Imperatrix. Affine eſt exemplum Emmæ Reginæ Anglorum, de qua Polydorus l. 8. hiſtor. Anglo. De matrona Rugienſi, per calumniam adulterij inſimulata, ſcribit Saxo Grammaticus l. 14. hiſtor. Dan. cùm ferrum candens prehenſura mox eſſet, ferrum ab eius conſpectu auolaſſe.

B. Richardis Carolo Craſſo Imperatori nupta, déque mariti aſſenſu virgo, cum exegiſſet in coniugio illibato annos duodecim, calumniam àpud maritum paſſa eſt violatæ coniugalis fidei. Diem illi dixit Imperator coram Imperij proceribus, nec contentus ferri cadentis innoxio per eam attactu, ſuſpicionibus malè conceptis inhærens, Auguſtam ex aula pepulit, perinde atque ſi tetri facinoris, & maculati thori conuicta eſſet, quæ tamen non niſi confictæ gratis calumniæ rea erat. Obdurauit ad eam ignominiam pectus nullius ſibi labis conſcium, pia Imperatrix; & relicta aula in S. Othiliæ montem apud Alſatas ſitum ſecedens, Monaſticæ perfectionis illic imbuta diſciplinis, diuino viſu admonita, parthenonem in fundo ſuo ad Vogeſi montis radices conſtruxit, vbi humum ab vrſo regeri deprehendit; quod illi ſignum monſtratum fuerat, deſignatæ diuinitus ad parthenonem ſedis. In eo multas poſt eam virgines Regi Regum allatas, ad omnem ſanctimoniam informauit, deſiitque inibi viuere anno 889. clarior ob calcatum ſæculum, & patienter ac cum gaudio exceptum calumniæ turbinem, quàm ſi in perpetuo fluſtro, gratiam Imperatoris retinuiſſet in aula. Nec vlla ſanè impoſitæ labis pars, famæ eius adhæſit; notauitque Hermannus Contractus in Chronico, nitorem eius puriſſimum fuiſſe diuino iudicio comprobatum. Eiuſdem meminere ſumma cum laude Matthæus Raderus in Bauaria ſancta, & qui res Caroli Craſſi Imperatoris ſunt proſecuti, & ſcriptor Sacrarum Voſagiæ antiq. 3. part. lib. 1. cap. 10. necnon Auentinus lib. 4. annal. Boiorum.

Nec Carolo impune fuit, piam Auguſtam inanibus ſuſpicionibus calumnioſè grauatam abieciſſe. Imò hæc fortaſſis origo fuit immanium calamitatum quibus exinde miſerabiliter eſt attritus. Fuerat Carolus (Reginone teſte ad annum 887.) princeps planè Chriſtianiſſimus, ac Deum timens & mandata eius ex toto corde cuſtodiens, Eccleſiaſticis ſanctionibus deuotiſſimè obtemperans, ac in eleemoſynis largus. Ex quo tamen coniugem virginem calumniæ nubilo offundi liuit, adeò exercitus ærumnis eſt, vt commiſerationem moueat calamitatum eius recogitatio. Diſceſſere ab eo amici propè omnes: auerſati eum ſunt Galli, quibus initum in Carolo Magno imperium, in Craſſo deſiit. Neque enim eius ſucceſſorem Arnulphum, & binos qui huic ſuffecti ſunt Ludouicum atque Conradum, inter ſuos Auguſtos recenſent Galli. Arnulphum quidem quod nothus eſſet, quæ labes Ludouico Arnulphi filio affricatur. Conradum verò, vltro dant ad gentem ſuam non pertinuiſſe. Itaque periit Gallis Occidentale Imperium in Carolo Craſſo, quem Chronicon Lauriſhimenſe, miſeranda rerum facie ad eam egeſtatem deueniſſe tradit, vt deſperatis rebus, non iam de regno, ſed de victu quotidiano cogitaret. O verſas mortalium vices! O ſortem nullis ſatis deflendam quæſtubus! Sed cùm alia peccarat Carolus,

Carolus, tum inſontem mulierem iugali ſibi deuinctam fœdere, faſcinante zelo inconſulto, qui vt plurimùm cœcitate percellitur, dato repudij libello dehoneſtarat, & quaſi nocentem gradu mouerat. At vindex eſt Deus in huiuſmodi, nec perpetuis offundi tenebris obſcuratam aliquandin innocentiam ſuſtinet.

Heduigis Poloniæ Regina, fœmina lectiſſima, (non illa canoniſmo & Eccleſiaſtica vindicatione illuſtris, ſed tamen vitæ probatiſſimæ,) apud Vladiſlaum Regem à Gneuoſſio Daleuicio Cracouienſi ſubcamerario, infamis probri notata eſt, vt ſcribit Cromerus l. 15. hiſtor. Polon. Accuſationis ſumma erat, quòd Gulielmus Auſtrius ſecrerò Cracouiam petiiſſet abſente Vladiſlao, & aliquot diebus cum Regina conſueuiſſet. Regina iureiurando purgauit ſe. Calumniatori Deus, infamiam pro malè denigrata piiſſimæ fœminæ fama repoſuit. Inſtituto enim aduerſus eum Viſliciæ in procerum conuentu iudicio, cùm probare calumniam impactam non poſſet, ex decreto Iudicum, ad pœnam in illis oris omnium maximè infamem, damnatus eſt. Nimirum vt ſubter ſcamnum poſitus, edito latratu clara voce profiteretur, ſe eſſe mentitum. Quo pacto canem ſe egiſſe in ea falſa delatione, & indignum eſſe qui inter homines numeraretur, palàm teſtabatur; ſin minùs verbis, & vt aiunt in actu ſignato, at factis & in actu exercito. Eadémque infamiſſima pœna, mulctatum poſtea in non diſſimili cauſa Clementem Moſcorouium, Caſtellanum Viſlicienſem & Præfectum Cracouienſem, ſcribit idem Cromerus lib. 16. An caninum calumniatoris genium ab ea gente calumniatores ita mulctante expreſſum, ſignificare voluit S. Hieronymus epiſtol. 94. quæ eſt ad S Auguſtinum, & epiſtol. 152. quæ eſt ad Minerium & Alexandrum, cùm calumniatricem facundiam, & allegato Appio, vocat *caninam*, quippè in allatrando & mordendo poſitum, & cum alibi ſuos calumniatores, vocat *canes ſuos?*

[Nugna Comitis Caſtellæ filia, Sancio IV. Regi Nauarræorum nupta, & ex eo Garciæ & Ferdinandi mater, à filiis, (horrendum dictu,) adulterij apud maritum calumniam eſt paſſa; &, quod turpius eſt, ex leuiſſima cauſa. Sancio enim marito ad bellum profecto, cùm abnuiſſet Nugna Garciæ filio equum concedere, quem Sancius habebat chariſſimum, actus in rabiem matri inſidias apud patrem ſtruxit, quòd cum Petro Seſſio, qui negandi equi autor fuerat, conſueſceret, & Ferdinandum fratrem in criminationis ſocietatem traxit. Ex quo factum, vt communi conuentus procerum decreto, Regina ignis ſupplicio addiceretur, niſi aliquis iure armiſve, pro more tunc recepto, Reginæ pudicitiam tueretur. Miſertus nouercæ vicem Ramirus Sancij filius nothus, prodiit ad depellendam illatam Reginæ calumniam. Sed & vir religioſus, filios qui naturam exuerant, iudiciorum Dei admonitos, reduxit ad ſanam mentem, & vt matrem impacta labe liberarent, effecit. Pater mirè in eos exacerbatus, cauſam eorum matris iudicio permiſit; à qua matrem ſe recordante, in gratiam admiſſi ſunt; ſed ita tamen vt Ramirus nothus qui legitimos filios pietate ſuperarat, regno Aragoniæ donaretur, excluſis Garcia & Ferdinando, quod Sannius pater ratum habuit. Deſcribunt fusè hanc in Reginam à filiis calumniam, Mariana l. 8. de rebus Hiſpan. cap. 13. & Autor Hiſtoriæ Regum Nauarræ in Sancio Rege 13. eius nominis IV.

B. Maria Brabantina Henrici II. cognomento Magnanimi Brabantinorū Ducis, & Mariæ Philippo Cæſari editæ filia, fœmina omnis virtutis laude præcellens, nupta Ludouico Seuero Boiorum Duci, mox à nuptiis grauata eſt calumnia violatæ

violatæ fidei coniugalis per meras planeque inanes ſuſpiciones, hauſtas ex literis, quas Maria ſimul ad Ludouicum maritum, in latrones cum copiis profectum, ſimul ad Ruchonem Comitem Syluestrem dabat. Per errorem namque tabellarij, iis literis quæ ad Ruchonem dabantur marito redditis, & è contrario iis quæ ad Ludouicum dirigebantur Ruchoni datis, non videns Ludouicus quò argumentum literarum pertineret, amatoriam eſſe epiſtolam cenſuit; & abſque alia cauſæ diſcuſſione, œſtro incredibili percitus ex ora Rhenana vbi copias in prædones ductabat, domum præceps aduolat tabellario primùm veluti lenone furoris impetum experto & crudeliter obtruncato. Cùm primùm ad ſuos remigrauit, quod citatis equis nemine in exercitu conſcio, pauciſſimis adhibitis comitibus fecit (agebatur dies 15. Calend. Februarij anni 1256. iuxta Auentinum, iuxta alios verò annus 1275.) per inſolitæ emotionis indicia terrore omnia compleuit. Inprimiſque obuium arcis præfectum extemplo per ſicarium interfecit, tum corruptam vxorem de violata fœdo flagitio thori fide verborum tonitruis oppreſſam, fruſtra allegantem innocentiam ſuam carnificis gladio ſubiicit; ſorore Ludouici, Scilicię Regina quæ aderat nequicquam per omnia ſacra inducias iratum perbreues, ad rei diſcuſſionem quàm ſuppliciter expoſcente. Helicam Beneburgenſem nobilem è gynecæo Virginem tanquam herilis perfidiæ conſciam, adacto in pectus pugione confodit & matronam aulæ præſidem ex præalta arcis turre deturbatam furoris ſui quintam victimam fecit. Innocentiſſimæ mulieris famam, Deus mox reſarſit. Ludouicus poſt fuſum tam immaniter ſanguinem innoxium, tantis agitatus eſt mentis æſtibus, vt ipſa nocte cædem conſecuta, iuuenis non plus quàm ſeptem ſuprà viginti annos natus, planè incanuerit, ita vt manè ſeptuagenario maior, videretur. Annales Erfordiani, patefactam diuinitùs Mariæ innocentiam produnt; neſcio an ſubitam canitiem ad miraculum retulerint, quam aliis per æſtum animi inſolitum, naturaliter intra ſimile temporis ſpatium obtigiſſe conſtat: vt illi de Cæſaris aula apud Leuinum Lemnium 2. de Complex. c. 2 & alij apud Conimbricenſes l. de Iuuẽtute & ſen. c. 9. Quin etiam alios ſubitò planè incanuiſſe, refert Iunius l. de Coma cap. 10. & Ludouic. Cælius lib. 13. cap. 27. Vt vt ſit, Ludouicus ſerò præceps ſuum iudicium damnauit, & coniugi tanta calumnia grauatæ (vt potuit) ſatisfacturus, Romam ad Alexandrum Papam profectus, mulctæ nomine iuſſus eſt cœnobium ſuis ſumptibus condere atque inſtruere, vbi coniux iacebat: quod ibidem his diſtichis expreſſum legitur.

Coniugis innocuæ fuſi monumẽta cruoris,
Pro culpa pretium clauſtra ſacrata vides.
Boiorum clarus iacit hæc fundamina Princeps,
In pretium culpæ, coniugis innocuæ.

Narrationem planè tragicam, nonnullis duntaxat adiunctorum minutiis apud aliquos variantem, deſcribit ex variis ſcriptoribus Matthæus Raderus, Bauariæ Sanctæ volum. 2.

B. Genoueſa Brabantiæ Ducis filia, vxor Sigefridi Palatini, apud maritum nequiſſimè ſuſtinuit adulterij calumniam, Gelonem (Golonem vocant alij) cui ſpecioſiſſima mulier à Sigefrido cum exercitu in Paganos profecto fuerat commendata. Rei ſeriem planè miram Molanus SS. Belgicos deſcribens, Freherus vol. 2. de orig. Palatin. & Erycius Puteanus à Matthæo Radero in Bauaria ſancta volum. 2. exſcriptus, literis conſignarunt. Ego eo compendio refero. Primis ab inito coniugio annis, Genoueſa, nullo potita fructu coniugij, per Deiparam

ram

param quam adhibuit ſequeſtram, exorauit filiolum; marito cum in Barbaros proceſſit, grauidam à ſe relinqui coniugem, nequaquam conſcio. Gelo cui à Sigefrido concredita Genouefæ cuſtodia fuit, exardeſcens in concupiſcentiam eius, confictis de Sigefridi morte literis, vbi ſe apud pudicam mulierem ludere operam vidit, & non modò furtiuos amplexus quos ebblandiri primùm tentauerat, ſed etiam nuptias ardentiſſimè expetitas deſperauit, metu regredientis Sigefridi, ſecuritatem ſuam innoxiæ mulieris criminatione captauit, fingens ex adulterio peperiſſe. Credulus Sigefridus, matrem & filium ad omnia quæ pro innocentia afferebantur pertinaciter obſurdeſcens, aquis mergi imperat, lingua duntaxat mœchæ referri ad ſe iuſſa, quæ patratam cædem teſtaretur. Miſerati infeliciſſimam fœminam ſatellites, eam in auio nemore cum filiolo abiiciunt, à recenti partu adhuc languidam, & lingua canina humanam mentiti, mortuam cum prole matrem, Sigefrido impoſuerunt. Et ô inſignē Dei in innoxios prouidentiam! Verè bonus & optimus Deus rectis corde! Genouefa humano quouis deſtituta præſidio, Deum per Deiparam adit, dúmque haberet radices queis victitet anxia quæritat, incidit in fontem pellucidū, iuxta quem commodum (vt in memore & in ea calamitate) habitationi nacta ſpelæum: foliis quæ pro cubili eſſe poſſent, illud inſtruit, eoque cum filiolo diuertit. Cum lac, ſiue per nutrimenti inopiam, ſiue alia ex cauſa matrem defeciſſet, cerua affuit, vbera puſioni immulgens, eáque ſollicitudine quæ ſumma erat Genouefam leuauit. Totum ſexennium menſéſque inſuper tres, diuinam prouidentiam in eo antro experta pia mulier, à viro denique Sigefrido in ea ſylua per occaſionem venationis errabundo reperta, & ex ſermone ac cicatrice quam vulnus olim vultui impreſſum reliquerat quæ eſſet deprehenſa, tangente Deo cor eius pro innoxia qualis reuera erat ex tot diuinæ circa eam atque puerulum prouidentiæ indiciis habita, vrgenti ad regreſſum Sigefrido non priùs ceſſit, quàm de conſecranda illic Deiparæ liberatrici ædicula promiſſionem extorqueret; quam mox S. Hildulphus Treuirenſis Antiſtes dedicauit, ibidémque pia mulier cum quarto Nonas Aprilis trimeſtri circiter poſt regreſſum exacto, tumulata eſſet, inſignibus miraculis eſt nobilitata. Spurcus verò innoxiæ criminator, à iuuencis quatuor indomitis quibus alligatus eſt, in totidem partes abſtractus; iuſtas calumniæ impactæ pœnas dedit, vt bonum in ſuos Deum, ita vltorem in calumniatores, manifeſto exemplo comprobans. Geſta ſunt hæc ſub annū Chriſti 1250. nam S. Hidulphus Treuirenſis Antiſtes cuius ætate hæc geſta produntur, anno 1254. ceſſit è vita.

Vulgatiſſima eſt, & lippis quoque ac tonſoribus nota, Narratio de paupercula adulterij inſimulata ob numeroſam prolem, & criminatrice eius Hollandiæ Comitiſſa, ad gemitum pauperculę, partu tot liberorum quot ſunt in anno dies, prodigioſè infamata. Hæc narratio ab Alberto Krantzio in hiſtoria Vandaliæ & in Brunſuuicenſium Annalibus ad annum 1313. refertur de Margareta Comitis Holſteinij vxore. An affinitas nominum Holſteinij & Hollandiæ rem perturbarit, an verè ſint duæ hiſtoriæ, me latet.

CAPVT VIII.

De ſimplici Fornicatione.

Tametſi impuris quibuſdam, non modò Ethnicis, vt eſt apud Alphonſum de Caſtro l. 3. de iuſta hæret. punit. cap. 8. ſed etiam improbis Chriſtianis, ſimplex fornicatio qua ſolutus cum ſoluta miſcetur labe vacare viſa eſt: (Ita enim

Græci quidam, teſte Humberto Cardinali l. ad Græcorum calumnias, & quidam Nilus Scholaſticus apud Iſidorum Peluſiotam l. 5. epiſtol. 241. eſt tamen reuera ingens ac tetra labes fornicatio, etiam intra nudum naturæ lumen ſpectata, vt multis proſequor l. 6. de virtut. à n. 149. Ac ſi quid ad turpitudinis crementum facere poteſt, eius quod maximè nitens ſeruandum fuerat, dehoneſtatio, *qui fornicatur, iudice Apoſtolo, in corpus ſuum peccat*, cuius pronunciati hunc ſenſum quem dixi, perbellè tradit Iſidorus Peluſ. l. 4. epiſt. 130. in prima è decem eiuſdem dicti interpretationibus, & præclarè etiam ſenſum illum proſequitur Nyſſenus orat. in illud Apoſtoli dictum. Quia tamen dicti illius tam multi alij præterea ſunt ſenſus, ac nominatim is quo *corpus ſuum* pro vxore accipitur, iuxta Gregorium II. in Capitulari ad Martinianum c. 6. & Iſidorum Peluſiotam ſupra, *in decima explicatione*, non inſiſtam vlteriùs premendo ei loco, ad exhibendam huius probri fœditatem: Conſiderabo autem duntaxat, cũ credito Chryſoſtomo hom. de contin. Ioſephi, quanto dedecore afficiatur Chriſtus à fornicante, faciente corpus ſuum membrum meretricis. Ea enim ex cauſa, apud veteres, minoris eſſe potuiſſe caſtimoniam, docet prædictus Autor. [Non enim erat quòd tanta vi ad virtutem illam vrgeret, neque virginibus crimen erat neglecta continentiæ profeſſio. Quomodò autem hoc? Quia huius cauſæ gratia Deus excelſus vniuerſorum opifex, noſtram accepit formam, vt Angelorum ſanctimoniam ex cœlo deduceret. Quando igitur homines, poſt tantum honorem voluptatibus ſe mancipent, dici nequit temeritatis magnitudo, qua membra Chriſti, membra meretricis facientes: Domini miſericordiam iniuria afficiunt, & (quantum in eis eſt) vanam reddunt. Audiunt dæmones, & timẽt, quia Deus non concedit, vt coniungantur ſibi, nos autem ſibi adiungat. Et audent fidelium quidam abſcindere ſe à Chriſto, & iungere meretricibus! Non tantum eſt malum è cœlo in lutum cadere, quantum malum fuerit membrum Chriſti factum, à diuino honore excidere, & membrũ fieri ſcorti. Quando igitur concupiſcentia mala inflammat animam, ſtatim recordare Chriſti, cogita adſtare tibi Paulum adhortantem, ac dicentem. *Neſcitis quòd corpora veſtra, membra Chriſti ſunt. Gerens membra Chriſti, facieſne membra ſcorti?* Si illorum verborum fueris recordatus, ſtatim fugientem videbis voluptatem. Nam ſi ancillas domina caſta & pudica turpitudini deditas, ſtatim ſolo aſpectu pudicas facit, quid mirum ſi titillantem voluptatem Chriſti memoria ſtatim ſopit?] Attigit perpaucis & benè, hoc fornicationis dedecus Eucher. hom. de S. Latrone *in fine*. Eſt ergo fornicatio, labes magna, quia quamuis non videt iuſtitiam, neque religionem, eò quòd ſit commixtio cum perſona ſoluta, & non ſacra; ſauciat tamen immaniter Temperantiam. Et idcirco probrum quod eius falſa impoſitione inuritur, eſt omnino magnum apud æquos æſtimatores. Nonnulla huius calumniæ exempla inſigniora ſubnecto.

S. Maria Magdalena, ex ſenſu multorum fuit ſcortum, vſque adeò vt in ſyllabo meretricum apud Rauiſium & Zuingerum, ſecundas teneat. Et ita colligi putant ex illis de ea Lucæ verbis, *mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*. Ea quippe antonomaſia eminentiam impudicitiæ ſonare videtur, atque adeò vulgationem ac proſtitutionem corporis: Et ſaltem impudicitiam, ſin minùs cum omnibus ſolutis, at ſaltem cum aliquo, inſinuat; iuxta Toletum Lucæ 7. annot. 61. Nec poteſt declinari hoc telum in Magdalenam vibratum, negando eam eſſe illam mulierem peccatricem cuius Lucas c. 7. meminit. Ita quidem exiſtimauit Baſilius Seleuc.

Digitized by Google

leuc. orat.40. *initio*, nec non Victor Antiochenus in c.14.Marci,& Titus Boſtrenus in c.7. Lucæ: & idem habent Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, & ante hos omnes Clemẽs Romanus III. Conſtit.cap.6.vbi alios ſignat Turrianus. Hæc inquam teſti ex Luca propoſiti declinatio non eſt idonea, vt rectè tradunt Toletus Lucæ 7. annot. 62. & Maldon. Matth. 26. quibus ſubſcribo in Tract. de Iuda c. 8.n.8.

Nihilominus Magdalenam fuiſſe meretricem,calumnioſum eſt,vt rectè euincit Card. Berullius in vernacula diſputatione de hoc argumento. Nec ſcriptura refragatur,cùm peccatricẽ vocat Magdalenam in ea vrbe,in qua Chriſtus erat,degentem;potuit enim dici *peccatrix*,etiam cum aliqua emphaſi,etiamſi publicè non faceret quæſtum corpore. Idque de muliere claris natalibus, & opulenta, ſororémque contubernalem habente optimam, (cuiuſmodi erat S.Martha)videtur incredibile.Quæ ratio mihi æquè perſuadet, Magdalenam ne vni quidem proco conſueuiſſe,apertè ac propalam;aut ita vt noxa illa nullis tergiuerſationibus celari poſſet.Idcirco tamen dicta eſt *mulier peccatrix*,quia cùm eſſet vidua iuuenis,qualem exhibet commentarius Hieronymi in Marcum c.15. facta iuris ſui, licentiùs agebat quàm communis ædificatio & bonus in ciuitate odor tuliſſet, etiamſi neque ſcortum fuerit,neque vel vni addicta eſſet ad turpem vſum, niſi ad ſummum clancularium atque furtiuum, qui apud homines non pateret,ſed negatione eludi poſſet.

Gregorius Neocæſarienſis poſtea Epiſcopus, tunc Theodorus, priuſquàm per myſticam & incorpoream natiuitatem inſtitutus eſſet, vt de eo loquitur Nyſſenus, teſtem vitæ ſuæ Deum fecit, a quo impacta illi de fornicatione calumnia,inſigni miraculo eſt patefacta. Rem verbis Nyſſeni pando. [Cum degeret (Theodorus) in Ægypto,in magna Alexandri vrbe,in quam ex omnibus partibus philoſophiæ & medicinæ ſtudioſa iuuentus confluebat;moleſtum ſpectaculum æqualibus erat, adoleſcens ſuper ætatem ſobrietate, temperantiaque ornatus. Eius enim vitæ puritatis & integritatis laus, impurorum probrum ac dedecus erat. Vt igitur aliquam excuſationem intemperantes ac libidinoſi haberent, ſi ipſi non ſoli tales eſſe viderentur, inſidias comminiſcuntur, & vafrum quoddam conſilium excogitant; vt aliquam notam & maculam magni illius viri vitæ inurerent. Ac producitur ab eis, quæ illum calumniaretur muliercula meretrix,quæ corpore quæſtum faceret, infamia irrogata ex carcere dimiſſa.Cúmque ille pro conſuetudine cum viris doctis,atque delectis in habitu graui & honeſto de quadam quæſtione philoſophica diſpiceret,vnaque ſe cum illis exerceret, muliercula accedit ineptis geſtibus formam oſtentans & molliticm,luxumque præ ſe ferens,& per omnia quæ & dicebat & faciebat, ſeſe conſueſcere cum eo ſimulans. Tandem dicebat ſe mercedibus fraudatam eſſe,adiiciens etiam cauſas præ impudentia,pro quibus querebatur ſe mercedibus eſſe fraudatam. At cùm illi, qui eius vitæ puritatem & continẽtiam non ignorabant, indignarentur, & irâ aduerſus mulierculam commouerentur;neque vnâ perturbatus eſt cum iis, qui ipſius nomine ſtomachabantur; neque quicquam eiuſmodi dixit,cùm calumniis premeretur,quale pronuntiare par eſſet eum, qui grauiter moleſtéque rem ferret: non teſtes vitæ aduocauit; non iureiurando probrum ab ſe reiecit;non malitiam eorum, qui hæc aduerſus eum machinati erant, conuicit: ſed ſubmiſſa atque ſedata voce, conuerſus ad quendam familiarem. Heus tu(inquit;) numera ei pecuniam, ne diutiùs importunitate ſua, propoſitæ quæſtionis tractatum conturbet. Cùm autem is cui hoc

Digitized by Google

hoc iniungebatur, à meretricula ſciſcitarus quantam pecuniam ab illo poſceret, ſine mora omnem adnumeraſſet: atque ab laſciuis & proteruis aduerſus ſobrium & continentem inſidiæ peractæ eſſent: & iam in manibus illius infamis lucrum eſſet, tunc diuinitus & continentia adoleſcentis probatur, & calumnia æqualium patefit. Simul enim atque manu pecuniam accepit, ſpiritu infelici atque maligno correpta, fremituque inmani atque ferali, diuerſo à voce humana ſono ingemiſcens, collabitur prona in medio cœtu congregatorum; ſpectaculum horrendum atque terribile præſentibus repentè facta, cùm & capillus, quem ſuis manibus vellebat dilaceratus atque diſiectus, & oculi inuerſi eſſent, & os ſpumam emitteret. Ac non priùs à dæmonio ſuffocari deſiit, quàm magnus ille, Deum pro ea inuocaſſet atque placaſſet.]

S. Helena Conſtantini Magni mater, Conſtantij non vxor legitima, ſed concubina ante quoduis coniugium fuit, iuxta pleroſque, non modo Ethnicos, Conſtantino ob nouitatem religionis parum æquos, ſed etiam Chriſtianos, quos inter Nicephorus l. 7. cap. 18. Nec audet pro S. Helenæ innocentia ſtare Zonaras t. 3. Annal. in *Conſtantino*, Et apertè cócubinam vocat Beda lib. 1. hiſtor. Angl. c. 8. ac pellicem Aldelmus l. de laud. Virg. Statuendum tamen omnino eſt. S. Helenam, non concubinam, ſed legitimam Conſtantij, patris Conſtantini Magni, vxorem fuiſſe. Id enim Victor in Diocletiano, & Eutropius l. 9. ſatis inſinuant cùm docent, Maximianum Herculium adegiſſe Conſtantium, vt repudiata priore vxore (Helena ſanè non alia, cuius vſpiam fiat mentio,) coniungerentur matrimonio Theodoræ priuignæ ipſius Maximiani. Erat igitur Helena vxor Conſtantij. Quid quòd ſub initium Panegyrici dicti Conſtantino & Maximiano, in Nuptiis cum Fauſta, Orator Conſtantinum celebrat, quòd imitatione Patris Conſtantij à fine adoleſcentiæ, formaſſet animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus in ſacrum pectus admittens. Agnoſcit ergo, Conſtantium Magni Conſtantini patrem, habuiſſe iam ante Theodoram, aliam quæ ei eſſet vxor legitima, cuiuſmodi nulla alia memoratur ab vllo prorſus ſcriptore, præter S. Helenam; quæ tamen à pleriſque concubina potiùs eſt credita, quia Romanis peregrina erat, & eius prouinciæ in qua Conſtantius rerum potiebatur, hoc eſt Britanniæ, iuxta protritam ſententiam (quanquam reclamante Lipſio l. 4. de magnit. Rom. c. 11. & in notis.) At huiuſmodi matrimonia non habebantur iure Romano planè firma, donec poſt abitum è prouincia depoſitumque Magiſtratum, perſeueraret eadem coniugij voluntas: quod tunc deſinebat caducum eſſe ex l. *eos qui* ff. de ritib. nuptiar. Neque verò nomen *concubinæ*, ſonat ſemper coniunctionem damnatam: plerunque enim etiam in Geneſi ſumitur pro legitimè coniuncta, ſed infra dignitatem vxoris. Et ita ſumi in 1. Concilio Tolet. cap. 17. notat Turria. l. 1. contra Magd. cap. 18. Itaque S. Helenam fuiſſe legitimam Conſtantij coniugem, & meritò Conſtantium poſthabitis Theodoræ filiis, Conſtantio Iuliani & Galli patre, Delmatio & Annibaliano, Helenæ genitum Conſtantinum, reliquiſſe Imperij hæredem, pono extra dubium. Idque latè confirmat Michael Alfordus in Britannia illuſtrata cap. 1. ſect. 2. §. 6. & 7.

CAPVT

CAPVT IX.

De calumnia alteri ſtructa, & quibuſuis in alienam famam graſſationibus, falsò impoſitis.

POſt probra falsò alicui impacta, quibus aliena vita aut pudicitia impetitur, percurrenda ſunt quæ ſpectant alterius infamationem, quibus ſcilicet grauatur quis falsò & iniuriâ, quòd alterum infamarit: vt facit qui calumniam alteri concinnat. Quæ quāta ſit labes, ſatis expoſitum ſuprà eſt, tractando calumniæ virulentiam. Eiuſdem furfuris eſt, detractio. Nam quamuis detractio, (vt ſectione 1. cap. 5. ex S. Chryſoſtomo notabam,) eo differat à calumnia, quòd poſſit eſſe abſque falſi impoſitione, vt cū vera culpa ſed latens euulgatur: tamen plerumque detractio recurrit cum calumnia, quia clanculum detrahitur de fama proximi, imponendo ei falſam labem, quòd eſt peccatum planè fœdum, vt latè proſequor lib. 3. de virtut. ac vitiis à num. 222. & videndus nominatim ſanctus Chryſoſtomus homil. 3. ad popul. & Bernardus hom. 24. in Cant. ac ſer. 3. de Eccleſ. dedicat. vbi *proditores Caſtri Dominici*, pronuntiat eos, qui in cœtu quopiam ſacro, per detractiones perdunt charitatem; & iuſtitiam, alieni iuris in famam ſuam laceratione excindunt. Climacus item gradu 10. detractionem, (vt ait,) *ſanguiſugam charitatis*, validè inſectatur. Non licet igitur ambigere, quin grauiter notetur quiſquis falsò inſimulatur, quòd ſit calumniator aut detractor. Subiuere tamen huiuſmodi notas aliena malignitate impoſitas aliqui Sanctorum atque piorum, vt in exemplis quæ ſubiicio, manifeſtum erit.

Titus Boſtrenus, vt eſt apud Sozomenum l. 5. cap. 14. per Iulianum Apoſtatam, apud ſuos Boſtrenos traductus eſt, tanquam eorum calumniator. Mandauerat enim Boſtrenis Iulianus, vt Titum vrbe pellerent: multa inſuper, & in eum, & in Clericos eius minatus, ſi vlla à populo conflaretur ſeditio. Titus cicurandæ illi feræ, libellum miſit, quo teſtabatur, Chriſtianos & Gentiles pacificè degere, & ſuis hortationibus inductos, nihil cogitare ſeditioſum. Hæc verba Iulianus, vt odioſum & inuiſum populo redderet Titum, ita retulit datis ad Boſtrenos literis, vt ſcripſiſſe ad ſe diceret Titum, Boſtrenos inuitos, nec ſua ſponte, ſed ipſius Titi ſola induſtria, & fortibus adhortationibus, à ſeditione temperaſſe; Titum de calumnia populo apud ipſum Iulianum illata inculans; & eandem fuliginem Clero Boſtreno affricans. Epiſtola integra, plena fraudis & nequitiæ in Titum, hodieque legitur. Quanquam ſordet Titus iis næuis qui illum meritò ex Sanctorum probatorum albo repulerint, tamen vel eo nomine, quod ab impio deſertore calumniam de calumnia ſit paſſus, in odium Chriſtianæ fidei quam profitebatur, dignus fuit cuius non reticeretur calumnioſa vexatio.

S. Spiridion Epiſcopus Trimmythuntis in Cypro, per impudentiam fœminæ, calumniator audiuit. Nauta ſiquidem cùm abſceſſiſſet Trimmythunte, & non niſi biennio poſt rediiſſet, vxorem reperit grauidam, qua de re apud ſanctum Antiſtitem querelam depoſuit. Ab eo accerſita mulier, caſtam ſe & pudicam eſt conteſtata. At ſancto Epiſcopo, tempus abſentiæ mariti vnaque vteri tumorem vrgente, mulier perfrictè & præfractè, puerum ſupra biennium ſibi in vtero hæſiſſe contendit; & Epiſcopum ſimul ac maritum, quòd eam de viro alieno concepiſſe dicerent, calumniatores vocauit. Sed Deus vltor fuit iniquitatis, & ſanctum virum nota calumniæ liberauit. Mox enim expleto nonimeſtri fœ-

tus in vtero commoratione, ex ſancti viri oraculo, mulier adacta eſt fateri quod erat; nec priùs leuata partus cruciatibus quàm animam ſimul effunderet, teſtimonium perhibuit innocentiæ viri ſancti, & ſuæ calumniæ: fuitque adeò ſubita Dei ira in miſeram fœminam, vt vir ſanctus magnum inde dolorem hauſerit, & magna vi lachrymarum profuſa adiecerit. [Non ampliùs iudicabo inter homines, cùm tam citò eos inuadat prolata ſententia.] Accepit autem omnes timor, (vt Metaphraſtes iſta deſcribens, recitat: nec ſecùs S. Spiridionem ſpectabant, quàm olim diſcipuli B. Petrum, poſt Ananiæ & Saphiræ ſubitam percuſſionem, illicò ſubiunctam peccato.

S. Philibertus Abbas Gemeſienſis, cuius laudes Fulbertus in S. Aicadri Actis panxit inſigniter, impio tamen Ebroino exoſus ab eodem Ebroino, de calumnia impacta, eſt accuſatus. Quod enim S. Philibertus Apoſtaſiam à religioſo inſtituto obiiceret Ebroino, nec vllis eius artibus aut muneribus flecti poſſet, verſus ad calumnias Ebroinus, vt erat omnis iniquitatis peritus artifex, literas artificij refertas ad S. Audoënum Rothomagenſem Epiſcopum, cui Monaſterium Gemeſienſe vel Gemmeticenſe ſuberat, tranſmitti curat, tanquam à S. Philiberto ad Regem ſcriptas: quibus B. Audoëno per calumninm violario maieſtatis impingebatur, & ſpes magna ingentium Theſaurorum fiebat, ſi eo exturbato, ſubrogaretur ipſe S. Philibertus. Eas literas ad S. Audoënum tranſmiſſas, filij Belial ab Ebroino adhibiti, variis coloribus efficiebant veriſimilem ſancti Philiberti partum. Ex quo factum eſt, vt ſanctus Audoënus ſancto Philiberto ſuccenſeret, eumque tanquam Antiſtitis ſui calumniatorem carceri manciparet; in quo ad tempus aliquod, ſuſtentatus eſt pane tribulationis: donec fonte malignitatis reſerato, & odiis Ebroini in ſanctum Philibertum deprehenſis, ſanctus Audoënus pœnitentia ductus, auctum meritis virum ſanctum è carcere eduxit, & priſtino gradui reſtituit; tantam pro viribus faciens acceſſionem honoris, quantum eidem dedecoris per ſubreptionem intulerat, tractans vt calumniatorem.

S. Nilus Calaber, cuius tal ulæ Eccleſiaſticæ 26. Septembr. tanquam hominis ſanctitate conſpicui meminerunt, calumniator deterrimus dictus eſt, ipſoque *Diaboli* calumniatorum anteſignani, nomine notatus. Res ſic deſcribitur in eius Actis, quæ ipſius diſcipulus cōſcripſit. Aduocauerat Capuam Aloara Pāduſphi principis vidua, ſanctum Nilum. Is illius [precibus annuens, cùm ad ciuitatem veniſſet, currebant omnes ad vias publicas, vt viderent reuerendum eius aſpectum, & obtinerent eius benedictionem. In quibus Diaconiſſa quædam Monaſterij Præpoſita cum ſuo Sacerdote iuuene exiſtente, & ætate florente ac robuſta, cùm collegiſſet etiam alias virgines ſuas quibus ipſa præerat, exiit vt obuiam iret B. Nilo. Ille verò cùm prophetico ſpiritu conſpexiſſet earum geſta, occurſum ipſarum non curauit; ſed potiùs vt gladius ignitus, auſtera voce & terribili vultu ſeipſis obiecit, inquiens; Quid vobis & iuueni iſti, vt vos quæ videmini virgines, cum ipſo ſimul habitetis? An ignoratis quòd hic eſt vir, & ipſe ignorat quòd vos eſtis mulieres? Si Deum non timetis, homines cur non reueremini? Reuera in vobis non video iuſtitiæ fructum. His illæ auditis, cùm oporteret vereri & horrere B. Nili ingenuitatem, receſſerunt dicentes. Non eſt hic ſeruus Dei, ſed Diabolus. Et ſtatim ſequenti die, inuentus fuit Presbyter ille cubans cum Diaconiſſa illa, ſua conſanguinea, & hoc auditum eſt per vniuerſam ciuitatem illam.]

[En calumnia calumniæ ſancto viro impacta, ſimulque eius depulſio, factis reuincentibus falſiloquij inanitatem. Quia enim

enim vox Latina *calumniatoris*, Græca *Diaboli* voce exprimitur, videtur omnino ſenſum harum calumniatricum fuiſſe, ſanctum Nilum eſſe calumniatorem qui eas falſo crimine ſacrilegarum ſpurcitiarum grauaret. Quanquam autem vna ſola Diaconiſſa cæteris Præpoſita in flagranti delicto eſt deprehenſa, tamen ſicut omnes communiter de calumnia per ſanctum Nilum impacta expoſtulaſſe referuntur, ita omnes reipſa ei probro ſubiacuiſſe videri poſſunt, & iuuenis Sacerdos, quaſi admiſſarius illius proletarij equarum armenti fuiſſe videtur, quantum colligitur ex communi ad omnes quæ externa ſpecie videbantur virgines, increpatione à viro ſancto intorta, ob illum iuuenem Sacerdotem, exemplo peſſimo contubernalem, ſpecie inſeruiendi monaſterio in iis quæ ad Deum erant.

S. Bernardus, calumniæ Petro Abelardo ſtructæ inſimulatur, quaſi parum fideliter eius placita retulerit. Ita qui ante paucos annos opera Petri Abelardi luce donauit, ante vndecimam inter eius Epiſtolas, nixus profeſſione fidei ſuæ à Petro Abelardo edita epiſtol. 20. in qua habentur nonnulla iis contraria, quæ S. Bernardus Abelardo adſcribit. Hoc verò non tam eſt calumniæ notare S. Bernardum, quàm parùm verſatum ſe prodere in ſcriptis Patrum, cum Hæreticis agentium. Quis enim neſcit, Hæreticos veluti Proteos, in omnem formam prout res tulerit ſe vertere, nunc hoc, nunc contrarium aſſerendo? Gnoſticos S. Irenæus l. 3. cap. 2. adducit, cum è re ipſorum erat, traditionibus inſiſtentes; cùm verò traditiones haberent aduerſantes, nihili eas facientes ac deſpuentes. Pelagij vacillationes, imò apertas antilogias quibus priùs à ſe tradita conuellebat, moxque conuulſa & diſiecta inſtaurabat, vafra commutatione verborum, apud D. Auguſtinum legimus. Berengarij inconſtantia, neminem latet. Quidni ergo Abelardus à D. Bernardo exagitatus, metuens ſibi, potuit alia aſſerere in ſuæ fidei confeſſione, quàm priùs reipſa aſſeruiſſet? Nemo profectò plus fidei tribuere debet homini erroribus planè multis ſordenti, qualis fuit Abelardus, quàm homini ſancto, coram ſummo Pontifice, & Concilio errores eius impugnanti; quod fecit S. Bernardus: ea cæteroqui ſynceritate & pietate homo, vt dubium non ſit, quin à calumniis impingendis, & calamo quaſſato conterendo, quàm longiſſimè abfuerit.

Itaque quamuis Abelardus epiſtola 20. diffiteatur ſe vnquam negaſſe Chriſto timorem Dei, tantúmque dicat, ſe ei negaſſe timorem ſeruilem qui eſt initium ſapientiæ, & à perfecta charitate foras mittitur; timorem autem caſtum permanentem in ſæculum ſæculi, diſertè Chriſto concedat, & confirmet ex Iſaia, docente Chriſtum eſſe replendum ſpiritu timoris Domini: Tamen præſtat erroni ſibi teſtimonium perhibenti fidem abrogare, potiùs quàm S. Bernardo, qui id in Abelardo confutat epiſtol. 190. & Innocentio II. qui id in Abelardo diſertè damnat, ea epiſtola, quæ apud S. Bernardum eſt 194. Similiter circa Dei omnipotentiam profitetur ipſe Abelardus ea epiſtola 20. Deum alia multa potuiſſe facere, præter ea quæ fecit. Contrarium enim ei adeò ridiculum & abſurdum dixit Petrus Damiani in epiſtola de Dei omnipotentia, vt ne de homine quidem aſſeri poſſit. Itaque meritò id eraſit Abelardus dicta epiſtola. Et tamen latè id tradiderat lib. 3. introd. ad Theologiam cap. 5. Non eſt ergo fidendum Hæreticis, etiamſi negent ſe aliquid aſſeruiſſe; cùm vir grauis & fide dignus qui id compertum habere potuit, contrarium confirmat, vt contigit in re propoſita.

Religioſi mendicantes qui Lutetiæ Gulielmi Aruerni ætate degebant, grauis calumniæ in Philippum Greuæum incuſantur

Digitized by Google

cuſantur à Claudio Hemeræo libro de Academia Pariſienſi, in Nomenclatura Cancellariorum illius Accademiæ, ad annum 1219. Memorans enim hic autor, diſputationem celeberrimam, præſide Gulielmo Pariſienſi habitam Luteriæ in cœnobio fratrum Dominicanorum, circa beneficiorum Eccleſiaſticorum in eadem perſona multiplicationem: addit, Philippum Cancellarium quod multo animi conatu patrocinatus eſſet honeſtati pluralitatis beneficiorum, in odium Ordinum mendicantium incurriſſe, & infamis hiſtoriæ ſtylo, poſt mortem fœdè confeſſum eſſe. Hoc eſt dicere, Philippum per calumniam oneratum eſſe infamia damnationis æternæ, quam ei obtigiſſe ob pertinacem doctrinæ propoſitæ defenſionem & volutationem in cœno luxuriæ, ex eius iam defuncti reuelatione prodidit Cantipratanus æui illius ſcriptor l. 1. Apum. cap. 19.

Sed non video fundamentum oneranda Ordines mendicantes tam graui calumnia. Peruelim ego quidem, narrationem de Philippo proditam, idoneis argumentis labefactari poſſe. At autor cùm quo agimus, ne leuiculum quidem indicium profert, ſtructæ ab Ordinibus Mendicantibus Philippo calumniæ. Itaque tentans purgare Philippum, teterrimam maculam Ordinibus ſanctiſſimis ex ſuo cerebro abſque fundamento vllo inurit. Quid verò fuit, cur Philippus ea aſſertione licitæ pluralitatis beneficiorum, incurreret potiùs in odium Religioſorum Mendicantium, quàm quorumcunque proborum, quibus ea doctrina improbatur? Aut cur mendicantibus potiùs, quàm cæteris Ordinibus, ea in Philippum calumnia impingitur cùm ordinum mendicantium, (quippe beneficiis Eccleſiaſticis non inhiantium,) minùs interfuiſſe videatur, doctrinæ contrariæ patronum Philippum dehoneſtari, & mortuum flagrare infamia damnationis æternæ? Itaque omnis illa de ordinibus mendicantibus Philippum calumniatis accuſatio, voluntaria eſt, & abſque fundamento recèns impacta.

Inſigni admodùm calumnia, & Iuriſperitos nonnullos, & ipſos Pontifices, à Ioanne Pierio Valeriano deformatos video, in Apologia pro barbis ſacerdotum; eò pertinente, quod Poetas omnes magna calumnia grauauerint. Occaſio calumniandi ducta eſt ex verbis Gelaſij c. 5. Romana diſt. 15. quæ ſunt eiuſmodi. *Viri venerabilis Sedulij, opus Paſchale quod heroicis deſcripſit verſibus, inſigni laude proferimus.* De hoc Gelaſij loco ita ſcripſit Pierius. [Vulgata hactenus exemplaria, pro *Heroicis verſibus*, habuere; *Hereticis verſibus.* Quod quibuſdam legum profeſſoribus, ſuſpicionem oggeſſit, omnia poëmata eſſe hæretica, Poetaſque inter pios, etiamſi ſacra tractent, nequaquam annumerari. Id quod Paulo II. & Adriano VI. Pontificibus vſque adeò perſuaſum fuit, vt hac de cauſa, nullum hominum genus, maiori proſequerentur odio, quàm Poëtas; id nominis nihil aliud præ ſe ferre arbitrantes, quam impietatē.]

Ita quidem Ioannes Petrus, (vel vt ipſe luſtricū nomen ſuū correxit, *Pierius,*) Valerianus: notans Iuriſperitos, & binos Pontifices Maximos, non exiguæ in Poëtas calumniæ. Sed hoc ille pertetriorem calumniam facit. Quis enim Iuriſperitorum adeò fungus fuit, vt opus Sedulij quod à Gelaſio in Concilio Romano celebrari tam ſtudioſè videbat, verſibus hæreticis conſcriptum crederet? Quomodò verò conſcribi poſſunt verſus hæretici? Nam etiamſi inſereri poſſunt verſus hæreſibus, ſubiecta illis notione hæretica, tamen verſus prout verſus, non niſi ineptiendo dici poſſunt hæretici, ita vt in quacunque materia hæreſim puteant. Itaque quod hanc ob cauſam, Pontifices exoſos habuerint omnes Poëtas, inepta eſt calumnia. An verò ignotum fuit Pontificibus,

Pontificibus, libros pleroſque Canonicos carmine conſcriptos eſſe, vt notatunt Arator Præfatione in Hiſtoriam Apoſtolicam ad Vigilium Papam, Drepanius Florus Epiſtol. ad Modoinum, & optimè S. Hieronymus Præfatione ad librum Iob, ac præfatione in Euſebium, vbi hæc nominatim. [Quid pſalterio canorius, quod in morem noſtri Flacci, & Græci Pindari, nunc iambo currit, nunc Alcaïco perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur? Quid Deuteronomij, quid Eſaiæ Cantico pulchrius? Quid Salomone grauius? Quid perfectius Iobo? Quæ omnia Hexametris & Pentametris verſibus, vt Ioſephus & Origenes ſcribunt, apud ſuos compoſita decurrunt.] Hoc de libris Sacris verſu conſcriptis, diligenter excutit Delrio proloquens ad Threnos Hieremiæ, & Pineda cap. 4. præfationis in Iobum. Poëtas autem ſacros, extra ſcriptores Canonicos, annotauit non paucos, Fortunatus in Præfatione operis de S. Martino. Quos omnes, abſit vt Iuriſperiti pro hæreticis, & Pontifices pro impiis habuerint. Sed Poëtæ quos Pontifices, & nominatim Adrianus V I. vir & ſanctiſſimus & doctiſſimus pro impiis habuerunt, & auerſati ſunt, Poëtæ erant ſub nomine Chriſtiano vitam viuentes Ethnicam atque ſuillam, vt attigi ſect. 3. cap. 6. circa calumniam de auaritia.

Robertus Cardinalis Bellarminus, æui ſui gemma, & purpuræ Romanæ decus, non à ſectariis tantùm, quorum fuit malleus indefeſſus, ſed etiam [quòd multò magis mirum eſſe debet) à Catholicis, iiſque Religioſis, calumniator audiuit: eóque nomine, ſcriptione integra eſt exagitatus, eo quòd libro 2. de Gemitu Columbæ cap. 6. pro vno lachrymarum fonte, aſſignarit conſiderationem ordinum quorumdam Religioſorum, in quibus per ſocordiam aliquorum, ab optimis initiis deuentum eſt ad laxitatem, & ordinis diſſipationem; ita vt quamuis nullus ſit ordo in quo non ſint multi boni; ſint tamen aliqui ordines, in quibus magna eſt multitudo Religioſorũ laxaræ ac luxatæ diſciplinæ. Hanc eſſe calumniã, & nullum eſſe Religioſum ordinem corruptum, grauis quidam admorſor, edito (vt dixi,) libello contra illud Bellarmini dictum eſt, conteſtatus. [Mihi hæc propudioſa aduersùs pium & de Eccleſia benemeritiſſimum ſcriptorem, calumnia, ſtrigili potiùs deficanda, quàm calamo repellenda videtur. Quæ enim (malum!) bruta iſta malignitas eſt, inficiari velle, eſſe aliquos in Eccleſia Ordines Religioſos, laxatæ vel etiam corruptæ diſciplinæ. Hic calumniator, exemptitios cum Lamia oculos haud dubiè habuit, qui non viderit quod cæci vident. Et poterat ſanè, vel ex vno Ioannis de Excuria Epiſtola de Religioſorum reformatione, & ex pleniore Ioannis Nideri opere de Religioſorum reformatione, dediſcere errorem.

Hîc eius operis prioribus duobus libris, motiua reformationis Ordinum laxatorum, & excuſationes in peccatis quas adhibent qui hærere volunt in volutabro luti, accuratè admodùm ac piè proponuntur & excutiuntur: quòd fruſtra fieret, ſi nullæ eſſent Religiones laxatæ, quæ reformatione egerent. Sed me quidem pudet, vel iſta referre, aut refellere. Qui enim eò venit, vt negare auſit eſſe Ordines aliquos in Eccleſia laxatæ & corruptæ diſciplinæ, haud aliter mihi videtur agere, quàm olim Anaxagoras, cùm niuem diffitebatur eſſe albam. Sunt verò nonnulla, quæ præſtat cùm effutiuntur non refellere, quàm refellendo teſtatum facere, potuiſſe alicui vera aut probabilia videri: vt de omnibus nimis falſis monuit S. Athanaſius Epiſtol. ad Epictetum. At enim nullus eſt ordo laxatus, omnes ſunt ſancti: Tantùm in particulares perſonas irrepit luxatio. Ita, leuiter

Digitized by Google

niter Grauina. Quis enim neſcit, quoduis inſtitutum ab Eccleſia probatum, iuſtum & ſanctum eſſe, nec reformationis indigum! Qui hoc negauerit, inliſo anathemate mulctator. Perſonæ tamen ſingulares, exerrare à recto poſſunt: & hæ ſunt, quæ ſicut obſeruare leges ritè conſtitutas poſſunt, ita Ordinem laxatum conſtituunt, cùm ſecus agunt quàm deberent, & ferret regula. Itaque meri cauilli & nugæ, imò calumniæ ſunt, obſtrepere viro magno, quia dixit quod eſt veriſſimum, dari ſcilicet aliquos ordines laxatæ diſciplinæ, auertendo ſermonem ad inſtituti ſanctitatem, quæ illi dubia non fuit. Ioannes Nider l. 2. de reformat Religion. cap. 9. agens de quodam haud diſſimiliter affecto quàm hîc ſe monſtrauit Granina, vnde ea cæcitas exiſtere ſoleat, aperit manifeſtiſſimè.

Leonardus Leſſius ex Societate IESV, immanis calumniæ inſimulatus eſt, eò quòd in Commentariolo de fide & religione capeſſenda, Caluinum dixiſſet ſtatuere Deum omnium ſcelerum autorem, ipſúmque Caluinum dehoneſtaſſet, ſcribens illum Nouioduni ob crimen peſſimum & infandum cuius damnatus erat, mollitudine Antiſtitis, ſola ferri candentis in dorſo impreſſione fuiſſe mulctatum. Hoc illi tanquam atrocem calumniam, Caluiniani gregis arietes exprobrarunt, vt ipſemet Leſſius ſcribit ac diluit in Appendice ad opus de Antichriſto. Sed non fuit, cur Hæretici notarent calumniæ virum optimum ea ex cauſa. Vtrumque enim caput, apud non prorſus hoſpites in Caluini rebus, eſt omnino manifeſtum. Et vt obiter de primo illo Caluini crimine dicam; Quærit quidem Caluinus ſubterfugia, nec palàm cum libertinis quos progenuit, autorem peccati Deum audet ſtatuere; reipſa tamen Libertinis præiuit, & ea iecit principia, è quibus neceſſariò ſequitur potens Dei cauſalitas & efficacitas in ſcelera mortalium, vt accuratè peſequuntur Bellarminus l. 2. de amiſſ. gratiæ cap. 3. & 4. Stapletonius 11. de Iuſtific. à cap 4. Sanctesius tract. 5. de Atheiſmis Caluini c. 1. Gulielmus Reginaldus l. 3. Caluino-Turc. cap. 23. Coccius tom. 2. l. 2. artic. 1. Becanus opuſcul. 1. cap. 3. & opuſcul. 3. toto, & opuſcul. de qq. Caluiniſticis in 1. & 2. & opuſcul. 17. aphoriſmo 1. 2. 3. 4. paſſimque alij Hæreſeologi. Quòd verò Caluinus, nefandi criminis cauſa, ſit candente ferro vſtulatus, ſcripſit in vita Caluini locuples teſtis Hieronymus Bolſecus, necnon Iulius Brigerus in floribus Caluiniſtarum, ac Gulielmus Reginaldus l. 2. Caluino-Turciſmi cap. 11. & Ioannes Banghelius l. 3. de continent. Chriſt. cap. 56. Nominatim verò Thomas Stapletonus in Promptuario Catholico, Sabatho Dom. 3. Quadrag. ſcribit, ſuperſtites tunc è Caluini familia viros honeſtos impetrare nunquam potuiſſe, vt ea generis ſui labes, è ciuicis ſcriniis, publiciſque monumentis eraderetur. Nec habuit VVitachetus de Caluini ſubulcis non poſtremus, quid reponeret Ioanni Duræo, ſtigmata iſta Caluiniana abiicienti, quàm illud; ſi ſtigmaticus fuit Caluinus, ſtigmaticum quoque fuiſſe Paulum. Sed negauit Duræus, paritatem. Nam Paulus ſtigmata Chriſti portauit, Caluinus hortendæ impudicitiæ notas tergo liliato impreſſas. Itaque Leſſius iſta de Caluino ſcribens calumniator immeritò audiuit.

Non vnus aut alter Theologorum Societatis IESV, ſed omnes ad vnum, calumnia nec leui ordinem Prædicatorum grauaſſe dicuntur, affingentes eius Doctoribus, in cauſa diuinæ gratiæ, quod nec cogitari à Catholico poſſit; nimirum quòd homo tactus à Deo efficaciter, ac prædeterminatus per immiſſionem robuſtiſſimi auxilij, & earum vitium quas S. Auguſtinus vocat *efficaciſſimas*, non poſſit ei diuinæ motioni reluctari atque reſiſtere

reſiſtere. Hoc ſibi à nobis per calumniam affingi, expoſtulabat heri & nudius tertius R.P. Prior cœnobij Aueniōnenſis Ordin. Prædicat. P. Petrus Tillhac, vir religione ac eruditione conſpicuus; pernegans, Ordinis ſui Doctores tale quid vnquam cogitaſſe: imò addens, ſalua fide nihil tale aſſeri poſſe, cum decernente, & anathema in aduerſantes inſidente ſynodo Tridentina, ratum ſit, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, poſſe diſſentire ſi velit: ita vt quamuis non poſſit non recipere motionem à Deo immiſſam, quoad receptionem illam præueniatur humana libertas; tamen poſtquàm ea motio impreſſa eſt, fas ſit homini, nolle præſtare quod illa poſſit, & in actum ſecundum vlteriorem ad quē ea motio prædeterminat non erumpere, etiamſi reuera ſit erupturus certò & infallibiliter, quia ita lubebit; quamuis ſi luberet poſſet ſe ſiſtere, non obſtante impetu diuinæ motionis præimmiſſæ. Hactenus ille, qui recepit, ſenſum hunc ſuum de diuinæ gratiæ eluctabilitate, omnium Ordinis ſui cis & vltra Alpes ac Pyrenæos adſcriptione firmandum, eadémque opera, omnes nos calumniæ nota inurendos hac in parte.

Benedictus Deus, qui tandem fecit vtraque vnum, & acres ac longas circa diuina auxilia eluctabilia vel non eluctabilia concertationes, hac veritatis pro qua ſola pugnabamus, clara & liquida profeſſione concluſit. De veritate aut falſitate doctrinæ ab alterutra parte traditæ, non licèt per maiores, editis ſcriptionibus pronuntiare: cui legi donec à Legiſlatore laxetur, ſtandum humiliter eſt. Non vetamur tamen nudè & citra diſcuſſionem omnem conteſtari, nos non fuiſſe calumniatores, & ſimpliciter abſque examine referre quid alterutra pars dicat, aut dixerit, id quod duntaxat nunc habeo propoſitum. Reuera ergo traditum eſſe à Theologis Ordin. Prædicatorum, hominem non poſſe diuino auxilio prædeterminanti reſiſtere; & ex ſuppoſitione quod illud auxilium receperit, non poſſe non agere, & procudere actum cui tale auxilium deſtinatur; idque Doctoribus illis non fuiſſe per calumniam affictum; inde conſtare poteſt, quod mordicùs tuentur diuinam prædeterminationem phyſicam ad actum liberum. At quis poteſt diuinam prædeterminationem fruſtrari? Vel quis iam ad aliquid determinatus per extrinſecam poteſtatem fortiorem, cuiuſmodi eſt diuina, poſſit ſe determinare ad oppoſitum? Meritò itaque Bannes 1. parte quæſtione 23. articulo 5. circa 6. & 7. concluſione impugnans quandam Iauelli opinionem, argum. 5. & in ſolutione ad 7. eiuſdem Iauelli, conceptis verbis ait, actum noſtrum ſequi neceſſariò ex prædefinitione & prædeterminatione diuina. *Neque effectus* (inquit) *diuinæ voluntatis impediri poteſt a voluntate noſtra:* (Ecce *non poteſt*,) *ſed neceſſe eſt neceſſitate conſequentiæ & ſuppoſitionis, quòd voluntas noſtra ſequatur efficacem Dei directionem & concurſum.* Id quod mox repetit, tractans locum Concilij Tridentini. Et eadem habet variis locis à Suare annotatis l. 3. de auxil. cap. 7. num. 2. necnon Medina & Cumel ibidem adducti, & Aluarez toto propè opere de auxiliis. Itaque ſiue Bannes & eius aſſeclæ, verè iſta, aut falsò dixerint, quod nunc non moramur, hæc eis tribuendo non ſumus aut fuimus calumniatores: Sed hanc denique mentem ab horum Theologorum aſſeclis fuiſſe ſuſceptam gratulamur. Scio non omnes ordinis Prædicatorum Theologos à nobis hac in parte diſſenſiſſe. Memini enim adeſſe Auenione anno 1606. 12. Auguſti, cum F. Hyacinthus de la plana, hodieque ſuperſtes, typis editas concluſiones Theologicas ſub præſidio F. M. Vincentij le Clerc, propugnaret in templo Fratrum Prædicatorum, dicatas R. P. Stephano

Mario Inquiſitori, earum Concluſionum ſeptima his ipſis verbis fuit concepta. [Efficacis gratiæ natura talis nobis eſſe videtur, vt neque phyſicè, neque moraliter voluntatem humanam prædeterminet ad volendum, & eligendum bonum quod ſibi ope gratiæ inſpiratur: hac enim ratione, ſublatus creditur omnis omnino liberi arbitrij vſus, tam quoad exercitium, quam quoad ſpecificationem. Nam fieri non poteſt quod Deus per gratiam voluntatem determinet, quia ipſa determinetur, & ſine indifferentia velit id ad quod determinatur. Gratiæ enim efficacis effectus infallibilis eſt, non neceſſarius.] Hæc ibi. Itaque verum eſt, non omnes Theologos Ordinis Prædicatorum adhæſiſſe phyſicæ prædeterminationi, quòd tamen nemo eorum ita ſenſerit, & calumniatores fuerimus dicentes aliquos eorum prædeterminantem gratiam aſſeruiſſe, non poteſt nobis niſi per calumniam impingi.

Catholici omninò multi qui Prædeſtinatianos habuere pro hæreticis, & Goteſchalcum erroris eorum inſtauratorem, eadem labe hæreſeos infamarunt, vt calumniatores notantur à Iacobo Vſſerio Caluiniſta Hiberno l. de Prædeſtinatione Controuerſiæ à Goteſchalco motæ hiſtoria & à nupero Autore libri 6. de hæretic. Pelagiana cap. 23. Habuerunt autem vt hæreticum Goteſchalcum ac Prædeſtinatianos quorum ille hæreſim repaſtinauit Rabanus in Epiſtolis ad Ebherardum Comitem ac Hincmarum, Hincmarus Epiſtola ad Nicolaum I. Trithemius in Chro. Hirſaugienſi anno 581. Flodoardus in Remenſ. Eccleſ. hiſtor. l. 3. cap. 28. Sigebertus in Chron. anno 849. Serarius l.1.rerum Mogunt.c.33. Baronius, Genebrardus, & innumeri alij hiſtorici Catholici vel ſæculo V. cum de Prædeſtinatianis D. Auguſtino malè intellecto abuſis, vel ſæculo IX cum de Goteſchalco dogmatis Prædeſtinatianorum inſtauratore. His omnibus is quem dixi Vſſerius Caluiniſta & eius expilator, tanquam calumniatoribus K in fronte imprimendum decernunt, cum Prædeſtinatiani quibus Goteſchalcus adhæſit alij non fuerint quàm Catholici inter hæreticos à Semipelagianis recenſiti eo quod conſtanter inhærerent S. Auguſtino & eius ſententiam de gratia & prædeſtinatione contra Maſſilienſes & alios ſancto Doctori obſtrepentes tuerentur.

Hæc de calumnia criminatio eſt prorſus calumnioſa, de quo non puto hominem cordatum poſſe ambigere aut etiam ſuſpicione tâgi cum apud veteres exploratiſſimum ſit aliquos verè fuiſſe hæreticos Prædeſtinatianos, quorum hæreſim inſtaurauerit Goteſchalcus. De primis illis teſtatur Proſper in Chronico ad annum 23. Honorij & Gennadius in appendice ad librum S. Hieronymi de hæreſibus ac Sigebertus de Goteſchalco hæreſim fatariorum renouante teſtis eſt Hincmarus qui omnia cominus perſpexit nec non Rabanus qui in Concilio Moguntino ſecundo ſub ipſo Rabano celebrato eum damnauit, vt etiam factum eſt à Venilone Senonenſi in Synodo Cariſiaca, à quibus longè veriſimilius eſt perfectè penetratam eſſe Goteſchalci mentem quàm ab Eccleſia Lugdunenſi l. de tribus Epiſtolis Goteſchalcum in bonum ſenſum trahere conante vt Andreas Duuallius in Notis ad eum librum obſeruauit. Multò verò meliùs de Goteſchalco & Prædeſtinatianis mereri ſtuduit Vſſerius Nouator & qui eum expilauit, cum transformarunt Prædeſtinatianos in Catholicos calumniam paſſos ob adhæſionem cum D. Auguſtino circa neceſſitatem gratiæ etiam ad initium bonorum operum & Goteſchalcum eo quod Prædeſtinatianis ſubſcripſiſſet. At non hæc ſunt quæ vel Prædeſtinatianis veteres vel Goteſchalco poſteriores iis diſcuſſis & coram auditis tribuerunt; non inquam eos lapidarunt de bono

bono opere ob aſſertionem vniuerſalem neceſſitatis primæ gratiæ ſublatam à Semipelagianis, ſed de fatali neceſſitate inuecta per ferreas præfinitiones déque arctata ad ſolos electos Chriſti redemptione aliiſque capitibus doctrinæ reprobæ.

S. Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, à Fredegiſo Abbate inſimulatus eſt calumniæ in Canonicos Scriptores, ac eorum Interpretes; eo quod dixiſſet, ipſos non adeò anxiè inhæſiſſe regulis Grammaticæ, vt eas nunquam violarint. Hoc Fredegiſus tanquam calumniam Apoſtolis & Euangeliſtis aliiſque Canonicis ſcriptoribus impactam obiecit, S. Agobardo, vt videre eſt in huius S. Antiſtitis lucubratione ad ipſum Fredegiſum, circa dubitationem eius ſecundam. Quanquam inferiùs, refert ita intellexiſſe Fredegiſum quod nulla ſit in ſacris libris Grammaticæ violatio, niſi quam aut ratio aliqua aut cauſa myſterij admitti cogeret. [Turpe eſt enim credere Spiritum Sanctum qûi omnium gentium linguas mentibus Apoſtolorum infudit, ruſticitatem potius per eos quàm nobilitatem vniuſcuiuſque linguæ, locutum eſſe. Quæ Fredegiſi ratio, ſi valida eſſet, non modò probaret quod propoſitum eſt, ſed etiam Scriptores quoſuis ſacros & eorum Interpretes, ver dictionis vbique prætuliſſe, & elegantiſſimè vbiuis locutos eſſe, niſi myſterium aliquod adigeret, vel cauſa potens vrgeret. Eóque etiam prorupit Fredegiſus, vt de quibuſuis Scripturæ expoſitoribus, quos ab Interpretibus ſecernebat, idem quod de Canonicis ſcriptoribus & horum Interpretibus ſtatueret.

Quàm tamen inſulsè, Fredegiſus in hac calumniæ impactione ſe geſſerit, vix neceſſe eſt apetire. Inprimis enim, quod nulli expoſitores, & vt paſſim loquuntur Commentatores Scripturarum diuinarum, vnquam in Grammaticam peccauerint, adeò abſurdum eſt, vt refelli non debeat; cum multorum huiuſmodi Commentatorum imperitia Grammaticæ ſit lippis & tonſoribus perſpecta. Interpretes quoque nonnullos fœdè impegiſſe, S. Agobardus optimè confirmat. De ipſius vulgati interpretis in Grammaticam peccatis, non tacuit Franc. Ribera l. 2. de Templo c. 2. n. 9. Ipſos denique Sacros Scriptores plerunque in Grammaticam deliquiſſe, & Paganorum, ſolœcos eorum oſtentantium apud Arnobium lib. 1. n. 40. & 41. & SS. Patrum confeſſione, eſt teſtatiſſimum. Videndus præter cæteros Origenes in Philocalia à SS. Baſilio & Nazianzeno ex Origene contexta cap. 4. & 8. ac 15 qui ait id eſſe quod Apoſtolus dixit, *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* S. Hieronymus q. 10. ad Algaſ. & l. 2. Comment. in Epiſtol. ad Epheſ. vbi S Pauli Solœciſmos agnoſcit. S. Iſidorus Epiſtola ad Redemptum qui ridiculum eſſe ait, verba cœleſtis oraculi, ſubijcere legibus Priſciani atque Donati. Subſcribit alter Iſidorus l. 4. epiſto. 28. vbi Conradus & Dyoniſius Alexandrinus ex Euſebio libro 7. hiſtor. c. 20. Theodoretus lib. 5. contra Græcos, notans piſcatorum noſtrorum Syllogiſmos diſſolutos eſſe Atticos Syllogiſmos, itemque Anaſtaſius Sinaita c. 3. ὁδηγῷ S. Chryſoſtomus homil. 3. in 1. Cor. Gagneius 2. Cor. 8. n. 19. ad Gal. 6. n. 1. & 1. Theſſal. 3. n 1. B. Pauli Solœciſmos ſtudioſè annotauit, & aliarum quoque Scripturarum ſimilia lolia acetuauit Turrianus l 2. contra Magd. c. 2. Ex hoc de Canonicis Scriptoribus Grammatices negligentibus ſenſit, S. Gregorius apud Ioannem Diaconum l. 4. vitæ c. 77. S. Auguſtinus in pſal. 36. conc. 3. S. Ambroſius initio Operis de Virginibus (allegans aſinæ locutionem & oracula ex ſentibus, ac Hugo l. 4. de clauſtro animæ in prologo, allegans pannos viles quibus Deus infans inuol-

ui voluit, tegunt ſuam (vt præferunt) loquendi ruditatem,& in Grammaticam ſtribiligines. Plura in hanc rem ſyntagmate de libris propriis in Prologo §.2.ad criminationem ſecundam. & Serarius in Minernali l. 1.c. 1. Creſol. 2.vac.c.9. ſect.21.

CAPVT X.

De Iniquo iudicio.

GRaue omnino eſſe ſcelus Iudicis iniquè iudicantis, dubitare non licet. Quod enim rectè ſtatuit Philo initio libri de Iudice. [Abſurdum eſt, eos in culpa hærere qui iura præſcribunt aliis, quandoquidem his potiſſimùm, exemplum vitæ petendum eſt.Sicut enim ignis quæcunque admouentur calefaciens, ipſe primùm innata ſibi vi calet; nix contra ſuapte natura frigida,infrigidat & alia: ſic Iudex ipſe, debet eſſe plenus iuſtitia, ſi aliis ius adminiſtraturus eſt, à quo ceu fonte promanant fluenta dulcia legum & potabilia ſitientibus iuſtitiam.] Meritò igitur S.Cyprianus epiſto.ad Donatum, inter exitialia orbis mala recenſet, quòd inter iura peccetur, & qui ſedet crimina vindicaturus, admittat. Ingens verò in Deum ipſum iniuria inde redundat; quandoquidem iudex quilibet vice Dei fert iudicium, à quo veluti à fonte eſt omnis auctoritas iudicandi. Vt propterea Iacobi 4. dicatur Vnum eſſe Legiſlatorem ac Iudicem; & Hebræi,Iudicem *Dei* nomine donent, vt liquet ex Pſalmo 81.vbi Deus dicitur *ſtetiſſe in ſynagoga Deorum*, id eſt in conſeſſu Iudicum, qui participata à Deo autoritate iudicant, & Deum viſibilem mortalibus repræſentant. Quæ cauſa eſt cur Valentia 2.2.diſp. q....4.p.2. putet, iudicem peccatorem abſque humilitate iudicantem, peccare venialiter, etiam ſi iuſtè iudicet,quia vicariam Dei præfecturam obit in malo ſtatu. Non poteſt igitur dubitari, quin iniquitas Iudicij, magnam & tetram labem Iudici inferat. Sorduere apparenter ac per calumniam ea labe,nonnulli Sanctorum, præter eos Iudices qui quotidie ab iis quos iure ac meritò damnant,audiunt iniqui & iniuſti. Vix enim eſt teſte D. Auguſtino l.1. contra Parmenianum c.6.qui ſententiam damnationis adeò ſedatè & patienter excipiat,vt ſibi non blandiatur, & Iudicem lutulenta iniqui iudicij aſpergine queritabundus perfundat,in quo verè calumniatur.

Priuſquàm calumnia de iniquo iudicio quam primo loco propoſitum venio, euulgetur, deprecanda eſt de geniculis, eius relatio. Eſt enim adeò tetra, vt referri abſque pollutione vix queat. Lollandus Gualtherus, referente Bellarmino in Chronologia ad annum 1316. eò dementiæ ac furoris venit, vt diceret, Luciferum à Deo iniuſtè fuiſſe damnatum. At hæc, horrendiſſima calumnia eſt. Deus enim iudex iuſtus,ipſaque iuſtitia & æquitas, non poteſt iniqui iudicij inſimulari abſque ſumma iniquitate. Ex duplici autem duntaxat capite, duci poteſt hæc diuini in Luciferum ac ſocios iudicij criminatio: nempè vel ex eo quòd Deus Angelis per breue admodum tempus peccantibus, grauiſſima & æterna tormenta decreuerit. Perbreuis enim fuit Angelorum via,qua durante ſunt lapſi: vel ex eo quod Deus Angelos ſemel lapſos abiecerit, non data eis ad reſurgendum facultate,ſicut fecit hominibus, quibus redemptorum poſt captiuitatem prouidit. Verùm ex vtroque capite, iudicium Dei in Angelos malos,eſt iuſtiſſimum. Quodcunque enim fuerit Angelorum cadentium peccatum, (de quo certatur inter Theologos;) & quantumuis breuis fuerit eorum via, quam tamen omnes conſentiunt

tiunt fuiſſe pluſquàm momentaneam; certiſſimum eſt, eorum peccatum fuiſſe mortale. At mortali peccato cuicunque, & quantumuis, exiguo tempore duranti, iuſtè rependitur æternum ſupplicium grauiſſimum, vt latè proſequor in Natur. Theol. diſt. 8. à num. 231. poſt varios Patres ibi adductos, quibus addendus Fulgentius l. 2. de remiſſ. peccato. c. 21. & Algerus l. 2. de Euch. c. 7. ac Rupertus l. de volunt. Dei c. 24. præter alios Doctores in hoc argumento latè verſatos: inter quos Guliel. Pariſ. Tract. de legibus c. 21. & Coſmas Philiarcus p. 1. de offic. ſacerd. lib. 2. c. 7. Itaque ex hoc capite iudicium Dei iuſtũ perſtat, & vincit cum iudicauit de malis Angelis. Nec minùs æqua eſt via Domini, quoad perpetuam Angelorum malorum abiectionem, qua percuſſus non eſt, homo lapſus. In quam rem varias rationes adducit Iobius apud Photium Cod. 222. c. 40. & Damaſcenus orat. 1. de Natiuit. Deip. nec non S. Anſelmus l. 2. cur Deus homo cap. 21. & ex Scholaſticis Suarez t. 1. 3. p. d. 4. ſect. 1. ac Leſſius lib. 12. de diu. perfect. num. 12. Summam ex hoc capite benignitatem Dei in homines, expendit luculenter S. Chryſoſtomus homil. 3. in ad Epheſ. *in morali*. Itaque Dei in ſuo de impiis Angelis iudicio, iuſtitia rata eſto; & dirum anathema inliditor, blaſphemo qui eam eſt calumniatus.

S. Dauid iniqui iudicij ſemel & iterum notatus eſt, vt cùm iuſſit letho dari Amalecitem illum qui 2. Reg. 1. nunciauit ei mortem Saulis, falſus manu ſua obtruncatum Saulem, eò deductum vt viuere non poſſet poſt ruinam, & incubitum in gladium ſuum. Cùm enim nihilominùs Saul adhuc moram traheret in vita ærumnoſa, & imminentibus Philiſtæis dira metueret, ſaltemquè certus eſſet de hoſtilibus ludibriis ſi in hoſtes viuus incurreret, aduocatum Amalecitem interpoſito præcepto adegit, ad abrumpendum quantocyùs vitæ ſtamen, & vnà ſuccidendos dolores, præcludendáſque quauis morte duriores hoſtium ſannas. Parens autem Regio mandato Amalecites, & detracta cæſo Sauli regia inſignia ad Dauidem fauſtus (vt rebatur), nuntius afferens, iuſſu Dauidis eſt obtruncatus: propter quod Dauid à multis reprehenditur iniqui iudicij, vt ait Theodoretus 2. Reg. 1. q. 1. ſed à longe pluribus & grauioribus, eiuſdem culpæ inſimulatur Dauid, in cauſa Miphiboſethi, Filij Ionathæ, quem à Siba ſeruo ſuo proditum, omnibus primùm bonis, deinde eorum medietate ſpoliauit, falſo delatori rependens gratiam. Id enim grauis peccati iniuſtitiæ erga innoxium Miphiboſethum, damnant Abulenſis 2. Reg. 16. q. 6. & c. 19. q. 29. & Richelius, ac Caietanus ibi: necnon Salianus anno mundi 3010. à num. 21. & alij plerique anteriores, vt Lyranus, Hugo, Rabanus, aliíque: quibus ob hanc iniuſtitiam in Miphiboſethum, nexa cum infidelitate magna & ingratitudine in Ionathan eius patrem, viſum eſt ſciſſum eſſe ſub Roboano, Dauidis regnum. Et ita videtur aſſeri apud Hieronymum in Tradit. Hebr. ad l. 2 Reg. c. 19.

Neutra tamen accuſatio veritate nititur, ſed mera in Dauidem calumnia eſt. Nam Amalecites ille, Saulis tametſi ſemimortui interfector, meritiſſimò iuſſus eſt cædi. Si enim verè Saulem occiderat, (vt ipſemet fatebatur,) omnino filius mortis fuit, ob miſſam manum in Chriſtum Domini, & Regem ſuum, ad quod non potuit imperio Saulis adigi, qui grauiter ſic imperando peccabat. Si autem (quod multi exiſtimant, vt Theodoretus, Procopius, Lyranus 2 Reg. 1. ſubſcribente Saliano anno mundi 2979 n. 122. & Seratio ac Sancio ad caput illud 1. libri ſecundi Regum:) nequaquam Amalecites iſte Saulem occiderat, ſed in Dauidis gratiam vt Euangelia opima reportaret,

Digitized by Google

portaret, id commentus eſt; ſic quoque mortem commeruit, auſus (falsò licet,) profiteri ſe iniceciſſe manus violentas in Chriſtum Domini. Quod inultum non abire, intereſ. publicæ rei. Quare euaneſcit prima illa in Dauidem de iniquo iudicio calumnia.

Nec altera ſolidiùs ſtabilitur. Tametſi enim Dauid Miphiboſethum dimidia bonorum parte ſpoliauit ad Sibæ delationem, tamen inter duos contendentes, (Miphiboſethum inquam & Sibam,) quis poteſt ſtatuere vter potior iure fuerit, vt Dauidem tantò pòſt damnaret, qui coram omnia vſurpabat oculis; & fortaſſis cognouit Miphiboſethum tale aliquid deſignaſſe animo, quale ei à Siba impingebatur, vt coniectat Procopius? Sanè non legimus Dauidem poſtea de ſarciendo eo Miphiboſethi damno fuiſſe ſollicitum; ac ne in morte quidem, cùm alia filio daret mandata, eum grauauit hac cura, indemnem præſtandi Miphiboſethum: quod tamen nullo modo videtur fuiſſe omiſſurus, homo adeò iuſtus & recti tenax, ſi contra iuſtitiam Miphiboſethum innoxium dimidia bonorum parte multaſſet. Itaque præſumendum videtur pro iuſto Dauidis iudicio. Quamuis nono me latet, præter Interpretes in cõtrarium ſuprà adductos, S. Gregorium contra Dauidem ſtare l. 1. dialo. c. 4. Quamuis enim ait, latam à Dauide contra innocentem Ionathæ filium ſententiam, quia per Dauidem lata eſt, & occulto Dei iudicio pronuntiata, iuſtam credi: Tamen diſertè agnoſcit Miphiboſethum fuiſſe innocentem. Ex quo apertè ſequitur, ſententiam Dauidis non fuiſſe iuſtam. In quo cogimur S. Gregorio non adhærere, cùm compertiſſima ſit Dauidis ſanctitas; nec eum poſtea ſarciſſe huiuſmodi diſpendium, aliunde conſtet. Et idem dico de aliis quibuſdam antiquis contra Dauidem adducendis ſect. vltima c. 3. Craſsè verò hallucinati ſunt, qui finxerunt ſciſſuram fuiſſe inductam in regnum poſterorum Dauidis, ob hanc diuiſionem bonorum Miphiboſethi; cùm Scriptura ipſa 3. Reg. 1. diſertè prodat, cauſam diuiſi regni Roboami nepotis Dauidis, repetendam eſſe à peccatis Salomonis, cuius filius erat Roboam. Itaque ad populum phaleras. Et quòd vocem de cœlo auditam ferunt, quæ ei fabulæ fuerit aſtipulata, inter lepida deliria quibus Rabbini abundant, numerandum eſſe rectè admonuit Abulenſis 3. Reg. 19. q. 31. Pugnat pro innocentia Dauidis in hoc iudicio, Petrus Ioannis Oliui adducendus c. illo 3. Quanquam fateor eum pro Dauide nonnulla adducere minùs commodè ad eius purgationem, quæ loco annotato attingam. Nec commodiùs Dauidem purgant alij apud Pinedam lib. 1. de Salom. c. 3. n. 23. & Sancium 2. Reg. 19. num. 21. qui ex Abulenſi ibid. q. 30. profecit. Ait enim Sancius, compenſatum poſtea fuiſſe à Dauide damnum illatum Miphiboſetho per eam innoxij inauditi damnationem. Sed rectè dixit Propheta *mundans non faciet innocentem*. Quamuis igitur Dauid poſtea eam maculam eluiſſet, & damnum illud ſarciſſet, tamen iuxta hanc pro Dauide apologiam, labes priùs contracta ſupponeretur. Præterquàm quod de ea damni reparatione non conſtat, ſicut conſtat de irrogatione. Quare ſiſtendum eſt in iis quæ præmiſimus.

Chriſtus Dominus (quod non abſque deteſtatione eſt referendum) à Satana calumniatorum Patre iniqui iudicij eſt accuſatus. Refert eam accuſationem S. Amphilochius ſub finem Orationis de Pœnitentia, vbi refert hiſtoriam *ex libro ſanctorum qui honeſtiſſima conuerſatione in Monaſterio inſtituto lætiſſimè claruerunt*. Eo libro cuius laciniam attexit S. Amphilochius, narratur de fratre carnis ſpurcitiis addito, qui per decem ac etiam plures annos & in eo cœno ſe conuoluebat,

Digitized by Google

uebat; & ſtatim admiſſo ſcelere purgabat ſe per confeſſionem. Regreſſus verò ab Eccleſia relabebatur in cœnum; denuóque poſt abſterſam eam labem, iteratò inquinabatur. Sic faciebat per annos complures, nunc abſtractus & illectus à concupiſcentia ſua, vt eſt peccatum illud viſcoſiſſimum & tenaciſſimæ adhæſionis; nunc reſurgens per gratiam, & ſpondens Deo vitæ mutationem. Hoc cùm per tot annos feciſſet miſer, hominis mutabilitatem in vtramque partem, & Dei erga illum benignitatem pertæſus Satanas; accurrit ipſe quoque in Eccleſiam cum pœnitente, & diſceptans cum Chriſto cuius aſtabat imago ante quam iacebat proſtratus pœnitens, allegauit aduerſus Chriſtum; quòd qui dicitur iudicaturus fornicatores, hunc tamen impuriſſimum homulum toties mentitum, totiéſque fœdè prolapſum, tamdiu ſuſtineret. [Planè (aiebat) non es iuſtus iudex, ſed vbi viſum fuerit, peruertis iudicium, & ſiniſtrè aſpicis. Me propter paruam elationis tranſgreſſionem de ſupernis cœlorum, infernè præcipitem egiſti, nec vllo modo pepercisti. Huic autem mendaci, & fornicatori ac luxurioſo, ebrioſóque & guloni, quod ante faciem tuam proſtratus lugeat, placidè inclinas aures, tuámque ei maieſtatem manſuetam concedis, ac feſtinas vt eius miſerearis. Cur ergo te vocem iuſtiſſimum iudicem.]

Calumnioſa hæc Chriſti inſtitias iudicantis accuſatio, non eget longa confutatione. Per ſe enim concidit. Chriſtus ipſe (vt citato libro refertur,) ſubiunxit accuſationi Satanæ longam increpationem quæ ibi deſcribitur, & quoad iuſtitiam iudicij hæc dixit. [Audi veterator, ſuper eo in quo criminaris. Et ego iuſtus ſum; & in quo inuenero, in eo & iudico. (Ezech. 12.v.30.) Ecce iſtum pœnitentem inueni & confitentem, iuſtúmque velut prouolutum meis pedibus, tuíque victorem exhibitum. Suſcipiam ergo ſpiritum eius; & animam eius, vt vnius ſanctorum conuertam.] Subiungitur mox ibi, fratrem illum omnia hæc audientem, valdè dolentem ac contritum, præ dolore expiraſſe cœlitibus inferendum, & ignem à facie Domini egreſſum, Satanam abſorbuiſſe. Non excurrit hîc in cauſam conceſſæ homini peccanti indulgentiæ, tanquam modici luminis intellectualis, & fragiliſſimi ac inteſtino bello grauati, cùm Satan vberi luce potiretur, nec laboraret infirmitate quam nobis compoſitio ex multiplici appetitu aduehit. Sic iuſtitiam Dei in hoc negotio demonſtrant S. Gregor. 4. mor. c. 9. Caſſianus collat. 4. c. 14. Damaſc. 2. fid. c. 3. Iobius apud Photium Cod. 222. c. 43. S. Bern. S. 1. de aduen.

Conſtantinus Magnus, à Donatiſtis iniqui iudicij eſt notatus. Cùm enim in cauſa Cæciliani, apud Raulinum Africæ Proconſulem & Conſtantinum Imperatorem damnati eſſent, interpoſitis à Conſtantino Antiſtitibus, quorum iudicio penes Catholicos ſteterat victoria; rurſuſque à ſententia Melchiadis Papæ, & ſynodi Romanæ, ac iudicum delegatorum, ad Conſtantinum prouocarent, iſque per Epiſcopos à ſe in Africam miſſos, repetita damnatione eos confixiſſet, id quod etiam poſtea ſemel & iterum fatigantibus eum per appellationem friuolam Donatiſtis, non abſque ſtomacho repetijt: ſemper repulſi, ſed nunquam mente ſanati Donatiſtæ, in Conſtantinum linguas ſuas vt gladium acuerunt, querentes illum gratia corruptum, iudicaſſe pro Cæciliano & Catholicis; Donatiſtas autem abieciſſe. Diſertè eam maculam Conſtantino inurit Parmenianus, referente D. Auguſtino l. 1. contra eius Epiſtolam c. 6. & idem habetur ex iis quæ idem S. Auguſtinus refert l. 2. contra Petilianum c. 92. vbi de implanatione Conſtantini per Epiſco-

pos Catholicos proſtant querelæ, quaſi Antiſtites Catholici præuaricantes, nec Conſtantino aperientes quæ fuiſſent aperienda, imò ſtudioſè celantes quæ intelligere eum oportuiſſet vt benè ageret, in errorem illum induxiſſent vt Donatiſtas contra ius faſque damnaret.

Sed hæc non tam labes fuit Conſtantini, aut Catholicorum Antiſtitum, quàm Donatiſtarum obfirmatio in nequitia. Verè enim in eos cadit verbum Iacobi in vaſa iniquitatis bellantia, *maledictus furor eorum quia pertinax*. Apud D. Auguſtinum epiſto. 68. & paſſim tota priore parte Tomi ſeptimi, nec non apud Optatum lib. 1. multa habentur de hac tanta Donatiſtarum peruicacia. Nec dubitauit S. Auguſtinus epiſto. 167. dicere, videri ſibi vel ipſum Diabolum, ſi autoritate iudicis quem vltrò delegiſſet, toties vinceretur; non futurum tam impudentem, vt in ea cauſa perſiſteret, ſicut perſiſtebant Donatiſtæ poſt tot iudicia, cauſantes errorem aut corruptionem Iudicum, atque adeò etiam Conſtantini, cuius autoritas omnia illa iudicia firmarat. Quam ob cauſam, digniſſimi fuerunt qui exterminarentur, tametſi Conſtantinus ſapienter, iuſſis aliquibus ad ſupplicium duci, abſtinuit tamen eorum cæde: contentus eos exilio multaſſe, & baſilicas eorum fiſco vendicaſſe, quas tamen poſtea à Iuliano Apoſtata repetierunt. Cauſam abſtinendi eorum cæde, colligere licet, ex vana iactatione Martyrij, eorum qui pro illa cauſa caderent, vulgatiſſima inter Donatiſtas, vt D. Auguſtinus locis annotatis, & ſæpè aliàs teſtatur. At meminiſſe oportuerat Donatiſtas, auro locum eſſe in quo conflatur, id eſt hæreticos cùm pro ſuis erroribus vltrices pœnas ſubeunt & letho dantur, incendi poſſe, purgari verò & martyres eſſe non poſſe, vt optimè philoſophatur S. Greg. 18. mor. c. 14.

S. Cyrillus Alexandrinus; & Synodus Epheſina Oecumenica, à ſpurco Hæretico Arauſicæ Theologaſtrum ſub perſona Philoſophi agente, iniquiſſimi iudicij, quo Neſtorium damnarunt, rei aguntur, libro quem celans nomen ſuum, inſcripſit *diſputationem de ſuppoſito*. Ibi imperitus murcus per totum librum, bacchabatur hac ex cauſa in S. Cyrillum & prædicti Concilij Patres, & nominatim c. 5. pag. 274. & 275. vbi acerbiſſimè expoſtulat, quòd Neſtorius vir innocentiſſimus & Orthodoxiſſimus, damnatus ſit & Patriarchatu motus, tanquam aſſertor duarum in Chriſto perſonarum, quia duas naturas in Chriſto profitebatur: quas peſſimè negaſſe ait, Cyrillum & Patres Epheſinos: eoſdem. inſimulat atrociſſimæ crudelitatis in Neſtorium, cuius & doctrinam damnarint, & perſonam dehoneſtarint, curato ei per Theodoſium Imperatorem exilio, vbi vitam finiuit, & martyrium ſubiit, homo ab omni labe remotiſſimus, grauatus falſiloquio linguæ à vermibus exeſæ, ſtultè excogitato ad eius infamiam. Hactenus nefandiſſimi & petulciſſimi Hæretici furor in S. Cyrillum & Patres Epheſinos pro Neſtorij defenſione.

Verùm S. Cyrillus, & Patres Epheſini, defenſione noſtra, & atrociſſimæ huius calumniæ per ſeipſam concidentis propulſatione non egent. Quid enim ſtultius æquè ac malignius, quàm teterrimum Hæreſiarcham Neſtorium poſt annos mille ducentos quibus ab vniuerſa Eccleſia pro Hæretico eſt habitus, & innumeris anathematum fulminibus per tot ſecula obtritus, velle purgare, & pro innoxio ac Martyre vendicare? Conclamant omnes illius æui Scriptores, in Neſtorij impietatem, vt videre eſt apud Caſſianum in libris de Incarnatione, Vincentium Lyrinenſem in Commonitorio, S. Leonem, Gelaſium, Vigilium & alios, præter poſteriores pleroſque, vt Anaſtaſium, & Leonem Byzantinum, ac Damaſcenum,

cenum; & tantò pòſt, homulus ſola audacia & petulcitate inſtructus, audet S. Cyrillum ac Patres Epheſinos impietatis accerſere, Neſtorij verò innocentiam celebrare? Quid verò indignius, nec confutatione ſed ſupplicio dignius, quàm iudicium à tot Sanctiſſimis Epiſcopis latum, retractare atque reſcindere, tanquam refertiſſimum iniquitatis, ob Neſtorij hominis (ſcilicet) innocentiſſimi oppreſſionem? Iuſtiſſimè impijſſimus Neſtorius à Concilio Oecumenico damnatus, nequiſſimè & calumnioſiſſimè propugnatur ab hoc ſtultilogo, quem refero, ridiculè contendente, Neſtorium duas naturas & vnicam in Chriſto perſonam agnouiſſe, id verò inficiatum eſſe S. Cyrillum & Epheſinos Patres: quod eſt noctem vertere in diem, ac viceuerſa; & dicere bonum malum, ac malum bonum. Sed haud aliter norunt furere hæc ſpuria Caluiniana vitulamina.

Ioanna Balduini Flandriæ Comitis, poſtea Conſtantinopolitani Imperatoris filia, damnati ad furcam parricidali iudicio patris, eſt inſimulata. Obſederat Adrianopolim Latinorum imperio rebellem, Balduinus; & cùm Ioannitius quem alij Calo-Ioannem dicunt, è Bulgaria ſuppetias obſeſſis laturus adueniſſet, incautiùs agentem Balduinum in caſſes impulerat, & captum ac vinctum abduxerat in Bulgariam. Inde euaſiſſe ferebatur, & poſt longos errores in ſuam Flandriam reueniſſe. Contigerat enim eius clades anno 1205. Innocentio III. ad clauum Eccleſiæ ſedente, Aprilis 15. vt ſcribit Nicetas. Reueniſſe autem iactatus eſt, Honorio III. Pontifice anno 1225. imperante apud Flandros Ioanna Balduini filia, Ferdinandi Luſitani tunc captiui, coniuge; quæ reducem tantò pòſt Balduinum, Flandris acceptiſſimum, ægrè euadens, implorato Ludouici Galliæ Regis auxilio, depellere tentauit. Sed cùm ea via minùs commodè ceſſiſſet, denique à Burgundis ad quos Balduinus iſte profugerat, ad eam tranſmiſſus, poſt non leues cruciatus, teſte vitam finiuit, non paucis Ioannam parricidij, & iniquiſſimi iudicij criminantibus, quæ Patri reduci, vitam adeò crudeliter eripiendam edixiſſet. Narratio eſt apud Scriptores, illius æui res proſecutos, vulgatiſſima. Multos ſignat Henricus Spondanus ad annum 1225. n. 3.

Hæc tamen, mera calumnia fuit in Ioannam, quæ vt Meyerus in Flandriæ Annalibus lib. 8. accuratè tradit, non Balduinum patrem, ſed planum nebulonem letho dedit, iuſtiſſimo iudicio, quippe inuaſorem alieni principatus, & ſe pro Balduino venditantem, eò quòd ætate, ſtatura, & corporis lineamentis, Balduinum vtcunque referret, cùm eſſet reuera Bertrandus de Rayns, natione Campanus, ex Eremita propè Valencianas, ad eius ſtrophæ concinnationem progreſſus, nec primus nec vltimus. Nam ab aliis pleriſque idem impoſturæ genus vſurpatum eſſe, variis exemplis ſignatis monſtrat Iuſtus Lipſius l. 2. monit. polit. c. 5. Et addendum eſt exemplum Cornelij de Hooch qui anno 1583. Hollandis pleriſque perſuaſit ſe eſſe Caroli V. filium, vt eo anno ſcribit in Chronographia. Opmeerus. Verùm certè Balduinum non fuiſſe, inde liquet, quod tantò antè Calo-Ioannes vrgente Innocentio III. à quo Regis Bulgariæ titulum acceperat, vt Balduinum dimitteret, excuſauit eius obitum in carcere. Id quod plerique, & Latinorum & Græcorum Scriptorum agnoſcunt; ſicco, vel certè non admodùm acerbo mortis genere, ibi extinctum teſtati. Solus Nicetas, ab efferato in Latinos Calo-Ioanne, truculenter brachiis cruribúſque truncatum, & in profundam vallem cùm adhuc vita ſupereſſet, præcipitem actum, ibique poſt tertiam diem miſerrimè defunctum coruos paviſſe, ſcribit. Quæ diuerſitas circa lethi modum,

dum,ad rem noſtram non refert, cùm ad impoſturam iactati Balduini reuincendam, & iuſtum Ioannæ iudicium à calumnia impacta liberandum, ſatis ſit, obijſſe eo tempore verum Balduinum.

Clemens V. iniqui in Templarios iudicij, à non paucis notatur, quòd vt auaritiæ Philippi Pulchri Regis Francorum velificaretur, partæ per eum Pontificiæ dignitatis gratiam repenſurus, ordinem de Eccleſia optimè meritum, S. Bernardo eximiè laudatum, prætermiſſo iuris Ordine, euerterit & aboleuerit: pleriſque perſonis viuicomburio abſumptis, & inter eas Iacobo Mola Burgundo, Ordinis totius Magiſtro, qui Regium filium de ſacro fonte luſtricus pater ſuſceperat & Delphini Viennenſis fratre; aliis ad perpetuam pœnitentiam damnatis, variéque diuexatis. Sed multorum conſtantia in pernegandis calumniis impactis, nominatimque Molæ, qui in ipſo rogo reum ſe mortis profeſſus eſt, idcirco tantùm quòd pellaciis Pontificis ac Regis inplanatus, in Ordinem ſanctiſſimum falſa crimina commentus eſſet: tamen firmitate & intrepiditate vt omnium excitaret admirationem; quæ conteſtatio non exiguum innocentiæ argumentum præbere viſa eſt; ita vt non pauci in Regem & Pontificem linguas & iudicia ſtringerent, vt ſatis apertè tradit Trithemius in Chron. Hirſaug. ad annum 1311. Affuiſſe patrem ſuum, à quo de magnis horum reorum in morte ſpiritibus edoctus eſſet, ſcribit Boccatius l. 9. de caſibus illuſtr. perſon. *in Iacobo Mola.* Nec Deus ſuffragator innocentiæ defuit. Scribunt enim Nauclerus Gener. 44. & Seratius l. 5. Mogunt. Hugonem Comitem Moguntiæ in Conſilium Antiſtitum de Clade Templariorum agentium irrumpentem, cum aliis viginti, teſtatum eſſe, veſtes eorum qui igne abſumpti fuerant, flammis illæſas perſtitiſſe. Alij exceptos ab iis fuiſſe in veſte carbones citra læſionem prodiderunt. Quidam verò addunt, Iacobum Molam, aut quod Fulgoſius l. 1. c. 6. prodit, Templarium Neapolitanum in ipſo rogo, Clementi Pontifici, diem ad diuinum iudicium dixiſſe, intra diem quadrageſimum; Regi autem intra annum; & vtrumque ex ea vadatione, diuino tribunali ſe ſiſtere adactum eſſe. Ita pro Templariis, & iniqui in eos iudicij, aſſertione, nonnulli.

Mihi verò immanitas calumniæ in hoc negotio Clementi Pontifici impactæ; cum ſtupore impingentium, & eorum qui aures bibulas criminatoribus præbuere, certare videtur. Quis enim non agnoſcat iuſtiſſimum eſſe, in re tanta pro Pontifice potiùs, quàm pro reis ſcelera ſua aliquando ingenuè profeſſis, quamuis poſtea ea retexuerint, calculum ferre. Ipſe Pontifex literis ad vniuerſos Chriſti fideles conſcriptis, quas ex Archiuio Colonienſis Eccleſiæ, repræſentat Seuerinus Binius in Notis ad Concilium Viennenſe, diligentiam ſuam in tanti negotij diſcuſſione comprobat, aptiſſimè ad calumniæ depulſionem. Litterarum initium eſt eiuſmodi. [Ad omnium ferè credimus perueniſſe notitiam nefanda ſcelera, & crimina abhorrenda hæreſim notoriè ſapientia, quibus ordo & perſonæ Templariorum non leuibus argumentis, ſed manifeſtis indiciis & violentis præſumptionibus diffamati noſcuntur, ſuper abnegatione videlicet Domini Saluatoris noſtri IESV CHRISTI, & ſuper nefanda, temeraria, & præſumptuoſa & hæretica conſpuitione ſuper eiuſdem imaginem Crucifixi, necnon & ſuper pluribus articulis, quos quia fore credimus manifeſtos, exprimi non oportet, ſicque excreſcente infamia & imminentibus ſcandalis plurimis minimè contemnendis, quæ non leuiter totam ſcandalizabant Eccleſiam, vrgente conſcientia per totum orbem terrarum iam dudum ipſos capi mandauimus, & tandem cœpimus ſuper

his

his cōtra eos inquirere per nos ipſos,nōnullis ex fratribus noſtris adſcitis ad inquiſitionem prædictam nobiſcum ſollicitè peragendam, & tandem præſentatis nobis perſonis eiſdem nō paruo ſed grandi numero; non leuiter ſed magnæ authoritatis viris, olim in ordine ſupradicto Sacerdotibus, Præceptoribus, militibus, & ſeruientibus;per eorum confeſſiones & depoſitiones ſpontaneas,liberè factas, coram nobis & fratribus ipſis in ſecreto priùs & poſtmodùm coram nobis totoque collegio fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, patuit manifeſtè,quoad perſonas ipſas confitentes dicta crimina & ſcelera eſſe vera.] Num ſatis accurationis ac diligentiæ,ante ſententiæ lationem,adhibitum videri poteſt ac debet?

Eſto verò, cæcutiuerit Pontifex, & præ affectu erga Philippum Regem, in cladem & exterminium Templariorum intentiſſimum, Satanæ ſe mancipârit per eam innocentum oppreſſionem, & atrociſſimam iudicij iniquitatem. Nullúſne è tot Cardinalibus, quibuſcum rem communicauit pro innocentibus mutiuit,ſed omnes cæco impetu in Ordinis de Eccleſia meritiſſimi extinctionem, vt Regi gratificarentur, manus dedere? Stomachor ad iſta. Nullus tot patrum qui Cōcilio Viennenſi œcumenico interfuere, (pluſquàm trecentos Epiſcopos affuiſſe, præter alios ex variis orbis partibus Antiſtites, ſcribit S. Antoninus 3. part. ſummæ hiſtor. titulo 11. cap. 3.) è tot inquam Patribus, nullus fuit, qui apertæ (vt volunt) oppreſſioni integri Ordinis, obſiſteret,& in faciem Pontifici opponeret, non licere, ad fouendam Regiam cupiditatem, cœtum ſanctum per calumniam appetitum exſcindere? Quòd ſi ordo iuris à Pontifice non eſt adhibitus, intelligendum, id eſt, quoad tricas forenſes,non quoad ſubſtantialia iudicia: quas tricas attentis circunſtantiis ſeruari non opportuiſſe, ſcripſit Gulielmus Mimatenſis Iuriſconſultiſſimus,cognomento *Speculator*, qui adeat, & relationem à Bzonio anno 1311. num 2.deſcriptam, edidit. Quod ſi Philipphus Pulcher,quem adeò in innoxios efferarum volunt, tam malignè in eos affectus eſt, vt prædæ inhians oculos ſuos ſtatuerit declinare in terram, & Pontificem quem nundinatitium & Regis mancipium placet fingere, ad tantum nefas vel renitentem propulerit, quomodo innoxij alij extra Galliam Principes, Germani, Angli, Hiſpani, Luſitani, Itali, quorum nullus aduerſus Pontificium decretum obganniuit? Falsò autem impingitur Philippo, quòd in bona Templariorum inhians, cladem illis per Pontificem intulerit. Nam ipſe Pontifex diſertè teſtatur, Philippum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicaſſe; diſpoſitione autē Sedis Apoſtolicę permiſſa, Hoſpitalariis S. Ioannis Hieroſolymitani fuiſſe attributa. Vadatio ad diuinum iudicium, & ex ea mors condicto tempore, eſt fabuloſa, vt benè confirmat Spondanus anno 1314. num. 2. Quod item de miraculo in veſtibus ad innocentiæ conteſtationem patrato, dicendum. Quare eſto, non omnia quæ de Templariorum ſceleribus iactata ſunt, veritate nitantur: quod Villaneus, & D. Antoninus rectè ſtatuunt,& indicat Petreius ad l.4.Chronic. Cartuſ.Dorlandi cap.17.Iudicium tamen quod per Pontificem & Oecumenicum Cōcilium oppreſſi ſunt, fuiſſe iuſtum, nemo niſi per teterrimam calumniam inficias eat. Videſis plenè id agitantem, Ægidium Columnam libro contra Exemptiones cap. 21. & 22.

Iudices Catholici, qui facta per Eccleſiam poteſtate, contumaces hæreticos pœnis ſubiiciunt, præſertimque ſupremæ; iniqui iudicij paſſim à ſectariis incuſantur. Vrgent enim, religionem rem eſſe liberam, ad quam nemo, intentata, vel ſi ſecus faxit irrogata morte ſit adigendus,

gendus, renitens. Itaque non modo iniqui iudicij ſed etiam truculentiæ barbariæ notant ſacros Quæſitores, à quibus morte mulctari hæreticos audiunt. Idem iam olim in Catholicam Eccleſiam blaterauerant anteriores Hæretici, non modò Huss, vt eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 14. in eius articulo 14. Sed etiam Donaſtitæ vt teſtatur D. Auguſtinus epiſtola 48. & 50. & l. 1. contra Parmen. cap. 7. & ſæpè alibi. Videſis quæ ex eo digeſſit Torrenſis in Confeſſ. Auguſtin. l. 1. cap. 13.

Cæterùm per calumniam Iudices Catholicos notari hac in parte, vel iniquitatis iudicij, vel ſæuitiæ, certa fides docet, vt plenè confirmant qui hoc argumentum ex inſtituto verſant, Conradus Brunus l. 3. de hæretic. cap. 3. Roffenſis artic. 33. Caſtro in opere de iuſta hæret. punit. l. 2. cap. 3. & 4. ac 12. Couarr. 2. var. cap. 10. Pamelius opuſcul. de vnica religione præſertim à cap. 13. Maldon. Matth. 13. num. 26. ad illud *fructum feciſſet*, Coccius tom. 1. l. 7. art. 23. Bellarminus l. de laicis cap. 21. & 22. Maueler de Monarchia, parte 3. l. 3. à cap. 9. Suarez diſput. 23. de fide, & paſſim alij qui agunt de hæreſi. Sanè pœna mortis non excedit grauitatem hæreſeos, quæ eſt crimen atrociſſimum & Reipublicæ pernicioſiſſimum. Et quanquam Eccleſia hæreticos non relapſos, qui ante ſententiam ſponte reſipiſcunt, non afficiat mortis ſupplicio, pro ſua benignitate; tamen etiam tunc culpa hæreſeos iuſtè puniri poteſt irrogatione mortis, non minùs quàm alia peccata minora, & minùs pernicioſa, quibus non obſtante reſipiſcentia, mors rependitur. Nonnulli ex hæreticis, huius iudicij æquitatem atque iuſtitiam agnouerunt. Sanè Caluinus de puſilli gregis cornigeris arietibus vnus, Michaelem Seruetum ob hæreſim igni addixit, idque iuſtè factum, edito ea de re libro confirmauit. Idem aſſeruit Benedictus Aretius Zuinglianus l. de iuſto ſupplicio Valentini Gentilis, Bernæ poſt Seruetum ob eandem hæreſim extremo ſupplicio affecti. Extat item Theodori Bezæ lucubratio, de Hæreticis à Magiſtratu puniendis. Iacobum ſextum Angliæ Regem, addixiſſe flammis quendam Arrianum teſtatur Iſaacus Caſaubonus & ipſe Sectarius, magnificè illud iudicium celebrans, in dedicatione Exercitationũ aduerſus Baronium. Quid igitur expoſtulant Hæretici, qui in eadem ſunt damnatione, & quorum Catholicorum de ipſis iudicium, iniquitatis inſimulant? Libertas ſanè pereundi, quam obtendunt, plenam vnicuique eſſe debere, non eſt libertas legis gratiæ, iis quos veritas liberauit obueniens, ſed eſt velamentum malitiæ. Itaque meritò intentata morte compelluntur intrare; eáque iuſtè irrogatur, dùm obfirmatè fons hæret. Eſſe porò viuicomburium, quod mollibus hiſce Chriſtianis truculentiam ſapit, iuſtam damnati hæretici pœnam, monſtrat praxis antiqua, cuius Caſtro meminit l. 2. de iuſta hæretic. punit. c. 12. *ſub finem*, pleniúſque Roſuedius l. de fide hæret. ſeruanda cap. 11.

CAPVT XI.

De Furto, & Rapina, ac damno dato.

Labes furti, (cum verè furtum eſt, nullo gentium aut Principum iure, aut naturali lege, ob extremam accipientis neceſſitatem honeſtatum, eſt omnino tetra & furua, redolenſque ignobilitatem & ſeruilitatem. Vnde alicubi, admodùm ſeuerè plectitur, & niſi neceſſitas coërcendi iniquos, adegiſſet ad eam ſeueritatem, potuiſſet aliquando videri nimia. Quantum enim eſt, quod Rex Edouardus

dus in Anglia (vt habent Acta S. Suuithuni Epiſcopi Vintonienſis 2. Iulij,) lege ſanxit, vt deprehenſus in furto, oculis priuaretur; & auribus, manibus, pedibuſque præciſis, cute capitis nudaretur, ſicque feris & auibus laniandus obiiceretur? Hæc ſi in furem decerni iuſtè potuerunt, quibus pœnis non erit coërcendus, qui rapit, & ſubductionem rei alienæ, cumulat noua & peculiari iniuria, in Dominum cui vim infert? Inde enim furtum & rapinam, raptoremque ac furem, diſtinguit & malignitate ſecernit S. Chryſoſtomus homil. 10. in 1. ad Theſſalo. Damnum datum quo res aliena abſque acceptione in vſum furis aut raptoris vaſtatur, vtrouis illo modo inferri poteſt, & de fœditate furti aut rapinæ participat, pro modo quo infertur. Congruè igitur, tripertito diſtribuemus maculas quæ falsò alicui imponi poſſunt, ob indignam contrectationem rei alienæ; clàm ſcilicet ſubducendo iniuſſu Domini, aut apertè & violenter rapiendo, vel alterutro modo deterendo, aut vaſtando eam. Variis quippe ſanctis, in vnaquaque è tribus illis iniuriis, impoſitum eſt, vt exempla docebunt.

Moyſes famulus Dei, antonomaſticè, & in eius domo ætate ſua quaſi Oeconomus primarius, vt eſt apud Apoſtolum Hebr. 3. à Iuſtino Hiſtorico l. 36. ex Trogi Pompeij ſcriptis compendio expreſſis, inſimulatur furti, eò quòd in exitu Iſraël de Ægypto domus Iacob de populo barbaro, Idola Ægypti furatus ſit, & ſecum exportarit. Sed hoc eſt apertum mendacium & calumnia pinguiſſima. Nam idola Ægyptiorum ante exitum Moſis ex Ægypto, vel comminuta ſunt, vel aliter deſtructa interuentu fulminum, aut terræmotus, vt habet traditio Hebræorum, adducta à ſancto Hieronymo Epiſtol. ad Fabiolam de 42. manſionibus, cùm de prima manſione. Idémque ex Artapano hiſtorico vetuſto, refert Euſebius l. 9. de præp. cap. vltimo. Et habet ea narratio fundamentum in Scriptura. Siquidem Exodi 12. cùm deſcribitur tranſitus Angeli nocte Paſchali ad necandos Ægyptiorum primogenitos, additur. *Tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiámque omne primogenitum, & in cunctis Dijs, Ægypti, faciam iudicia.* Vbi Caietanus eam Idolorum omnium Ægypti deiectionem & deſtructionem obſeruat, quam Hebræi quoad idola lapidea exprimunt fuiſſe comminutionem & redactionem in puluerem, quoad lignea putrefactionem vel incinerationem, quoad metallica liquefactionem & reſolutionem. Sunt qui eodem modo interpretentur commotionem ſimulacrorum Ægypti, ingrediente Domino ſuper nubem leuem, vt habetur Iſaiæ 19. Si ergo idola Ægypti, ante exitum Moſis deſtructa erant, quomodò ea furatus eſt Moyſes, vt Iuſtinus calumniabatur? Verùm tanta ibi de Hebræis mendacia aceruauit Iuſtinus, vt vix iniri poſſit numerus. Inter multa enim quæ de eis refert, vix apicem habet, qui correctione non egeat. Itaque cæteris mendaciis hæc item calumnia annumeratur.

S. Athanaſius, accuſatus eſt quòd furatus eſſet, ſibique vſurpaſſet frumentum ex Conſtantini Magni decreto in viduas Lybiæ & Ægypti diuidendum. Sed hanc fuiſſe Arianorum calumniam, docet diſertè Synodus Alexandrina ſub finem Encyclicæ pro cauſa S. Athanaſij.

S. Ephrem adhuc ſæcularis, cùm iuſſu parentum ſuburbium quoddam peteret, nocte in nemore oppreſſus, ad opiliones qui gregem in ſylua paſcebant ſe adiunxit, prima luce reliquum viæ decurſurus. Cùm autem intempeſta nocte, feræ gregem, inuaſiſſent, caulas inanes conſpicati opiliones, Ephremum vinciunt tanquam furum ducem, & ad prætorem pœnas de eo ſumpturum adducunt. Hæſit in carcere miſer iuuenis, Diuum hominúmque

númque fidem fruſtra conteſtans, per dies quadraginta. Poſt quos à prætore iuſſus educi, & quæſtionibus ſubiici, cum ſociis captiuis duobus; euaſit quidem quæſtionum ſupplicium, tamen aliorum innocentia comperta, retruſus ipſe eſt in carcerem, per alteram quadragenam; qua exacta, cùm ad acrem diamaſtigoſin à Prætore eductus eſſet, & bona fortuna imò Deus propitius negotium tunc diſturbaſſet, rurſus dies quinque ſupra viginti ferro oneratus in cuſtodia, exegit. Donec pertæſus tot ærumnarum concepto Monachiſmi voto, ſi liber & indemnis euaderet, voti reus factus eſt, ad noui prætoris aduentum: qui benè ſibi notum iuuenem, pronuntiauit, innoxium, atque dimiſit, rectà euolaturum ad exoluendum quod receperat. Deſcribit hanc ſuæ calamitatis hiſtoriam, ipſe S. Ephrem, ea lucubratione cui titulus eſt *Confeſſio & ſui ipſius reprehenſio*, vnde à Radero expreſſa eſt 1. part. Viridarij ad 28. Ianuarij.

S. Paphnutius cùm adhuc iuuenis eſſet, iam tamen Monachum agens, à falsò fratre bonum eius nomen obſcurare tentante, furti accuſatus eſt. Calumniæ concinnationem, & purgationem diuinitus adhibitam, ſic deſcribit Caſſianus collat. 12. cap. 15. [Liuor ille qui aduerſum Ioſeph patriarcham fraternos quondam animos inſtigauit, quendam de numero fratrum, edacis zeli igne ſuccendit. Qui næuo quondam ac maculâ pulchritudinem eius cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat, vt opportunitatem temporis captaret, quo Paſnutius ad Eccleſiam die Dominico proceſſurus, abeſſet à cellâ. In quam furtim irruens, codicem ſuum inter eius plectas, quas de palmarum foliis ſolebat intexere, latenter abſcondit, ac de concinnatâ fictione ſecutus, ipſe quoque velut puræ ac ſimplicis conſcientiæ, ad Eccleſiam venit. Cúmque celebrata omnis fuiſſet ex more ſolemnitas, querelam ſancto Iſidoro qui ante hunc, eundemque Paſnutium eiuſdem Eremi presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit, aſſerens ſibi codicem de cellâ furto fuiſſe ſublatum. Quæ eius querimonia cùm ita cunctorum fratrum, præcipuéque presbyteri animos permouiſſet, vt quid primùm ſuſpicarentur, quidve decernerent, non haberent; ſummâ cunctis admiratione perculſis, de tam inauditi illic facinoris nouitate, ille, qui rem detulerat accuſator, vrgebat, vt retentis in Eccleſiâ omnibus, miſſi electi quique, cunctorum ſigillatim fratrum cellulas ſcrutarentur. Quod cùm tribus ſenioribus à presbytero fuiſſet iniunctum, vniuerſorum cubilia reuoluentes, ad extremum in Paſnutij cellulâ abſconditum codicem, inter plectas palmarum quas illi Syras vocant, ſicut eum inſidiator occuluerat, repererunt. Quem cùm inquiſitores confeſtim ad Eccleſiam delatum coram omnibus protuliſſent, Paſnutius licet de conſcientiæ ſuæ eſſet ſynceritate ſecurus, tamen velut qui furti crimen agnoſceret, ſatisfactioni ſe totum tradidit, locúmque pœnitentiæ ſupplicitet poſtulauit, hoc verecundiæ ſuæ modeſtiæque proſpiciens, ne ſi maculam furti verbis conaretur abluere, inſuper etiam mendacij notaretur, nemine ſcilicet aliud quàm id quod inuentum fuerat ſuſpicante. Cúmque de Eccleſia non tam mente deiectus, quàm iudicio Dei fidens protinus abſceſſiſſet, profuſis in oratione iugiter lachrymis triplicatiſſiue ieiuniis, ſummâ ſe etiam in conſpectu hominum mentis humilitate proſtrauit. [Sed cùm duabus fermè hebdomadis ita ſe omni contritione carnis ac ſpiritus ſubieciſſet, vt die ſabati vel Dominico, non ad percipiendam communionem ſacram, ſed ad proſternendum ſe in limen Eccleſiæ, atque ad veniam ſimpliciter poſtulandam, matutinus accurreret, nequaquam paſſus eſt eum occul-

torum

torum omnium teſtis & cognitor, vel à ſe ampliùs conteri, vel ab aliis infamari. Nam quod ille inuentor ſceleris, rei ſuæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teſte commiſerat, per Diabolum qui criminis ipſius incentor fuerat, publicauit. Arreptus namque diriſſimo dæmone, cunctas factionis occultæ patefecit inſidias, criminationúmque ac fraudum idem fuit proditor qui commentor. Ita autem ſpiritu illo immundo grauiter diuque vexatus eſt, vt ne orationibus quidem Sanctorum illic conſiſtentium, qui diuinorum chariſmatum merito dæmoniis imperabant, potuerit emundari; ſed ne ipſius quidem Iſidori Presbyteri gratia ſingularis, crudeliſſimũ ab eo excullerit vexatórem, cui tanta erat virtus Domini largitate collata, vt ne vſque ad limina quidem eius, quiſquam arreptitius qui tardiùs ſanaretur aliquando perductus ſit, Chriſto hanc adoleſcenti Paſnutio gloriam reſeruante, vt illius tantùm orationibus cui inſidiatus fuerat purgaretur, & cuius laudi aliquid inuidus inimicus decerpere ſe poſſe crediderat, eius nomen proclamans, & delicti ſui veniam, & finem ſupplicij præſentis acciperet.]

Abbas Andreas Meſſenius, quomodò calumniam furti ſit paſſus, recitat ipſemet apud Moſchum in Limonario c.116. his verbis. [Cùm eſſem adoleſcens, receſſimus, ego & Abbas meus de Raythu. & venimus in Paleſtinam. Manſimus autem apud ſenem quendam. Senex ergo qui ſuſcepit nos, habebat vnum numiſma, quòd vbi poſuiſſet, per errorem oblitus, ſuſpicatus eſt quòd iunior ego furatus illud eſſem. Dicebat ergo ſenex patribus loci ipſius, quia frater Andreas numiſma accepit. Quod cùm audiſſet Abbas meus, vocauit me, & ait mihi: Dic Andrea, tu numiſma ſenis accepiſti? Ad quem ego: Ignoſce, Abba, ego nihil accepi. Habebam autem pallium, quod abiens vendidi numiſmate, & accipiens numiſma profectus ſum ad ſenem, & proſtratus illi veniam petij, & dixi: Ignoſce mihi Abba, quia Satanas decepit me, & accepi numiſma tuum. Erat autem illic & ſæcularis quidam. Ait ad me ſenex: Vade fili, nihil perdidi. Iterum igitur proſtratus, veniam petebam dicens: Per Dominum Abba, accipe numiſma: Ecce hoc eſt: fac mihi orationem, quoniam Satanas immiſit mihi, vt furarer illud & affligerem vos. Dixit iterum ſenex. Fili non perdidi quicquam. Cùm verò illi non acquieſcerem, tunc ait mihi ſæcularis ille; Verè Domine frater heſterno die cum huc veniſſem, inueni ſenem plorantem & proſtratum, petentemque veniam in magna afflictione animi: dixique illi: Fac charitatem. Quid eſt quod habes? Et dixit mihi ſenex: Quia fratrem iniuſtâ calumnia exagitaui, dicens quod numiſma furatus eſſet, & ecce inueni illud. Tunc ſenex ædificatus eſt in me, quòd cùm non accepiſſem numiſma, detulerim illud ad eum, dicens: Ego illud accepi.]

S. Auſtregiſilus cùm adhuc in Guntrani Regis aula laicus degeret, à Betellino quodam furti poſtulatus eſt, cuius reuera ipſe Betellinus reus erat. Interrogante & vrgente Rege, num ea ſe culpa inquinaſſet, negauit præcisè Auſtregiſilus. Quare cùm Betellinus quoque à ſe amoliretur culpam cuius alterutrum reum eſſe conſtabat, iuſſi ſunt à Rege, diuino iudicio interuentu duelli rem permittere, pro vſu vel abuſu tunc vigente. Condicta die, Auſtregiſilus fretus conſcientia, & Deo (quem precibus & eleemoſynis fauentem habere ſtuduit,) enixè interpellato, in campum prodit. Ibi dum aduerſarium opperitur, adeſt qui renuntiet, Betellinum ſubito caſu efflaſſe animam. Equus cæteroqui manſuetiſſimus, quem conſcenderat, ad primam calcarium admotionem exiliens quàm citatiſ-

Digitized by Google

ſimè, ingenti impetu contorſit ſeſe, & caput pedibus iungens, anteriores pedes ſurſum extulit, adeóque ferociter ſeſſorem excuſſit, vt plurimo cruore è naribus & auribus erumpente, priùs expiraret, quàm erigi humo poſſet. Agnouit Dei iudicium Rex Guntrannus, & compellato Auſtregiſilo, dixit; [Deus omnipotens cuius tu opem fideliter imploraſti, pugnauit pro te; Mortuus eſt enim Bellinus, diuina eum vltione perſequente.] Sic Auſtregiſili innocentia comperta fuit, quem non eſt quòd quis aliunde commaculet ob admiſſum duellum. Nam per ignorantiam inuicibilem ob vigentem tunc, (etiam inter probos) vſum, potuit ſe putum cenſeri duellando. Et poterat etiam delegatam à Principe plectendi ſontem & letho dedendi prouinciam, innoxius ſuſcipere.

De S. Prætextato furti accuſato per calumniam, à Chilperico ab vxore Fredegunde dementato, ita Gregorius Turon. l. 5. hiſtor. cap. 18. [Conuenientibus nobis in Baſilica S. Petri, manè Rex adfuit, dixitque, Epiſcopus in furtis deprehenſus, ab epiſcopali officio vt auellatur, canonum authoritas ſanxit. Nobis quoque reſpondentibus, Quis ille Sacerdos eſſet, cui furti crimen irrogaretur: reſpondit Rex, Vidiſtis enim ſpecies quas nobis furto abſtulit. Oſtenderat enim nobis ante diem tertiam Rex, duo volucra, ſpeciebus & diuerſis ornamentis referta: quæ pretiabantur ampliùs quàm tria millia ſolidorum. Sed & ſacculum cum numiſmatis auri, pondere tenentem quaſi millia duo: hæc enim dicebat Rex, ſibi ab Epiſcopo fuiſſe furata. Qui reſpondit, recolere vos credo, diſcedente à Rothomagenſi vrbe Brunichilde Regina, quòd venerim ad vos, dixique vobis, quia res eius, id eſt, quinque ſarcinas commendatas haberem: & frequentiùs aduenire pueros eius ad me vt ea redderem, & nolui ſine conſilio veſtro: tu autem dixiſti mihi ô Rex, eiice hæc à te & reuertantur ad mulierem res ſuæ: ne inimicitia inter me & Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare. Reuerſus ergo ago ad vrbem, vnum volucrum tradidi pueris: non enim valebam ampliùs ferre. Reuerſi iterum requirebant alia: iterum conſului magnificentiam veſtram: tu autem præcepiſti, dicens, Eiice, eiice hæc à te ô Sacerdos, ne faciat ſcandalum hæc cauſa. Iterum tradidi eis duo ex his: duo autem alia remanſerunt mecum. Tu autem quid nunc calumniaris & me furti arguis, cùm hæc cauſa non ad furtum, ſed ad cuſtodiam debeat deputari? Ad hæc Rex, ſi hoc depoſitum penes te habebatur ad cuſtodiendum, cur ſoluiſti vnum ex his & limbum aureis contextum filis in partes diſſecaſti, & dediſti per viros qui me à regno deiicerent? Prætextatus Epiſcopus reſpondit; Iam dixi tibi ſuperiùs, quia munera eorum acceperam, ideóque cùm non haberem de præſenti quod darem, hinc præſumpſi, & eis viciſſitudinem munerum tribui. Proprium mihi eſſe videbatur quod filio meo Meroueo erat, quem de lauacro regenerationis excepi. Videns autem rex Chilpericus, quod eum his calumniis ſuperare nequiret, attonitus valdè ac conſcientiâ confuſus, diſceſſit à nobis; vocauitque quoſdam de adulatoribus ſuis, & ait, Victum me verbis Epiſcopi fateor, & vera eſſe quæ dicit, ſcio.]

S. Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus, de ſublato furtiuè agro alieno poſtulatus eſt apud Boleſlaum Poloniæ Regem, quem patiebatur infenſum, quod de immanibus eius ſceleribus, imperterrita libertate peccantem redargueret. Emerat vir ſanctus agrum bona fide à quodam Petro, vnde agro nomen *Petrauinum*. Petro defuncto cognati & hæredes quòd ſcirent, Rege abalienato defuturum qui pro Epiſcopo teſtimonium ferret; & ſcirent tabulas comparati ritè agri penes eum

eum

Digitized by Google

eum non eſſe, diem illi apud Regem dicunt rem ſuam repetituri, malè ab illo inuaſam, malè detentam. Cùm deeſſent omnia quibus Sancti Antiſtis calumniam poſſet depellere, triduanas popoſcit inducias; quibus exactis Petrum venditorem in iudicio ſiſteret, fidem facturum agri non ab Antiſtite malè occupati, ſed poſt ritè numeratum Petro pretium. Nec fefellit Deus datam ab Antiſtite fidem, Petrum triennio ante defunctum coràm ſiſtendi. Itaque inſigni miraculo, Petrus per Antiſtitem ad faciendam venditionis fidem, è ſepulchro in quo iam triennium iacuerat eductus, calumniam S. Epiſcopo impactam plenè abſterſit, vt apud Albertum Krantzium l. 3. de rebus Vadanlicis à cap. 12. de S. Staniſlao agentem, & apud Longinum Cracouienſem, in ſancti viri actis legere eſt.

S. Bertulfus, Blandinij ſiue Gandaui ad ſanctum Petrum Monachus ſub annum Chriſti 1170. vt ſcribit Molanus ad Vſuardum 5. Februarij, cùm adhuc in ſæculo hæreret, & apud Vambertum Comitem, virum potentia & opibus clarum gratioſiſſimus eſſet, conſtitutus ab eo domus ſuæ Dominus, & princeps omnis poſſeſſionis ſuæ, curam rerum herilium geſſit quàm fideliſſimè, non modò nihil ſibi per fraudem ſubducens, ſed etiam pro augenda Domini ſubſtantia ſtudioſè ſatagens. Non cenſuit tamen contra prudentis ac fidelis ſerui officium fore, ſi eleemoſynis piè prouidéque diſpenſatis, hero Dei gratiam conciliaret, & incrementa frugum iuſtitiæ eius curaret: quinetiam tutelæ ac cumulationi terrenarum facultatum ea ratione proſpiceret; gnarus ſtyli diuini quo fœneratur Deo qui miſeretur pauperis. Arripuere Bertulphi æmuli hanc occaſionem, ad ſtruendam illi calumniam apud Vambertum Comitem: quem ſæpè ſæpiùs pulſarunt querelis, diſſiparæ per Bertulphum rei domeſticæ, & ſupra modum imminutarum eius facultatum. Monebant itaque, videret, ſedulóque in tempore caueret, ne hic aduena cui omnes facultates crediderat, exhauriret omnia, & per ſpeciem pietatis ac miſericordiæ in egenos, vel prodigè vniuerſam Domini ſubſtantiam profunderet, vel ſibi clandeſtinis aceruationibus opes pararet, ex vſu infidelium Oeconomorum, qui herilium opum ſuctu ſaginantur, diteſcentes ex furto. Id cum Vamberto ad eas querulas ſurdo creberrimè ingeſſiſſent, dare ſe denique viſa eſt occaſio peropportuna, Bertulphum in flagranti crimine deprehenſum ſiſtendi Vamberto. Cùm enim pius Oeconomus, in veſtis lacinia reducta, panem cum caſeo, in vaſe autem figlino, vinum ad reficiẽdos egenos clàm efferret, circunuentum doloſis expoſtulationibus Comitem, adducunt vt ſcrutetur, & ſuis ipſe oculis aſpiciat, ecquid Bertulfus domo efferat. Interceptus ſubito heri occurſu Bertulfus, roganti quid in vaſe fictili efferret, veritus furti & fraudis notati, ſi quod erat aperiret, aquam eſſe dixit quam vaſi immiſiſſet, & aſſulis veſte adſtrictis, calefactum iret. Hoc vt verba ſonant ſpectatum, mendadacio ſorduiſſe videri poteſt. Tamen vel ſeruus Dei, vt in ſubito & improuiſo occurſu, per inuicibilem incogitantiam declinauit mendacium: vel diuinitus edoctus conſilium Dei, & mutationem ad eius voces conſecuturam, ſecurè & ſyncerè citra falſiloquij diſcrimen, dixit quod Deus cauſata vini in aquam, panis & caſei in aſſulas tranſmutatione, ratum habuit; magna æmulorum confuſione, qui calumniæ & inuidiæ in Dei ſeruum Bertulfum ſunt notati, ipſe verò ab impacta furti & infidelitatis labe purgatus eſt, ac firmatus in munere concredito, donec calces ſæculo illiſit. In non diſſimili ex parte negotio, B. Petrus Luxemburgenſis adhuc puerulus, cùm in

Ianuarij, cum de ſancto Ephrem in Notis.

Serui per calumniam accuſati de ſubrepto falcone liberationem à patibulo per B. Virginem Hallenſem, deſcribit Lipſius in hiſtoria illius ſacræ domus c. 8.

Affinis eſt narratio de peregrino Compoſtellano deſcripta à Lucio Marinæo lib. 5. de rebus Hiſpaniæ. Ait enim virum probum cum vxore ac filio adoleſcente pereleganti ſpecie, ad S. Iacobum ſuſcepiſſe peregrinationem, & cùm perueniſſent ad ciuitatem cui nomen *S. Dominico Calciatenſi*, diuertiſſe ad quendam cui erat filia adulta, quæ adoleſcentis ſpecie capta, in eius concupiſcentiam exarſit. Sed negante fœdi commercij copiam adoleſcente, procax lupa verſo in tabiem amore, paternum craterem cucullo abeuntis immiſit: eóque digreſſo, de ſubducto à peregrinis cratere querelam ingeſſit. Miſſi à Prætore ſatellites, facilè aſſecuti peregrinos, excuſſis ſarcinulis, in adoleſcentis cucullo craterem reperiunt. Nec mora, iudicis decreto ad furcam abripitur, parentibus immenſo dolore transfixis ob tantam filij calamitatem. Poſt longam tamen complorationem, cœpto itineri ſe reddunt, & ſolutis Compoſtellæ votis, cum eodem regrederentur itinere, matre renitente licet marito, vbi propiùs ad furcam è qua filius pendebat, acceſſit; eiulatus ſuos inſtaurans, audiuit filium, flere ac eiulare vetantem, eo quòd Deiparæ & Iacobi Apoſtoli meritis, viuus perſtaret. Monitus Prætor, & vrgente matre vt filium præciſo laqueo reciperet interpellatus, fœmineum ſomnium ratus flocciſecit; & cùm fortè ad menſam ſederet, cultrũ immiſſurus ad galli & gallinæ quos aſſos in paropſide habebat, diſſectionem, reſpondit, perinde viuere filium ipſius, ac gallus ille & gallina. Sed qui per ſubiugale mutum corripuit olim Prophetæ inſipientiam, per hæc altilia iudicem erudiuit de iudicij iniquitate, & adoleſcentis calumnioſa oppreſſione Ecce enim illicò gallus & gallina exiluere: & ſtatim gallus cantauit. Simile de gallo rediuiuo & ad blaſphemorum redargutionem è patina in qua iam diſſectus erat exiliente atque cantante, narrat Petrus Damiani Opuſc. 36. c. 13 Sic patefacta eſt iuuenis innocentia, ipſéque laqueo reciſo parentibus immenſo ipſorum gaudio reſtitutus. Gallus & Gallina in ſacram ædem illata ſunt, vbi ſeptennio prorogata vita, pullum & pullam ſui coloris & magnitudinis reliquerunt, quibus eadem ſors exacto ſeptennio obtigit, & ita deinceps. Addit Marinæus teſtem ſe eſſe oculatum, cùm omnes illac tranſeuntes peregrini; (& tranſeunt innumerabiles,) galli & gallinæ plumas decerpant; nunquam tamen illis plumas deficere.

Nobiles ſex anno 1572. in terra Agri de ſubducto ſibi theſauro à tribus falſis teſtibus accuſati, cùm cedentes acerbitati tormentorum, crimen cuius rei non erant, agnouiſſent; rapti ea ex cauſa ad furcam Virginis Lauretanæ opem implorantes, mirabiliter erepti ſunt exitio. Nam cùm de informis lethi trabe deiicerentur, contritis miraculo laqueis omnibus, præſens Deiparæ ſubſidium ſunt experti. Aderant tres falſi teſtes, quos tanto ſpectaculo attonitos, vltio diuina confeſtim corripuit; emiſſis inibi eo ipſo tempore animabus, vt ſcribit Benzonius l. 1. ſpeculi Epiſcoporum diſp. 1. q. 2. vtrumque miraculum, calumniam furti innoxiis impactam pluſquàm ſufficienter abſterſit.

Vſuram eſſe furtum, vel latrocinium, aut etiam parricidium, grauiter dixit Gregorius Nyſſenus hom. 4. in Eccleſ. Itaque calumniam de probro vſuræ haud proſſus abſurdè reuocabo ad hanc ſeriem. Grauata eſt ea calumniæ admodum tetræ nota S. Iuetta ſiue Iutta vidua ab Hugone Floreffienſi vitæ eius ſcriptore c. 9. Cum enim retuliſſet piam fœminam mortuo marito de conſilio patris ſui pe-

ſa, & nudos ſpoliaſti veſtimentis. Aquam laſſo non dediſti,& eſurienti ſubtraxiſti panem: In fortitudine brachij tui poſſidebas terram,& potentiſſimus obtinebas eam. Viduas dimiſiſti vacuas,& lacertos pupillorum comminuiſti. Propterea circumdatus es laqueis. Hæc omnia meram calumniam fuiſſe,Deus ipſe Iobi innocentiæ atteſtatus,monſtrauit,vt videre eſt c.42.Et ipſe Iob è contrario,ſe pauperum patrem fuiſſe,ac proinde malignè & falsò tali probro contactum,oſtendit.

Conſtantinus Magnus à Zozimo magnæ rapacitatis notatur, præ qua,in omnium fortunas aliquid excogitarit. Ita enim ſonant Græca verba κατὰ πάσας ἐξευρεῖν τύχας. Quod vitiosè apud Nicephorum l. 16. c.40. vertitur, *alia plura intoleranda contra artes & ſcientias omnes fecit.* Apud Euagrium autem l. 3. cap.40. ſic ea verba leguntur ex Interprete. *Alia nonnulla mala contra homines cuiuſque fortunæ & conditionis inuenit.* Sed mens Zozimi fert quod dixi. Malignè tamen, & per atrocem calumniam, talia de Conſtantino verè magno,verè munifico,garrit Zozimus homo Ethniciſſimus;cui ingens cordolium creabat Idololatriæ per Conſtantinum Magnum euerſio, vt benè admonet Euagrius capite illo 40. è quo Nicephorus profecit. Et ambo rabiei ac furoris verſani damnant Zozimum in multiplici Conſtantini allatratione quæ apud eum occurrit; vt mirum ſit, impudoratum hunc hominem auſum eſſe Arcadio & Honorio Chriſtianiſſimis Imperatoribus inſcribere eam camarinam probrorum in Zorobabelem gregis noſtri,vt loquitur Theodoretus, ſect. 1. relig. hiſtor. Tantùm verò abeſt, vt Conſtantinus rapacitatis & inuolationis in ſubditorum fortunas notari iure potuerit, vt potiùs pater pauperum, & ſubleuator omnium calamitoſorum, ac iuris alieni tenax, ſemper audiuerit. Legeſis Euſebium l.1.de vita Conſtantini c. 34.& Theodoretum l.1.hiſtor.c.11.

S. Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus, cùm gladiis impiorum, propter iuſtitiam & debitum Romano Pontifici honorem occubuiſſet, paſſus eſt calumniatores, qui de eius miraculis & multis & magnis obloquebantur. Vnus dixit. [Quid eſt quod video & audio? Homo iſte Tyrannus fuit, oppreſſor pupillorum & viduarum,ſuperbus & auarus.] Sed iuſtus Dominus repentè igne cœleſti. guttur & humeros liuidi hominis inflammauit. Itaque cilicio indutus & nudipes, media hyeme ad ſacrum B. Engelberti ſepulchrum profectus, veniam calumniæ popoſcit, & triduo pòſt exorauit. Alius cum B. Engelbertum dici Sanctum audiret,ringebatur. [Et quinam (aiebat) vel dici vel eſſe poteſt Sanctus, cuius iuſſu multæ inflammatæ ædes, multi ſpoliati ſunt; & quem multorum malorum conſtat fuiſſe autorem?] Et hunc quoque, ſubitò tanta vis morbi oppreſſit,vt agnoſcens diuinam in ſe manum exertam,mutaret mentem,& calumniam elueret.Planè enim erat calumnia, qua vir Sanctus ſpoliationis & oppreſſionis pauperum inſimulabatur: cùm potiùs (quod Cæſarius Heiſterbacenſis vitæ S.viri autor l.1. c.8. demonſtrat;)pater eſſet pauperum,& ſubleuator oppreſſorum; nihil perinde ſitiens, quàm ſubleuationem populorum, quibus vt Temporalis Princeps præerat.

Pertinet quoque ad oppreſſionem & violentiam contra ius alienum illatam, calumnia quam S.Godofredus Epiſcopus Ambianenſis ſuſtinuit, vt ſcribit Nicolaus Sueſſionenſis l. 1. Actorum ſancti viri c.11. Repulſo enim S. Antiſtite à Monachis S.Valerici,iactantibus immunitatem ſuam, ſeque ab eo opprimi expoſtulantibus; cauſa ad Manaſſem Rhemenſem eſt deuoluta: apud quem ſtrenuè de iniuria querentibus Monachis, & literas Apoſtolicas immunitatem conferentes

alle

allegantibus, S. Godofredus literas contuitus, agnouit recentiſſimè eſſe exaratas, & obſignationem longè à Romana diſcrepare. Itaque calumnia de oppreſſione per S. Epiſcopum, abiit in fumum.

Damni dati calumniam ſuſtinuere Chriſtiani qui Romæ degebant, cùm excitato immani incendio, quo per ſex dies prorogato, è quatuordecim vrbis Regionibus tres ſolo tenus euerſæ, ſeptem aliæ pauca tectorum veſtigia retinuerunt; Chriſtiani iactati ſunt eius Autores, & tanquam Incendiarij perierunt. Nam vel tergis ferarum contecti, laniatu ferarum interierunt; vel crucibus affixi ſunt, vel in vſum nocturni luminis, adacto per medium hominem qui per os emergeret ſtipite, & tunica alimentis ignium illita miſeris intexta, ſunt cremati, genere ſupplicij horrendo, quod Seneca attigit epiſto. 14. & Iuuenalis ſaty. 1. iis verſibus.

————*tæda lucebis in illa*
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Adſcripſit Chriſtianis hoc incendium Tacitus l. 15. ſed mendaciter. Nam etiam *loquacissimus mendaciorum* à Tertulliano audiuit c. 16. Apologet. Et ipſe Tacitus, calumniam ſuam redarguit, faſſus Neronem incendij fuiſſe autorem, & ſua & totius populi ſententia. Nec aliter Dio in Nerone, & Suetonius item in Nerone c. 38. qui ait, excitaſſe id incendium Neronem, offenſum flexuris anguſtiiſque vicorum, & veterum ædificiorum deformitate. Idem tamen vt à ſe auerteret inuidiam conflagrationis, calumnia illa grauauit Chriſtianos, & quaſi iuſtè commotus, perſecutionem primam in eos excitauit, vnde *dedicator vexationis Chriſtianorum* dictus eſt à Tertulliano cap. 5. Apolog. & c. 14. Scorpiaci. Conſulendus de hac calumnia Chriſtianis iſtis impacta, Baronius ad Rom. Martyrol. 24. Iunij.

Chriſtianos, S. Baſillæ ſponſus Pompeius, ſub Valeriano & Gallieno, reos dixit damni dati ob conuulſionem Matrimoniorum quam eis impingebat: eo quod S. Baſilla, Chriſtiana & Virgo Deo ſacra, nuptias Pompeij ad quas infantula fuerat deſtinata, auerſaretur. Eius calumnia his verbis refertur in actis S. Eugeniæ c. 25. [Pompeius omni penè Senatorum fauore vſus, proſtrauit ſe coram Imperatore, dicens: Subuenite Romanis veſtris, ſacratiſſimi Principes, & Deos nouos quos Eugenia ſecum adduxit ab Ægypto veniens, ab hac vrbe ſeparate. Diù eſt enim, quòd hi qui Chriſtiani dicuntur, Reipublicæ nocent: qui derident legum noſtrarum ſacroſanctas cærimonias, & omnipotentes Deos noſtros, ac ſi vana ſimulacra, deſpiciunt. Iura quoque ipſius naturæ peruertunt, ſeparant coniugium, gratiam ſponſarum ſibi aſſociant; & dicunt iniquum eſſe, ſi ſponſum ſuum ſponſa accipiat. Quid faciemus piiſſimi Imperatores? Inuenti ſunt Dij, qui naſci homines prohibeant; & quibus iſta videbunt? Si nati non fuerint, quibus valeat imperari. Vbi reparatio Romanarum virium? vbi Romani exercitus rediuiua certamina? Pro quibus victrices dextræ veſtræ, hoſtium ceruices inclinabunt, ſi iam vxores habendæ non erunt, ſi ſponſas amittimus & tacemus? Calumniosè criminabatur homo Ethnicus, Chriſtianam religionem ſiccare matrimonia, fontem generis noſtri, vt appellat Theodoretus ſerm. 8. de prouid. vbi de eius laudibus plura, ſicut etiam apud Amphilochium initio Orationis de Hypapante.

Chriſtiani Antiocheni de incenſo templo Daphnitico, inſimulati à Iuliano Orientis Præfecto, Iuliani Apoſtatæ auunculo, vt ſcribit Theodoretus l. 3. hiſtor. c. 10. peſſimè habiti ſunt, & è magna Eccleſia Antiochena expulſi, vniuerſa eius ſacra ſupellectile (quæ pretioſiſſima erat,) publicata: & facta Ethnicis poteſtate, vt Eccleſiis Chriſtianorum abuterentur pro libito: Vnde horrenda illa mala ſunt conſecuta

ſecuta quæ in Actis S. Artemij c. 58. deſcribuntur. Et tamen Chriſtiani per calumniam grauati erant ea noxa, cùm conſtaret delubrum Daphniticum de cœlo tactum, conflagraſſe igne non admoto ab hominibus, vt teſtantur eadem Acta S. Artemij, & Theodoretus c. illo 10. confirmat teſtimonio æditnorum Ethnicorum, qui cum vapularent quaſi incurij fuiſſent in auertendo igne, nunquam Chriſtianos inſimularunt eius culpæ; ſed incendium dixerunt non humi habuiſſe initiùm, ſed cœlitùs demiſſum eſſe. Et ruſtici quidam in vicinia degentes, cùm eo aduentaſſent, liquidò confirmarunt, ſe fulmen è cœlo delatum vidiſſe, quo euerſum eſſet delubrum. Idquè pro certo cognouiſſe Gentiles, ſubdit Theodoretus c. 11. tametſi vt eſſet locus expromendæ in Chriſtianos rabiei, quam ſub Conſtantino & eius filiis premere adacti fuerant, calumnioſè illis impoſuerunt incendium templi Daphnitici.

Eiuſdem farinæ fuit calumnia quam ſubiuere Catholici Conſtantinopoli, qui ſtabant à partibus S. Ioannis Chryſoſtomi, ac nominatim S. Olympias, primaria & nobiliſſima fœmina. Cùm enim poſt eiectum malignitate Eudoxiæ S. Chryſoſtomum, confeſtim, ac de meridie, ignis thronum in quo is ſedere conſueuerat occupaſſet, & penitus abſumpſiſſet, moxque tranſultu facto per indemnem plebem numeroſiſſimam, inuolaſſet in ædes Senatus, eæque cum adiacentibus ædificiis planè conflagraſſent, præter ædiculam in qua ſacra ſupellex aſſeruabatur, (quod diuinitus prouiſum eſſe creditum eſt, ne S. Ioannes furti ſacrilegi inſimularetur:) Cùm inquam huiuſmodi immane incendium excitatum eſſet, grauati ſunt ea calumnia *Ioannitæ*, ſic dicti à ſtudio erga S. Ioannem extorrem. Et eis ſanè hoc adſcribit Socrates l. 6. c. 16. & Zozimus l. 5. Ac inter alios, ſtudioſiſſimam viri ſancti Olympiadem, eadem calumnia pulſatam eſſe, interrogatámque à Præfecto vt quid Eccleſiam ſuccendiſſet? Reſpondiſſe, aliud ſibi eſſe ac fuiſſe vitæ inſtitutum, quæ in condendis & ornandis templis, ampliſſimas facultates exhauſiſſet, autor eſt Sozomenus l. 8. c. 24. ſed calumniam quæ quoad S. Olympiadem planè inſulſa erat, & ab ea ſufficienter reuicta eſt falſitatis, Deus ipſe quoad omnes reiecit, tranſultu illo ignis, qui diuinum aliquid ſupra naturam patratum præ ſe tulit; Vt Dialogus Palladij de vita Chryſoſtomi diſerte habet, traditque etiam Leo Auguſtus in S. Chryſoſtomi panegyr. Eccleſia quoque ſatis agnouit hanc fuiſſe calumniam; quandoquidem inter Martyres recenſet eos qui per hoc incendium illis afflictum, aut in quæſtionibus in ea cauſa habitis, fato ceſſerunt, vt videre eſt in Tabulis Eccleſiaſticis 12. Ianuar.

S. Athanaſius, de impedita frumenti Alexandria Conſtantinopolim tranſuectione, eſt accuſatus. Calumniam Synodus Alexandrina adducta in Apolog. 2. non multùm ab initio, ſic refert atque refellit. [Euſebiani vbi comparuerunt, nihil inter accuſandum de obiectis Tyri criminibus, meminere. Sed frumentum ab Athanaſio, nauéſque detentas calumniati ſunt, eumque gloriatum eſſe dixere, quòd frumenti deportationem ex Alexandriâ Conſtantinopolim, impedire poſſet. Hæc nonnulli ex noſtris, qui in Synodo erant, ex Imperatore admirationis pleno audierunt. Hic cùm Athanaſius ad tantas calumnias ingemiſceret, affirmarétque eos falſos eſſe, nec fieri poſſe; vt homo priuatus & pauper, tantum virium haberet, Euſebius ne publicè quidem detrectans calumniatoris munus, deierauit, Athanaſium per quàm opulentum eſſe, & ſatis virium & authoritatis ad iſta omnia patranda habere, vt ita veriſimilior calumnia videretur. Ad iſtum modum res actæ ſunt per ſanctos illos &

Digitized by Google

venerandos Sycophantas, Epiſcopos. Sed Dei gratia plus in hoc negotio valuit, quàm illorum ſceleſtata malitia, quæ Principis animum religioſum ad clementiam retraxit, vt ſatis haberet pro morte exilium irrogare. Horum omnium malorum cauſæ, non alibi, quàm in illorum calumniis conſiſtunt.] Videndi de hac calumnia eiúſque falſitate, Socrates l. 1. c. 22. & 23. & Theodor. l. 1. hiſtor. c. 31. Pupugit certè hæc malignitas ſupra cæteras S. Athanaſiū; ita vt teſte S. Epiphanio hær. 68. nonnihil de ſolita patientia remittens, verſus ad Conſtantinum cui perſuaſam vidit, illud pronunciauerit. [Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam tu conſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ.]

CAPVT XII.

De Plagio.

HÆc ſpecialis iniuria, inter omnes quæ furto aut rapina vel damno admittuntur, attingenda ſigillatim viſa eſt, quòd calumnia de ea illata, non ſit infrequens: eſtque de probro admodùm tetro & illiberali. Id vt clariùs perſpiciatur, recolendum eſt ex dictis in Morali diſt. 3. n. 161. magnam eſſe liberorum & librorum affinitatem; quam ſcitè confirmant Clem. Alex. l. 1. ſtrom. *initio*, & Caſſiod. in Præfat. ad libros Var. *poſt medium*, nec non S. Ambroſius Epiſto. ad Sabinum. Pulchrè ſic Theodorus Ancyranus hom. in Concilio Epheſino habita, de Natiu. Saluat. [Tuum quoque verbum, tuæ mentis ſoboles eſt: & poſtquàm verbum iſtud quod tua mens peperit, elementis ac literis volueris exprimere, & in charta ſermonem efformare, manu literis deſcribis; & certa quadam ratione, verbum tuum per manum denuò eniteris, & manum per literas verbum parientem conſpicaris.] Eſt igitur liber, fœtus ſcriptoris, ac filius non ex viſceribus corporeis procreatus, ſed ex animi penetralibus. Verè *ſpes viua*, (quod eſt ſobolis nomen apud S. Petrum,) quā ſcriptor, quum in ſe aſſequi non poteſt, ſperat æternitatem, & nunquam intermorituram apud mortales memoriam. Sicut igitur prolis abactio, bono parenti accidit acerbiſſima, ita & mentalis huius prolis ſubductio. Dixi in eam rem nonnulla in Tractatione de iuſta confixione librorum Erotemate 10. & l. 3. de virtut. num. 203. nominatim ex Syneſio, qui Epiſto. 142. præfert hoc ſcelus ſpoliationi corporum defunctorum, quæ peſſimè ſemper audiuit, & inter Barbaricas immanitates ſemper eſt numerata. Cùm adulteris verum patrem, prolis à non ſuo viro ſuſceptæ celantibus confert plagiarios S. Baſilius epiſto. 1. *ſub medium*. Aliquos Sanctos hoc probro per calumniam infamatos, iuuat proferre.

Chriſtus Dominus iuxta Platonicos quoſdam, plagiarius audire debet; quia præcipua quæque ſuæ doctrinæ, ex Platone ſublegit. Ita illi calumnioſè æquè ac ſtultè, quos confutauit S. Ambroſius in opere de ſacramento regenerationis, ſiue de Philoſophia, quem librū intercidiſſe, dolendum eſt: allegatur autem aliquoties à D. Auguſtino, vt 2. Retract. c. 4. & l. 2. contra Iulia. c. 5. & 7. Vt autem longa huius impoſturæ reiectione abſtineam, Non egebat Chriſtus Dominus fons ſapientiæ in excelſis, è lacu contrito Platonis, & ciſternis diſſipatis Philoſophorum, haurire ſacræ doctrinæ latices. Iuſtè verò poſſumus recriminatione vti, & Platonē ac Platonicos inſimulare plagij è libris ſacris. Nā Platonē expilaſſe libros diuinos qui tunc erant, neminem latet; & ſæpè animaduerſum eſt à Patribus, præſertim Clemente Alexandrino, Euſebio, ac Theodoreto, quorum hic l. 2. de cur. Græcan. affect. Moſem vocat Oceanum Theologiæ, à quo fluuij omnes, & maria omnia.

nia Ethicæ ſapientiæ ſunt deriuata, vt Theodoretus demonſtrat. Illinc Anaxagoram, Pythagoram, Socratem, atque Platonem, ſua quæ iactant deſumpſiſſe, confirmat. Dolet verò, idem Theodoretus, puro illi fonti, terraceam & limoſam aquam fuiſſe commixtam. Platonicos autem Chriſto poſteriores, expilaſſe ſcrinia Chriſtiana, notius eſt quàm vt probari oporteat, præſertim quoad Plotinum, & Amelium, atque Chalcidium.

S. Ambroſius à S. Hieronymo dictus eſt plagiarius, ſi Ruffino credimus l. 2. Inuectiu. in S. Hieronymum. Hæc enim D. Hieronymi verba refert ex præfatione ad Paulinianum, in Opus Didymi de Spiritu Sancto abs ſe verſum. [Vt autorem titulo fatear, malui alieni operis interpres exiſtere quàm, vt quidam faciunt, quaſi informis cornicula alienis me coloribus adornare. Legi dudum de Spiritu Sancto cuiuſdam libellos: & iuxta Comici ſententiam, ex Græcis bonis Latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque diſtrictum, quod lectorem vel ingratis in aſſenſum trahat: ſed flaccidum totum, molle, nitidum, atque formoſum, & exquiſitis hinc inde odoribus pigmentatum. Didymus verò meus, oculum habens ſponſæ de Cantico canticorum, & illa lumina quæ in candentes iam ſegetes ſublimari Ieſus præcipit, procùl altiùs intuetur; & antiquum nobis morem reddit, vt videns vocetur propheta. Certè qui hunc legerit, & Latinorum furta cognoſcet & contemnet riuulos, cùm cœperit haurire de fontibus.] Hæc de S. Ambroſio à S. Hieronymo eſſe dicta, ac proinde indicio Hieronymi Ambroſium fuiſſe plagiarium ſubiicit his verbis Ruffinus, purgans eam calumniam. [Audiſtis quomodò quem ante coruum dixerat, & totum tenebroſum, nunc iterum corniculam dicat, alienis ſe pennis, vel coloribus depingentem: & quàm turpiter laceret, & nihil virile dicat habere, virum, qui ad Eccleſiarum Chriſti gloriam electus à Deo eſt: qui de teſtimoniis Domini locutus eſt in conſpectu perſecutorum Regum, & non eſt confuſus. Ambroſius Sanctus, de Spiritu Sancto non ſolùm verbis, ſed & ſanguine ſuo ſcripſit. Obtulit enim perſecutoribus ſãguinem ſuum, quem in ſe fudit; ſed à Deo ad alios adhuc reſeruabatur labores. Quòd etiamſi ſecutus eſt Græcos Catholicos noſtrorum ſcriptores, & aliquid de eorum ſcriptis præſumpſit, non continuò hæc debuit tua eſſe ſumma cura, hic labor, hoc ſtudium, vt pro hac causâ interpretareris librum Didymi de Sancto Spiritu, vt furta illius cognoſcerentur; qui fortaſſis etiam neceſſitatem ſcribendi paſſus eſt, vt inſanientibus tunc hæreticis reſponderet. Hæc eſt Chriſtiana modeſtia? ſic monita ſeruamus Apoſtoli, dicentis, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam?]

Ego duplicem in his calumniam agnoſco. Vnam quæ huius loci eſt propria, nimirum qua S. Ambroſius dicitur expilaſſe & ſublegiſſe Didymi opus de Spiritu Sancto. Alteram qua S. Hieronymus dicitur plagij inſimulaſſe S. Ambroſium. Hæc ſecunda calumnia eſt planè futilis. Neque enim S. Hieronymus agebat de S Ambroſio, cùm Latinum quempiam, qui de Spiritu Sancto ſcripſerat, Didymi de eodem argumento Opus expilaſſe dicit. Quàm multi enim præterea Latini, eo tempore de Spiritu Sancto ſcripſiſſe potuerant? Itaque mera fuit Ruffini ſuſpicio, quod S. Hieronymus notare plagij voluerit S. Ambroſium, de quo cum veneratione ſemper ſcribit. Quod autem S. Ambroſius non fuerit reipſa plagiarius reſpectu Didymi; contentione facta librorum S. Ambroſij & operis Didymi, liquidò perſpicietur. Tametſi enim pauca quædam vtrobique leguntur, tamen & alio ordine, & alia ratione ac forma habentur expoſita apud

Digitized by Google

vnum, quàm apud alium. Illáque ipſa in quibus ambo ſcriptores concurrerunt, potuere poſteriori obtingere ſtudio ſuo & commentatione, citra plagium. Quotidianum enim eſt, vt ſi duo luculenta ingenia in eandem tractationem incumbant, in pleriſque quoad ſenſa concurrant: quia cum vis ingenij humani ſuos denique fines habeat, nihil vetat, quo minus vnum pertingat quo alterum anteceſſit, & vtrumque ſuo Marte adinueniat, quæ ab altero fuerint excogitata. Itaque liberandus eſt nota plagij, quoad Didymum, S. Ambroſius in libris de Spiritu Sancto.

Ægriùs liberatur ab eodem næuo, quoad Origenem & S. Baſilium. Nam de Origene, S. Hieronymus ſub initium Apologiæ ad Pammachium & Marcellinum, ait. [Ambroſij penè omnes libri, Origenis ſermonibus pleni ſunt.] Et in Epiſto. de erroribus Origenis ad Pammachium. [Nuper S. Ambroſius ſic Hexaëmeron illius compilauit, vt magis Hyppoliti & Baſilij ſententias ſequeretur.] Commentarij in ſcripturam, ſcatent laciniis Origenis atque Philonis. Sed in Hexaëmero maximè per comparationem ad S. Baſilium, videri poteſt haudquaquam gratis obiectum eſſe S. Ambroſio plagium. Nam adeò apertè ſenſa S. Baſilij ſua facit, vt etiam lapſum memoriæ quem S. Baſilius hom. 8. ſimulatat, reddiderit & ſuum fecerit S. Ambroſius l. 5. c. 12. vt aduertit Sixtus Senenſis l. 4. bibl. *in Ambroſio.* Et tamen perfacile eſt, S. Ambroſium hac quoque in parte liberare à plagij calumnia. Omnia enim illa opera in quibus S. Ambroſius ex Origene, Philone, aut Baſilio profecit, tametſi præferant titulum librorum, reuera non ſunt libri, ſed conciones ad populum, quas alij exſcripſerunt, & per libros digeſſerunt. Frequens enim fuiſſe, vt Magnorum Antiſtitum homiliæ ad populum, adhibitis nauis librariis exſcriberentur, liquet ex homiliis S. Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Hebræos quas exſcripſit Conſtantinus Presbyter. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. de adorat. de his librariis expoſtulat. S. Gaudentius in præfatione ad ſuos Tractatus, conciones ſuas corruptè exceptas, æquè deplorat. Et idem factum circa Ethnicos Oratores docet ſimilis querela Dionis Pruſæi orat. 42. *in fine.* Excipiebantur ergo inſciis magnis Tractatoribus eorum homiliæ ad populum, & ab iis qui exſcripſerant conſeruatæ, ad nos ſunt tranſmiſſæ: cùm ij, qui illas habebant, non cogitarent de lucubrationibus illis ad poſteros ſcripto tranſmittendis, ſed tantùm de ædificatione præſentium, qui viua voce prolatas audiebant. At in eo genere non modò vitio caret, ſed etiam laudabile eſt, ex ſcriptis alienis proficere, eáque ſua facere. Nam in eum finem proſtant, & idcirco teruntur manibus; nec autori optatius quicquam poteſt accidere, quàm ſi eius lucubrationes viua aliorum voce publicatæ, fœnerent Domino, & proximis commodent. Eſt ergo in his quoque ſcriptionibus, immunis à plagij calumnia S. Ambroſius.

S. Hieronymus, plagij à Ruffino & aliis inſimulatus eſt. Ipſe S. Hieronymus præfatione in Michæam, id teſtatus eſt verbis illis. [Quod dicunt Origenis me volumina compilare, & contaminare non decere ſcripta veterum, quod illi maledictum vehemens exiſtimant, eam laudem ego duco maximam, cùm illos imitari volo, qui cunctis prudentibus & vobis placent.] Hæc cùm adduxiſſet Ruffinus l. 2. inuect. ſubdit alloquens ipſum S. Hieronymum. [Tu qui prædicas non furandum, furaris. Paulò antè, interpretationem Micheæ obiectam tibi dicebas, quaſi Origenis dicta furareris. Tu furtum quidem non negaſti, ſed ais; Quod mihi illi maledictum vehemens exiſtimant, hoc ego laudem duco maximam: cùm

Digitized by Google

illum imitari volo, qui cunctis prudentibus & vobis placet. Tua furta laudem tibi præſtant maximam: alios furta ſua, apud te, coruos & corniculas faciunt.] Ita quidem aduerſus S. Hieronymum Ruffinus, furti eum accuſans & plagij. Non eſt tamen difficile hanc maculam eluere, & per calumniam, fuiſſe S. Hieronymo illatam demonſtrare. Nam ſanctus Hieronymus in iis ſcriptionibus in quibus plagij inſimulatur, ſcribebat collectanea & quaſi centones, & (vt poſteriores dixere,) cathenas è pulchrioribus variorum interpretum dictis conficiebat, profeſſus referre non tam ſua ſenſa quàm aliorum. In eo autem ſcribendi genere, ſublegere aliena non eſt furtum vel plagium, ſed diligentia & induſtria laudabilis, etiamſi non ſemper annotetur vnde aliquid depromptum ſit: ſufficit enim ſi aliquando ſit inſinuatum. Et ita à Rabano factum.

S. Iſidorus plagij inſimulatus eſt, ob expilatum S. Gregorium. Reſpondet verò pro S. Iſidoro Lucas Tudenſis l. 2. contra Albig. cap. 4. [Vnus atque idem Spiritus per ora illorum eandem ſententiam protulit, ſicut & in 70. Interpretibus legimus præceſſiſſe. Quamuis hæc duo magna cœli luminaria eſſent ſpatiis terrarum ſeiuncti, tamen in vnitate ſancti Spiritus adunati, eadem vtrumque ſententia redolebat, vt in ore ſanctiſſimorum duorum teſtium, veritatis teſtimonia firmarentur. Omnes alij SS. Doctores, eiſdem ſunt ſententiis innixi, vocabulorum autem varietate diuerſi. Iſti verò ita iunguntur ſententiis, vt etiam verba in pleriſque locis eadem videantur.] Obiicit mox ſibi Lucas, potuiſſe S. Iſidorum (quippe S. Gregorio poſteriorem,) ex huius libris proficere. Reſpondet autem, id obiici non poſſe; cùm certum ſit, idque ipſe diligenter confirmet, S. Iſidorum fuiſſe deſtitutum pleriſque S. Gregorij lucubrationibus, in quibus tamen eadem cum S. Iſidoro ſententiarum ac verborum affinitas aut etiam identitas deprehenditur. [Fateamur ergo (ait Tudenſis in calce capitis,) eorum Scripturas per Spiritum Sanctum concordes, vt dictum eſt, & non ex ſuffragiis mendicatis, tam inſignes Eccleſiæ Dei Philoſophos concordare.] Hæc Tudenſis pro S. Iſidoro reſponſio, nihil continet impoſſibile. Eſt tamen perſuaſu difficilis, nec neceſſaria ad depellendum à B. Iſidoro plagij probrum, vt ex proximè dictis circa Rabanum, conſtare poteſt.

Petrus Lombardus, vulgo dictus eſt *Magiſter ſententiarum*, quia ſententias ſanctorum Patrum de omnibus ad Theologiam ſcholaſticam ſpectantibus, primus inter Latinos quadripartitò digeſſit, vti apud Græcos iam olim fecerat S. Damaſcenus; niſi quòd Petrus vnde profecerit ſignare ſolet, quod rariùs facit Damaſcenus. Opus Petri, incredibili applauſu in ſcholis exceptum, præſtantium ingeniorum laboribus excultum, fuere qui dicerent plagio ſubductum Banduino cuidam, cuius nomine idem opus prænotatum aliquando eſt; ambigitque Genebrardus in Chronogr. vter alteri cuculus fuerit. Verùm per calumniam inſimulari plagij Petrum Lombardum, dubitare non poſſum. Banduinus enim ille, quis ſit, aut vnde ſit, omnes latet. Petrus verò Epiſcopus Pariſienſis, & omnibus ornamentis clarus, ſeruile illud crimen non admiſiſſet: nec ſi admittere cogitaſſet, potuiſſet latere. Omnia enim quæ ad magnos ſpectant, ſiue bona ſiue mala, latere non poſſunt, vt benè tradunt Seneca 1. de Clement. cap. 8. Sariſberienſis l. 3. polyt. cap. 12. & alij multi quos profero in Morali diſtinct. 1. num. 149. Non igitur clancularia alicuius ſuſpicione, vocata eſſet in dubium mala fides Petri, ſed omnium fuiſſet proſciſſa & linguis & ſcriptis. Deinde Collectanea

Digitized by Google

in Paulum, & in Pſalmos, (qui certò ſunt fœtus Petri,) eodem ſunt ſtylo conſcripta, & ex variorum Patrum dictis contexta, quo opus ſententiarum: vt proinde eodem ingenij vnius vtero ſatas & fuſas vtraſque illas lucubrationes, certò ſtatui poſſe videatur. Tandem in iure Canonico, liber de quo agimus Petro Lombardo tribuitur, & illud ſub Petri nomine tuetur Concilium Later. ſub Innocentio III. reiecto Ioachimo. Contigerit ergo fortaſſis Lombardo, quod Hangeſto quoad moralia per Manderſtonum, & Suareſio quoad opus de Legibus per quendam compilatorem & expilatorem, qui MS. illud nactus, paucis mutatis edidit vt ſuum.

S. Thomas Aquinas, iuxta Franciſcum Garciam, habendus eſt plagiarius. exiſtimat enim hic Autor ſecundam partem ſummæ quæ eſt pars ſummæ S. Doctoris ſanè egregia, eſſe acceptam ex ſpeculo Morali Vincentij Bellouacenſis, magna ſaltem ex parte. Eadem enim apud vtrumque Autorem leguntur. Nec Vincentius potuit ex S. Thoma accipere, cum obierit anno 1256. longè ante ſanctum Thomam: qui in extrema ætate (obiit autem anno 1274.) ſummam Theologicam confecit, & ob præcocem obitum non perfecit. Scio Sixtum Senenſem l. 1. Biblioth. ſanctæ, Vincentium Bellouacenſem ſtatuere longè poſteriorem S. Thoma; cùm dicat, Vincentium claruiſſe temporibus Philippi Valeſij, Gallorum Regis, qui anno 1326. ad regni clauum ſedit, cùm S. Thomas anno 1274. è viuis exceſſerit. Verùm ea ætatis Vincentij conſignatio, ſordet errore: cùm conſtans ſit & recepta omnino multorum conſenſione, nota temporis quo vixiſſe & obiiſſe Vincentium diximus; nec niſi perpauci ad annum vſque 1264. Vincentij ætatem protrahant, ac vix ſolido decennio præmortuum Sancto Thomæ Vincentium affirment. Quo carmente termino vitæ Vincentij gratis conſtituto, ſupereſt nodus propoſitus. Nimirum quòd cùm alius quàm S. Thomas, intermediam illam ſummæ Theologicæ partem non intruſerit inter extremas partes primam & tertiam, quas nemo eſſe D. Thomæ ambigit, fatendum videtur, ipſummet S. Thomam expilaſſe Opus Vincentij: quod eſt fateri S. Thomam fuiſſe plagiarium. Firmare hanc ſuſpicionem videtur, quod Petrus de Pruſſia Ordinis Prædicatorum in Magni Alberti vita cap. 7. tradit abſque omni (vt ait,) ambiguitatis ſcrupulo, S. Thomam ab Alberto multa ſumpſiſſe, ita vt integri articuli ſub eadem forma expreſſi, apud vtrumque legantur. Et cap. 30. allegans Iacobum de Zuzaro, veterem Ordinis Prædicatorum Chronologum, affirmat librum S. Thomæ contra Gulielmum de S. Amore, qui in Opere opuſculorum S. Thomæ habetur, aliud non eſſe quàm recollectionem eorum quæ Albertus Magnus Anagniæ coram Alexandro Quarto diſputans aduerſus librum Gulielmi protulerat. Hæc illam ſuſpicionem de plagio S. Thomæ videntur firmare.

Sed abſit, vt ſubſcribamus. Nam Diuus Thomas, non niſi per pinguem calumniam audire poteſt plagiarius. Varios modos hunc nodum expediendi, adduco in Tractatione de iuſta confix. librorum partit. 1, erotem. 10. §. 4. Bellarminus l. de ſcriptor. alium aliquem Vincentium ab illo qui ſancto Thomæ eſt præmortuus, ſublegiſſe opus Diui Thomæ ſuſpicatur; quod ita accepit Paulus Nazarius opuſcul. de ſcriptis S. Thomæ, quaſi dixiſſet Bellarminus, primam ſecundæ non eſſe genuinum S. Thomæ fœtum, quod Bellarminus nunquam cogitauit Alij alia in illius nodi extricationem protulerunt. Commodiſſimè verò dici poteſt, tametſi D. Thomas extremam manum non appoſuit ſummæ ſuæ Theologicæ niſi poſt extremam vitam; tamen idem

idem opus iam multò antè fuiſſe elucubratum; proindéque cùm ſic informe, incidiſſet in manus Vincentij, potuiſſe ab eo in ſuum ſpeculum morale referri. Quodnon diffitebitur, qui agnouerit Vincentium in ſpeculo Natur. l. 26. c. 74. allegaſſe S. Thomam. Itémque cap. 82. & cap. 105. Ipſum porrò Vincentium, à nota plagij liberat, quòd in præfatione ſpeculi Naturalis, necnon eiuſdem operis cap. 4. 7. 8. 20. itémque ſpeculi ſecundi ſiue doctrinalis cap. 1. profiteatur ſe agere compilatorem & collectorem. Tales autem ſcriptores, vbi id ſemel fuerint profeſſi, immunes ſunt à plagij crimine, quantumcunque aliena corradant.

Ioannes Picus Mirandulæ Comes, à Petro Pomponatio l. de Incantationibus cap. 12. plagij notatus eſt, tanquam illius operis alteri cuipiam ſubducti prædo. Sed hoc fuiſſe iniquiſſimum iudicium rectè dixit Hieronymus Vielmius lect. 21. in Geneſ. Ego pinguem & malè admodùm materiatam calumniam dixerim. Ea enim fuit in Pico ingenij fœlicitas vt non eguerit alienos ſibi partus ſupponere: Ea verò nobilitas animi & ſanguinis vt ſeruili culpa qualis eſt plagiariorum, nullo modo fuerit dehoneſtandus. Quidni verò ſignabat Pomponatius cuius Autoris fœtum ſubduxiſſet Picus? Id enim maximè faciendum erat ad iure grauandum Picum. Sed nimirum non latet cauſa iratum Pomponatij in Picum. Malè habuit Pomponatium & muſcas aliquas morientes, quod Picus ea fortiſſima ſcriptione excidiſſet Aſtrologiam Iudiciariam; Hinc illæ lachrymæ. Hinc hæc & alia ab iſtius furfuris Aſtrologaſtris impotenter in Picum congeſta, quæ malo premere, quàm chartis illinere. Poſſit verò Picus Pomponatio reponere, opus quo iſta in ipſum Picum effutiuit, infœlicem fœtum eſſe ipſiuſmet Pomponatij, qui in eo, vt ait Buccafferreus l. de diuinat. per ſomnium, *multa falſa, & multas ac magnas nugas*, emiſit. Nec mitiùs de eo opere pronuntiat Antonius Bernardus in Eccleſ. ſingul. certam. l. 29. ſect. 6. Nam quæ ibi dicit, ſpectare hoc opus, patet ex ſect. 4. Quòd autem Pomponatius, aduerſùs falſiloquia & errores denſos eo opere propoſitos, ſatis ſe muniendum cenſuerit, ſubmittendo omnia ſua iudicio Eccleſiæ, intutum fuiſſe munimentum, Carpentarius digreſſ. 4. in Alcinaum pronunciauit, addens non debuiſſe ab Eccleſia Pomponatium aliud expectare, quàm vnam lineam ductam ab illius operis principio ad finem. Nec falſum vatem fuiſſe Carpentarium, reprobæ doctrinæ Indices poſtea editi, demonſtrarunt.

Verùm eſt, diſſeminatos à Pomponatio & Aſtrologaſtris rumores, eius famæ apud imperitos aliquando incommodaſſe. Præſertim cum nonnulla in concluſionibus quas iunior agitandas propoſuerat, aliqua minùs exactè tradita fuiſſent; ob quæ amplificata, & ſiue zelo fortaſſis non ſecundùm ſcientiam, ſiue liuore eorum quibus tanta Pici gloria minùs placebat, duriùs accepta, hominem planè innoxium nonnulli fecere doctrinæ fermentatæ ſuſpectum. Vſque adeò vt Foxus Nouator Picum in ſuum Calendarium retulerit, vna cum omnibus Hæreticis illius æui. Quam propudioſam calumniam, diſiicit accuratè & ſolidè Nicolaus Hatsfeldius dialogo 6. ſub nomine Alani Copi vulgato cap. 27. potuitque per ſe euerſa videri iis perlectis quæ de Pici vita à Nepote eius Franciſco Pico ſunt prodita.

S. Ignatius Loyola, à Conſtantino Caëtano Benedictino, incuſatur plagij. Librum enim conſtitutionum Societatis IESV qui ſancti Ignatij nomen præfert, acceptum ab illo ait, à tribus Monachis montis Caſſini, apud quos aliquando diuertit in ſuæ fabricæ ideam intentus. Librum verò exercitiorum Spiritualium,

ritualium, nomine eiuſdem S. Ignatij prænotatum, contendit idem Caëtanus, eſſe Monachi cuiuſdam Benedictini, cui nomen *Garcia Ciſneros*. Hæc eſt calumniandi ſcabies, admodùm fœda. Poſt ſæculum enim exactum, fictor iſte, nouos nobis obtrudit Autores, & Conſtitutionum & exercitiorum S. Ignatij, quos nemo nouit præter ipſum, qui hanc fabuloſam calumniam eſt architectatus. Nam quòd me allegat teſtem quoad librum Conſtitutionum, pinguiſſimum eſt mendacium. Dixi ego ſanè in præfatione operis de Æquiuocatione, aduerſus Caëtani germanum, bipedum omnium effrontiſſimum, Ioannem Barneſium Anglum, qui vicenario carcere in quem curante ſummo Pontifice recluſus eſt, necdum deterſit multiplicis aduerſus Deum, & Religionem Catholicam, ac S. Benedicti familiam, malignitatis rubiginem; dixi inquam, Societatem IESV videri charam S. Benedicto, in cuius ſinu Lutetiæ primùm delineata ſit; & poſtmodùm Caſſini ſancto fundatori illuc digreſſo, Sanctiſſimus Patriarcha illius loci præſes, multa lumina & cœleſtes afflatus exoraſſe viſus eſt. Hoc Caëtanus ad exceptas inibi per S. Ignatium à tribus Monachis Conſtitutiones Societatis IESV traxit; quaſi quod dixi, S. Benedictum, (vt pium eſt arbitrari,) cœleſtem lucem, hærenti in æde ſua S. Ignatio eſſe apprecatum, idem ſonet, quòd tres Monachos nigros, dictaſſe S. Ignatio velut amanuenſi, ſuas Conſtitutiones. At in lexicis queis vtor, meæ illæ voces longè aliud ſonant; nec aliud ſignificant, quàm impetrationem luminum ſupernaturalium à S. Benedicto ſuppliciter interpellato, per hominem in loco priſtinæ commorationis S. Patriarchæ tunc hærentem. Eam interpretationem ex pia coniectura à nobis propoſitam, ſi diffitetur Caëtanus, (dummodò S. Benedicti impotentiam non cauſetur,) nequaquam cum eo digladiabimur.

[Illud verò cuius cerebri fuit, quòd me Caëtanus in teſtem aduocauit ex ea ſcriptione in qua me damnat peccati mortalis, quia edita primùm eſt, meo nomine non expreſſo, per Fratrem quendam Autoris Auditorem. O bone, qui te Magiſtri docuerunt, cuiuſcunque libri euulgationem tacito Autoris nomine, ſordere labe mortali? Mortaliter ergo te Iudice peccauit Saluianus, Timotheo inſcribens opus ſuum ad Eccleſiam Catholicam. Mortaliter S. Vigilius, euulgans nomine S. Athanaſij, diſputationem cum Ario. Mortaliter Autor libri de operibus Chriſti Cardinalibus, malè adſcriptus S. Cypriano. Poſſum te molibus huiuſmodi operum obruere. Neque verò vel alienum affinxi nomen, vel meum planè ſubticui, qui opus editum dixi per Autoris Auditorem; qualem vbi liber editus primùm eſt, reſpectu mei, fratrem illum eſſe conſtabat. Ex ea igitur ſcriptione, in qua Autorem mortalis falſiloquij inſimules, teſtem allegaſſe pro tuo commento, hominis fuit peponem pro corde habentis, nec perſpicientis quid effutiret. Non plura de huiuſmodi in S. Ignatium calumnia, quòd eam R. P. Ioannes Rho, potenter validéque, iuſta ſcriptione contriuerit.

CAPVT XIII.

De Violata fide data.

INfidelitas in promiſſis explendis, tetra omnino nota eſt in homine Chriſtiano, qui vt Lotharium Imperatorem conteſtabatur S. Adelhardus, agnoſcere debet, & certum habere, cùm fides data violatur, non homini promiſſario, ſed Deo qui promiſſionem audiuit, & veritati quæ conculcatur, fieri iniuriam. Ex quo vir ſanctus, vt notat in eius Actis

Paſchaſius

Digitized by Google

Paſchaſius Rathbertus, inferebat, citiùs ferrea vincula diſrumpi debere, quàm promiſſum ritè & abſque vitio conceptum, ac citra noxam implebile. [Studioſè agendum eſt, vt ea quæ promittuntur, opere compleantur;] aiebat ſanctus Gregorius l. 8. epiſtol. 38. Neque id tantum circa res magnas & graues valet, ſed etiam circa minutas, vt optimè docet S. Auguſtinus l. de bono coniug. c.4. monſtrans magnum hoc animi bonum, etiam ſaluti corporali eſſe præponendum. In eius laudes effunditur Silius Italicus l. 2. Vnde quanta ſit infidelitatis fœditas, æſtimare licet; Videſis quæ trado l.4.de virtut.à num.191. Vbi conſequenter oſtendo, etiam in iis qui eminent in orbe terrarum, obligationem auerſandæ infidelitatis vigere: id quod etiam plenè & luculenter tradit Hincmarus Opuſc. de diuortio ad interrogat. 12. Sicut enim hi quoque tenentur veritatem colere; ita & fidelitatem, quæ vel ab ea non differt niſi connotatione certorum adiunctorum, vel eius collactanea eſt atque germana, iuxta varias ſententias loco allegato diſcuſſas. Si tamen mutarentur circunſtantiæ, & aliter ſe haberent adiuncta à tempore quo promiſſis concepta eſt; reſultus vacaret labe perfidiæ, nec ſorderet ea turpitudine quam infidelitas continet apud omnes cordatos. Quibus tanta labes per calumniam impacta ſit, monſtratum venio.

Catholici vniuerſim, & nominatim S. Thomas 2.2. q. 70. artic. 1. Simancas in Cathol.inſtit.tit.46. articulo 52. Marius Salamonius, Menochius, & alij, à Daniele Plancio ſectario, inſimulantur quod aſſeruerint, fidem Hæretico non eſſe ſeruandam. Idque haræ Caluinianæ ſubulci, tanquam ratum & certum Pontificiorum dogma, habent. Sed eſt pura puta eorum calumnia. Nullus enim Catholicus vnquam negauit, quin ſit ſeruanda hæretico fides, præciſè ſpectando quòd is cui promiſſio facta eſt, ſit Hæreticus, vt iuſtis lucubrationibus monſtrarunt varij, quos adduco l. 4. de virtut. num. 198. præſertim Molanus, Roſuedius, & Becanus: quibus addendus in quem poſtea incidi Robertus Suueertius de fide ſeru. Nec refragari ſunt illi alij qui allegabantur. Imò S.Thomas 2.2.quæſt.70. artic. 1.ad 2.directè docet, obſeruationem fidei datæ, eſſe de iure naturali, ac ne Superioris quidem præcepto interpoſito, laxari eius obligationem. Cæteri (vt diligenter monſtrat Roſuedius laudato opere de fide hæret. ſeruanda cap. 13.) perſpicuè agunt de euentu, in quo fides data non poſſit ſeruari abſque offenſa numinis. In quo euentu, etiamſi initio rectè data eſſet, certum eſt & extra dubium, non eſſe ſeruandam fidem datam, ſicut certum eſt & exploratæ veritatis, non eſſe licitum peccare. Itaque ab iis duntaxat iactatur, Catholicos aſſerere fidem non eſſe Hæreticis ſeruandam, quorum intereſt inconciliabilia diſſidia fouere; vt intercluſo omni ad firmam concordiam aditu, quem ſola de pactorum fide perſuaſio præſtare poteſt, perpetua ſit abalienatio, & quæ ex ea colliguntur commoda, nunquam exareſcant. Intelligentibus pauca.

Vigilius Papa, à Theodora Auguſta perfidiæ inſimulatus eſt, eò quòd promiſſis de Anthimo Patriarcha Conſtantinopolitano reſtituendo, non ſtetiſſet. Erat Anthimus Theodoræ percharus, cuius opera in illam ſedem immiſſus fuerat, & ab ea poſtea eiectus à S. Agapeto Romano Pontifice, poſt deprehenſum ipſius Anthimi Eutychianiſmum; à quo ne reſipiſceret, impij Seueri perſuaſionibus eſt prohibitus. Itaque Theodora percupida reſtitutionis Anthimi, pepigit cum Vigilio tunc Diacono agente Conſtantinopoli, ſpopônditque curaturam ſe vt in Romanum Pontificem deiecto S. Syluerio eligeretur; data viciſſim à Vigilio

Digitized by Google

fide, ſedis Conſtantinopolitanæ Anthimo ex ea exturbato, reſtituendæ. Potius optata ſede Vigilius, non ſtetit promiſſis: & idcirco à Theodora audiuit infractor fidei datæ, & tanta paſſus eſt, quanta vexationes S. Syluerij in eius caput meritiſſimò retortæ, poſtulabant. Reuera tamen Vigilius per calumniam dictus eſt *perfidus*. Non enim eſt perfidia, promiſſis non ſtare, cùm violatur Deus niſi à promiſſis recedatur. Imò tunc temporis, ſeruare fidem, noxa non vacat. Vnde ſtultitiæ ſimul & nequitiæ arguitur Herodes, qui caput Beati Præcurſoris abſcidit, cauſatus fidem datam, quam infregiſſe præſtiterat, ſi tamen infringi dicenda eſt, quæ verè non coaluerat. Legeſis S. Ambroſium l. 3. de Officiis cap. 12. & S. Iſidorum l. 2. Synon. Cùm ergo Vigilius non poſſet abſque immani peccato fidem malè datam ſeruare, præficiendo lupum ouibus, & à ſancto Prædeceſſore rectè conſtituta reſcindendo; perperam dictus eſt ſorduiſſe perfidia eam ob cauſam.

Dux Andeuagenſis, cùm à Duce Burgundiæ in cuſtodia haberetur, dimiſſus eſt data fide de reditu. Sed cùm interim electus eſſet in Regem Siciliæ, & renueret fidem datam ſeruare ac regredi in carcerem, notatus eſt perfidiæ à Burgundo. Eam tamen notam fuiſſe calumnioſam, pronuntiauit Eugenius IV. in Concilio Florentino, vt refert Alciatus l. de ſingul. certam. cap. 44. eò quòd mutatæ eſſent circunſtantiæ; & regreſſus in carcerem, obfuturus eſſet iuribus Siculorum, quorum electio promiſſioni de repetendo carcere ſuperuenerat; atque adeò mutauerat ſtatum rerum. At rebus aliter ſe habentibus quàm præuiſum eſſet cum fides eſt data, euigeſcit nexus promiſſionis, vt egregiè tradit D. Auguſtinus in Pſalm. 5. ad illud *perdes omnes qui loquuntur mendacium:* & pulchrè etiam ſerm. 8. ex 11. additis in calce Tomi decimi, qui eſt in illa Chriſti verba *Ego non aſcendo ad diem feſtum iſtum.* [Videamus (inquit) vtrum mentiatur, qui dicit aliquid, & non facit. Verbi enim cauſa, dixi amico, cras te videbo. Occurrit maior neceſſitas quæ retineret. Non ideò falſum dixi. Quando enim promiſi, hoc ſentiebam quod dicebam. Quando autem aliud maius occurrit, quod impediuit fidem promiſſionis meæ, non mentiri volui, ſed promiſſum implere non potui. Ecce quantum arbitror, non laboraui vt perſuaderem, ſed tantummodò admonui prudentiam veſtram, non mentiri eum qui promittit aliquid & non facit, ſi vt non faciat, aliud occurrerit quod eius impediat promiſſionem, non quod conuincat falſitatem.] Videſis in eandem ſententiam Sarisberienſem l. 3. polycrat. cap. 11.

CAPVT XIV.

De Mendacio & Impoſtura.

MEndacium tetra omnino macula eſt, quicquid aliud in contrarium mendaciloqui effutiuerint, vt Elias Maior in mendacij encomio, Eraſmus apud Albertum Pium l. 23. aduerſus ipſum, necnon Albericus Gentilis diſput. de abuſu mendacij, & Hugo Grotius l. 3. de iure belli & pacis cap. 1. num. 17. & alij anteriores quos adduco in Opere de Æquiuoc. cap. 2. vbi probroſitas inexpurgabilis mendacium inficiens, eſt demonſtrata. In præſentia ſat eſſe videtur quòd mendacium ab honeſtis quibuſcunque viris adeò illiberale & vile habetur, vt exprobratio mendacij magnam inferat notam, & vix aliter (iuxta ſæculi leges,) quàm repenſione colaphi, aut adactione ſicæ, eluatur. Perinde ſanè eſt, aliquem mendacem vocare, atque vnum ex Diaboli-

boli partiariis dicere. Nam Diabolus cùm mendacium loquitur, ex propriis loquitur, & mendax eſt, ac primus mendacij ſator. Primum enim mendacium quod in orbe terrarum auditum eſt, à Diabolo Deum apud protoplaſtos criminante, manauit. Adeò verò tenax eſt Diabolus mendaciorum, vt quod notauit S. Euſtathius in diſput. de Engaſtrimytho, nihil vnquam voluntariè abſque mendacio enunciet. Itaque mendaces, qui ſequuntur eum, mentiendo ſunt ex parte illius. Meritóque collaudans S. Gregorium Neocæſarienſem S. Baſilius epiſtol. 63. ait eum ſermones falſos & artificioſos, & ad detractionem concinnatos, eſſe abominatum; vt qui ſciret mendacium ex Diabolo prognatum eſſe, Dominúmque omnes qui loquuntur mendacia, perditurum. Tanti probri calumniam ſuſtinuerunt aliqui filij veritatis, quos nunc annumerabo.

Dauid, à Sophiſtis, mendacij calumniam ſuſtinuit, eò quòd Pſalmo 15. dixerit, *Omnis homo mendax*. Calumniam hanc eiúſque depulſionem ex S. Baſilio, ad eum pſalmum petere licet. Sed quod diffuſior ſit eius oratio, nec aliud reipſa contineat, quàm quod ante eum breuiùs dixerat Origenes in caput 3. ad Rom. ad illud *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, Origenem potiùs adduco. Sic autem ſcribit Origenes. [Sed obiiciunt nobis: Si omnis homo mendax eſt, ipſe Paulus homo eſt: erit ergo mendax. Sed & Dauid qui hæc dixit, homo fuit: ſi omnis homo mendax eſt, erit & ipſe mendax: hoc ipſum falſum quod dicit, *omnis homo mendax*: quia mendacem ſe neceſſariò cùm cæteris hominibus ipſe pronuntiat: & ſi mendax eſt, vtique non erit verum quod à mendace dicitur, quòd omnis homo ſit mendax. Videtur ergo ſermo eius, incurriſſe in ſyllogiſmum qui dicitur ἄπορος, id eſt dubius, qui & falſus appellatur. Sed ſi redeamus ad interiorem ſcripturæ intellectum, inueniemus quod omnes Prophetæ, vel Apoſtoli, ex illis ſint ad quos ſermo fit: ſicut ſcriptum eſt, Et factum eſt verbum Domini ad illum, vel illum prophetam. Illos ergo ad quos ſermo Dei fit, Dominus in Euangelio non homines pronuntiat eſſe, ſed Deos. Sic enim dicit, *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Quod ſi illos dicit Deos ad quos ſermo Dei fit, & non poteſt ſolui ſcriptura*: quia ergo & ad Dauid tanquam Prophetam, & ad Paulum tanquam ad Apoſtolum ſermo Dei factus eſt, ſine dubio non erant homines ſed Dij; verum eſt quod de cæteris hominibus pronuntiat, ad quos ſermo Dei factus non eſt: quòd omnis homo mendax ſit.] Non me latet, quàm multa alia plerique ad illius dicti: *Omnis homo mendax*, enodationem adduxerint, quæ retulit Petrus Simonis l. 5. de verit. c. 5. & 6. quòd omnis homo ſuapte natura ſit mendax, quamuis non omnis homo mentiatur. Item quòd omnis homo ſit mendax in ſtateris, & decipiat in vanitate in idipſum. Id eſt quòd omnis ſpes homini innixa, ſit inanis & lubrica, ob ſummam hominis caducitatem, quæ eſt ibi ſancti Chryſoſtomi expoſitio, Agellio ibidem probata. Quòd omnis homo, præ Deo æterna veritate, poſſit mendax haberi, vt interpretatur creditus Chryſoſtomus in homilia latina ad eum Pſalm. 115. Poſſit item mendacitas pro peccabilitate vſurpati, iuxta ea quæ latè ſunt diſputata in Opere de Æquiuoc. cap. 1. & 2. Atque ita cùm omnis homo ſit peccabilis, erit & mendax in eo ſenſu. Quicquid ex his legatur, extricatus ſufficienter eſt nodus, & depulſa calumnia.

Chriſtus Dominus qui ſe *veritatem* dixit, & à B. Ioanne in 1. Epiſtola Canonica cap. 5. eodem inſignitur nomine, *impoſtor* atque adeo mendax & planus audiuit non modò à Celſo eiuſque Iudæo apud Originem l. 2. Chriſtum magnum in

Digitized by Google

in modum mentitum eſſe blaſphemante; ſed etiam ab impio & immemorando homine, imò Dæmone corporato, cuius opus *de tribus Magnis impoſtoribus, Moſe, Chriſto, Mahumete*, exitiale fuiſſe VVechelo, inſigni aliàs Typographo, ſed eius libri peſtifero attactu funditus euerſo, referunt qui legerunt, digni fide teſtes. Mihi inceſtare oculos tam infandæ ſcriptionis lectione, ad ingens ſcelus videtur pertinere. Simonē de Tornaco Theologum Pariſienſem, idem ſpurciloquium vomuiſſe, ſcribit Cantipratanus leg. 2. Apum cap. 48. n. 5. Apud Matthæum Paris, ea blaſphemiæ immanitas ex literis Gregorij IX. Federico II. adſcribitur, anno 1239. *Tres* enim *Baratatores*, id eſt impoſtores, vniuerſum mundum decepiſſe, & inter eos deterrimum fuiſſe Chriſtum, qui inglorius in Cruce obiit, effutiuiſſe fertur blaſphemus ille.

Sit nobis à Deo venia ob eiuſmodi blaſphemiam chartisillitam. Budæus in Annotat. Prioribus in Pand. ad l. 4. de ædil. edicto, obſeruat, Chriſtum dictum eſſe *impoſtorem* à Iudæis Matth. 21. vbi vulgata habet *ſeductorem*. Græcè enim eſt πλάνος, quæ vox idem ſonat atque *impoſtorem*. Eſt autem *impoſtor* propriè, vt ibidem pereruditè proſequitur Budæus, is qui imponit ſpectatoribus, per circulatorias offucias, illos ludificans. Vnde Chriſtum vocare *ſeductorem*, ſiue *planum* & *impoſtorem*, perinde fuit ac calumniari, quòd præſtigiis quæ vt miracula venditabat, falleret ac implanaret ſpectatores, vt faciebant Alexandriæ Ciphiſſodotus, vt Pantoleon, & Matreas, (referente Athenæo,) & ſuperiore ſæculo Franciſcus Villionus. His planè circulatoribus & ludificatoribus plebeculæ, Chriſtum Dei ſapientiam & veritatem accenſere. Blaſphema calumnia eſt, quam reiiciunt Origenes l. 1. contra Celſum, S. Auguſtinus 18. Ciuit. cap. 18. ac ex recentioribus Mich. Medina l. 2. Patæn. c. 7. Iuſtinia. prolegom. in Paulum diſp. 1. c. 8. & Tolet. Ioann. 3. annot. 2. concluſ. 1.

Longam diſputationem ad titulum *ſeductoris* auertendum à Chriſto, legere licet apud Euſebium l. 3. de demonſtrat. cap. 3. obiter ſed piè idem præſtat ſanctus Bernardus ſermone 1. in feſto Paſchæ. Concitatur item meritiſſimò ad hanc in Chriſtum atrocem calumniam Gregorius Antiochenus orat. in ſepulturam Domini, his præter cætera. [Quid ais ſeductor impieque Iudæe? An tibi ſeductor videtur, qui tuæ gentis leproſos ſanauit? Is inquam ſeductor, qui tribulibus tuis innatā demum noctem abſtulit? Seductor ille qui dæmonibus agitatos, errore atque inſania dæmonum liberauit? Seductor is, qui deſertis in locis, non elaboratam, non manibus hominum cultam menſam appoſuit? Seductor is qui Lazarum à ſepulchro reuocauit, ac mortuum ipſum quaſi dormientem, verbo tantum excitauit? Seductor Chriſtus: Quid quæ locutus eſt ſeductor, times? Seductor Chriſtus: Quid illius igitur mortui vocibus paues?] Apud S. Chryſoſtomum tom. 3. homil. de Sancto & adorando Spiritu, probrum *Seductoris* Chriſto per calumniam impactum, videtur aliter accipi, nempe pro eo qui à ſeipſo eſt miſſus, & ex Dei nomine annunciat quæ non eſt iuſſus à Deo annunciare. Ex quo capite omnes qui ante Chriſtum venerant pſeudoprophetæ, notantur ſeductionis, quia à ſeipſis & ex ſuo cerebro loquebantur. [Et vnde hoc, (ait in prædicta homilia Chryſoſtomus,) quod à ſeipſo loquens Pſeudopropheta eſt, vel quòd loqui à ſeipſo, Pſeudoprophetam nobis indicat? Dicit Ezechiel Propheta, *Viuo ego, dicit Dominus, ad Prophetas qui ſeducunt populum meum: non miſi eos, à ſeipſis locuti ſunt, & ex corde ſuo loquuntur.* Proinde quia Pſeudoprophetæ à ſeipſis prædicabantur, Saluator à ſuſpicione hac ſe purgans, dicit,

Ego

Digitized by Google

Ego à meipſo non loquor. Vnde hoc, quod Saluator, habitus eſt deceptor? Hoc primùm confirmabimus. In feſto ſcenopegiæ, *quærebant turbæ IESVM, dicentes, vbi eſt? Et erat de eo diuerſa vox. Alij dicebant bonus eſt: alij non, ſed ſeducit populum.* Vidiſti vbi habitus eſt ſeductor? Item poſt ſanctam Saluatoris mortem, dicunt Pontifices Pilato, *ſcimus Domine, quod dixit ſeductor ille adhùc viuens, poſt tres dies reſurgam.* Hæc ideò dixi, vt demonſtrarem, eum habitum fuiſſe ſeductorem.] Multus eſt in hoc tetro probro ſic expoſito, à Chriſto amoliendo, Autor prædictus: quod puto ſuperuacaneum, quia Chriſtus tam multis argumentis ſuam à Patre miſſionem certam fecit, vt vel cæci hoc perſpexerint.

Diſcipuli Chriſti, *ſeductores* dicti ſunt, teſte Apoſtolo 2. Cor. 6. Imò S. Chryſoſtomus homil. 10. in 1. ad Timotheum, hanc fuiſſe vnicam in Chriſti diſcipulos intortam calumniam ſtatuit. [Neque enim (inquit,) profectò ipſorum carpebant vitam, ſed prædicationi derogabant. *&c.* Denique prædicationis cauſa, tanquam ſeductores ac Magi calumniam ſuſtinebant: ipſorum autem vitam, nemo ferè vnquam fuit qui vituperare præſumeret. Quocirca nullus vnquam Apoſtolis, aut fornicationis, aut impudicitiæ, aut auaritiæ, crimen obiecit; ſed tantummodò *ſeductores* appellati ſunt, quod ſolùm ad dogmata refertur.] Erat verò hæc calumnia longè atrociſſima, qua *ſeductionis* inſimulabatur orbis per Apoſtolos conuerſio, opus diuinæ ſapientiæ atque potentiæ planè luculentum, vt inſigniter proſequitur Euſebius l. 3. de demonſtr. Euang. c. 7. ſed adeò diffusè vt hîc exſcribi non poſſit.

Nominatim de S. Paulo, illud *vt ſeductores, & veraces,* accipit S. Gregorius l. 9. regiſt. epiſto. 39. [Doctor gentium, (inquit,) ſe in prædicatione currere teſtatur, per infamiam & bonam famam. Qui etiam dicit, *vt ſeductores & veraces.* Si ergo fuerunt qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc ſeductorem vocarent; quis nunc Chriſtianus, debet indignum ducere, pro Chriſto iniurias audire?] Diſpellit S. Gregorius, admirationem de Paulo dicto *ſeductore*, allegato ipſius Chriſti exemplo, de quo nos proximè. Addit enim [ſed quid iſta de ſanctis hominibus dicimus? De ipſo Sancto Sanctorum, id eſt de Deo, qui pro nobis homo factus eſt, loquamur; qui ante mortem, iniuriam quia dæmonium haberet audiuit: Poſt mortem verò, à perſecutoribus ſuis *Seductor* appellatus eſt, cùm dicerent, *ſcimus quia ſeductor ille, dixit adhuc viuens, poſt tres dies reſurgam.* Quanta ergo nos peccatores, à lingua vel manibus iniquorum hominum portare neceſſe eſt, qui in aduentu æterni Iudicis iudicandi ſumus; ſi & ipſe tanta poſt mortem pertulit, qui & Iudex venit?]

Chriſtiani exorciſtæ ab Vlpiano l. 1. §. *Medicos* ff. de extraord. & variis cognit. impoſtoribus ſunt annumerati. Referens enim eſſe qui ſanitatem vanis & inanibus modis per impoſturas pollicerentur, numerat inter eos quoſdam, qui ſe exorciſare dicebant, quod Vlpiani ætate præſtabant Chriſtiani. Negat quidem Baronius anno Chriſti 56. cauſam quam ibi Vlpianus decidit, pertinuiſſe ad Chriſtianos; Quærit enim an ſit ius dicendum huiuſmodi hominibus de mercede adhibitæ ſanationis: cùm tamen Chriſtiani exorciſtæ non curarent mercede, ſed gratis & abſque vlla ſtipendij pendendi conuentione. Tamen Vlpianus, vel ignarus moris Chriſtianorum, vel ſub conditione, ſi mercedem vt alij empyrici plerique repoſcerent, Chriſtianos exorciſtas cum cæteris conductitiis Medicis haud dubiè comprehendit, & impoſtoribus annumerauit. Vtrumque calumnioſè & malignè. Conſtat enim Vlpianum Chriſtiano nomini fuiſſe infenſiſſimum. Itaque mirum

Kk 3 non-

non eſt quod ſupernaturale donum Satanam exturbandi, eiuſque nefarias in corpora humana impreſſiones auertendi, conceſſum Chriſtianæ Eccleſiæ Miniſtris, inter impoſturas recenſuerit. Tertullianus c. 23. Apol. & ſæpè alibi, contrarium prolatis factis conteſtatur. Et alios quoque aſſumpto Chriſti nomine idem præſtitiſſe abſque impoſtura, refert Galatinus l. 8. de arca. c. 5. & Feuard. ad l. 2. Irenæi c. 5. num. 17.

S. Ephrem inde mendacij reus viſus eſt, quòd inuenta muliere quoſdam Apollinaris libros aſſeruante, ad eam adierit; ſeque eiuſdem cum Apollinari ſententiæ aſſerens, mulierem exorauit, vt libros ſibi mutuos daret; per quos, Hæreticis, (ſic Catholicos nominabat,) poſſet obſiſtere. Conceſſo volumine, S. Ephrem glutino folia omnia illinens, ita ea inuicem connexuit, ac ſi vnum duntaxat folium efficerent, & ſalua exteriore forma mulieri librum reddidit, nihil querenti, cùm omnia putaret immutata. Sed poſt dies aliquot, cùm prouocatus ad diſputationem Apollinaris, librum ſuum popoſcit, deprehenſa voluminis ſui inutilitate, mirum in modum afflictus eſt, ita vt de inſania periclitari videretur. Ita refert Gregorius Nyſſenus in S. Ephremi encomio. Mendacium multiplex in hoc facto cernitur, iuxta Ioannem Barneſium, qui æquiuocationes, & ſubintellectiones quaſcunque mentales, habet pro mendaciis. Eodémque iure, mendacij iuxta ipſum inſimulandi ſunt, non modò omnes Sancti veteris Teſtamenti, qui ſæpè æquiuocationes aut reſtrictiones mentales adhibuerunt, (vt S. Auguſtinus latè verſat duobus de mendacio libris:) ſed etiam plerique SS. Patrum Noui Teſtamenti, quos ambiguis aut mente reſtrictis locutionibus, ex cauſa interdum vſos, eſt extra dubium. Verùm hanc mendaciſſimam doctrinam, nundinatitio calamo exaratam, eſſe explodendam; nec S. Ephremum reſtrictè ex cauſa locutum, dici poſſe mendacem, niſi per calumniam, iuſto opere contra eundem Barneſium ſum proſecutus, nec vacat toties recoctam crambem, hîc apponere.

S. Hieronymus audiuit *falſarius*, vt ipſemet epiſtola 101. refert. Sed fuit mera calumnia, & admodùm ſanè inſulſa. Acceperat S. Hieronymus epiſtolam S. Epiphanij, prouocatricem Ioannis Hieroſolymitani ad pœnitentiam, & è Græco in Latinum verterat. Ea epiſtola cùm furtiuè aut proditoriè ſubducta fuiſſet S. Hieronymo, magni in eum rumores ſunt excitati, & falſarij criminis reus factus eſt, quia verbum de verbo non expreſſerat. [Hæc (inquit S. Hieronymus,) & iſtiuſmodi nugæ, crimina mea ſunt.] Monſtrat deinde diligenter, quàm inſulſa ſit huiuſmodi calumnia, quamque moroſum & inutile ſit, interpretationem ad ſingula verba & apices arctare in quo Aquilam proſelytum, contentioſum, (vt ait) interpretem, iuſto ſollicitiùs laboraſſe docet. Cum è contrario LXX. Interpretes, paraphraſticè pleraque expreſſerint: & ipſimet Apoſtoli allegantes aliqua ex veteri Inſtrumento, non anxiè verbum verbo exprimant, ſed allegatione ſubiectæ ſententiæ ſint contenti, neglecta moroſitate circa ſyllabas & apices. Præter ea quæ diffusè & grauiter variis aliis locis ibidem ſignatis, habet in hanc rem idem S. Hieronymus, benè diſſerit in eandem ſententiam S. Hilarius l. de Synodis *ferè initio*, & Euagrius in præfatione ad verſionem ſuam vitæ S. Antonij à B. Athanaſio Græcè conſcriptæ, præfixa eidem vitæ in Opere de Vitis Patrum Orientis. Itaque crimen *falſary*, autoribus à Ruffino & Melania, (vt habet finis epiſtolæ,) Hieronymo impactum, mera eſt nugacitas criminantium.

S. Auxentius Abbas qui temporibus Theodoſij iunioris floruit, præter cætera chariſmata quibus abundauit, inſigne donum

num à Deo conſecutus eſt,ad energumenorum liberationem. Hinc atrox in eum calumnia conflata eſt ab homine impio, qui inuitatus à ſodali ad inuiſendum Auxentium, [Diabolico quodam inſtinctu ab eo alienus, non ſolùm non fuit perſuaſus vt iret,ſed etiam eum cœpit maledictis inceſſere & irridere, vocans eum planum & impoſtorem,& mercedes præbentem iis qui ſe ſimulant eſſe dæmoniacos, ex tribus & ſex follibus, vt videantur argui ad multorum deceptionem.] Dedi verba quibus Metaphraſtes in Sancti huius viri Actis, expreſſit malignitatem impij calumniatoris, qui mox ſenſit,quanto damno,tam infami calumnia proſcidiſſet Chriſti famulum. Mox enim nuntius domeſticus ad eum aduolauit, admonens de filiæ Energumeniſmo. Pupugit is nuntius miſerum Patrem, & illico vinctam filiam ad S. Auxentium calumniæ impactæ pœnitens adduxit. Ad puellæ conſpectum,B Abbas diuinitùs cauſam vexationis edoctus, dixit, [tribus follibus,aut ſex follibus.] Et iterum eadem mox repetiit. Intelligens Pater, vnde filiæ malum exortum eſſet, humi proſtratus Sancto ſupplex accidit. Et is ad illum. [Si etiam reliquis, vt tu dixiſti, mercedem præbeo ex tribus aut ſex follibus,filiæ tuæ quantum dedi?] Sic repreſſa calumniatoris nequitia, B. Auxentius,qua erat apud Deum gratia,puellam reſtituit ſanitati, & patet quanto ſe impiaſſet ſcelere,exemplo domeſtico doctus, deinceps ſapuit,& aliis vt ſaperent, damno ſuo autor fuit.

S. Gregorius & Beda, (hic in gentis ſuæ hiſtoria, ille in Dialogis,] falſiloquiis per indiligentiam & inaccurationem in deſcribendis Sanctorum rebus, accuſantur à Melchiore Cano l. de locis c.6. qui eiuſdem labis arguit, non modò Vincentium Bellouacenſem, & S. Antoninum,ſed etiam autores Actorum S. Dominici, & S.Franciſci, & ferè *legendarum* (vt vocant,) conſarcinatores : de quibus omnibus expoſtulat, quod dum affectui aut quæſtui velificantur, multa præterquàm res habet,atque adeò falsò, ſcriptis commiſerint, ſimplicibus lectoribus imponentes. Nec ſanè diffitendum eſt,quin aliqui,iuſtæ reprehenſioni,& non allatrationi Cani tantùm, ſed etiam lacerationi patuerint. Deplorat hoc Metaphraſtes, initio vitæ B. Marinæ, ſeu vt nos efferimus, *Margaretæ.* Nec pauca in eandem ſententiam protulimus in Antemurali ad Hiſtoriolam S. Ioannis Benedicti. Tamen quod attinet ad SS. Gregorium ac Bedam, (quicquid ſit de cæteris, quos nunc nec indemnes præſto,nec criminor;) non poteſt Canus defugere notam magnæ temeritatis & licentiæ. Tanta quippe eſt in Dei Eccleſia, vtriuſque illius Patris autoritas, tam perſpecta vtriuſque accuratio & fides in ſcribendo, vt mirum ſit, virum Religioſum potuiſſe erga tanta Eccleſiæ lumina reuerentiam dediſcere. Videndus qui acri lixiuio hac ex cauſa Canum perfundit, Baronius ad Romanum Martyrol. 23.Decemb.& qui S. Gregorium per Sectarios Cani autoritate (ſcilicet) grauatum,copiosè tuetur,Ioannes Breileius in præfatione Apologiæ Proteſtantium pro Romana Eccleſia.

S. Maximus Monachus & Martyr, qui ſub Conſtante Monothelita perilluſtri martyrio eſt perfunctus,ab Abbate Menna Monothelita ſeductor dictus eſt, qui ſeductionibus ſuis Origeniſmum diffudiſſet quaquauerſum. Sed fuit manifeſta calumnia.Nam S. Maximus erat filius veritatis. Conſtantinus Manaſſes in Annal. num. 148. his eum titulis honeſtat. [S.Maximus Monothelitarum impugnator eloquentiſſimus,aurea illa tuba, Nilus quaſi quidam doctrinæ veritatis, aurifluus.] Non fuit igitur S.Maximus ſeductor. Ab Origene verò quantùm abhorruerit, ipſemet declarauit reſponſo illo dato ad calumniam Mennæ Pſeudoabbatis;

abbatis;

abbatis. [Anathema Origeni, & dogmatibus eius, & omni conſentaneo eius.] Hoc reſponſum tanti fecit Epiphanius Patritius, qui aderat, & Collationi præerat, vt addiderit. [Deſtructa eſt Domne Abbas Menna, querimonia quæ à te aduerſùs eum illata eſt; quoniam etſi eſſet Origeniſta, ex quo anathematizauit eum, ab huiuſcemodi ſeſe liberauit querela. Interim ergo tale dictum ſuper eo, vlteriùs non admittam.] Itaque calumnia ſancto Maximo illata, laici Patricij, iudicio euaneſcit.

S. Malachias Hybernus, referente S. Bernardo, qui eius Acta conſcripſit, ab homine ingratiſſimo mala pro bonis reponente, falſitatis & mendacij & inſimulatus, & cumulante iniurias petulantia, vocatus *ſimius*. Hanc infrunitæ linguæ effrenationem in ſumma ſancti viri patientia, Deus coërcuit; & calumniam eius diſiecit. Nam ea ipſa die domum reuerſus, iuſtè vlciſcente Deo, arreptus eſt à Dæmone, & in ignem proiectus, nec è rogo niſi ſemiuſtus, ac mente captus, eſt extractus. Et quamuis viro ſancto benè precante, reuenit ad ſanam mentem, tamen Angelus Domini malus, eum quamdiu vixit colaphizauit, vt diſceret non blaſphemare nec mentis in eo emotio eſt vnquam planè curata, ita vt identidem Lunaticus deprehenderetur. Sic luit calumniator effrenem licentiam in S. Malachiam, hominem veraciſſimum, & filium veritatis, vt eum meritiſſimò nominat S. Bernardus.

S. Bernardus ob infortunatum exitum expeditionis Hieroſolymitanæ ipſo incentore ſuſceptæ, habitus eſt impoſtor atque ſeductor, ab iis qui rem euentu æſtimantes, non cenſebant, negotium illud, ſi Deo autore fuiſſet ſuſceptum, tantis cladibus fuiſſe concludendum. Opprobria quæ ſuper virum ſanctum ea occaſione ceciderunt, attingit Goffridus l. 1. vitæ c. 4. & ipſe Sanctus Bernardus 2. de conſid. c. 1. vbi forti apologia repellit hanc calumniam. Aduerſùs quam etiam faciunt, quæ habet Otho Friſing. in Frider. l. 1. c. 60. & Ioannes Abbas Caſæmarij, epiſtola in hanc rem data ad ipſum S. Bernardum, quæ apud eum eſt 333. Videndum etiam ne cauſæ ob quas malè ceſſiſſe poſteriores quaſdam expeditiones, ſcribebat eodem ſeculo Bleſenſis Epiſtola 121. in iſtam quoque ceciderint: & ſtultè per calumniam vir ſanctus impoſuiſſe dictus ſit, cùm ipſi qui eum audiſſe videbantur, incidiſſent in foueam quam fecerant.

Nihil familiarius eſt quàm vt Doctores Chriſtiani, denominentur *ſeductores*. In actis S. Adriani c. 10. refertur, cùm S. Martyr notatus à Maximiano blaſphemiæ, retorſiſſet in eum illud probrum, monuiſſetque quantis ſe apud inferos tormentis obnoxium redderet, perſequens religionem Chriſtianam, repoſuiſſe illi Tyrannum de Doctoribus Chriſtianorum loquentem. [Hæc verba ab illis impoſtoribus didiciſti. Adrianus ait. Cur tu illos impoſtores vocas, qui duces nobis ſunt ad vitam æternam? Vos potiùs eſtis ſeductores, qui homines in perditionis laqueos inducitis.]

S. Lebuinus Saxonum, tunc Idololatrarum Apoſtolus, cùm multos eorum abduxiſſet à ſimulachris, ſeruire Deo viuo & vero, à cæteris audiuit *ſeductor*. Sic enim eos loquentes inducit Hucbaldus in Actis S. Lebuini c. 13. [En ecce adeſt ſeductor ille; ſacrorum noſtrorum, & totius inimicus patriæ. Æquum eſt, vt debitas luat ſuo ſanguine pœnas] Epiſcopi Catholici, vt refert Victor Vticenſis l. 2. perſecut. Vandal. in epiſtola ab Hunerico Arriano data ad vniuerſos Antiſtites Homouſianos, dicti ſunt *ſeductores*: quibus idcirco impius Rex ſuccenſet, quod aduerſùs decretum ſuum pridem euulgatum, conuenirent in vnum, ad ſubuertendas ſeductionibus ſuis animas Chriſtianas.

S. Norbertus

Digitized by Google

S.Norbertus in Actis S.Godefridi Comitis Cappenbergenſis cap. 5. eo inſigni elogio honeſtatur. [Eximium iubar Eccleſiæ,admirabilis Dei præco, vir admirabilis gratiæ; prædulcis eloquentiæ,ſummæ continentiæ,informator ac propagator religionis Canonicæ, ſeruorum Chriſti aggregator, cœnobiorum non paucorum fundator, tam habitu quàm voce ſtrenuiſſimus veræ pœnitentiæ prædicator,ac per omnia illius propheticæ iuſſionis executor,qua dicitur,*parate viam Domini,rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.*] Hic tantus Dei famulus, & omnis ſanctimoniæ exemplar, vt in iiſdem S. Godefridi Actis refertur c. 15. & 36. *impoſtor*, & *falſarius*, ac *ſeductor*, eſt appellatus,quia S. Godefridum, à ſeculi diuitiis atque deliciis ad rigidum Præmonſtratenſium inſtitutum adduxerat. Ita planè filij huius ſeculi, doctrinam verè Chriſtianam,falſiloquij,impoſturæ,& ſeductionis inſimulantes. Sed eodem iure S. Norbertum pulſarunt calumnia illa ſeductionis,& falſiloquij,ac impoſturę,quo ipſum ſanctum Godefridum (vt eo c. 15. dicitur,) amentiæ inſimularunt; quòd adhærens ſancto Norberto, fluxos ſeculi honores,& euanidas opes atque delicias, Chriſti amore abieciſſet: quæ cùm ſumma eſſet apud Deum ſapientia,apud filios ſeculi audiuit ſtultitia. Sed quod ſtultum eſt mundi, (iudice Apoſtolo;) ſapientia eſt apud Deum.

Acta ſancti Theodoſij Cœnobiarchæ apud Metaphraſtem 11. Ianuar. produnt ex teſtificatione Iuliani tunc ſocij ſancti Theodoſij, poſtea Boſtrenſis Epiſcopi, quod cum ſanctus Theodoſius & Iulianus Boſtros veniſſent, [Mulier quædam inſignis & vitio nobilis, cùm Sanctum dixiſſet planum & impoſtorem, in oculis eorum dedit pœnas intemperantis linguæ, acerrimum ſubiens ſupplicium, cùm graui morte, eius erupiſſet anima.]

Etiam qui à praua vita impios auertere ſtuduerunt,ſæpè audiuere ſeductores & impoſtores. De Vitali Monacho ſanctiſſimo, quòd proſtibula vacuaret, & lupas ad Chriſtum ac ſalubrem pœnitentiam reduceret, aiebant impij, quibus eripi prædam graue erat; [Quomodò fieri potuit,vt hic impoſtor, tam multas ad ſe attraxerit?]Ita refertur in Actis S.Ioannis Eleemoſynarij, cum agitur de conuentu earum quæ à turpi vita per Vitalem reuocatæ fuerant, ad quoddam illius Oratorium.

S.Gerebernus Presbyter Hybernus,*ſeductor* dictus eſt, vt habet Molanus in Natalibus ſanctorum Belgij 15.Maij, eaque ex cauſa mortem ſancto viro fuiſſe illatam,habent Acta S.Dympnæ, exhibita à Petro, S. Auberti apud Cameracenſes Canonico. Per calumniam atrociſſimam S.Gerebernum ſeductionis fuiſſe inſimulatum,rei geſtæ hiſtoria, breuiſſimè repræſentata demonſtrabit.Rex Ethnicus in Hybernia,ex vxore Chriſtiana cui ſanctus Gerebernus à confeſſionibus erat,filiam genuit longè ſpecioſiſſimam, cui nomen Dympnæ. Eam pia parens per S. Gerebernum ſalutaribus Baptiſmi aquis expiandam curauit. Cùm autem Regina finem mortalis huius vitæ feciſſet, Rex ſecundas nuptias cogitans, puellam nobilem ſpecie præſtantem conquirens, quam ſibi thoro ſociaret,cùm alia non occurreret. Regio thalamo apta,de ſuorum nobilium conſilio, Dympnam filiam (proh ſcelus !) habere vxorem decreuit. Monitus à Virgine de Regio inſano conſilio S. Gerebernus, autor illi fit, vt quandoquidẽ nulla ſpes erat molliendi obfirmatum in filiæ nuptiis Regis animũ, nec eius violentiæ obſiſti poterat, fugam quantocyùs capeſſat,& adita tranſmarina quapiam regione monſtroſæ Patris voluntati ſe ſubducat. Exequitur pia Virgo quod monita erat, comite ipſo S. Gereberno,& Regio ioculatore, eiúſque con-

Digitized by Google

iuge,appulſiſque Antuerpiam,ſeceſſerunt in ſemotum à turbis locum cui nomen *Ghele*, vnde ad vicinos pagos pro rebus ad vitam ſuſtentandam neceſſariis,quempiam identidem ſubmittebant. Rex de filiæ ſeceſſione mœſtiſſimus, cùm nullibi in Hybernia poſt accuratam diſquiſitionem comparuiſſet,naue conſcenſa filiam quæſiturus ac reducturus, in illas ipſas oras peruenit,quas filia adierat:& indicio nummorum Hybernicorum, quos ad ciborum coëmptionem ſubmiſerat, deprehenſam, ad reditum in patriam quibuſcunque potuit pellaciis ſollicitauit; nec duntaxat regium thronum cum nuptiis, ſed templum quoque auguſtiſſimum in quo eius aurea ſtatua Deæ titulo coleretur, ſpopondit; dira omnia viciſſim minatus,ſi honorem paterni coniugij obſfirmatè aſpernaretur. Dehortantem fortiſsimè ab aſſenſu ſanctum Gerebernum,Rex ſeductorem filiæ & euerſorem appellans, in filiæ oculis trucidauit; ipſamque Dympnam filiam, conſtantiſſimè à tanta turpitudine abhorrentem, actus in rabiem, cùm nemo ſatellitum qui aderant, immani præcepto de ea trucidanda morem gereret, ſua ipſe manu martyrem fecit. Inſignia miracula quæ ad ſacras exuuias Beatorum horum martyrum ſunt edita magno numerò, perſtrinxit autor Actorum S. Dympnæ: vt nequaquam opus ſit probrum ſeductoris S.Gereberno impactum,depellere.

Religioſi qui alios inſtituta ipſorum capeſſentes, vel iuuant, vel non repellunt, calumniam paſſim ſuſtinent quòd eos ſeduxerint. De noſtra ætate, res eſt perſpicua & quotidiana.Sanctus Thomas Opuſc. 17.c. 1. idem æuo ſuo in more fuiſſe oſtendit. Sed & longè antiquior Origenes hom. 3. in Exod. tractans obiurgationem Pharaonis ad Moyſem & Aaron, vrgentes populi Dei liberationem,egregiè idem proſequitur. Monſtrat ibi inprimis Origenes, ſollicitationem à Moyſe adhibitam erga populum vt exiret de Ægypto, fuiſſe veram imaginem inuitationis ad exitum è ſeculo; in quo ob negotiorum obſcuritatem, & tenebras ſeculares, *Ægypti* nomine inſinuatas, non habet locum feruens Dei obſequium, quia nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Quare Moyſes,(vir inquam ſpiritualis & arcanorum Dei particeps,) ait fratribus ſuis;] exeundum nobis eſt de Ægypto, relinquendus eſt mundus, ſi volumus Domino ſeruire.] Hoc Pharao, appellat peruerſionem populi Dei. Addit Origenes [Hoc quidem dicebatur antiquis. Sed & hodie ſi Moyſes & Aaron id eſt propheticus, & ſacerdotalis ſermo,animam ſollicitet ad ſeruitium Dei,inuitétque eam exire de ſeculo, renuntiare omnibus quæ poſſidet, operam dare diuinæ legi, & ſequi verbum Dei, continuò audies dici ab illis, qui Pharaoni vnanimes & amici ſunt:Videte quomodò ſeducuntur homines & peruertuntur,quales adoleſcentes, ne laborent,ne militent, ne agant aliquid quod eis proſit,relictis rebus neceſſariis & vtilibus, ineptias ſectantur, & otium.Quid eſt *ſeruire Domino?* Laborare nolunt, & inertis otij occaſiones requirunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis; hæc & nunc amici eius,& familiares loquuntur.]

Videndum etiam,an non huc pertineat locus D. Auguſtini in Pſal. 63. vbi incidens in illud Iudæorum ad Pilatum, *ſeductor ille, dixit adhuc viuens.* Expendit verbum illud amarum, *ſeductor ille.*[Hoc (inquiens) appellabatur nomine Dominus IESVS Chriſtus, ad ſolatium ſeruorum ſuorum quando dicuntur *ſeductores.*] ſanctus Romualdus vt eſt in eius Actis c. 59. ab vxore Arduini quem induerat veſtem Monaſticam,dictus eſt *antiquus ſeductor.* Haud diſſimilia obiecta ſunt ſancto Bernardo propter Robertum, à Præmonſtratenſibus ad Claræuallenſes digreſſum, vt ipſe S. Bernardus memorat

memorat Epiſtola 252. Item quidam pius Abbas, eadem calumnia pulſatus eſt ob exceptum in cœnobio aliquoties S. Pŏtianum, vt ſcribit Gregorius Turon. in Opere de vita Patrum c. 5. In eandem ſententiam Eucherius in calce homiliæ de Pentecoſte, accipit illud Apoſtoli, *vt ſeductores & veraces.* Epiſcopi & Sacerdotes Catholici, his verbis denigrati ſunt à Petrobuſianis, vt ad eorum propoſitionem quartam refert Petrus Cluniac. [Nolite ô populi, Epiſcopis, Presbyteris, ſeu Clero vos ſeducenti, credere: quia ſicut in multis, ſic & in altaris officio vos decipiunt.] De Primis Dominicanis quidam prophani S. Engelberto Colonienſi Epiſcopo & Martyri obtruſerunt, quòd de eis propheratum eſſet fore ſeductores populi, quos vir Sanctus egregiè eluſit, vt ſcribit Petrus de Pruſſia in vita Alberti Magni c. 32.

Reges Chriſtianorum; (non vnus inquam aut altereorum, ſed quotquot glorioſum illud cognomen tulerunt;) impoſturæ perniciolæ, & infamis mendacij, ſunt inſimulati, ab hac Caluinianæ ſubulco, Diſanij Viuarienſis oræ oppido; Nomen ei *Salnè.* Rem deſcribit qui aderat Claudius Caron, in Antichriſto reuelato, Nota quarta, Teſtatur enim ſe audiente, Miniſtrum illum, aggreſſum ad exponendum pro concione locum ex Matth. 8. poſt Chriſti in ægritudines poteſtatem ampliſſima diſſertatione confirmatam, excurriſſe in Catholicorum nequitiam, quos ſimios ſatanæ dixit, vera Chriſti miracula ſuppoſititiis miraculis, peruerſa æmulatiòne impugnantis. Nec ea labe minutam duntaxat plebeculam toties figmenta pro miraculis iactantem ſordere aſſeruiſſe, aut quæſtuarios, nec niſi in lucellum quodpiam intentos, *vulturios Nouendiales,* poppas inquam Pontificios: (ſic enim illi modeſtè de more ſacerdotes Catholicos appellare viſũ;) ſed etiã qui inter eos ſummo ſunt loco, quos per impoſturam & fraudem agere, intolerandum ducebat Gregorius Nazianzenus orat. 3. Refugio, quantum poſſum, ſpurci oris illuuiem his chartis illinere: ſed audendum eſt. Reges ipſos ſuos, ne illo quidem qui tum rerum potiebatur, excepto; omnes pronuntiauit *impoſtores,* qui quod in ſtrumarum curationem per inſignia malagmata, & artem exquiſitam Medicorum & Seplaſiariorum, aut etiam circulatorum qui Regibus ſemper ſunt ad manum, ſubdolè efficerent, miraculo adſcriberent, vt rudem plebeculam continerent in Papiſtica ſuperſtitione, & regreſſu ab errore prohiberent.

Sed hæc calumnia, fuſte potiùs, aut etiam viuicomburio, quàm rationibus eſt repellenda. Quis enim ſine ſtomacho ferat, canem hunc mortuum, tanti fœtoris eiaculatione dehoneſtare auſum Chriſtum Domini? Sanè non vulgi duntaxat imperiti deluſione, & vafra applaudentium Regi ſuo Medicorum opera, ſed conſtanti experimento tot ſeculorum, aſſeritur Regibus Chriſtianiſſimis ea poteſtas, curandi ſuo contactu, (ne fruſtra blateto ille cauilletur admota malagmata,) nudo inquam ſuo contactu, ſcrophulas ſiue ſtrumas. Annuit Cardanus l. contrad. Medic. Sed referens ad longum eſum aromatum per Reges Galliæ, iure exploſus à Brodæo l. 8. miſcella. c. 10. Nec Medici duntaxat atque Chirurgi, vno ore id affirmant, & diſertiſſimè Guido in Chirurgia Magna Tract. 2. doctr. 2. cap. 5. Ioannes Tagautius l. 1. inſtitut. Chirurg. & Andreas Laurentius libello de hoc argumento; ſed externi omnium regionum, ac nominatim earum quæ gratis & cum fuco, gloriæ Gallorum velificari nollent. Bartholomæus Camerarius dialo. de orat. c. 5. ſua ætate Henricum II. multos ſtrumoſos ex Germania, Italia, Hiſpania, ſanaſſe teſtatur. Non eſt in hac re multis verbis aut emendicatis ſuffragiis opus, cùm res per ſe loquatur; & qui

 frequen-

Digitized by Google

frequentiſſimè hinc ſibi beneficium ſanitatis gratulantur, mentitionem ſpurco Sectario factis impingant. Ac proinde candens K. fronti Miniſtelli Calumniatoris, ante omnia imprimendum eſſet. Strophæ verò ac impoſturæ arguendus eſt eiuſdem Caluinianæ haræ, alius ſubulcus Gulielmus Tookerus, qui libro cui titulus *Chariſma ſanationis*, per adulationem nundinatitiam, idem decus ei cui pro certo non competebat, arrogare laborauit; vt Deltio l. 1. Mag. c. 3. q. 4. concluſ. 1. euincit. Eſto pio alicui Regi Anglorum, ex perſonali priuilegio, idem donum ſit aliquando collatum, ſi Petrum Bleſenſem audimus epiſtol. 150. Nam Polydorum Virgilium l. 8. hiſtor. Anglor. multo latiùs hoc chariſma diffundentem, vacillans plerunque fides, minùs locupletem teſtem facit. Conſtare tamen de Maria Henrici VIII. filia Regina Catholiciſſima, ſcribit Laur. Arturus l. de inuocat. ſanctorum cap. 12.

Pontificios hodiernos, pias fraudes, & vſurpare, & labis puras agnoſcere, ſcribit Nouator Batauus in Ethicæ reformatæ compendio parte 3. §. *de veracitate*, quæſito 2. Intelligi autem ab eis ait, *piarum fraudum* nomine, mendacia quæ nemini nocent, poſſunt autem religioni, vel patriæ, aut cuicunque demum prodeſſe. Itaque *Pontificij*, id eſt, quotquot Romanum Pontificem agnoſcunt viſibile Eccleſiæ caput, Chriſtique in terris Vicarium; mendacij & vſurpati & collaudati, inſimulantur, ab hoc Ethnico reformato. Sed mendaciter & per calumniam. Nullus enim eſt hodiernorum Pontificiorum Theologorum, ad quorum amuſſim Pontificij omnes in huiuſmodi negotiis ſenſa ſua dirigunt, qui mendacium non agnoſcat eſſe inexpugnabiliter malum. Multos protuli id explicatè ac diſertè tradentes cap. 2. Operis de Æquiuocat. num. 23. Et poterant alij innumeri addenſari ſiue ex Theologis Scholaſticis ad 4. ſentent. diſtinct. 38. vel ad S. Thomam 2. 2. quæſt. 110. ſiue ex Summiſtis V. *Mendacium*. Nec id Eraſmum, Lutheri, Caluini totiuſque Nouatorum gregis antecurſorem, latuit. Nam in Scholiis ad Tomum 2. S. Hieronymi, referens nec improbans, vlláue interpretatione condiens, (atque adeò tacitè approbans, Platonis ſententiam de mendacio Rectoribus ciuitatum innoxio, addit. [Porrò quæ ſcribit Auguſtinus de mendacio, (nempe quòd ſemper & vbiuis ſit euitandum, quæque traduntur à noſtri temporis Theologis, partim eiuſmodi ſunt, vt etiam ſi maximè ſint vera à communi ſenſu vehementer abhorreant.] En Eraſmus liquidò fatetur, proximi ſæculi Theologos, mendacij inhoneſtatem agnouiſſe; Et quod ipſe non obſcurè ab eorum ſenſu deſciſcit, vt etiam ei diſertè tribuit Albertus Pius lib. contra ipſum 23. non labefactat quæ præmiſimus de communi hac in parte ſententia Catholicorum, cùm Eraſmus, noſter non cenſeatur, ſed aduerſariorum. Itaque retorquere fas eſt conuitium, & pro ſtructa in Pontificios calumnia, verum Nouatori probrum reponere; quandoquidem Sectariorum antecurſor idipſum verè tradidit circa Mendacij honeſtatem, quod hic Bambalio cum quo agimus, Pontificiis affingit. Idem reponere poſſumus adducto alio Sectario Hugone Grottio l. 3. de iure belli ac pacis c. 1. num. 17. qui non dubitauit affirmare, mendacium aliquando labe vacare, queſtus de Scholaſticis Theologis, qui vni ex veteribus Auguſtino, ferme inhærentes in omnibus, quodcunque prorſus mendacium improbant. Hoc ille abſurdum & falſum pronunciat. Sed quàm falsò, tam commodè in rem noſtram. Inde quippè habemus, Nouatorem cum quo agebamus, ſuorum nobis probra improuidè obiecisse: nec Pontificios mendacia officioſa arbitrari labis pura, (quæ

reuera.

reuera auerſamur, Scripturas & Patres Eccleſiæ ſecuti;) ſed Sectarios in ſchola mendacij edoctos, & à veritate quam Chriſtus propriam veræ Eccleſiæ eſſe voluit, planè extorres.

CAPVT XV.

De Præuaricatione, & ſuppreſſione veritatis neceſſariæ.

NOn ſumitur hîc *præuaricatio*, pro apoſtaſia, vel pro quauis tranſgreſſione, vt factum eſt à ſancto Ambroſio ſerm. 15. in Pſalm. 118. ad illud, *præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ:* Neque item ſumitur in ſenſu Iuriſperitorum, à quibus *præuaricatio* ſumitur pro colluſione accuſatoris cum reo, vt latè proſequitur Celſus Bargalius l. 5. de dolo cap. 18. & Cuiacius l. 9. obſeruat. cap. 4. Sumitur itaque hîc præuaricatio pro ſuppreſſione veritatis, per eum qui illam aperire tenebatur. Quam eſſe germanam vocis huius notionem aſſerit Valla lib. 6. elegant. Sic ergo Patronus celans firmamenta cauſæ clientis ſui, dicitur *præuaricari*. Nec aliter denominabitur Doctor quilibet alterius, ſi eum celet quæ intererat ipſum ſcire. Item Confeſſarius, ſi pœnitentem; Eccleſiaſtes, ſi populum de iis quæ ſcire debuiſſent, non erudiant. Vel ſi mollia annuntient, dura diſſimulent: quòd D. Auguſtinus faciendum negat in Pſal. 144. ad illud, *virtutem tuam annuntiabunt*. Hanc eſſe noxam planè tetram, docet ipſa vocis notio, quæ inuoluit detentionem quandam veritatis Dei, in iniuſtitia. Planè enim iniuſtitiam redolet, muneri ſuo deeſſe; & quæ vi illius ſuſcepti debentur, non præſtare. Poteſt etiam huius noxæ fœditas, deprehendi ex fontibus è quibus promanat; quæ ferè ſunt, gratiæ à diuina diuerſæ captatio, ſpes quæſtus ex ſilentio, & alij huiuſmodi corrupti affectus. De huius labis indignitate, fusè Parænesis ad Magnatum Confeſſarios. Aliqui viri pij ea ſunt dehoneſtati per calumniam, vt exempla ſubiecta docebunt.

[Petrus Bleſenſis, quòd Regibus adularetur, & eos celaret ſcitu neceſſaria; & è contrario mala illos doceret, à Religioſis & ſacris hominibus calumniam ſuſtinuit, quam ipſe ſic refert & retundit in Inuectiua aduerſus ſuorum operum Deprauatorem, [Adulatorem Principis, & ſancti Ordinis delatorem, vocas hominem, quem non noſti; ſed docuiſti linguam tuam loqui mendacium: & in hac parte mentita eſt iniquitas ſibi. Spiritus Dei, reddit teſtimonium ſpiritui meo, quia nunquam fui olei venditor, nec ſoleo magnates palpare in vitiis, aut laudare peccatorem in deſideriis animæ ſuæ. In compendio meo ſuper Iob, in Epiſtolis meis. In libro exhortationum mearum; in dialogo meo ad Regem Henricum, In tractatu meo de Hieroſolymitana peregrinatione, In libro meo de præſtigiis fortunæ; & in opere meo nouello de aſſertione fidei, In libro contra perfidiam Iudæorum, In libro de confeſſione & pœnitentia, & in eo qui *Canon Epiſcopalis* inſcribitur, & in quamplurimis aliis ſcriptis meis, Regem veſtrum, & alios terræ magnates, vbi materia ſe offert, plenâ libertate redarguo, ſollicitè ſuggerens, quicquid ad eorum ædificationem, citra inuectiuæ iniuriam, poteſt humana deuotio.]

Patres Societatis I e s v, qui in Indiis ad conuerſionem Ethnicorum laborant, dicuntur celare eos quos facere proſelytos cupiunt, myſteria quædam planè ſcitu neceſſaria, ac nominatim Chriſti Domini ſuſpenſionem de patibulo, ne ea doctrina fiat Ethnicis in ſcandalum, ſicque puſilli auertantur à fide. Ita refert Grauina. Sed hoc adeò calumnioſum eſt,

Digitized by Google

vt longa confutatione non egeat. Ora enim Indiarum quam iſte ſic deluſoriè imbui Euangelio contendit, vel eſt Orientalis, vel eſt Occidentalis. In Orientali habemus praxim S. Franciſci Xauerij, de quo Acta eius liquidò teſtantur, nihil æquè habuiſſe commendatum inter concionandum, quàm proponere Chriſti pro nobis cruciatus, & tanquam potentiſſimum pietatis incentiuum eos inculcare Auditoribus quos imbuebat in fide Chriſtiana. Nullóſque ſermones de rebus diuinis fuiſſe Iaponiis acceptiores, quàm qui de Chriſti paſſione eſſent, teſtatur in Epiſtolis ipſe S. Xauerius. Et idem ab aliis factum conſtat ex Nicolai Trigaultij Opere de Sinica expeditione. Quoad Indias Occiduas legendus Ioſephus à Coſta, qui lib. 5. de procur. Indorum Salute cap. 2. explicatiſſimè tradit, quanta eſſe debeat Chriſtiani Concionatoris ſollicitudo, vt Neophyti imbuãtur Chriſti Redemptoris pro nobis Cruci confixi notitia. Itaque non eſt ambigendum, quin per meram calumniam, Patres Societatis I E S V grauentur eo probro ſuppreſſæ tam neceſſariæ veritatis, ſine qua non eſt ſalus.

Petrus Cottonus, aureum ſuo tempore eloquentiæ flumen, ab effronti & propudioſo criminatore in ſpurco Opere cui titulum fecit *Anticotonus*, accuſatus eſt præuaricationis; quaſi peccata carnis in viris Principibus atque Magnatibus diſſimulaſſet, nec preſſiſſet tantùm eorum fœditatem, ſed etiam nitere docuiſſet, dummodo alienum cubile non perfoderetur. Fruſtra monſtratem, os illud Diaboli quod iſta effutiuit, texuiſſe calumniam. Nam nemo ex iis qui P. Cottonum norunt, eius & doctrinam & ſanctitatem ignorat. Et doctrinæ quidem, ſcriptiones pereruditæ, & diuturnæ in primariis quibuſque vrbibus conciones, ſummo applauſu ſemper auditæ, atteſtantur. Itaque non poterat per ignorantiam, adeò craſſo errore ſordere. Vt autem ex malitia, ad aucupandam hominum gratiam, vel diſſimularet cum clarè eloquendum erat, vel falſa & ipſis Ethnicis indigna traderet, obſtabat vitæ innocentia, & inſignis ſanctitas omnibus comperta. Quare qui adeò infanda de illo vomuit, ex parte Diaboli fuit; eíque ſuppliciorum æternorum ſocius factus eſt, niſi ante mortem, ſatisfaciendi Deo, & læſam calumnioſiſſimè viri innoxij famam reparandi voluntas ſaltem affuerit, potentia defecerit. Nam architectum huius calumniæ, non reſorbuiſſe quæ propudioſè vomuerat, atque adeò non ſarſiſſe iniuriam calumnioſè irrogatam, certum eſt, ſine qua tamen iniuriæ reparatione, (ſi fieri poſſit,) non dimittitur peccatum. Videſis quæ in hanc rem addam ſequenti capite.

Recentiores Doctores quibus adhuc verum videtur; libertatem creaturæ intellectualis, ſitam eſſe in actiua indifferentia, ſiue in facultate actus ſui dominâ, ita vt eum profundere aut omittere pro arbitrio poſſit, præuaricationis ac detentæ in iniuſtitia veritatis arguit Gulielmus Gibieuf lib. 1. de libert. Dei & creaturæ cap. 36. affirmans eos quidem veritatem denique agnouiſſe, ſed profiteri erubuiſſe, malentes perſtare in propugnatione erroris moliri, quàm ingenuè excipere iubar nouæ doctrinæ ab ipſo Gibieufo traditæ, de natura libertatis conſtituta in amplitudine & eminentia ex adhæſione cum Deo.

Hanc tamen eſſe admodùm illiberalem calumniam, ſatis reuictum eſt in opere contra nouam libertatem lib. 1. c. 11. Tantùm enim abeſt vt bonus ille nouæ ſententiæ de libertatis natura faber, veritatis ſplendorem orbi affuderit, eamque agnitam Recentiores præ pudore retexendi vereren ſententiam, excipere obfirmatè renuerint; vt potiùs magna omnes miſeratio cœperit, tam nouæ, tanque

que periculoſæ doctrinæ, cùm ipſo naturæ lumine perſpicuè pugnantis. Quis enim arbitretur, Ariſtotelem & alios Philoſophos, qui hominem libertate expedita potiri perſpicuè tradiderunt, non agnouiſſe ecqua in re libertas humana eſſet conſtituenda? At apud eos, ne pilus quidem nouæ illius doctrinæ comparet. Sicut neque apud omnes retrò Patres atque Doctores, quos mirum eſſet tantoperè cœcutiuiſſe, vt non perſpicerent, quid tandem eſſet libertate potiri, & habere ſuæ voluntatis poteſtatem, quæ eſt ipſiſſima libertatis genuinæ notio apud Apoſtolum? Quòd verò ea nouæ libertatis notio recens fabricata, Diuo Auguſtino adſcribitur, eadem fide factum eſt, qua omnes propè errones Diui Auguſtini tempora ſubſecuti, (& nominatim Berengarius, Goteſchalcus, VVicleffus, Caluinus,) deliria ſua Diui Auguſtini autoritate communire non erubuerunt, vt non ſemel monſtrare memini. Itaque notio libertatis ex amplitudine & eminentia conſequente adhæſionem cum Deo, nouitium figmentum eſt, cuius veritatem à Recentioribus deprehenſam eſſe, & ab iiſdem præuaricantibus ſuppreſſam & oppreſſam, per voluntariam obfirmationem in antiqua doctrina, gratis nec abſque graui calumnia aſſeritur.

CAPVT XVI.

De Aſſentatione.

HOc eſt oleum peccatoris, quo nihil vulgarius atque familiarius, præſertim in aulis. Vnde à Ioanne Sariſbetienſi in Polycratico de Nugis Curialium l. 3. à cap. 4. valdè exagitatur in aulicis; vt & à Seneca in præfatione libri quarti Natural. qq. Actum plenè de aſſentationis fœditate l. 4. de virtut. à num. 166. poſt Philonem l. de plantat. Noë, Chryſoſtomum homil. 5. in epiſto. ad Philipp. creditum Cyprianum ſerm. de ieiunio. Præter cæteros Gulielmus Pariſ. l. de moribus c. 10. omnino multis probris hoc vitium dehoneſtat. Sed ſcitè l. de virtut. c. 17. contrarietate 21. dicens, de adulatoribus. [De his quandoque diximus, quia propriè ſacerdotes Diaboli ſunt, ſiue infernales; *commendationem* quod eſt officium morientium ſemper facientes; & officium mortuorum, quod à *placebo* incipit, ſemper agentes: ſimiliter & mortuos infernales, ſemper ſepelientes, ſicut Matth. 9. dicit veritas, *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Vbi dicit autoritas, quia mortuus mortuum ſepelit, cum peccator peccatori adulatur.] Huius turpiloquij, quod (vt eſt apud Plutarchum l. de adulatoris & amici diſcrimine,) naſcitur in faucibus; nec ex animo promitur, ſed effloreſcit in ſummis labris, falsò notati ſunt viri aliquot inſignes quos ſubiicio.

Sanctus Paulus, de ſenſu vulgi lectorum, videtur adulatus Felici ac Feſto, Præſidibus Ethnicis, ac profligatæ honeſtatis, vocans eos *optimos*. Sic enim eos appellaſſe refertur Actor. 23. & 26. & tamen Felicem Tacitus 15. hiſtor. teſtatur, per omnem ſæuitiam ac libidinem, ius regium ſeruili ingenio exercuiſſe in concredita ſibi Iudææ prouincia: vt non immeritò tremefactus ſit, Apoſtolo Actor. 24. diſputante coram eo de iudicio, & caſtitate, atque iuſtitia. Feſtus vix melior homo, ad gratiam iudicans, nec niſi in quæſtum intentus. Quomodò ergo non palpo Sanctus Paulus, vtrumque appellans *optimum*? Negat tamen Apoſtolum, palponem fuiſſe, S. Chryſoſtomus homil. 50. in Acta. Et meritò. Aberat enim ſanctus Paulus ab aſſentatione quàm longiſſimè, verè de ſe profeſſus 1. Theſſalo. 2. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis.* Epitheton igitur *optimi*, ab Apoſtolo improbis

hominibus

Digitized by Google

non eſt quod ſupernaturale donum Satanam exturbandi, eiuſque nefarias in corpora humana impreſſiones auertendi, conceſſum Chriſtianæ Eccleſiæ Miniſtris, inter impoſturas recenſuerit. Tertullianus c. 23. Apol. & ſæpè alibi, contrarium prolaris factis conteſtatur. Et alios quoque aſſumpto Chriſti nomine idem præſtitiſſe abſque impoſtura, refert Galatinus l. 8. de arca. c. 5. & Feuard. ad l. 2. Irenæi c. 5. num. 17.

S. Ephrem inde mendacij reus viſus eſt, quòd inuenta muliere quoſdam Apollinaris libros aſſeruante, ad eam adierit; ſeque eiuſdem cum Apollinari ſententiæ aſſerens, mulierem exorauit, vt libros ſibi mutuos daret; per quos, Hæreticis, (ſic Catholicos nominabat,) poſſet obſiſtere. Conceſſo volumine, S. Ephrem glutino folia omnia illinens, ita ea inuicem connexuit, ac ſi vnum duntaxat folium efficerent, & ſalua exteriore forma mulieri librum reddidit, nihil querenti, cùm omnia putaret immutata. Sed poſt dies aliquot, cùm prouocatus ad diſputationem Apollinaris, librum ſuum popoſcit, deprehenſa voluminis ſui inutilitate, mirum in modum afflictus eſt, ita vt de inſania periclitari videretur. Ita refert Gregorius Nyſſenus in S. Ephremi encomio. Mendacium multiplex in hoc facto cernitur, iuxta Ioannem Barneſium, qui æquiuocationes, & ſubintellectiones quaſcunque mentales, habet pro mendaciis. Eodémque iure, mendacij iuxta ipſum inſimulandi ſunt, non modò omnes Sancti veteris Teſtamenti, qui ſæpè æquiuocationes aut reſtrictiones mentales adhibuerunt, (vt S. Auguſtinus latè verſat duobus de mendacio libris:) ſed etiam plerique SS. Patrum Noui Teſtamenti, quos ambiguis aut mente reſtrictis locutionibus, ex cauſa interdum vſos, eſt extra dubium. Verùm hanc mendaciſſimam doctrinam, nundinatitio calamo exaratam, eſſe explodendam; nec S. Ephremum reſtrictè ex cauſa locutum, dici poſſe mendacem, niſi per calumniam, iuſto opere contra eundem Barneſium ſum proſecutus, nec vacat toties recoctam crambem, hîc apponere.

S. Hieronymus audiuit *falſarius*, vt ipſemet epiſtola 101. refert. Sed fuit mera calumnia, & admodùm ſanè inſulſa. Acceperat S. Hieronymus epiſtolam S. Epiphanij, prouocatricem Ioannis Hieroſolymitani ad pœnitentiam, & è Græco in Latinum verterat. Ea epiſtola cùm furtiuè aut proditoriè ſubducta fuiſſet S. Hieronymo, magni in eum rumores ſunt excitati, & falſarij criminis reus factus eſt, quia verbum de verbo non expreſſerat. [Hæc (inquit S. Hieronymus,) & iſtiuſmodi nugæ, crimina mea ſunt.] Monſtrat deinde diligenter, quàm inſulſa ſit huiuſmodi calumnia, quamque moroſum & inutile ſit, interpretationem ad ſingula verba & apices arctare in quo Aquilam proſelytum, contentioſum, (vt ait) interpretem, iuſto ſolicitiùs laboraſſe docet. Cum è contrario LXX. Interpretes, paraphraſticè pleraque expreſſerint: & ipſimet Apoſtoli allegantes aliqua ex veteri Inſtrumento, non anxiè verbum verbo exprimant, ſed allegatione ſubiectæ ſententiæ ſint contenti, neglecta moroſitate circa ſyllabas & apices. Præter ea quæ diffuſè & grauiter variis aliis locis ibidem ſignatis, habet in hanc rem idem S. Hieronymus, benè diſſerit in eandem ſententiam S. Hilarius l. de Synodis *ferè initio*, & Euagrius in præfatione ad verſionem ſuam vitæ S. Antonij à B. Athanaſio Græcè conſcriptæ, præfixa eidem vitæ in Opere de Vitis Patrum Orientis. Itaque crimen *falſarij*, autoribus à Ruffino & Melania, (vt habet finis epiſtolæ,) Hieronymo impactum, mera eſt nugacitas criminantium.

S. Auxentius Abbas qui temporibus Theodoſij iunioris floruit, præter cætera chariſmata quibus abundauit, inſigne donum

Digitized by Google

num à Deo conſecutus eſt, ad energumenorum liberationem. Hinc atrox in eum calumnia conflata eſt ab homine impio, qui inuitatus à ſodali ad inuiſendum Auxentium, [Diabolico quodam inſtinctu ab eo alienus, non ſolùm non fuit perſuaſus vt iret, ſed etiam eum cœpit maledictis inceſſere & irridere, vocans eum planum & impoſtorem, & mercedes præbentem iis qui ſe ſimulant eſſe dæmoniacos, ex tribus & ſex follibus, vt videantur argui ad multorum deceptionem.] Dedi verba quibus Metaphraſtes in Sancti huius viri Actis, expreſſit malignitatem impij calumniatoris, qui mox ſenſit, quanto damno, tam infami calumnia proſcidiſſet Chriſti famulum. Mox enim nuntius domeſticus ad eum aduolauit, admonens de filiæ Energumeniſmo. Pupugit is nuntius miſerum Patrem, & illico vinctam filiam ad S. Auxentium calumniæ impactæ pœnitens adduxit. Ad puellæ conſpectum, B. Abbas diuinitùs cauſam vexationis edoctus, dixit, [tribus follibus, aut ſex follibus.] Et iterum eadem mox repetiit. Intelligens Pater, vnde filiæ malum exortum eſſet, humi proſtratus Sancto ſupplex accidit. Et is ad illum. [Si etiam reliquis, vt tu dixiſti, mercedem præbeo ex tribus aut ſex follibus, filiæ tuæ quantum dedi?] Sic repreſſa calumniatoris nequitia, B. Auxentius, qua erat apud Deum gratia, puellam reſtituit ſanitati, & paret quanto ſe impiaſſet ſcelere, exemplo domeſtico doctus, deinceps ſapuit, & aliis vt ſaperent, damno ſuo autor fuit.

S. Gregorius & Beda, (hic in gentis ſuæ hiſtoria, ille in Dialogis,] falſiloquiis per indiligentiam & inaccurationem in deſcribendis Sanctorum rebus, accuſantur à Melchiore Cano l. de locis c. 6. qui eiuſdem labis arguit, non modò Vincentium Bellouacenſem, & S. Antoninum, ſed etiam autores Actorum S. Dominici, & S. Franciſci, & ferè *legendarum* (vt vocant,) conſarcinatores: de quibus omnibus expoſtulat, quod dum affectui aut quæſtui velificantur, multa præterquàm res habet, atque adeò falsò, ſcriptis commiſerint, ſimplicibus lectoribus imponentes. Nec ſanè diffitendum eſt, quin aliqui, iuſtæ reprehenſioni, & non allatrationi Cani tantùm, ſed etiam lacerationi patuerint. Deplorat hoc Metaphraſtes, initio vitæ B. Marinæ, ſeu vt nos efferimus, *Margaretæ*. Nec pauca in eandem ſententiam protulimus in Antemurali ad Hiſtoriolam S. Ioannis Benedicti. Tamen quod attinet ad SS. Gregorium ac Bedam, (quicquid ſit de cæteris, quos nunc nec indemnes præſto, nec criminor;) non poteſt Canus deſugere notam magnæ temeritatis & licentiæ. Tanta quippe eſt in Dei Eccleſia vtriuſque illius Patris autoritas, tam perſpecta vtriuſque accuratio & fides in ſcribendo, vt mirum ſit, virum Religioſum potuiſſe erga tanta Eccleſiæ lumina reuerentiam dediſcere. Videndus qui acri lixiuio hac ex cauſa Canum perfundit, Baronius ad Romanum Martyrol. 23. Decemb. & qui S. Gregorium per Sectarios Cani autoritate (ſcilicet) grauatum, copiosè tuetur, Ioannes Bretleius in præfatione Apologiæ Proteſtantium pro Romana Eccleſia.

S. Maximus Monachus & Martyr, qui ſub Conſtante Monothelita perilluſtri martyrio eſt perfunctus, ab Abbate Menna Monothelita ſeductor dictus eſt, qui ſeductionibus ſuis Origeniſmum diffudiſſet quaquauerſum. Sed fuit manifeſta calumnia. Nam S. Maximus erat filius veritatis. Conſtantinus Manaſſes in Annal. num. 148. his eum titulis honeſtat. [S. Maximus Monothelitarum impugnator eloquentiſſimus, aurea illa tuba, Nilus quaſi quidam doctrinæ veritatis, aurifluus.] Non fuit igitur S. Maximus ſeductor. Ab Origene verò quantùm abhorruerit, ipſemet declarauit reſponſo illo dato ad calumniam Mennæ Pſeudo-abbatis:

abbatis. [Anathema Origeni, & dogmatibus eius, & omni conſentaneo eius.] Hoc reſponſum tanti fecit Epiphanius Patritius, qui aderat, & Collationi præerat, vt addiderit. [Deſtructa eſt Domne Abbas Menna, querimonia quæ à te aduersùs eum illata eſt; quoniam etſi eſſet Origeniſta, ex quo anathematizauit eum, ab huiuſcemodi ſeſe liberauit querela. Interim ergo tale dictum ſuper eo, vlteriùs non admittam.] Itaque calumnia ſancto Maximo illata, laici Patricij, iudicio euaneſcit.

S. Malachias Hybernus, referente S. Bernardo, qui eius Acta conſcripſit, ab homine ingratiſſimo mala pro bonis reponente, falſitatis & mendacij & inſimulatus, & cumulante iniurias petulantia, vocatus *ſimius.* Hanc infrunitæ linguæ effrenationem in ſumma ſancti viri patientia, Deus coërcuit; & calumniam eius diſiecit. Nam ea ipſa die domum reuerſus, iuſtè vlciſcente Deo, arreptus eſt à Dæmone, & in ignem proiectus, nec è rogo niſi ſemiuſtus, ac mente captus, eſt extractus. Et quamuis viro ſancto benè precante, reuenit ad ſanam mentem, tamen Angelus Domini malus, eum quamdiu vixit colaphizauit, vt diſceret non blaſphemare nec mentis in eo emotio eſt vnquam planè curata, ita vt identidem Lunaticus deprehenderetur. Sic luit calumniator effrenem licentiam in S. Malachiam, hominem veraciſſimum, & filium veritatis, vt eum meritiſſimò nominat S. Bernardus.

S. Bernardus ob infortunatum exitum expeditionis Hieroſolymitanæ ipſo incentore ſuſceptæ, habitus eſt impoſtor atque ſeductor, ab iis qui rem euentu æſtimantes, non cenſebant, negotium illud, ſi Deo autore fuiſſet ſuſceptum, tantis cladibus fuiſſe concludendum. Opprobria quæ ſuper virum ſanctum ea occaſione ceciderunt, attingit Goffridus l. 1. vitæ c. 4. & ipſe Sanctus Bernardus 2. de conſid. c. 1. vbi forti apologia repellit hanc calumniam. Aduersùs quam etiam faciunt, quæ habet Otho Friſing. in Frider. l. 1. c. 60. & Ioannes Abbas Caſæmarij, epiſtola in hanc rem data ad ipſum S. Bernardum, quæ apud eum eſt 333. Videndum etiam ne cauſæ ob quas malè ceſſiſſe poſteriores quaſdam expeditiones, ſcribebat eodem ſeculo Bleſenſis Epiſtola 121. in iſtam quoque ceciderint: & ſtultè per calumniam vir ſanctus impoſuiſſe dictus ſit, cùm ipſi qui eum audiſſe videbantur, incidiſſent in foueam quam fecerant.

Nihil familiarius eſt quàm vt Doctores Chriſtiani, denominentur *ſeductores.* In actis S. Adriani c. 10. refertur, cùm S. Martyr notatus à Maximiano blaſphemiæ, retorſiſſet in eum illud probrum, monuiſſetque quantis ſe apud inferos tormentis obnoxium redderet, perſequens religionem Chriſtianam, repoſuiſſe illi Tyrannum de Doctoribus Chriſtianorum loquentem. [Hæc verba ab illis impoſtoribus didiciſti. Adrianus ait. Cur tu illos impoſtores vocas, qui duces nobis ſunt ad vitam æternam? Vos potiùs eſtis ſeductores, qui homines in perditionis laqueos inducitis.]

S. Lebuinus Saxonum, tunc Idololatrarum Apoſtolus, cùm multos eorum abduxiſſet à ſimulachris, ſeruire Deo viuo & vero, à cæteris audiuit *ſeductor.* Sic enim eos loquentes inducit Hucbaldus in Actis S. Lebuini c. 13. [En ecce adeſt ſeductor ille; ſacrorum noſtrorum, & totius inimicus patriæ. Æquum eſt, vt debitas luat ſuo ſanguine pœnas] Epiſcopi Catholici, vt refert Victor Vticenſis l. 2. perſecut. Vandal. in epiſtola ab Hunerico Arriano data ad vniuerſos Antiſtites Homouſianos, dicti ſunt *ſeductores*: quibus idcirco impius Rex ſuccenſet, quod aduersùs decretum ſuum pridem euulgatum, conuenirent in vnum, ad ſubuertendas ſeductionibus ſuis animas Chriſtianas.

S. Norbertus

S.Norbertus in Actis S.Godefridi Comitis Cappenbergenſis cap. 5. eo inſigni elogio honeſtatur. [Eximium iubar Eccleſiæ,admirabilis Dei præco, vir admirabilis gratiæ; prædulcis eloquentiæ,ſummæ continentiæ,informator ac propagator religionis Canonicæ, ſeruorum Chriſti aggregator, cœnobiorum non paucorum fundator, tam habitu quàm voce ſtrenuiſſimus veræ pœnitentiæ prædicator,ac per omnia illius propheticæ iuſſionis executor,qua dicitur,*parate viam Domini,rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.*] Hic tantus Dei famulus, & omnis ſanctimoniæ exemplar, vt in iiſdem S. Godefridi Actis refertur c. 15. & 36. *impoſtor*, & *falſarius*, ac *ſeductor*, eſt appellatus,quia S.Godefridum, à ſeculi diuitiis atque deliciis ad rigidum Præmonſtratenſium inſtitutum adduxerat. Ita planè filij huius ſeculi, doctrinam verè Chriſtianam,falſiloquij,impoſturæ,& ſeductionis inſimulantes. Sed eodem iure S. Norbertum pulſarunt calumnia illa ſeductionis,& falſiloquij,ac impoſturę,quo ipſum ſanctum Godefridum (vt eo c. 15. dicitur,) amentiæ inſimularunt; quòd adhærens ſancto Norberto, fluxos ſeculi honores,& euanidas opes atque delicias, Chriſti amore abieciſſet: quæ cùm ſumma eſſet apud Deum ſapientia,apud filios ſeculi audiuit ſtultitia. Sed quod ſtultum eſt mundi, (iudice Apoſtolo;) ſapientia eſt apud Deum.

Acta ſancti Theodoſij Cœnobiarchæ apud Metaphraſtem 11. Ianuar. produnt ex teſtificatione Iuliani tunc ſocij ſancti Theodoſij, poſtea Boſtrenſis Epiſcopi, quod cum ſanctus Theodoſius & Iulianus Boſtros veniſſent, [Mulier quædam inſignis & vitio nobilis, cùm Sanctum dixiſſet planum & impoſtorem, in oculis eorum dedit pœnas intemperantis linguæ, acerrimum ſubiens ſupplicium, cùm graui morte, eius erupiſſet anima.]

Etiam qui à praua vita impios auertere ſtuduerunt,ſæpè audiuere ſeductores & impoſtores. De Vitali Monacho ſanctiſſimo, quòd proſtibula vacuaret, & lupas ad Chriſtum ac ſalubrem pœnitentiam reduceret, aiebant impij, quibus eripi prædam graue erat; [Quomodò fieri potuit,vt hic impoſtor, tam multas ad ſe attraxerit?]Ita refertur in Actis S.Ioannis Eleemoſynarij, cum agitur de conuentu earum quæ à turpi vita per Vitalem reuocatæ fuerant, ad quoddam illius Oratorium.

S.Gerebernus Presbyter Hybernus,*ſeductor* dictus eſt, vt habet Molanus in Natalibus ſanctorum Belgij 15.Maij, eaque ex cauſa mortem ſancto viro fuiſſe illatam,habent Acta S.Dympnæ, exhibita à Petro, S. Auberti apud Cameracenſes Canonico. Per calumniam atrociſſimam S.Gerebernum ſeductionis fuiſſe inſimulatum,rei geſtæ hiſtoria, breuiſſimè repræſentata demonſtrabit.Rex Ethnicus in Hybernia,ex vxore Chriſtiana cui ſanctus Gerebernus à confeſſionibus erat,filiam genuit longè ſpecioſiſſimam, cui nomen Dympnæ. Eam pia parens per S. Gerebernum ſalutaribus Baptiſmi aquis expiandam curauit. Cùm autem Regina finem mortalis huius vitæ feciſſet, Rex ſecundas nuptias cogitans, puellam nobilem ſpecie præſtantem conquirens, quam ſibi thoro ſociaret,cùm alia non occurreret. Regio thalamo apta,de ſuorum nobilium conſilio, Dympnam filiam (proh ſcelus !) habere vxorem decreuit. Monitus à Virgine de Regio inſano conſilio S. Gerebernus, autor illi fit, vt quandoquidē nulla ſpes erat molliendi obfirmatum in filiæ nuptiis Regis animū, nec eius violentiæ obſiſti poterat, fugam quantocyùs capeſſat,& adita tranſmarina quapiam regione monſtroſæ Patris voluntati ſe ſubducat. Exequitur pia Virgo quod monita erat, comite ipſo S. Gereberno,& Regio ioculatore, eiúſque con-

iuge, appulſiqúe Antuerpiam, ſeceſſerunt in ſemotum à turbis locum cui nomen *Ghele*, vnde ad vicinos pagos pro rebus ad vitam ſuſtentandam neceſſariis, quempiam identidem ſubmittebant. Rex de filiæ ſeceſſione mœſtiſſimus, cùm nullibi in Hybernia poſt accuratam diſquiſitionem comparuiſſet, naue conſcenſa filiam quæſiturus ac reducturus, in illas ipſas oras peruenit, quas filia adierat: & indicio nummorum Hybernicorum, quos ad ciborum coëmptionem ſubmiſerat, deprehenſam, ad reditum in patriam quibuſcunque potuit pellaciis ſollicitauit; nec duntaxat regium thronum cum nuptiis, ſed templum quoque auguſtiſſimum in quo eius aurea ſtatua Deæ titulo coleretur, ſpopondit; dira omnia viciſſim minatus, ſi honorem paterni coniugij obſfirmatè aſpernaretur. Dehortantem fortiſmè ab aſſenſu ſanctum Gerebernum, Rex ſeductorem filiæ & euerſorem appellans, in filiæ oculis trucidauit; ipſamque Dympnam filiam, conſtantiſſimè à tanta turpitudine abhorrentem, actus in rabiem, cùm nemo ſatellitum qui aderant, immani præcepto de ea trucidanda morem gereret, ſua ipſe manu martyrem fecit. Inſignia miracula quæ ad ſacras exuuias Beatorum horum martyrum ſunt edita magno numero, perſtrinxit autor Actorum S. Dympnæ: vt nequaquam opus ſit probrum ſeductoris S. Gereberno impactum, depellere.

Religioſi qui alios inſtituta ipſorum capeſſentes, vel iuuant, vel non repellunt, calumniam paſſim ſuſtinent quòd eos ſeduxerint. De noſtra ætate, res eſt perſpicua & quotidiana. Sanctus Thomas Opuſc. 17. c. 1. idem æuo ſuo in more fuiſſe oſtendit. Sed & longè antiquior Origenes hom. 3. in Exod. tractans obiurgationem Pharaonis ad Moyſem & Aaron, vrgentes populi Dei liberationem, egregiè idem proſequitur. Monſtrat ibi inprimis Origenes, ſollicitationem à Moyſe adhibitam erga populum vt exiret de Ægypto, fuiſſe veram imaginem inuitationis ad exitum è ſeculo; in quo ob negotiorum obſcuritatem, & tenebras ſeculares, *Ægypti* nomine inſinuatas, non habet locum feruens Dei obſequium, quia nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Quare Moyſes, (vir inquam ſpiritualis & arcanorum Dei particeps,) ait fratribus ſuis;] exeundum nobis eſt de Ægypto, relinquendus eſt mundus, ſi volumus Domino ſeruire.] Hoc Pharao, appellat peruerſionem populi Dei. Addit Origenes [Hoc quidem dicebatur antiquis. Sed & hodie ſi Moyſes & Aaron id eſt propheticus, & ſacerdotalis ſermo, animam ſollicitet ad ſeruitium Dei, inuitétque eam exire de ſeculo, renuntiare omnibus quæ poſſidet, operam dare diuinæ legi, & ſequi verbum Dei, continuò audies dici ab illis, qui Pharaoni vnanimes & amici ſunt: Videte quomodò ſeducuntur homines & peruertuntur, quales adoleſcentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis proſit, relictis rebus neceſſariis & vtilibus, ineptias ſectantur, & otium. Quid eſt *ſeruire Domino*? Laborare nolunt, & inertis otij occaſiones requirunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis; hæc & nunc amici eius, & familiares loquuntur.]

Videndum etiam, an non huc pertineat locus D. Auguſtini in Pſal. 63. vbi incidens in illud Iudæorum ad Pilatum, *ſeductor ille, dixit adhuc viuens.* Expendit verbum illud amarum, *ſeductor ille.* [Hoc (inquiens) appellabatur nomine Dominus IESVS Chriſtus, ad ſolatium ſeruiorum ſuorum quando dicuntur *ſeductores.*] ſanctus Romualdus vt eſt in eius Actis c. 59. ab vxore Arduini quem induerat veſtem Monaſticam, dictus eſt *antiquus ſeductor.* Haud diſſimilia obiecta ſunt ſancto Bernardo propter Robertum, à Præmonſtratenſibus ad Claræuallenſes digreſſum, vt ipſe S. Bernardus memorat

memorat Epiſtola 252. Item quidam pius Abbas, eadem calumnia pulſatus eſt ob exceptum in cœnobio aliquoties S. Pōtianum, vt ſcribit Gregorius Turon. in Opere de vita Patrum c. 5. In eandem ſententiam Eucherius in calce homiliæ de Pentecoſte, accipit illud Apoſtoli, *vt ſeductores & veraces.* Epiſcopi & Sacerdotes Catholici, his verbis denigrati ſunt à Petrobuſianis, vt ad eorum propoſitionem quartam refert Petrus Cluniac. [Nolite ô populi, Epiſcopis, Presbyteris, ſeu Clero vos ſeducenti, credere: quia ſicut in multis, ſic & in altaris officio vos decipiunt.] De Primis Dominicanis quidam prophani S. Engelberto Colonienſi Epiſcopo & Martyri obtruſerunt, quòd de eis prophetatum eſſet fore ſeductores populi, quos vir Sanctus egregiè eluſit, vt ſcribit Petrus de Pruſſia in vita Alberti Magni c. 32.

Reges Chriſtianorum; (non vnus inquam aut alterorum, ſed quotquot glorioſum illud cognomen tulerunt;) impoſturæ pernicioſæ, & infamis mendacij, ſunt inſimulati, ab hac Caluinianæ ſubulco, Diſanij Viuarienſis oræ oppido; Nomen ei *Saluè.* Rem deſcribit qui aderat Claudius Caron, in Antichriſto reuelato, Nota quarta, Teſtatur enim ſe audiente, Miniſtrum illum, aggreſſum ad exponendum pro concione locum ex Matth. 8. poſt Chriſti in ægritudines poteſtatem ampliſſima diſſertatione confirmatam, excurriſſe in Catholicorum nequitiam, quos ſimios ſatanæ dixit, vera Chriſti miracula ſuppoſititiis miraculis, peruerſa æmulatione impugnantis. Nec ea labe minutam duntaxat plebeculam toties figmenta pro miraculis iactantem ſordere aſſeruiſſe, aut quæſtuarios, nec niſi in lucellum quodpiam intentos, *vulturios Nouendiales,* poppas inquam Pontificios: (ſic enim illi modeſtè de more ſacerdotes Catholicos appellare viſū;) ſed etiā qui inter eos ſummo ſunt loco, quos per impoſturam & fraudem agere, intolerandum ducebat Gregorius Nazianzenus orat. 3. Refugio, quantum poſſum, ſpurci oris illuuiem his chartis illinere: ſed audendum eſt. Reges ipſos ſuos, ne illo quidem qui tum rerum potiebatur, excepto; omnes pronuntiauit *impoſtores,* qui quod in ſtrumarum curationem per inſignia malagmata, & artem exquiſitam Medicorum & Seplaſiariorum, aut etiam circulatorum qui Regibus ſemper ſunt ad manum, ſubdolè efficerent, miraculo adſcriberent, vt rudem plebeculam continerent in Papiſtica ſuperſtitione, & regreſſu ab errore prohiberent.

Sed hæc calumnia, fuſte potiùs, aut etiam viuicomburio, quàm rationibus eſt repellenda. Quis enim ſine ſtomacho ferat, canem hunc mortuum, tanti fœroris eiaculatione dehoneſtare auſum Chriſtum Domini? Sanè non vulgi duntaxat imperiti deluſione, & vafra applaudentium Regi ſuo Medicorum opera, ſed conſtanti experimento tot ſeculorum, aſſeritur Regibus Chriſtianiſſimis ea poteſtas, curandi ſuo contactu, (ne fruſtra blatero ille cauilletur admota malagmata,) nudo inquam ſuo contactu, ſcrophulas ſiue ſtrumas. Annuit Cardanus l. contrad. Medic. Sed referens ad longum eſum aromatum per Reges Galliæ, iure exploſus à Brodæo l. 8. miſcella. c. 10. Nec Medici duntaxat atque Chirurgi, vno ore id affirmant, & diſertiſſimè Guido in Chirurgia Magna Tract. 2. doctr. 2. cap. 5. Ioannes Tagautius l. 1. inſtitut. Chirurg. & Andreas Laurentius libello de hoc argumento; ſed externi omnium regionum, ac nominatim earum quæ gratis & cum fuco, gloriæ Gallorum velificari nollent. Bartholomæus Camerarius dialo. de orat. c. 5. ſua ætate Henricum II. multos ſtrumoſos ex Germania, Italia, Hiſpania, ſanaſſe teſtatur. Non eſt in hac re multis verbis aut emendicatis ſuffragiis opus, cùm res per ſe loquatur; & qui

Digitized by Google

frequentiſſimè hinc ſibi beneficium ſanitatis gratulantur, mentitionem ſpurco Sectario factis impingant. Ac proinde candens K. fronti Miniſtelli Calumniatoris, ante omnia imprimendum eſſet. Strophæ verò ac impoſturæ arguendus eſt eiuſdem Caluinianæ haræ, alius ſubulcus Gulielmus Tookerus, qui libro cui titulus *Chariſma ſanationis*, per adulationem nundinaritiam, idem decus ei cui procerto non competebat, arrogare laborauit; vt Delrio l. 1. Mag. c. 3. q. 4. concluſ. 1. euincit. Eſto pio alicui Regi Anglorum, ex perſonali priuilegio, idem donum ſit aliquando collatum, ſi Petrum Bleſenſem audimus epiſtol. 150. Nam Polydorum Virgilium l. 8. hiſtor. Anglor. multo latiùs hoc chariſma diffundentem, vacillans plerunque fides, minùs locupletem teſtem facit. Conſtare tamen de Maria Henrici VIII. filia Regina Catholiciſſima, ſcribit Laur. Arturus l. de inuocat. ſanctorum cap. 12.

Pontificios hodiernos, pias fraudes, & vſurpare, & labiis puras agnoſcere, ſcribit Nouator Batauus in Ethicæ reformatæ compendio parte 3. §. *de veracitate*, quæſito 2. Intelligi autem ab eis ait, *piarum fraudum* nomine, mendacia quæ nemini nocent, poſſunt autem religioni, vel patriæ, aut cuicunque demum prodeſſe. Itaque *Pontificij*, id eſt, quotquot Romanum Pontificem agnoſcunt viſibile Eccleſiæ caput, Chriſtique in terris Vicarium; mendacij & vſurpati & collaudati, inſimulantur, ab hoc Ethnico reformato. Sed mendaciter & per calumniam. Nullus enim eſt hodiernorum Pontificiorum Theologorum, ad quorum amuſſim Pontificij omnes in huiuſmodi negotiis ſenſa ſua dirigunt, qui mendacium non agnoſcat eſſe inexpugnabiliter malum. Multos protuli id explicatè ac diſertè tradentes cap. 2. Operis de Æquiuocat. num. 23. Et poterant alij innumeri addenſari ſiue ex Theologis Scholaſticis ad 4. ſentent. diſtinct. 38. vel ad S. Thomam 2. 2. quæſt. 110. ſiue ex Summiſtis V. *Mendacium*. Nec id Eraſmum, Lutheri, Caluini totiuſque Nouatorum gregis antecurſorem, latuit. Nam in Scholiis ad Tomum 2. S. Hieronymi, referens nec improbans, vllâue interpretatione condiens, (atque adeò tacitè approbans, Platonis ſententiam de mendacio Rectoribus ciuitatum innoxio, addit. [Porrò quæ ſcribit Auguſtinus de mendacio, (nempe quòd ſemper & vbiuis ſit euitandum, quæque traduntur à noſtri temporis Theologis, partim eiuſmodi ſunt, vt etiam ſi maximè ſint vera à communi ſenſu vehementer abhorreant.] En Eraſmus liquidò fatetur, proximi ſæculi Theologos, mendacij inhoneſtatem agnouiſſe; Et quod ipſe non obſcurè ab eorum ſenſu deſciſcit, vt etiam ei diſertè tribuit Albertus Pius lib. contra ipſum 23. non labefactat quæ præmiſimus de communi hac in parte ſententia Catholicorum, cùm Eraſmus, noſter non cenſeatur, ſed aduerſariorum. Itaque retorquere fas eſt conuitium, & pro ſtructa in Pontificios calumnia, verum Nouatori probrum reponere; quandoquidem Sectariorum antecurſor idipſum verè tradidit circa Mendacij honeſtatem, quod hic Bambalio cum quo agimus, Pontificiis affingit. Idem reponere poſſumus adducto alio Sectario Hugone Grotio l. 3. de iure belli ac pacis c. 1. num. 17. qui non dubitauit affirmare, mendacium aliquando labe vacare, queſtus de Scholaſticis Theologis, qui vni ex veteribus Auguſtino, ferme inhærentes in omnibus, quodcunque prorſus mendacium improbant. Hoc ille abſurdum & falſum pronunciat. Sed quàm falsò, tam commodè in rem noſtram. Inde quippè habemus, Nouatorem cum quo agebamus, ſuorum nobis probra improuidè obieciſſe: nec Pontificios mendacia officioſa arbitrari labiis pura, (quæ

reuera

reuera auerſamur, Scripturas & Patres Eccleſiæ ſecuti;) ſed Sectarios in ſchola mendacij edoctos, & à veritate quam Chriſtus propriam veræ Eccleſiæ eſſe voluit, planè extorres.

CAPVT XV.

De Præuaricatione, & ſuppreſſione veritatis neceſſariæ.

NOn ſumitur hîc *præuaricatio*, pro apoſtaſia, vel pro quauis tranſgreſſione, vt factum eſt à ſancto Ambroſio ſerm. 15. in Pſalm. 118. ad illud, *præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ:* Neque item ſumitur in ſenſu Iuriſperitorum, à quibus *preuaricatio* ſumitur pro colluſione accuſatoris cum reo, vt latè proſequitur Celſus Bargalius l. 5. de dolo cap. 18. & Cuiacius l. 9. obſeruat. cap. 4. Sumitur itaque hîc præuaricatio pro ſuppreſſione veritatis, per eum qui illam aperire tenebatur. Quam eſſe germanam vocis huius notionem aſſerit Valla lib. 6. elegant. Sic ergo Patronus celans firmamenta cauſæ clientis ſui, dicitur *præuaricari.* Nec aliter denominabitur Doctor quilibet alterius, ſi eum celet quæ interest ipſum ſcire. Item Confeſſarius, ſi pœnitentem; Eccleſiaſtes, ſi populum de iis quæ ſcire debuiſſent, non erudiant. Vel ſi mollia annuntient, dura diſſimulent: quòd D. Auguſtinus faciendum negat in Pſal. 144. ad illud, *virtutem tuam annuntiabunt.* Hanc eſſe noxam planè tetram, docet ipſa vocis notio, quæ inuoluit detentionem quandam veritatis Dei, in iniuſtitia. Planè enim iniuſtitiam redolet, muneri ſuo deeſſe; & quæ vi illius ſuſcepri debentur, non præſtare. Poteſt etiam huius noxæ fœditas, deprehendi ex fontibus è quibus promanat; quæ ferè ſunt, gratiæ à diuina diuerſæ captatio, ſpes quæſtus ex ſilentio, & alij huiuſmodi corrupti affectus. De huius labis indignitate, fusè Parænesis ad Magnatum Confeſſarios. Aliqui viri pij ea ſunt dehoneſtati per calumniam, vt exempla ſubiecta docebunt.

[Petrus Bleſenſis, quòd Regibus adularetur, & eos celaret ſcitu neceſſaria; & è contrario mala illos doceret, à Religioſis & ſacris hominibus calumniam ſuſtinuit, quam ipſe ſic refert & retundit in Inuectiua aduerſus ſuorum operum Deprauatorem, [Adulatorem Principis, & ſancti Ordinis delatorem, vocas hominem, quem non noſti; ſed docuiſti linguam tuam loqui mendacium: & in hac parte mentita eſt iniquitas ſibi. Spiritus Dei, reddit teſtimonium ſpiritui meo, quia nunquam fui olei venditor, nec ſoleo magnates palpare in vitiis, aut laudare peccatorem in deſideriis animæ ſuæ. In compendio meo ſuper Iob, in Epiſtolis meis. In libro exhortationum mearum; in dialogo meo ad Regem Henricum, In tractatu meo de Hieroſolymitana peregrinatione, In libro meo de præſtigiis fortunæ, & in opere meo nouello de aſſertione fidei, In libro contra perfidiam Iudæorum, In libro de confeſſione & pœnitentia, & in eo qui *Canon Epiſcopalis* inſcribitur, & in quamplurimis aliis ſcriptis meis, Regem veſtrum, & alios terræ magnates, vbi materia ſe offert, plenâ libertate redarguo, ſollicitè ſuggerens, quicquid ad eorum ædificationem, citra inuectiuæ iniuriam, poteſt humana deuotio.]

Patres Societatis IESV, qui in Indiis ad conuerſionem Ethnicorum laborant, dicuntur celare eos quos facere proſelytos cupiunt, myſteria quædam planè ſcitu neceſſaria, ac nominatim Chriſti Domini ſuſpenſionem de patibulo, ne ea doctrina fiat Ethnicis in ſcandalum, ſicque puſilli auertantur à fide. Ita refert Grauina. Sed hoc adeò calumnioſum eſt,

vt longa confutatione non egeat. Ora enim Indiarum quam iſte ſic deluſoriè imbui Euangelio contendit, vel eſt Orientalis, vel eſt Occidentalis. In Orientali habemus praxim S. Franciſci Xauerij, de quo Acta eius liquidò teſtantur, nihil æquè habuiſſe commendatum inter concionandum, quàm proponere Chriſti pro nobis cruciatus, & tanquam potentiſſimum pietatis incentiuum eos inculcare Auditoribus quos imbuebat in fide Chriſtiana. Nullóſque ſermones de rebus diuinis fuiſſe Iaponiis acceptiores, quàm qui de Chriſti paſſione eſſent, teſtatur in Epiſtolis ipſe S. Xauerius. Et idem ab aliis factum conſtat ex Nicolai Trigaultij Opere de Sinica expeditione. Quoad Indias Occiduas legendus Ioſephus à Coſta, qui lib. 5. de procur. Indorum Salute cap. 2. explicatiſſimè tradit, quanta eſſe debeat Chriſtiani Concionatoris ſollicitudo, vt Neophyti imbuātur Chriſti Redemptoris pro nobis Cruci confixi notitia. Itaque non eſt ambigendum, quin per meram calumniam, Patres Societatis I E S V grauentur eo probro ſuppreſſæ tam neceſſariæ veritatis, ſine qua non eſt ſalus.

Petrus Cottonus, aureum ſuo tempore eloquentiæ flumen, ab effronti & propudioſo criminatore in ſpurco Opere cui titulum fecit *Anticotonus*, accuſatus eſt præuaricationis; quaſi peccata carnis in viris Principibus atque Magnatibus diſſimulaſſet, nec preſſiſſet tantùm eorum fœditatem, ſed etiam nitere docuiſſet, dummodo alienum cubile non perfoderetur. Fruſtra monſtrarem, os illud Diaboli quod iſta effutiuit, texuiſſe calumniam. Nam nemo ex iis qui P. Cottonum norunt, eius & doctrinam & ſanctitatem ignorat. Et doctrinæ quidem, ſcriptiones pereruditæ, & diuturnæ in primariis quibuſque vrbibus conciones, ſummo applauſu ſemper auditæ, atteſtantur. Itaque non poterat per ignorantiam, adeò craſſo errore ſordere. Vt autem ex malitia, ad aucupandam hominum gratiam, vel diſſimularet cum clarè eloquendum erat, vel falſa & ipſis Ethnicis indigna traderet, obſtabat vitæ innocentia, & inſignis ſanctitas omnibus comperta. Quare qui adeò infanda de illo vomuit, ex parte Diaboli fuit; eíque ſuppliciorum æternorum ſocius factus eſt, niſi ante mortem, ſatisfaciendi Deo, & læſam calumnioſiſſimè viri innoxij famam reparandi voluntas ſaltem affuerit, potentia defecerit. Nam architectum huius calumniæ, non reſorbuiſſe quæ propudioſè vomuerat, atque adeò non ſarliſſe iniuriam calumnioſè irrogatam, certum eſt, ſine qua tamen iniuriæ reparatione, (ſi fieri poſſit,) non dimittitur peccatum. Videſis quæ in hanc rem addam ſequenti capite.

Recentiores Doctores quibus adhuc verum videtur; libertatem creaturæ intellectualis, ſitam eſſe in actiua indifferentia, ſiue in facultate actus ſui domina, ita vt eum profundere aut omittere pro arbitrio poſſit, præuaricationis ac detentæ in iniuſtitia veritatis arguit Gulielmus Gibieuf lib. 1. de libert. Dei & creaturæ cap. 36. affirmans eos quidem veritatem denique agnouiſſe, ſed profiteri erubuiſſe, malentes perſtare in propugnatione erroris moliri, quàm ingenuè excipere iubar nouæ doctrinæ ab ipſo Gibieuſo traditæ, de natura libertatis conſtituta in amplitudine & eminentia ex adhæſione cum Deo.

Hanc tamen eſſe admodùm illiberalem calumniam, ſatis reuictum eſt in opere contra nouam libertatem lib. 1. c. 11. Tantùm enim abeſt vt bonus ille nouæ ſententiæ de libertatis natura faber, veritatis ſplendorem orbi affuderit, eamque agnitam Recentiores præ pudore retexendi veterem ſententiam, excipere obfirmatè renuerint; vt potiùs magna omnes miſeratio cœperit, tam nouæ, tanque

quæ periculoſæ doctrinæ, cùm ipſo naturæ lumine perſpicuè pugnantis. Quis enim arbitretur, Ariſtotelem & alios Philoſophos, qui hominem libertate expedita potiri perſpicuè tradiderunt, non agnouiſſe ecqua in re libertas humana eſſet conſtituenda? At apud eos, ne pilus quidem nouæ illius doctrinæ comparet. Sicut neque apud omnes retrò Patres atque Doctores, quos mirum eſſet tantoperè cæcutiuiſſe, vt non perſpicerent, quid tandem eſſet libertate potiri, & habere ſuæ voluntatis poteſtatem, quæ eſt ipſiſſima libertatis genuinæ notio apud Apoſtolum? Quòd verò ea nouæ libertatis notio recens fabricata, Diuo Auguſtino adſcribitur, eadem fide factum eſt, quà omnes propè errones Diui Auguſtini tempora ſubſecuti, (& nominatim Berengarius, Goteſchalcus, VVicleffus, Caluinus,) deliria ſua Diui Auguſtini autoritate communire non erubuerunt, vt non ſemel monſtrare memini. Itaque notiò libertatis ex amplitudine & eminentia conſequente adhæſionem cum Deo, nouitium figmentum eſt, cuius veritatem à Recentioribus deprehenſam eſſe, & ab iiſdem præuaricantibus ſuppreſſam & oppreſſam, per voluntariam obſtinationem in antiqua doctrina, gratis nec abſque graui calumnia aſſeritur.

CAPVT XVI.

De Aſſentatione.

HOc eſt oleum peccatoris, quo nihil vulgarius atque familiarius, præſertim in aulis. Vnde à Ioanne Satisbetienſi in Polycratico de Nugis Curialium l. 3. à cap. 4. valdè exagitatur in aulicis; vt & à Seneca in præfatione libri quarti Natural. qq. Actum plenè de aſſentationis fœditate l. 4. de virtut. à num. 166. poſt Philonem l. de plantat. Noë, Chryſoſtomum homil. 5. in epiſto. ad Philipp. creditum Cyprianum ſerm. de ieiunio. Præter cæteros Gulielmus Pariſ. l. de moribus c. 10. omnino multis probris hoc vitium dehoneſtat. Sed ſcitè l. de virtut. c. 17. contrarietate 21. dicens, de adulatoribus. [De his quandoque diximus, quia propriè ſacerdotes Diaboli ſunt, ſiue infernales; *commendationem* quod eſt officium morientium ſemper facientes; & officium mortuorum, quod à *placebo* incipit, ſemper agentes: ſimiliter & mortuos infernales, ſemper ſepelientes, ſicut Matth. 9. dicit veritas, *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Vbi dicit autoritas, quia mortuus mortuum ſepelit, cum peccator peccatori adulatur.] Huius turpiloquij, quod (vt eſt apud Plutarchum l. de adulatoris & amici diſcrimine,) naſcitur in faucibus; nec ex animo promitur, ſed effloreſcit in ſummis labris, falsò notati ſunt viri aliquot inſignes quos ſubiicio.

Sanctus Paulus, de ſenſu vulgi lectorum, videtur adulatus Felici ac Feſto, Præſidibus Ethnicis, ac profligatæ honeſtatis, vocans eos *optimos.* Sic enim eos appellaſſe refertur Actor. 23. & 26. & tamen Felicem Tacitus 15. hiſtor. teſtatur, per omnem ſæuitiam ac libidinem, ius regium ſeruili ingenio exercuiſſe in concredita ſibi Iudææ prouincia: vt non immeritò tremefactus ſit, Apoſtolo Actor. 24. diſputante coram eo de iudicio, & caſtitate, atque iuſtitia. Feſtus vix melior homo, ad gratiam iudicans, nec niſi in quæſtum intentus. Quomodò ergo non palpo Sanctus Paulus, vtrumque appellans *optimum*? Negat tamen Apoſtolum, palponem fuiſſe, S. Chryſoſtomus homil. 50. in Acta. Et meritò. Aberat enim ſanctus Paulus ab aſſentatione quàm longiſſimè, verè de ſe profeſſus 1. Theſſalo. 2. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis.* Epitheton igitur *optimi*, ab Apoſtolo improbis

hominibus

Digitized by Google

hominibus delatum eſt, ratione muneris publici quod gerebant. Nam teſte Seneca epiſtol. 3. ex vſu Romanorum quem Apoſtolus cū Romanis præſidibus agens tenuit, candidati publicorum munerum, dicebantur *viri boni*: qui verò ad ea munera euecti erant, *Optimi* appellabantur, vnde etiam *Optimates*. Græca vox quam vulgatus vertit *Optimus*, eſt κράτιστος. Quæ vox (vt Eraſmus ac Beza Actor. 1. philoſophantur,) iuxta varias etymologias ſonare poteſt, vel *optimum*, vel *præſtantiſſimum*, vel *potentiſſimum*, aut *ſtrenuiſſimum*, quæ omnia nihil ad moralem vtilitatem.

S. Cæleſtinus I. à Caluino l. 4. Inſtitut. cap. 7. aliiſque ſectariis, notatur artificioſæ adulationis, ea delegatione qua S. Cyrillum Alexandrinum, inter Patriarchas primum, loco ſuo præfecit Synodo Epheſinæ Oecumenicæ, cui abſente Epiſcopo Romano præfuiſſet ipſe S. Cyrillus, iure ſedis ſuæ. Artificioſè ergo Cæleſtinus (iuxta Caluinum, vt vt per eum præſidere videretur, adulatus eſt Cyrillo, delegans ei vices ſuas. Ita quidem Caluinus: ſed more ſuo, calumnioſè. Omnes enim antiqui de Synodo Epheſina agentes, ſimpliciter agnoſcunt Cyrillum fuiſſe Vicarium Cæleſtini, eamque fuiſſe cauſam prodit Nicephorus l. 14. c. 34. cur deinceps Cyrillus, mittam, & nomen *Papæ*, & *Iudicis Orbis vniuerſi*, acceperit transfuderitque ad ſucceſſores omnia huiuſmodi ornamenta. Tametſi quod Nicephorus ait de nomine *Papæ* tunc omnibus Epiſcopis communi, non probatur Baronio anno 430. nec ſatis liquere etiam ait, de nomine *Iudicis Vniuerſalis*. Balſamon, tranſmiſſum eſſe à Cæleſtino, Phrygium, id eſt pallium, quo ſignificatur plena poteſtas; eóque S. Cyrillum, in Concilio Epheſino, & in ſacris ſolemniis, more Romani Pontificis vſum; teſtatur ad Photij Nomacan. titul. 8. cap. 1. Non igitur adulatione S. Cæleſtini captantis ſuum decus, ſed merito S. Cyrilli concredita ei eſt Vicaria illa poteſtas, vt agnoſcunt Iuſtinianus in Edicto, Nicol. 1. epiſtol. ad Michaelem, Liberatus cap. 15. Breuiarij, Proſper in Chronico, Euagrius l. 1. c. 4. & paſſim alij.

Sexta Synodus Conſtantinopolitana, adulationis inſimulata eſt à non paucis, quod Iuſtinianum ἐν ἁγίοις poſt mortem vocauerit, & Theodoram Auguſtam τῆς θείας λήξεως, denominauerit. Cùm tamen Iuſtinianus (iuxta veriorem ſententiam,) hæreſi Apthardocitarum ſit immortuus, & à S. Nicetio Treuerenſi, literis ad eum datis, quæ extant inter Francicas, arguatur de Neſtorianiſmo; quanquam bonus Antiſtes procul poſitus, pro eadem videtur accipere Neſtorij hæreſim, & hæreſim Euthychetis; cuius poſterioris meliori iure inſimularetur Iuſtinianus cū à Monachis Eutychianis, per Theodoram incubuerit in conuulſionem Synodi Chalcedonenſis, quæ Eutychetem damnarat; actus in illud præcipitium, prætextu damnandi Theodorum, Ibam, ac Theodoretum in ea Synodo approbatos. Theodoram verò omni labe ſordidiſſe, & hæreſi immortuam eſſe, eſt exploratum. Perturpem ergo aſſentationem Iuſtinianus & Theodora, in ſexta Synodo donati ſunt prædictis titulis. Verùm hanc eſſe calumniam in VI. Synodum, inde deprehendi poteſt, quod hæ laudes non legantur in omnibus Codicibus ſextæ Synodi. Signum ergo eſt, interueniſſe manum Græcanicam adulteratricem. Alia huius nodi expeditio, peti poteſt ex iis quæ de *Sancti* ac *beati* titulis, aliquando etiam poſt obitum delatis hominibus impiiſſimis, pro vario apud varias gentes vſu diſputata ſunt in Apologia pro Valeriano cap. 10.

S. Bernardus ea ſcriptione, qua Eugenium quondam alumnum ſuum ad ſummi Pontificatus congruam adminiſtrationem

ſtrationem commouit, palpo & adulator habitus eſt nuperrimè, à quibuſdam ſub Politiciſmi larua, epicœnæ fidei profeſſoribus. Tam ſublimes namque Romani Pontificis agnoſcit prærogatiuas, vt non potuerit ſublimiores proferre. Itaque videri volunt ij quos referebam Cenſores, S. Bernardum indulſiſſe amori in Bernardum alumnum ſuum, ex Abbate S. Anaſtaſij Eugenium III. eique aſſentatum veneno laudis, (ſic Galba adulationem vocabat, pleraque effutiuiſſe, ſupra verum. At hæc, meraciſſima calumnia eſt, quam ne Caluinus quidem auſus eſt vomere. Is enim lib. 4. inſtit. cap. 11. §. 10. opus de Conſideratione à S. Bernardo inſcriptum Eugenio, adeò celebrat, vt dicat, veritatem ipſam in eo locutam videri. Neque verò ibi S. Bernardus, duntaxat ad lenocinandum Eugenio, prærogatiuas illas Pontificias quas iſti faſtidiunt, depromit: ſed ſæpè alibi, agens cum iis quorum alioqui non intererat audire prærogatiuas Romani Pontificis. Videſis ſignantem varia eiuſmodi loca Sanderum l. 7. viſib. Monarchiæ à n. 813.

Petrus Bleſenſis ea Inuectiua, qua deprauatorem ſuorum operum caſtigauit, expoſtulat ſe per calumniam dictum eſſe *Adulatorem Principis*. Hoc ille probrum, ſic depellit. [Mentita eſt iniquitas ſibi. Spiritus Dei teſtimonium reddit ſpiritui meo, quia nunquam fui olei venditor; nec ſoleo magnates palpare in vitiis, aut laudare peccatorem in deſideriis animæ ſuæ. In Compendio meo ſuper Iob, in Epiſtolis meis in libro exhortationum mearum, Dialogo meo ad Regem Henricum, in tractatu meo de Hieroſolymitana peregrinatione, in libro meo de præſtigiis fortunæ, & in opere meo nouello de aſſertione fidei, in libro contra perfidiam Iudæorum, in libro de Confeſſione & Pœnitentia, & in eo qui Canon Epiſcopalis inſcribitur, & in quàmplurimis aliis ſcriptis meis, Regem veſtrum, & alios terræ Magnates, vbi materia ſe offert, plena libertate redarguo, ſollicitè ſuggerens, quicquid ad eorum ædificationem, citra inuectiuæ iniuriam, poteſt humana deuotio.] Epiſtola prima *ad finem*, conteſtatur Henricum II. Regem, ſe redarguturum eius opera; quia cùm mel adulationis in omni ſacrificio reprobetur; è contrario ſal mordax, vbique præcipitur adhiberi: idque ſe exquiſitè ſeruaturum profitetur. Per calumniam igitur, Bleſenſis, audiuit olei venditor.

Petrus Cottonus ex Societate Iesv, vir eximiis gratiæ ac naturæ dotibus præditus, ab homine nequam, famoſa ſcriptione appetitus, & probris omnibus oneratus eſt, eóque nominatim, quòd aſſentatione indigniſſima, dixiſſet malum bonum; ita vt carnis ſpurcitias, in Principibus labe carere docuiſſet, ſi eorum valetudo, releuari naturam ad eum modum, depoſceret. Erubeſco ad alienam infamiam, & tantam calumniæ malignitatem; quam tamen non puduit filios Belial, chartis illinere atque vulgare. Verùm Cottonus, vir ſanctitate & doctrina præſtans ab ea infamia tantùm abfuit, quantum calumniatores eius à ſana mente. Odor optimus, ac ſuauiſſima fama, qua ſemper apud omnes fragrauit, atteſtantur nitori eius hac in parte. Nam vt eſt apud Sapientem Prouerb. 24. in hanc ſententiam adductum à Bleſenſi Epiſtola 1. *in fine. Qui dicunt impio, iuſtus es; maledicent eis populi, & deteſtabuntur eos tribus: Qui arguunt eum, laudabuntur, & ſuper ipſos veniet benedictio.* Et verò non modò conſcientiæ deſperatæ, ſed etiam euerſæ prorſus famæ, oportuerit eſſe illum Conſcientiarum arbitrum, vel Moralium reſponſionum propolam, qui adeò infami aſſentatione ſe pollutum vellet. Quod enim ex ſe, & ſuapte natura, antecedenter ad iura quæcunque poſitiua

Digitized by Google

turpe eſt, non poteſt vllo ſanitatis tuendæ aut recuperandæ prætextu expurgari à fœditate; quantacunque ſit perſona, cuius valetudini per eam illuuiem conſulendum eſſet. Itaque viri ſancti, dato per infames Medicos conſilio, vt ad incolumitatem corporis, ſanitatem animæ per mortale peccatum in eo genere profligarent, maluerunt vitam diſcrimini obiicere; quod de Sancto Caſimiro Polonorum Regis filio, eſt proditum. Non igitur, niſi dæmon quiſpiam corporatus, eius nequitiæ autor fieri velit, illi qui ſuæ conſcientiæ arbitrium, ipſi commiſerit. Fundamentum porro huius calumniæ, quòd ſcilicet fœdatio corporis ſimul & animæ, poſſit ad corporis ſanitatem eſſe aliquando neceſſaria, euertit Scaliger adductus lib. 6. de Virtut. num. 170. & addendus qui idem latè verſat Michaël Medina lib. 4. de Continentia controuer. 4. cap. 18.

CAPVT XVII.

De Auerſo à piis & religioſis affectu.

NOn eſt leuis culpa qua quis à ſeruis Dei auertitur per odium, ſiue nuda voluntate conceptum, ſiue oblocutionibus aut factis expromptum. Id enim eſt ſãguinem effundere ſuper petram limpidiſſimam; quod Deus Ezech. 24. ad iniquitatis cumulum pertinere monſtrabat, interprete D. Gregorio 15. Moral. c. 15. Quò enim perſona eſt Deo acceptior illique coniunctior, eò violatio illius eſt terrior, nec niſi ab iis qui ex parte ſunt Satanæ, proficiſci poteſt. Quia verò Religioſi peculiari titulo ſunt Deo addicti, & Deus eos pro ſpecialibus filiis agnoſcit, habetque chariſſimos, idcirco qui ab eis affectu auertuntur, gratis vt fere fit ac ſine idonea cauſa, non leui labe ſe inquinant: nec fere alij ſunt quàm homines corrupti mente & quorum iniquitas antecedit ad iudicium. Talis fuit Iulianus Apoſtata, vt videre eſt oratione eius 7. & apud Baronium anno 592. Talis Zozimus hiſtoricus libro 5. Eunapius in Ædeſio, Valens, & Copronymus, de quo plenè in Actis Sancti Stephani Iunioris, & in Breuiario S. Nicephori. Inter Hæreticos minoris ordinis, Donatiſtæ ex D. Auguſtino in Pſalm. 132. Monachis fuere infenſiſſimi, & VVicleffus apud Valdenſem Tomo 2. titulo 9. præſertim à cap. 83. Non debet mirum videri, tam maligna capita abhorruiſſe à Religioſis hominibus. Illud eſt longè dignius admiratione, quòd plerunque Catholici quoque; nec qualeſcunque ſed ipſi etiam gregis Chriſti Duces, audiuerint hoſtes Religioſorum. Tales Antiſtitum non pauci adunati in Concilium Calnæ apud Anglos, vt ſcribit Matthæus VVeſtmonaſter. anno 975. vindictam in eos diuinitus exertã ſubita ſolarij prolapſione deſcribens. Talis Petrus Hiſpanus, & ipſe domus ruina oppreſſus, vt ſcribit Ptolomæus Lucenſis anno 1277. & Benedictus XII. ex ira in Ord. Prædicatorum vita functus, vt ſcribit Leander l. 1. de viris illuſtr. ſui Ordinis in Gerardo Domaro Generali 17. ſic deuocant in ſe diuinam iram, qui pupillam oculi Dei contingunt, & ſeruos Dei, factis aut verbis lacerant. Nam vel ſolis verbis violare huiuſmodi perſonas, graui ſcelere non vacat, vt S. Chryſoſtomus egregiè tradit, initio libri primi contra Vituperat. vitæ Monaſt. è contrario autem Religioſorum fautores & amicos, bona innumera conſequuntur, vt docet idem ſanctus Chryſoſtomus homil. in Epiſtol. ad Philipp. ad illud, *ſuper communicatione.* Quod ſi Religioſus quilibet; & ſanctus eſt & magna edit miracula, vt S. Bernardus affirmat ſerm. 6. de Aſcenſ. nefarium

&

& quaſi ſacrilegum videri debet, in Religioſos incurrere, vel malè erga eos affici, & animo ab eis auerti. Notati ſunt huius probri per calumniam, magni aliquot & ſancti viri.

[S. Hieronymus, oſor & lacerator Ordinis Monaſtici ſuo tempore eſt habitus. Hoc ipſe variis locis refert, necnon Seuerus Sulpitius dialog. 1. qui S. Hieronymum, ſibi de facie cognitum in Bethleemitica ſede vbi Sanctus Doctor agebat Parochum magnis laudibus exollit in Poſthumiani ex Oriente rum primùm regredientis perſona. Sed à Gallo collocutore tanquam vehementiſſimus Monachorum vexator & reprehenſor notatur: nominatim quoad Monachos inſimulaſſet edacitatis, dixiſſetque eos ad vomitum vſque ſolitos ſatiari. Cúmque Seuerus inſtaret, an id vnum ſugillaſſet in Monachis S. Hieronymus: [Imò verò (inquit Gallus, nihil penitus omiſit quod non carperet, laceraret, exponeret; præcipuè auaritiam, nec minùs vanitatem inſectatus eſt. Multa de ſuperbia, non pauca de ſuperſtitione diſſeruit. Verè fatebor, pinxiſſe mihi videtur vitia multorum. Cæterum de familiaritatibus Virginum & Monachorum, atque etiam Clericorum, quàm vera quàm fortia diſputauit? Vnde à quibuſdam quos nominare nolo, dicitur non amari.] En cauſam cur S. Hieronymus audiuerit oſor & lacerator Ordinis Monaſtici, quia ſcilicet vitia Monachorum & quorumuis ſacrorum hominum, liberè & intrepidè ſugillabat.

Verùm hæc ipſa ſatis eſſe poſſunt ad huius calumniæ diſiectionem. Qui enim carpit vitia in ſtatum alioqui ſanctum irrepentia, non eſt idcirco cenſendus odiſſe ſtatum, eumue lacerare: alioqui Chriſtus Dominus dicendus fuiſſet odio habere Synagogam, quia Scribarum & Phariſæorum qui ei præerant, incompoſitos mores, & degenerationes à Moſis doctrina & inſtitutione non diſſimulabat, S. Stephanus qua eſſet in Iudæos ſuos charitate, monſtrauit in vitæ exitu, qui tamen dura & forti oratione eorum vitia perſtrinxit; ac in illos piè & ex charitate ſæuiit, vt S. Auguſtinus admonuit. In ipſos hæreticos aſperè agens S. Chryſoſtomus orat. de S. Phoca, conteſtatur ſe non perſonam ſed errorem inſectari. Idipſum ergo faciebat in notandis ſacrorum hominum vitiis S. Hieronymus: qui proinde non oſor vel lacerator ſacri ſtatus, ſed hominum ſacrum ſtatum dehoneſtantium curator audire debuit, & verò audiuit apud probos quoſque. Sic enim de eo apud Sulpitium Poſthumianus. [Apud Hieronymum ſex menſibus fui: cui iugis aduerſus malos pugna, perpetuúmque certamen, conciuit odia perditorum: Oderunt eum Hæretici, quia vitam eorum inſectatur & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur & diligunt.]

S. Bernardus habitus eſt Cluniacenſium hoſtis, dum zelat pro domo Dei, & pro S. Benedicti inſtitutis, & euellere ſatagit abuſiones inductas. Ex quo eius zelo concitatum eſſe ſcandalum, ſignificauit ipſi S. Bernardo Gulielmus Abbas S. Theodorici, vt habetur ex literis ad eum præfixis Apologiæ, necnon ex ipſius Apologiæ propè initio, vbi S. Bernardus ita affatur Gulielmum Ordinis S. Benedicti Abbatem. [Quomodo ſilenter audire poſſum, veſtram huiuſcemodi de nobis querimoniam, qua ſcilicet miſerrimi hominum, in pannis & ſemicinctiis; de cauernis (vt ait ille,) dicimur iudicare mundum: quodque inter cætera intolerabilius eſt, etiam glorioſiſſimo Ordini veſtro derogare, ſanctis qui in eo laudabiliter viuunt impudenter detrahere; & de vmbra noſtræ ignobilitatis mundi luminaribus inſultare?] Ita quidem vulgus Cluniacenſium de S. Bernardo cenſebat. Quanquam Petrus Cluniacenſis, qui omnibus à S. Bernardo reprehenſis

 accuratè

Digitized by Google

accuratè ac ſigillatim reſpondet, videtur potiùs culpam regerere in vulgus Ciſtercienſium. Non obſcurè tamen, S. Bernardum credulitatis iuſto maioris inſimulat, id quod etiam apertiſſimè facit alia ad eum Epiſtola pro Monacho Cluniacenſi in Lingonenſem Epiſcopum electo. Et eadem nota S. Bernardum inurit Philippus Abbas epiſt. 11.

Quicquid tamen ſit de S. Bernardi facilitate in credendo, quæ non rarò piis viris omnes ex ſuo genio æſtimantibus obrepit; quòd attinet ad labem auerſi à Cluniacenſibus animi in qua verſamur, S. Bernardus omninò purus eſt. Non enim ſi quæ reprehendit verè reprehenſione digna, ex hoſtili aduerſus Cluniacenſes affectu ea ſugillauit: nec rectè qui ex eo ordine erant, appetitum à viro ſancto ordinem ſuum exiſtimare potuerunt, qui verè talia arguens pro ordine certabat. Ipſius S. Bernardi verba ex eadem Apologia, quæ præmittit recenſioni eorum in quæ ſtylum ſtringebat, rem conficient. [Pauca (inquit ad Gulielmum Abbatem,) quæ ex vobis diſplicere cognoui, & omnibus bonis vitanda eſſe non dubito, neceſſarium reor ſubiungere, quæ quidem & ſi fieri videntur in ordine, abſit tamen vt ſint de ordine. Nullus quippe ordo quippiam recipit inordinatum: quod verò inordinatum eſt, ordo non eſt. Vnde non aduerſum ordinem, ſed pro ordine diſputare putandus ero, non ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendens. Et quidem diligentibus ordinem, in hac re moleſtum me fore non timeo: quinimmo gratum procul dubio accepturi ſunt, ſi proſequimur quod & ipſi oderunt. Si quibus verò diſplicuerit, ipſi ſe manifeſtant quia ordinem non diligunt; cuius vtique corruptionem, id eſt vitia, damnari nolunt.]

Idem S. Bernardus, Præmonſtratenſium inimicus audiuit, vt intelligitur ex epiſtola 10. & 11. Philippi Abbatis Bonæ ſpei quæ ad ipſum S. Bernardum ſunt exaratæ paulò amarulentiùs. Nam intolerabiliter ab eo aggrauatam matrem in Chriſto ſuam Præmonſtratenſem Religionem expoſtulat, & in eius damnum contra iuſtitiam & charitatem à S. Bernardo factum contendit. Diabolo inter fratres diuidente, vt ex Oſeæ cap. 13. allegat. Expoſtulationis fundamentum vnicum profertur à Philippo admiſſus ex Præmonſtratenſi familia Clericus regularis intra Ciſtercienſem ordinem inuitis Præmonſtratenſium Præſidibus. Sunt quidem alia quibus ſe in particulari à S. Bernardo grauatum quæritur Philippus Epiſtola 11. Sed quòd hæc ad præſens inſtitutum non faciant, ea dimitto. Cæterùm S. Bernardus, non videtur inimicus Præmonſtratenſium haberi potuiſſe, cooptans ex eorum corpore vnum aliquem id expetentem, inter Clarauallenſes. Id enim & maior perfectio cooptati, & diuini honoris accrementum inde conſecuturum; ſatis honeſtaſſe videri poterant. Aliqualem verò offenſionem ex tenaciore prætenſi iuris ſui proſecutione, excitatam in Præmonſtratenſibus, abſterſam poſtmodùm fuiſſe, coniicere licet ex perhonorifico Epitaphio, quo idem Philippus S. Bernardini non ita multò pòſt vita functi, memoriam celebrauit. Legitur inter eius carmina.

Petrus Bleſenſis Sancti Ordinis delator dictus eſt, ab eo Canonico Regulari, quem ſuorum operum deprauatorem dixit, & integra lucubratione caſtigauit. Hoc videri poſſet facere non inueriſimile, quod Bleſenſis, Ioanni Sariſbérienſi operam in literis dederit, cuius remiſſum (ne auerſum dicam,) affectum erga religioſos, facilè eſt in eius Polycratico & variis epiſtolis deprehendere. Nihil autem procliuius, quàm vt diſcipuli Magiſtrorum quos venerantur & colunt, affectus combibant. Quidquod ipſe Bleſenſis, in ea de qua agimus Inuectiua, nonnulla

Digitized by Google

nonnulla dixit quibus de Religioſis ſenſum abiectiorem prodidiſſe videtur, illudque inprimis. [Credo non minoris eſſe meriti, citra profeſſionis vinculum & aſſumptæ neceſſitatis angariam, ſimpliciter ambulare cum Deo, & cuſtodire vas ſuum in ſanctificatione & gratia, ſuáſque manus à ſordibus munerum excutere; quàm detrectare onus impoſitum, & luctari cum obedientiæ iugo. Religio munda & immaculata hæc eſt, cuſtodire ſe immaculatum ab hoc ſeculo, & ſe in operibus miſericordiæ iugiter exercere.] Quæ verba apertè præferunt, quo loco haberet Bleſenſis, Religioſum ſtatum, cuius merito coæquare non dubitauit ſtatum ſecularem votis ſolutum. Cùm tamen S. Thomas Opuſc. 18. c. 12. hæreticum cenſeat, affirmare, ſolutionem à votis eſſe meliorem.

Nihilominus Bleſenſis ipſe, calumniam ſe hac in parte paſſum conteſtatur, eo inſigni de Religioſis iudicio. [Vitam Religioſorum quorum diuerſæ ſunt ſpecies, (polymita eſt enim tunica Ioſeph, & circumamicta varietatibus ſponſa Chriſti;) tota cordis affectione veneror, ipſorúmque pedes, brachiis deuotiſſimæ humilitatis amplector. Scio enim quia præ cunctis ſecularibus & Clericis & laicis, tantò differentiùs virtutum titulos referunt, quantò impreſſioribus veſtigiis, Apoſtolorum regulis inhæſerunt. Ipſi in humilitate, hoſpitalitate, obedientia, charitate & cæteris, quibus regnum Dei rapitur ac poſſidetur, indefeſſa ſollicitudine ſe exercent. Hi carnem deprimunt, ſpiritum erigunt, vitam in terra ducentes Angelicam, Chriſto militant in tenuitate ciborum, in aſperitate veſtium, in vigiliarum excubiis, in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, in confeſſionibus, in diſciplinis & lachrymis, in cœleſtium ſuſpiriis, in ignitis compunctionibus, in iubilationibus arcanis, in exceſſibus mentis, dulcibúſque ſuſurriis, in quibuſdam gloriæ cœleſtis experientiis, in amplexibus ſponſi.] Illud ergo vnum, (vt ſtatim addit,) ipſi in Religioſis diſplicebat, quod inter eos aliqui balſamum glorioſæ opinionis fuſum à cæteris, odore mortis inficerent. Id quod etiam cauſatur ad locum qui in contrarium allegabatur; vbi tamen diſertè profitetur ſtatum Religioſum, longè ſeculari anteferendum.

Thomas Cantipratanus, quod liberiùs ſtrinxiſſet calamum in abuſiones quorundam Monaſteriorum, inimicus habitus eſt iis quibus verum dicebat, ſorte cum Apoſtolo communi. Refert ipſe præter cætera loca lib. 2. Apum. c. 12. hæc de ſe iactata. [Quis eſt iſte qui poſuit os in cœlum; & ad arcam fœderis, etiam inclinatam, manum indignus extendit! At vir intrepidus, fidenter in hæc verba ibidem erumpit. [Iraſcentur fortè mihi, ſed non Dominus, cuius vices ſemper dolui & dolebo; pro cuius veritate & iuſtitia, vtinam dignus eſſem membris omnibus diſſipari. Scio tamen quicunque quantuſcunque ex his ſcriptis indignabitur, ſe debitæ reprehenſioni obnoxium indicabit.] Sane iniuria, & omnino per calumniam haberi hoſtem Ordinis, qui ex zelo diuini honoris ſubnaſcentes defectus corripit, debet eſſe extra dubium. Idque Philippus Abbas l. de continentia Clerico. c. 89. excuſauit, allegatis D. Gregorio & D. Hieronymo, qui tametſi Monachi fuerant, nec odio ſtatus Monaſtici ferebantur, ſed eum impenſè diligebant; tamen Monachorum vitia, quibus ſacro Ordini inurebant maculam, non liuoris (vt ait) toxico, ſed zelo iuſtitiæ, ſcriptis liberrimis coërcuerunt.

Petrus Ioannes Oliui Ordinis Minorum, quòd zelo diuini honoris, & ſtudio puritatis Ordinis ſui, in gliſcentes abuſiones fuiſſet animoſior, inter hoſtes Ordinis recenſitus, & omnibus infamibus notis reſperſus eſt, domeſticorum contentione; quod multò magis mirandum

Mm 3 eſt,

eſt, quàm quòd ab externis, Eymerico, Prateolo & aliis proſciſſus legatur. Vbertinus de Caſalis forti Apologia eum eſt tutatus, & per calumniam, maximè domeſticorum, eſſe grauatum demonſtrauit; id quod etiam nuper Lucas Vadinghus ad annum 1297. à num. 33. diligenter firmauit. Aſtipulabitúrque, quiſquis defenſionem quodlibetis eius ſubiectam, aduersùs ſeptem Theologos Pariſienſes eiuſdem Ordinis, (inter quos Richardus de Media Villa,) cenſuram inofficioſam dictorum eius perlegerit. Inde enim perſpicuum eſt, pleraque eius dicta tanquam hominis in eo ordine exoſi, detorta, & contra quàm mens Autoris ferebat, ſiniſtris interpretationibus in ſenſum peruerſum accepta eſſe. Formam verò iudicij in eius Apologiæ initio, ipſemet expoſtulat fuiſſe prorſus inhumanam, & omnibus iuribus aduerſantem: quandoquidem neque citatus, neque auditus, infamante ſententia perculſus eſt. Et cùm à ſuperioribus expeteret agendi cum Cenſoribus & dicta ſua exponendi facultatem, repulſam præciſè tulit, vt ipſe ibidem recitat. Nimirum qui ſemel inter domeſticos, auerſus affectu ab ordine erat habitus; quia turpi lucro ex ſepulturis captatis aduerſabatur, nec cupiditati aliquorum domeſticorum velificabatur; indignus viſus eſt qui audiretur, aut pro ſe ſatisfacere permitteretur. Exemplo quod alicubi poſterioribus temporibus, imitatione expreſſit non nemo. Quiſquis enim in Religioſis Ordinibus, pro puro ſpiritu à Fundatore immiſſo ſtare in animum induxerit, nec ſeruiliter abblanditi amantibus primatum gerere, fixum habuerit; (Tyrannos rotundè vocant Iſidorus Peluſiota l. 2. epiſto. 125. & 234. & Ioannes Sariſber. l. 6. c. 28. & l. 7. polycr. c. 24.) illicò vt hoſtis Ordinis & reus maieſtatis traducitur. Hoc Per. Ioannes Oliui expertus eſt, & ſuperſtes & iam fato functus, etiamſi quædam ab eo per errorem materialem eſſe prolata, inficiari non ſit animus.

CAPVT XVIII.

De Ingratitudine.

Labes ingrati erga benefactorem animi, teterrima eſt ac probroſiſſima. Quod plenè exequuntur Lilius Gyraldus peculiari lucubratione de hoc argumento, Carolus Paſchalius in Cenſura animi ingrati, Ioannes Antonius Campanus libris tribus de fugienda ingratitudine, & multi antiqui adducti lib. 4. de virtut. à num. 154. quorum iudicia paucis verbis complexus eſt Publius Mimus ea ſententiola: *Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris.* Ipſe Spiritus Sanctus in ſacris libris, ingrati fidem non ſecus ac hybernalem glaciem fore tabefaciendam confirmauit, & diſperituram dixit velut aquam ſuperuacuam. Quibus comparationibus Salomon Sap. 16. fluxam ſpem & prorſus exinaniendam ingrati expectationem eſt conteſtatus. Affricuerunt hanc tetram labem Sanctis quibuſdam aut magnis viris, per calumniam aliqui, quos relaturus ac repulſurus venio.

S. Ioſeph, ab impuriſſima hera pellectus, & propè vi abſtractus ad flagitium, cùm conſtanter virtuti adhæſiſſet, accuſatus ab ea eſt ingratitudinis apud Maritum. Sic enim de ea accuſationem præoccupante, Ioſephus l. 2. Antiq. c. 3. [Ne viuas marite, ni ſceleſtum ſeruum, cubile tuum violare conatum, digna pœna mulctaneris; oblitum & qualis in ædes noſtras venerit, & quanta beneuolentia ſit à te complexus: qui ingratiſſimus habendus, ni omnibus modis fugi ſe approbaret; ne à coniugio quidem tuo iniuriam abſtinuit, idque die feſto, obſeruata abſentia tua: vt facilè appareat, modeſtiam

ſtiam quam priùs præ ſe ferebat, ab herili metu, non ab indole rectâ profectam.] Fruſtra docerem, hanc fuiſſe vaniſſimam calumniam: cum è contrario, Ioſeph præ ſumma in herum gratitudine, conſtanter renuerit curioſus explorator eſſe alienæ voluptatis, à muliere virum vltrò rapiente ingeſtæ. Scriptura ſiquidem diſertè meminit, Ioſephum inter repellendam heram, allegaſſe quantis nominibus eſſet viro eius obſtrictus; & conteſtatum eſſe, non poſſe ſe in Dominum adeò benè de ſe meritum peccare. Calumnioſè igitur, à ſpurca hera, notatus eſt ingratitudinis.

S. Sebaſtianus, vt eſt in eius Actis iam olim conſcriptis, delatus ad Diocletianum quod Chriſti ſacra ſuſcepiſſet, à Diocletiano ſeuocatus eſt, ac inſignis ingratitudinis inſimulatus, quod cùm inter primos habitus ſemper fuiſſet in palatio, & acceptiſſimus ſemper Imperatori extitiſſet, tamen ingratiſſimè eum habuiſſet, adiens Chriſtianorum ſacra, quæ ipſe Imperator cane peius & angue odiſſet. Hæc tamen non erat S. Sebaſtiani ingratitudo, ſed rabies Diocletiani. Neque enim ingratus eſt homini, qui ſtudet gratus eſſe Deo: quod facit qui omni ſpurio cultu ablegato, ex animo capeſſit Chriſtiana ſacra, vt faciebat ſanctus Sebaſtianus. In humanis non haberetur ingratus patri aut hero, quantumuis benè meritiſſimo, filius aut ſeruus, qui in gratiam patris aut heri, tenueret euertere Rempublicam & nefarium quippiam ſuſcipere. Nimirum quia obligatio referendi beneficium, non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Multò magis igitur, nemo titulo gratitudinis erga hominem aſtringi poteſt, ad afficiendum iniuria Deum, cui inexpedibiliter & inadæquabiliter, ſupra omnes obſtricti ſumus, innumeris ac fundatiſſimis titulis.

Iuſtinianus Imperator à Volaterrano l. 23. Antropolog; & à Crinito l. 9. de honeſta diſcipl. c. 6. aliiſque nonnullis quos Baronius anno 561. nec probat nec improbat, ſummæ in Beliſarium ingratitudinis inſimulatur, eò quòd tantum Ducem, poſt Gotthorum & Vandalorum Reges captos & ſubiectos, poſt domitos Perſas, poſt immenſa bona & decora Iuſtiniano & imperio conciliata, luminibus priuatum, omnibus exutum facultatibus, ad ſtipem à prætereuntibus colligendam adegerit, nulla vel perexigua de cauſa. Sed hanc eſſe inanem calumniam, nec Beliſarium etiamſi ſuſpicionibus poſt triumphos grauatum, deueniſſe in eum ſtatum qui propoſitus eſt, diligenter proſequuntur Alciatus l. 4. parergon c. 24. & Franciſcus Fernandius in Didaſcalia multiplici cap. 14. Nihil ſanè apud antiquos de ea tragœdia legitur, etiamſi aliqui Iuſtiniano infenſi, reliqua eius probra non diſſimularint. Tantùm poſteriores aliqui, ad calamitates quibus Beliſarius inuolutus eſt, ſaltem ad tempus, (non enim conſentiunt veterum de eius reſtitutione teſtimonia;) ex ſuo cerebro exoculationem ac mendicationem Beliſarij factam à Iuſtiniano adiunxerunt. Et fortaſſis mendicationem ad quam redactus eſt ſub eodem Iuſtiniano Ioannes Cappadox, Conſul quondam & Præfectus Prætorio, (vt Procopius in belli Perſici hiſtoria prodidit,) aliquis otioſè ad Beliſarium tranſtulit.

CAPVT XIX.

De Principis odio & inhonoratione.

VEntum eſt ad calumnias, de probris perſonam publicam vel communitatem ſpectantibus. Quas inter, ordior ab odio, vel remiſſiore amore, aut inhonoratione Principis. Sunt hæ maculæ omnino fœdæ, & admetiendæ ad obſeruantiam Principi debitam, de qua latè

lib. 4.

lib.4.de virtut.à num. 415. ex eo præſertim, quod Princeps ſe habeat ad ſubditos, vt Dei Vicarius. Quò reducitur, quod paſſim apud Symmachum, & in Iure, quæcunque ad Principem pertinent, dicuntur *cœleſtia*. Vt *cœleſtis oratio*, pro oratione Principis apud Symmachum l. 1.epiſto. 7. & *cœleſtia iuſſa*, *vel ſtatuta vel præcepta* l.10.epiſto.37.& l.5. epiſto. 50.& l.4.epiſto.48. Apud S.Auguſtinum in Collat. 1. diei c.25. memorantur *conſtituta cœleſtia*, id eſt Principis decreta. In Collat. diei tertiæ c.58. vocatur *cœleſtis ſanctio*. Simili loquendi modo, in Cod.l. 2.de Caſtrenſ.dicitur quis, *cœlitus gradum impetrare*. Et in Cod. Theodoſ.l. penult. de Palat. Sacr. largit *conſuetudo cœlitus deputata*, eſt conſuetudo inducta per Principem. Itaque obloqui de Principe, eſt ponere in cœlum os ſuum, & labe planè tetra ſe inquinare, vt benè proſequitur Sarisber.l.6.polycrat.c.27. & Petrus Bleſenſis epiſto. 40. ac Camillus Borellus l. 3. de Magiſtrat.cap.5. Per proportionem autem ad maculam oblocutionis; de aliis in Principem inhonorationibus, aut remiſſiore honore vel amore qui inter iniurias recenſentur, ſtatui facilè poterit. Calumnias hac in parte varias, ſuſtinuerunt Sancti Dei, quarum nonnullas attingo.

Naboth ſiue Nabuthes, quòd tenax paternæ hæreditatis, Regiam cupiditatem fruſtratus eſſet, arte impiæ Iezabelis per calumniam oppreſſus eſt 3.Reg.21. Oppreſſionis verò iniquæ capita fuerunt, *benedixit Deum & Regem*. Vbi benedictio, per antiphraſim pro maledictione ponitur. [Ne diuitem maledicti nomen offendat, & ſermonis ipſo lædatur ſono, benedictio pro maledicto vocatur;] ait ſanctus Ambroſius l. de Nabuthe c. 11. Exemplum eſt omnino luculentum, facilitatis qua Principes opprimunt infimos per calumniam, omnibus ad eorum nutum ſe fingentibus, etiamſi immanis in Deum ac proximum innoxium iniuria, ſit admittenda. Sed Deus vltor à tergo, iniquitatem qua Naboth oppreſſus eſt, horrendo ſupplicio repoſito caſtigauit, vt capite illo 21. videre eſt, iuncto cap. 22. vbi ea pœna mandatur executioni, quoad ſanguinem ipſius Achab, quem canes linxiſſe referuntur. Quòd autem denuntiatio pœnæ ferebat, de poſterioribus Achabi demetendis, videtur accipiendum de 70. filiis Achab. [Vide quomodò retributio, peccato par; (inquit ſanctus Chryſoſtomus hom. de Adam & Achab.) Filij, *inquit*, Achab erant, ſeptuaginta viri, & occiderunt ſeptuaginta, & poſuerunt capita eorum in corbes, & miſerunt eos in Iezrahel. Profectò iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. In Iezrahel Nabutha occiſus eſt, in eundem locum, occidentis genus occiſum, miſſum eſt in ſportis. Achab Nabuthæ peccauit, botris aliquibus in corbes coniectis.]

Chriſtiani ſub Seuero, tanquam minùs benè erga Principem affecti, nec teſtimonia lætitiæ de victoriis Imperatoris præbentes, qualia præbebant Ethnici, nec Diis ſacrificantes pro Imperatore, calumniam paſſi ſunt inhonoratæ ac læſæ Majeſtatis; in qua refellenda, Tertullianus & accuratus & fortis eſt in Apologet.à cap. 28. ad 46. Breuiùs & quantum huic loco ſatis ſit l. ad Scapul. c. 2. [Circa maieſtatem, (inquit,) Imperatoris infamantur, tamen nunquam Albiniani, ne Nigriani, vel Caſſiani, inueniri potuerunt Chriſtiani: ſed ijdem ipſi, qui per Genios eorum in pridie vſque iurauerunt, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant & vouerant, qui Chriſtianos ſæpè damnauerant, hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, ne dum Imperatoris: quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, vt & ipſum diligat & reuereatur & honoret, & ſaluum velit, cum toto Romano imperio, quouſque

ſeculum

Digitized by Google

ſeculum ſtabit: tandiu enim ſtabit. Colimus ergo & Imperatorem ſic, quomodò & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt. Sic & ipſis Diis maior eſt, dum & ipſi in poteſtate ſunt eius. Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius; ſed quomodò præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus conditor vniuerſitatis, odoris, aut ſanguinis alicuius. Hæc enim Dæmoniorum pabula ſunt Dæmones autem non tantùm reſpuimus, verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notùm eſt. Ita nos magis oramus pro ſalute Imperatoris, ab eo eam poſtulantes, qui præſtare poteſt.]

S. Euſtathius Antiochenus, vir & doctiſſimus, & fidei propugnatione illuſtriſſimus; ab Arianis cùm alias fœdas calumnias ſuſtinuit, de quibus ex parte ſuprà eſt actum, cùm de impuritate ſacrilega in viris; tum illam nominatim, quòd matrem Conſtantij Imperatoris, haud ſatis integræ famæ fœminam, dicto de ea verbo malo violaſſet. Sed S. Athanaſius Epiſto. ad ſolitar. vitam agentes *ſub initium*, veram huius calumniæ ſtructuram, & per quos ac quorſum conflata eſſet, ſic aperuit. [Omnes certè apud illos ſordibus ſcatent, & eorum Cataſcopi hoc eſt exploratores, cùm minimè ſint Epiſcopi, longè maculoſiſſimi ſunt. Quòd ſi quis apud eos Epiſcopus eſſe velit, non illi occinitur, *Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem*: Sed hoc illi dicitur, ſentias contrà Chriſtum, nec de moribus tuis ſis anxius. Id enim tibi ſufficit ad commendationem, & ad Principis amicitiam. Ita reuera agitur cum iis qui Arianicè ſentiunt. Contra veritatis æmulatores, tametſi ſancti, tametſi puri appareant (quemadmodùm dixi,) rei ſunt, quum illis libuerit, quum eam quam volunt, cauſam finxerunt. Et hoc ex eorum calamitatibus perſpicere licet. Fuit quidam Euſtathius Epiſcopus Antiochiæ, vir confeſſione clarus, & religione pius, quem magno ſtudio pro veritate ſtantem, & Arianam hæreſim odio proſequentem, auerſantémque homines Arianicæ opinionis, ita apud Conſtantium ficta calumnia accuſarunt, quaſi in matrem principis contumelioſus fuiſſet: Nec morâ, in exilium eijcitur, & cum eo ingens turba presbyterorum & diaconorum.]

S. Ioannes Chryſoſtomus, vt ſcribit Leo Sapiens in viri ſancti Encomio, cùm pro concione, vniuersè & in communi diſputaſſet de fœminarum malitia, calumniam paſſus eſt, quòd ea vniuerſa diſputatio, Eudociam Arcadij coniugem ſub ænigmate impeteret. Structa item eidem calumnia eſt, ſimili ex cauſa, cùm Seuerianus Epiſcopus Gabalorum, & Antiochus Ptolemaidis, & Acacius Berœenſis, infenſi aliis quiſque ex cauſis Chryſoſtomo, & putantes ſe dictos ab eo *ſacerdotes Baal qui comedebant de menſa Iezabel*, in eius exitium coniurarunt. Rem ſic breuiter complexus eſt Metaphraſtes in ſancti viri Actis. [Non multùm interceſſit temporis cùm partem quandam libri Regum, diuinæ ſcilicet ſcripturæ, cùm vſus poſtularet, contexens magnus Ioannes, inſtitutæ orationi, concionatus eſt in Eccleſia. Ea autem ita ſe habebat, *Congregate ad me omnes ſacerdotes dedecoris, qui comedunt menſam Iezabel*, vt dicam eis ſicut dixit Elias: *Quouſque claudicabitis virisque poplitibus veſtris? Si Baal eſt Deus, ambulate poſt ipſum. Si autem Iezabel quoque menſa, ipſa eſt Deus, comedentes euomite.* Hinc illi ſapientes in malitia, cùm verba quædam tanquam arma apprehendiſſent, & validum auxilium, accedunt ad Arcadium, duce huius improbæ ſynagogæ Theophilo; alia quidem addentes, alia autem perperam ex-

Digitized by Google

ponentes. Dicebant verò viri egregij & facilè perſuadebant, ſe quidem dictos fuiſſe *ſacerdotes dedecoris*, reuera enim erant: Imperatricem autem eſſe apertè *Iezabelem*. Hinc factum eſt, vt Imperatoris quidem in magnum Ioannem cederet reuerentia, & deſiderium tranſiret in dolorem; datúrque præda viris improbis.

Theognoſtus Conſtantinopoli illuſtris, ab homine Arriano accuſatus eſt, quòd Arcadio & Eudoxiæ clàm maledixiſſet. Calumniatori res ceſſit ex optatis. Nam & vniuerſa Theognoſti bona in fiſcum redacta ſunt, & ipſe in exilium Theſſalonicam relegatus; quo cum ferè perueniſſet, exceſſit è vita. Vxor Callitrope in tot ærumnis afflictiſſima, adiuit ſanctum Chryſoſtomum, à quo benignè excepta, & nonnullo ſubſidio adiuta eſt non abſque ſenſu magno commiſerationis. Vnde occaſio enata ſimilis calumniæ aduersùs ipſum ſanctum Chryſoſtomum concinnandæ, ac eius quæ Theognoſtum oppreſſerat. Erat miſeræ viduæ vinea, in quam fortè ingreſſa Eudoxia, carpto botro pro illius temporis abuſione, vt in quemcunque locum pedem intuliſſent Imperatores & de fructu eius guſtaſſent, eo confeſtim exuerentur priuati Domini, ſuam deinceps fore vineam eſt profeſſa. Mentio eſt eiuſdem abuſionis in Actis S. Epiphanij 12. Maij §. *de agro viduæ*. Metaphraſtes tamen in ſancti Chryſoſtomi vita, notat, vel alium agrum cum agro occupato permutari ſolitum, vel annumeratum iuſtum pretium. Eam iniuriam iam omnibus mariti bonis ipſóque marito ſpoliatæ, atque adeò mœrentiſſimæ viduæ irrogatam, acerbè ferens ſanctus Chryſoſtomus, dum fortiùs ac liberiùs quàm Eudoxiæ arrogantia ferebat, pro vidua agit, homo oblocutor & linguæ intemperantis ac effrenis audiuit, (vt ibidem recitat Metaphraſtes,) & tanquam Maieſtatis violator, iræ Principis eſt obiectus.

Acacius Conſtantinopolitanus, quo tempore ſapiebat, (nam poſtea deſipuit,) agens conſtanter pro retinenda fide Catholica aduersùs Baſiliſcum Tyrannum, quem S. Daniel Stylita vt habent eius Acta, *nouum Diocletianum* denominauit; ab eodem impio & nominis ſui menſuram implente, cùm aliis calumniis appetitus eſt, tum ea nominatim, quòd maledictis figeret Imperatorem, eíque inureret probra. Cùm enim Acacius, & reliquus cœtus Epiſcoporum, de periculo Catholicæ fidei ab impio Tyranno, commonuiſſent S. Danielem, & Baſiliſcus ſibi timeret à meritis S. Danielis, quem ſciebat gratioſiſſimum eſſe apud Deum; anteoccupans redargutionem à viro ſancto manaturam, ſcribit ad eum, iuſtum eſſe vt potiùs ſuccenſeat Acacio, qui maledictis oneraret, & probris omnibus dehoneſtaret Imperatorem. [Quocirca oportet te, (aiebat,) precibus tuis opem Imperatori potiùs ferre, contra Epiſcopum.] Sed erat mera calumnia, pro qua S. Daniel tantas repoſuit verborum aculeatorum ſagittas, tantáſque calamitatum grauiſſimarum denunciationes, vt ne is quidem qui fuerat ad eum à Baſiliſco ſubmiſſus, auſus ſit ea inuidioſa legatione fungi apud ipſum Baſiliſcum; ſed ſupplex rogauerit Danielem, vt ſcripto obſignato comprehenderet, quæ volebat renuntiari Imperatori. Ad quem denique acceſſurus S. Daniel, columnam ad tempus deſerens, ſicut Chriſtus de cœlo deſcendit ad ſubleuandos nos, impium & virulentiſſimum Baſiliſcum, non auſum coram ſancto comparere, & calumnias queis Acacium grauauerat coram comprobare, ad ſeceſſionem compulit.

Epiſcopi & Sacerdotes Afri ſub Geiſerico Vandalo, Arriano crudeliſſimo, calumniam paſſi ſunt, quòd ipſi obloquerentur. Victor Vticenſis l. 1. perſec. Vandal. eò vſque progreſſam calumniandi pruriginem docet, vt inter cohortandum

vel

vel agendum ad populum, Catholici Oratores eſſent intutiſſimi. [Nam & diuerſæ calumniæ (inquit) non deerant quotidie, etiam illis Sacerdotibus qui in his regionibus verſabantur, quæ regiones palatio tributa pendebant, & ſi forſitan quiſpiam, vt moris eſt, dum Dei populum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Holophernem, aut aliquem ſimilem nominaſſet; obijciebatur illi, quòd in perſonam Regis iſta dixiſſet, & ſtatim exilio trudebatur.] Genus eſt calumniandi virulentiſſimum, & tamen non infrequens, etiam apud Catholicos Auditores; à quibus plerunque, voces Eccleſiaſtis obtorquentur ad omnino alium ſenſum, & calumniam ſuſtinent violati voluntate alicuius, quem planè ignorabant. Nuperrimè ſanè quidam hîc in ſimplicitate ſua differens de peccatoris aduerſùs Deum rebellione, grauiter notatus eſt, quaſi ea inſectatione rebellionis in Deum perſtringere voluiſſet tunc maximè feruentem cuiuſdam prouinciæ haud ita procul hinc abiunctæ rebellionem, de qua Tractatori vt ageret, nullo modo in mentem venerat. Sed in hoc genere pruriginoſa ingenia ſuſpiciones ſuas vendunt pro expreſſis & ſolidis veritatibus.

S. Maximus Monachus & Martyr, Heraclij Imperatoris nepotem Conſtantem, Typi Autorem, odio habuiſſe, & verbis malis inſectatus eſſe dictus eſt; vt conſtat ex collatione eius cum Principibus in Secretario, vbi Sacellarius Imperatoris inde auſpicatur collationem. [Exhibent eum in medium ſedentium Principum, & dicit eis Sacellarius cum irâ multâ & furore: Chriſtianus es? Et dicit: Gratia Chriſti, Dei vniuerſorum, Chriſtianus ſum. Et dicit ille: Non eſt verum. Reſpondit Dei ſeruus: Tu dicis, ſed Deus ſcit eſſe me Chriſtianum. Et quomodò, inquit, ſi Chriſtianus es, odio habes Imperatorem? Reſpondens Dei ſeruus ait, Et vnde hoc claret? Odium quippè mentis eſt occultus affectus, quemadmodùm & dilectio. Et dicit ei. Ex his quæ feciſti, cunctis factum eſt manifeſtum, quòd odio habeas Imperatorem, & Rempublicam eius.] Et aliquantò poſt, Theodorus gener Platonis Patricij, refertur inſimulaſſe ſanctum, ſubſannationum & muſſationum in Imperatorem. Idem S. Maximus, vt eſt in Collatione cum Theodoſio Epiſcopo Cæſareæ, incuſatus quòd Imperatorem vocaſſet Hæreticum; peſſimè ac ſæuiſſimè habitus & dehoneſtatus, pugnis, euulſionibus, ſputis fœdiſſimis, ad extremum lotio teterrimo fœdiſſimorum conuiciorum eſt perfuſus. Sic enim habet narratio. [Et cùm vix eis Epiſcopus vt quieſcerent perſuaſiſſet, rurſus ſederunt: & denis millibus iniuriis & maledictionibus inexcogitabilibus dehoneſtantibus eum, cum feruore multo & aſperitate, dixit Epiphanius: Dic malorum extreme, vorax ciuium, quaſi nos & ciuitatem noſtram, ſed & Imperatorem hæreticos habeas, hæc proſecutus es verba? Verè plus quàm tu Chriſtiani ſumus, atque orthodoxi.] Non dixerat S. Maximus quòd verè dicere potuerat, Conſtantem Imperatorem eſſe Hæreticum: ſed tantùm improbauerat Typum, nec iis qui à Romana Eccleſia abiuncti erant, communicare voluerat. Hoc apud palpones iſtos Aulicos, dictum eſt verbum malum & contumelioſum, prolatum in Imperatorem à S. Maximo.

Potho Abbas, apud Carolum Magnum accuſatus eſt à falſis & diſcolis fratribus ipſum inſimulantibus, quòd cùm orandum eſſet pro Imperatore receſſiſſet. Sed erat mera calumnia, quam diſpulit Adrianus I. ſcribens ad Carolum pro Pothone. Eſt Epiſtola 72. inter Epiſtolas Pontificum à Gretſero editas, vbi pluſcula de improbitate illorum Pſeudomonachorum, quærentium prætextus odiis in Præfectum ſuum.

Digitized by Google

SS. Theodorus ac Theophanes fratres, ab impio Theophilo Imperatore Iconomacho peſſimè habiti, duodecim Iambis in eorum vultu exaratis, qui in Actis horum SS. Martyrum referuntur, cùm reuera ob ſacrarum imaginum venerationem & fidei Catholicæ tenacitatem vexati eſſent, eo tamen prætextu præter cæteros dicti ſunt diuexati, quod morte Leonis Armeni Imperatoris Iconomachi, lætati eſſent. Hanc tamen fuiſſe meram calumniam, reſponſum Sanctorum prodidit. Tametſi enim Leone illo rugiente per Michaelem Balbum obtruncato, iuſta fuerat Sanctis Confeſſoribus & omnibus Catholicis lætandi cauſa, laxatio mox per eum omnibus à Leone ob fidem concluſis, & ſpe facta meliorum, quæ tamen haud ita multò poſt exaruit. Tamen negarunt Sancti, ſe lauaſſe manus in ſanguine peccatoris, eiúſue excidio eſſe lætatos, ſicut ferebat calumnioſa accuſatio.

CAPVT XX.

De proditione, ſeditionibus, & molitionibus in Rempublicam.

QVanti ſit publica tranquillitas, & quantoperè cuilibet communitatis membro debeat eſſe commendata, non eſt obſcurum: quandoquidem & priuatorum facultates, cùm res fert, huic fini inſeruire debent, & vitam ipſam in eundem finem profundi oportere, ſi neceſſitas exigat, eſt extra controuerſiam. Nimirum bonum totius, quantò auctius & maius eſt, tantò charius & prælegibilius eſt exiſtimandum. In huiuſmodi itaque adeò arctam & grauem obligationem incurſare, & ius adeò ſtrictum cõuellere, nõ poteſt videri noxa leuis, & qui ea labe ſordent, quæ ex huiuſmodi iuris violatione contrahitur, inter inſignes criminoſos recenſentur. Scriptura ipſa huius noxæ reos paſſim vocat λοιμὺς, ideſt *peſtilentes*. Sic Antiochus 1. Machab. 15. & ibidem Lucius Conſul Romanorum, epiſtola ad Ptolomæum Regem, factioſos & rebelles, qui in legitimum imperium malè aliquid mouerint, appellant *peſtilentes*. Quo item nomine Tertullus Acto. 24. B Paulum dehoneſtat, inſimulans eum molitionum in Rempublicam. *Inuenimus*, (ait,) *hunc hominem peſtiferum & concitantem ſeditiones*. Nec eſt inueriſimile, cathedram peſtilentiæ, (vel vt S. Hieronymus legiſſe videtur, *peſtilentium*,) memoratam Pſalmo 1. eòdem pertinere. Ac proinde ſi hoc probrum falsò imponatur, calumnia eſt grauiſſima; & tamen perfamiliaris. Nam quia autoritate publica fungentes, præ ſtudio communis boni cui inuigilant, ſunt eius ſtudioſiſſimi & tenaciſſimi, inde fit, vt ſuſpiciones vel minimæ, in eiuſmodi negotio appareant graues, quæ eſt accommodatiſſima ſementis calumniarum. Atque ita, non modò iam olim Philoſophi, & probi quique inter Ethnicos, calumniis hac in parte creberrimis patuerunt, vt oſtendo l. 4. de Virtut. à num. 421. poſt Senecam Epiſto. 73. ſed etiam Sancti Dei omnino multi, ex hac parte ſunt appetiti; Satana non ignorante, quàm non operoſus ex hac parte ſit incurſus, ad conuellendam pij cuiuſque tranquillitatem. Pauca ſelectiora exempla, reciſis innumeris adſcribam, cum ex veteri, tum ex Nouo Teſtamento.

[In antiquo Teſtamento, præcipui quique Prophetæ obedientes voci Domini, & annuntiantes iuſtitias eius, huic calumniæ patuerunt. Ieremia concionante cap. 38. & denunciante, voluntatem Dei ferre, vt Hebræi vltro ad Chaldæos migrarent, *Dixerunt Principes Regi; Rogamus vt occidatur homo iſte. De induſtria enim diſſoluit manus virorum bellantium qui remanſerunt in ciuitate hac; & manus vniuerſi.*

vniuerſi populi, loquens ad eos iuxta verba hæc: Siquidem homo iſte non quærit pacem populo huic, ſed malum. Amos 7. cùm Propheta concionem habuiſſet ad Iſraëlitas vitulorum cultores, & in verbo Domini eis varia comminatus eſſet, *Miſit Amaſias Sacerdos Bethel ad Ieroboam Regem Iſraël, dicens, rebellauit contra te Amos in medio domus Iſraël. Non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius.* Rebellio quam hic Pſeudoſacerdos adſcribit Prophetæ, Hebraicè ſonat congregationem & coitionem clancularium, ad euertendum Reipublicę ſtatū, vt S. Hieronymus eſt interpretatus. Quanquam, ſi ſimplicem verbi notionem retineamus, perinde erit ad præſens inſtitutum. Itaque Amos inſimulatus eſt molitionum in Rempublicam, & terroris iniecti ſubditis, ne Regi parerent, ſed ab eo deficerent. Elias 3. Reg. 18. vocatur *conturbator Iſraël.* Eſther 3. Aman vlturus generoſitatem Mardochæi, & refuſurus cladem in omnes Hebræos, inſimulat eos calumnioſè, quòd Regis iuſſa contemnerent. Imò cap. 13. in Epiſtola Artaxerxis ad omnes ſubditos nominantur, *Regum iuſſa contemnentes, & turbantes ſubiectorum pacem atque concordiam.* Vbiuis occurrunt in antiquo Teſtamento, in hanc rem exempla.

Chriſtus Dominus totius innocentiæ & ſanctimoniæ exemplar, hac in parte ſuſtinuit calumniam. Nam Lucæ 23. Iudæorum primores adeuntes Pilatum vt IESVM morti traderent, falsò & calumnioſè dixerunt Præſidi; *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Inuidioſè *Regis* nomen commemorant, vt ſuſpicionis plenum: quanquam ſi ſincerè egiſſent, eiuſmodi erat Chriſti regnum, vt non eſſet Pilato futurum odioſum. Præſide autem ad has calumnias, quas inuidiæ fœtus eſſe nouerat, parum commoto, ſubiunxerunt Iudæi: *commouit populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc.* Rurſus Ioan. 19. Pilato vrgente Chriſti liberationem, dixerunt Iudæi, *ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Frutex item erat huius calumniæ, verbum, pendenti in cruce à ſubſannantibus intortum; *ſi Rex Iſraël eſt deſcendat nunc.* Regem enim vocant, augendæ inuidiæ ex afficta tyrannidis affectatione, inſinuata per *Regis* nomen. Ex his ſatis liquet, Chriſtum à perfidis Iudæis factum eſſe reum maieſtatis. Ex genere ſupplicij irrogati idem optimè confirmat Lipſius l. 1. de Cruce cap. 14. At hæc quanta fuerit calumnia, ne Pilatus quidem ignorauit: quem Euangeliſta diſertè prodit ſciuiſſe, *quòd per inuidiam tradidiſſent eum.* Agnouit igitur affictam eſſe calumnioſè, ſubuerſionem & commotionem populi. Nec Chriſtum prohibuiſſe dare tributa Cæſari, qui docuerat reddi quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo.

[Chriſtiani iam ab ipſo Eccleſiæ initio, inſimulati ſunt turbatæ Reipublicæ. Spectant ad Chriſtianos, quæ Suetonius in Claudio cap. 25. habet de Iudæis, impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantibus, Roma expulſis per Claudium. Gentiles enim primis illis Chriſtianæ Eccleſiæ temporibus, Chriſtianos vocabant *Iudæos*, quia Chriſtus ex Iudæa prodiit. Vnde apud Dionem non ſemel, tranſitus ad Religionem Iudæorum, pro tranſitu ad Chriſtianos accipitur: vt in Domitiano cùm de Acilio Glabrione exconſule, qui cæſus eſt, quòd ad Iudæorum mores tranſiſſet; id eſt ad Chriſtum. Nec minùs clarè idem habet Dio, cùm agit de cauſa necis Clementis ac Domitillæ. Igitur Iudæi tumultuantes Chriſto impulſore, non alij fuere quàm Chriſtiani, etiamſi alij item Iudæi eodem vocati nomine (quia omnes crediti eandem profiteri re-

ligionem,) promiſcuè ſunt expulſi. Sed quòd ad veros Chriſtianos attinet, calumnia erat conficta per Satanam, quòd eſſent tumultuati, & quidem impulſore Chriſto. Æquè tumultus & ſeditionis prætextu, ſæuitum ab Aureliano eſt in Chriſtianos, vt habent Acta S. Symphoriani. Ex quibus colligitur, quos Vopiſcus de eo tempore agens, narrat, ab eo vexatos ac cæſos, publicæ ſeditionis prætextu, fuiſſe Chriſtianos. Inſcriptio Diocletiano ſtatuta Cluniæ in Hiſpania, quam retulit Baron. anno 304. num. 14. deletos (pro viribus ſanè & attenta mala voluntate citra effectum,) ab eò proſſus Chriſtianos, cauſam præfert: *quia Rempublicam euertebant.*

Reliquiæ erant iſtæ, calumnioſorum rumorum, quibus Satanas Chriſtianos iam ab initio, per ſuos adminiſtros onerauerat, quòd eſſent ſeditioſi & in Principes refractarij: quàm cauſam eſſe dixit S. Chryſoſtomus homil. 23. in ad Rom. cur Apoſtolus tam crebrò tamque efficaciter, & inſtanter, vrgeat fideles ad teſtandum erga ſublimiores poteſtates ſubiectionem & obedientiam. [Vbique (inquit,) Apoſtolus hoc probare ſatagit, quòd non gratiam (Magiſtatibus & Principibus,) ſed debitum obediendo præſtemus. Qui enim ita ſe habuerit, is & incredulos magiſtratus magis ad pietatem attrahet, & fideles ad obedientiam. Plurima quippè tunc temporis circumferebatur fama, traducens Apoſtolos, veluti ſeditioſos rerumque nouatores; qui omnia ad euertendum leges communes, & facerent, & dicerent. Cùm itaque oſtendit communem noſtrum Dominum illud ſuis omnibus præcipientem; & eorum qui Chriſtianos innouationis crimine traducebant, obſtruit ora, & maiori fiduciâ, cum veritate, ſua dogmata tradit. Noli itaque talem, (inquit,) ſubiectionem, turpem tibi putare. Deus enim iſtud conſtituit, qui & vehemens iſta contemnentium vltor eſt.] Eandem ob cauſam, ac vt declinaretur calumnia Chriſtianis irrogata, quòd negotiis publicis infeſti eſſent, & pacem communem turbarent, idem S. Chryſoſtomus ſerm. 4. in 2. ad Theſſalo. obſeruat, Apoſtolum admodùm obſcurè eſſe locutum de deſitione Romani Imperij, futura in Mundi fine. Id quod etiam à S. Hieronymo notatum eſt quæſt. 11. ad Algaſiam Epiſtol. 151. Idémque obſeruat de ſancto Ioanne, qui nomen blaſphemiæ in fronte purpuratæ meretricis inſcriptum dixit; quod abſque ænigmatis dicendum fuiſſet, (ſed cum calumnia molitionis in Rempublicam & odij perennitatis eius,) *nomen Roma æterna.* Itaque ad dextrè declinandam eam calumniam, Apoſtolus propoſita periphraſi eſt vſus.

Quòd eadem calumnia aduerſus nomen Chriſtianum inualuiſſet neceſſitas iniuncta eſt antiquis Patribus, parciùs & truncatè, nec niſi cum magna cautione agendi de ſacramento Confirmationis eò quòd Ethnici arbitrari poſſent in eo contineri confederationem & conſeſſionem Chriſtianorum erga Rempublicam. Vnde S. Innoc. I. Epiſtola ad Decentium retinens antiquum morem, tametſi iam pacata Eccleſia, & florentibus noſtris rebus, ait ſe dicere non poſſe verba quibus confertur Sacramentum Confirmationis. Nimirum conſignatio, cuius eſt in ea forma mentio, ſapit adſcriptionem in militiam: ſignabantur quippè milites: atque ita ex ea ſacramenti forma ſuſpicio excitari poterat collectionis militum & ſeditionis. Et fortaſſis hac quoque ex cauſa præter cæteras, ſermo de myſterio Euchariſtiæ in Eccleſia antiqua erat admodùm obſcurus & mutilus, nec niſi per valdè anfractuoſas periphraſes, quòd ſcirent Patres antiqui ex aperto de eo ſermone, poſſe recrudeſcere calumniam de Chriſtianis eo ſymbolo ad coniurationem vtentibus. Diſertè enim Minutius inter referendum Cæcilij

Cæcilij aduerſus Chriſtianos calumnias, hanc quoque recitat. [Infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei qui ſacris imbuatur; Is infans à tirunculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus prouocato, cæcis occultiſque vulneribus occiditur: huius (proh nefas!) ſitienter ſanguinem lambunt: huius certatim membra diſpertiunt; hac fœderantur hoſtiâ; hac conſcientiâ ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur.]

Sigillatim ad Chriſtianos hac calumnia contactos delabendo, S. Stephanus I. à Valeriano Imperatore cum ſuis Clericis comprehenſus, & ad tribunal eius perductus, in hunc modum compellatus eſt. [Túne es ille Stephanus, qui Rempublicam noſtram perturbare ac diſſoluere aggreſſus es; quique conſiliis ac præſtigiis tuis ſuades populo, vt à Deorum cultu deſciſcat?] Calumniam depulit Sanctus Pontifex, reſpondens. [Ego Rempublicam non perturbo, ſed admoneo & adhortor omnes homines, vt relictis dæmonibus qui adorantur in iſtis veſtris idolis, ad verum Deum ſe conuertant.] Hoc ſanè erat perturbare Satanæ Rempublicam, non autem quòd atrox calumnia ferebat, præcisè Rempublicam.

S. Symphorianus Auguſtodunenſis, calumniam ſubiit ſeditionis. Cùm enim ingens multitudo conueniſſet ad ſacrá matris Deûm, & ſtatua eius carpento veheretur, agminibus ſtipata populorum, renuente S. Symphoriano venerationem ſtatuæ impendere, & communi errori ſuffragari, delatus eſt ad Heraclium Conſularem, in perquirendis & diſcutiendis Chriſtianis induſtrium ſupra cæterorum communem morem; eiuſque autoritate eſt comprehenſus, *prætextu publicæ ſeditionis*, vt habent viri ſancti Acta, quæ Surius exhibet 22. Auguſti. Calumnia erat manifeſta. Neque enim ad ſeditionem pertinebat, quòd vir ſanctus renuiſſet adorare ligneam vel lapideam Berecynthiæ ſtatuam, quod erat vniuerſum eius crimen.

S. Athanaſius, calumnia de qua agimus, ab Ammiano l. 15. & ab aliis pulſatus ſæpè ſæpius eſt, nominatim cùm contigit Philumenum aduerſus Imperatorem Conſtantinum rebellare. Rem deſcribunt Theodoretus l. 1. hiſtor. c. 27. Socrates l. 1. cap. 20. & his paucis Sozomenus l. 2. cap. 21. ex quo & calumniæ impactio, & eius dilutio manifeſt erit. [Athanaſium hac de cauſa accerſitum denuò accuſant, quòd capſam auri quò Imperatori paret inſidias, cuidam Philumeno miſerat. Cæterùm vbi intellexit Imperator accuſatorum calumniam, facit poteſtatem Athanaſio domum reuertendi. Quinetiam ſcripſit ad populum Alexandrinum, Athanaſijque ſingularem modeſtiam ei, & fidem factam teſtificatur, & quòd cum illo lubens in congreſſum & colloquium venerit, quódque perſuaſum habuerit, eum virum planè diuinum eſſe: cúmque cum inuidiæ cauſa accuſatus eſſet, ſuperiores partes ab aduerſariis conſecutum.]

Grauiùs pupugit S. Athanaſium accuſatio quod à Magnentio Tyranno Conſtantis interfectore literas accepiſſet, ac cum eo molitiones aliquas agitaſſet: quarum Athanaſij literarum autographum, penes ſe eſſe iactabant Ariani. Ad cuius calumniæ magnitudinem, vir ſanctus Apologia I. fatetur ſe obſtupeſcere, & perplexum attonitúmque reddi, nec rarò hæſiſſe, an credibile eſſet, quemquam ita inſanire, vt talia mentiri nihil vereretur. Eam calumniam ipſemet depellit præter cætera. [Diabolum Magnentium (teſtis eſt mihi Deus, & Chriſtus eius,) neque noui, neque quicquam de illo compertum habui. Quæ igitur cauſa me incognitum ad ignotum propulit, aut quæ denique occaſio pertraxit, vt ad talem hominem literas mitterem? Quod initium epiſtolæ, ſi ei ſcribere libuiſſet, ſumendum

ſumendum fuerat? Illúdne ſcilicet, benè eum & rectè feciſſe, quòd virum apud quem in honore & pretio eram, cuiúſque beneficiorum nunquam obliuiſci poteram, occidiſſet; méque proinde eum, quòd notos meos, Chriſtianóſque homines & fideliſſimos hac luce ſpoliaſſet? An quòd hoſpites meos Romæ, qui me multâ, & vera beneuolentiâ tractauerant, occidit. An quod beatam materteram tuam, iure meritóque à bonis moribus Eutropiam dictam, & Abucreon ſynceriſſimum hominem, & ſperantium fideliſſimum aliósque complures peremiſſet? Quid? an non furioſum id in ſuſpicionem cogitationémue aduerſario meo venire? Quæ enim mihi fiducia in Magnentio fuiſſet, aut quam beneuolentiam certam, firmamque in Domini ſui parricida in amicos tam perfido, in violandis iuramentis tam irreligioſo, & in Magis, Incantatoribúſque contra Dei iudicium fouendis conſcelerato, mihi polliceri potuiſſem? Quid illius mihi in mentem venire potuit, quòd hominis mores mihi commendaſſet? cuius furor & crudelitas non me ſolùm, ſed vniuerſum iſtic terrarum orbem luctu, calamitatibúſque impleuit. Credo magnam ſcilicet & multam illam gratiam debebam, quòd piæ memoriæ tuum fratrem, cuius donariis Eccleſiæ plenæ ſunt, ipſe eius Legatus occiderit, nihil eam neceſſitudinem, quum ante oculos verſaretur, reueritus, nihílque gratiam beato tuo fratri in baptiſmate donatam reſpiciens, veluti Dæmon & furia infernalis in eum inſiluit. Atque ita ſanctiſſimus ille vir, martyrium aſſecutus eſt. Ille contrà iam inde quaſi in nexu eſſet, ad ſimilitudinem Cain, cum gemitu & trepidatione fugiebat, vt Iudam poſtea eodem mortis genere imitaretur, ſibique ipſe carnifex factus, duplex ſupplicium, & hîc, & in iudicio futuro irrogauit. Talíne monſtro me amicum poſſe fieri calumniatorputat? vel potiùs cùm nihil tale putet, odia mei tam incredibilia fingit.] Hæc quamuis ſatis ſuperque eſſe viderentur ad diluendam calumniam de conſpiratione & commercio cum Magnentio, hoſte Conſtantij & fratris eius Conſtantis S. Athanaſio coniunctiſſimi interfectore; tamen in mille mortes (vt ait,) vitam ſuam exponi optat, ſi tale quippiam, vel ſummis digitis attigiſſe deprehenſus fuerit, inſtituto iudicio.

Iulianus Apoſtata, vt haberet vnde Epiſcopos & Clericos Chriſtianos à gregibus ſuis procùl eſſe iuberet, abſque crudelitatis inuidia, commentus eſt quòd eſſent ſeditioſi, vt legere apud eum eſt epiſt. 51. pag. 213. & epiſt. 52. pag. 215. Fuiſſe autem calumniam malitioſè à Iuliano concinnatam, fruſtra docerem, cùm & ſanctorum illorum vitæ innocentia, & Iuliani malignitas omnibus ſit perſpectiſſima.

S. Marcellinus Tribunus Notariorum, S. Auguſtino percharus, & pleriſque Epiſtolis frequentatus, ac etiam inſcriptione inſignis operis *de Ciuitate Dei* honeſtatus; arte Donatiſtarum quos patiebatur infenſiſſimos, oneratus eſt calumnia, quòd Heracliano Tyranno qui in Africana aduerſus Honorium rebellarat, adhæſiſſet. Fuerat Marcellinus miſſus in Africam Cognitor, vt Donaſtitarum rabiem comprimeret quo munere inſigniter & cum fide perfunctus erat. Itaque cum aduerſus Heraclianum miſſus in Africam eſſet Marinus Dux, nihil non mouerunt Donatiſtæ, vt crimen Heracliani cum Marcellino commune facerent. Vnde vir optimus, iuſſu Marini interfectus cecidit. Cuius memoria in tabulis Eccleſiaſticis 6. Aprilis titulo martyrij eſt conſignata; eo quod aſtu hæreticorum, ob nauatum fidei Catholicæ ſtudium, ſit obtruncatus. Meminit cædis eius per calumniam patratæ, S. Hieronymus l. 3. contra Pelag. *ſub finem.* Nec iniquitas fuit Marino & Donatiſtis impunita.

punita. Nam Honorius caſum innoxij & cauſam calumnioſam deteſtatus, illicò Marinum quem alioqui magnis præmiis donatum oportuerat, redegit in ordinem, vt ſcribunt Paulus Oroſius l. 7. c. 42. & Ado in Chron. anno 420. Donatiſtæ verò qui cum Marcellino, rati erant caſura quæcunque ab eo in cauſa ipſorum geſta eſſent, falſi admodum ſunt ſpe ſua. Nam Honorius reſcripto ad Iulianum Africæ Proconſulem dato, quod extat in Cod. Theod. l. 55. de hæret. edixit, vt perpetuam firmitatem haberent omnia geſta à Marcellino, cuius innocentiam egregiè commendat.

Proba Falconia ſiue Faltonia, Probi Præfecti Prætorio S. Ambroſij in tectorem Æmiliæ deſignatoris vxor, Olybrij atque Probini Conſulum Claudiano celebratorum mater, Iulianæ item mater, Demetriadis auia, SS. Chryſoſtomo, Auguſtino atque Hieronymo valdè laudata, ac ſuis etiam ſcriptionibus clara fuit. Nam Virgiliocentonem de nouo ac veteri Teſtamento conſcripſit, eique etiam Homerocentonem adſcribit Fulgoſius, quem alij Eudociæ adſcribunt, in quam rem pluſcula apud Lælium Biſciolam Horar. ſubſec. tom. 1. l. 4. cap. 4. & apud Raderum in Aula Sancta ad cap. 21. Quanquam rem eſſe in alia materia antiquioris vſus liquet ex Tertulliano l. de præſcr. cap. 39. & ex opere Henrici Stephani de Parodiis & Centonibus. In argumento tamen Chriſtiano, feciſſe id prima eſt viſa Proba Falconia. Hæc adeò inſignis fœmina, calumniam proditæ Alarico vrbis eſt paſſa. Quòd enim Romanos longa obſidione preſſos, innumeris vrgeri malis videret, miſeratione tactam, aiunt vrbem dediſſe Alarico. Verùm ea fabula vndecunque rimas agit. Nam obſidio ſecunda Romanæ vrbis per Alaricum qua capta eſt, non fuit niſi paucorum dierum. Deinde quomodo Proba adeò benè de Alarico merita, ſicut hi fabulones volunt, adeò malè ab eo habita eſſet, vt ſcribit S. Hieronymus epiſt. 8. deſcribens eam bonorum iacturam ex vrbis inuaſione paſſam, ægrè euaſiſſe manus temulentorum Barbarorum? Itaque abiit in fumum calumnia dehoneſtans Probam, de conſiliis cum Alarico initis, & prodita illi vrbe Romana.

S. Cæſarium Arelatenſem, proditionis calumnia grauatum, ſic deſcribit Cyprianus vitæ Autor. [Licumannus Beati viri notarius, homo nequam & perditus, non dubitauit talem ſe gerere erga virum Apoſtolicum, qualem olim Iudas aduerſus Saluatorem. Armatur improbus ille ſæuæ delationis veneno: ſuggerit Mariro Regi, per eos qui illi erant à ſecretis, beatiſſimum Cæſarium, è Galliis genus ducentem, totis in id viribus incumbere, vt ditionem & vrbem Arelatenſem, Burgundionibus prodat: cùm ille paſtor præſtantiſſimus, flexis genibus pacem gentium, vrbium tranquillitatem, diebus ac noctibus à Domino precaretur. Quare magis etiam credendum eſt, Diabolo inſtigante, in ſancti viri exilium, barbaram ferocitatem incitatam eſſe. Non enim gratus aut charus eſt hoſti, qui id orat, quod cum eius factis & conatibus pugnet. Itaque eis qui tum aderant, inſtigantibus, nec innocentiæ fides attenditur, nec accuſationis veritas inquiritur: ſed vanâ, & iniquâ delatione damnatur, ab Arelate extractus, cogitur apud Burdegalenſes exulare. Sed ne vacua eſſet in illo gratia Dei, caſu accidit, vt nocte quadam, ea ciuitas voracibus vaſtaretur flammis. Tum verò ciues ociùs accurrunt ad hominem Dei: ſancte Cæſari clamitant, precibus tuis extinguas ignem ſæuientem. Audiens id vir Dei, dolore pariter & pietate commotus, venienti flammæ procedit obuiam, humi ad preces proſternitur, mox igneos premit abigitque globos: concurrunt eò omnes, & diuinæ virtutis, conſonis vocibus lau-

 des

Digitized by Google

des celebrantur. Deinceps verò in tantâ apud omnes admiratione fuit, vt in eâ vrbe non ſolùm vt Pontifex, verùm etiam vt Apoſtolus haberetur, & perſecutionis author Diabolus pudeſieret, cernens eum, quem proditionis reum peragere viſus eſſet, diuini operis miraculis clarere. Id verò ita geſtum eſſe, vt diximus, fideli narratione comperimus.]

Alio item tempore, S. Cæſarius apud Theodoricum Gotthum accuſatus eſt proditionis. Eámque ob cauſam, Rauennam vſque ſub cuſtodia pertractus eſt. Sed Deus calumniam diſiecit, & ad ſancti viri adſpectum, adeò cor Theodorici emolliuit, vt inſolitis honoris indiciis eum exceperit: illóque digreſſo, expoſtularit de malignitate eorum qui virum innoxium falſa accuſatione grauaſſent, & tanto itinere fatigaſſent.]

Boëtius & Symmachus, viri Patricij & Exconſules, generis claritate, & eruditione, ac omnibus virtutibus illuſtriſſimi, apud Theodoricum Gotthum falsò accuſati molitionum, & tentatæ excuſſionis iugi Gotthorum, cauſa indiſcuſſa damnati ſunt & capite percuſſi. Calumniam hanc ſibi ſtructam deſcripſit in carcere ipſe Boëtius l. 1. de conſol. proſa 4. Et fuiſſe calumniam, agnouit denique ipſe Theodoricus, quem Procopius l. 1. de bello Gotth. celebratis eximiè Boëtio genero, & Symmacho ſocero, teſtatur haud ita multò pòſt, territum viſo, quo caput piſcis ſpecie capitis Symmachi eſt illi objectum, correptum ſubita ægritudine ex qua perbreui deceſſit, ſuam erga tantos viros feritatem deploraſſe, & eorum innocentiam conteſtatum eſſe. Tametſi quod ea pœnitentia Theodorico homini hæretico fructuoſa non fuerit, aliiſque inſuper ſorduerit ſceleribus, de quorum expiatione non fuit ſollicitus: mortuum ad Tartara abreptum eſſe, ex reuelatione quadam recitat ſanctus Gregorius Dialog. cap. 30.

S. Syluerius Papa, reus factus eſt proditionis per atrocem calumniam. Eius concinnandæ prætextum profert Procopius, Virigis Gotthorum Regis Romam obſidentis conatus deſcribens, quod Gotthi exercitu centum quinquaginta millium bellatorum aucto vrbem cingentes, cùm vltra annum ſuburbia tenuiſſent, Baſilicis Principis Apoſtolorum earumque miniſtris, tametſi extra vrbem ſitis, nullam intuliſſent moleſtiam. Vnde ſubortam vult Procopius ſuſpicionem aduerſus S. Syluerium, quaſi cum Gotthis conſentiret. Liberatus autem in Breuiario cap. 22. veram cauſam vexationis S. Syluerij ad impiam Theodoram refert, quæ pro reſtitutione Anthimi Cõſtantinopolitani à S. Agapeto depoſiti ſatagens, cum Vigilio pepigerat, fore vt ſubmoto Syluerio, Romanus Pontifex ordinaretur, dummodo Anthimum reſtitueret. Itaque ad inſtituendum Vigilium, confictæ ſunt literæ Syluerij ad Gotthos, per Marcum Scholaſticum & Iulianum Prætorianum, quibus accerſebantur ad capiendam vrbem. Eáque ex cauſa Syluerius à Beliſario impiè extruſus eſt, & Pataram relegatus: vnde iuſſu Iuſtiniani ab Epiſcopo Patarenſi increpiti, reuocatus eſt Romam, ad iudicium de veritate literarum illi adſcriptarum inſtituendum. Sed impeditus acceſſu vrbis Romæ, artibus Vigilij, & potentia Beliſarij pro Theodoræ iuſſis ſolliciti, in Palmariam inſulam abductus eſt, ibique præ inedia defecit. Hæc calumnia, quanti & Vigilio & Beliſario ſteterit, alibi dicendum. Deus certè eius vltor acerrimus fuit, vt quoad Vigilium, latè refero in opere cui titulus eſt, *Mala bonorum Eccleſiæ*.

S. Prætextatus Epiſcopus Rothomagenſis, referente Gregorio Turonenſi l. 5. hiſtor. Franco. cap. 18. artibus impiæ Fredegundis vxoris Chilperici, Gallicanæ eo æuo Iezabelis, calumniam paſſus eſt, quod Merouæum Chilperici filium patri rebellem,

rebellem, iunxiſſet matrimonio cum Brunichilde patrui ſui relicta, & cum eodem Merouco aduerſus Regem patrem multa machinatus eſſet, pecuniaſque Regias ſurripuiſſet. Quæ omnia in Synodo Pariſienſi ventilata, tametſi mera Fredegundis figmenta eſſent, tamen territus Prætextatus, ſibi imponi paſſus eſt: imò perinde atque ad ſe admiſſa agnouit, vrgentibus aulicis, & ſpem veniæ doloſè facientibus. Sed confeſſionem conſecuta ſunt verbera, & relegatio in inſulam. Vnde poſtea, Rothomagenſium inſtantiſſimis votis, poſt Regis Chilperici obitum reuocatus, vt ſcribit Gregorius Turon. l. 7. c. 16. immiſſo ſicario, ad ipſam aram orans ipſo Paſchatis die interfectus eſt; non aliam ob cauſam, quàm quia loquebatur de diuinis teſtimoniis in conſpectu Regum, & non confundebatur; quod docet fortiſſima eius ad Fredegundem allocutio deſcripta à Gregorio Turon. l. 8. cap. 31. vbi necem eius ſubiungit, quam Eccleſia Catholica ad verum martyrium pertinuiſſe agnoſcit, conſignans eam tabulis Eccleſiaſticis 24. Februar. quod ad calumniæ ei impoſitæ abſterſionem poteſt ſufficere. Et quanquam Fredegarius in Appendice ad Hiſtor. Gregorij cap. 78. admittit verè Prætextatum initio tractaſſe cum Merouco, tamen potuit hoc ex iactatis paſſim ſermonibus ſcribere.

Chriſtiani Palæſtinæ, accuſati ſunt apud Iuſtinianum, perduellionis ac commercij cum Samaritanis ſeditioſis, vt refertur in Actis S. Sabæ Abbatis. Elegerant ſibi Samaritani in Regem Iulianum quendam: eóque duce afflixerant dirè Chriſtianos, ita vt eos membratim diſſectos, cum martyrum reliquiis frigerent in ſartagine. Et tamen inuentus eſt impius Sycophanta, qui in Chriſtianos Palæſtinos totius ſeditionis inuidiam deriuaret, implanatis Iuſtiniano & Theodora, ad quos vt purgaret Chriſtianos innoxios, profectus eſt S. Sabas nonagenario maior: qui Arſenij Samaritani, (id Sycophantæ nomen) calumnias diſpulit, & Imperatorem Chriſtianis placauit, vt diligenter ſcribit Cyrillus Monachus.

S. Martinus I. iuſſu Conſtantis Imperatoris Monothelitæ, ob conſtantiam imperturbabilem in fidei puritate retinenda, comprehenſus & diriſſimè habitus, falsò accuſatus eſt molitionum contra Imperium, & rebellionis. Habentur iſta diſertè in nuper edito S. Martini exilio, è quo iuuat plagulas aliquot in hanc rem decerpere. In Epiſtola ſancti Martini ad Theodorum Spudeum S. Sophiæ, ſic habetur. [Tibi igitur reddo rationem, dilectiſſime frater, per eum qui iudicaturus eſt mundum iſtum per ignem, qui & reddet vnicuique ſecundùm opus ſuum. Ego aliquando ad Saracenos, nec literas miſi, nec quem dicunt Tomum qualiter credere debeant, aut pecunias vnquam tranſmiſi, exceptis duntaxat quibuſdam illuc venientibus ſeruis Dei causâ eleemoſynæ, quibus & modicum quid præbuimus, minimè ad Saracenos tranſmiſſum.] Hinc liquidò conſtat, S. Martinum ſuſtinuiſſe calumniam molitionum cum Saracenis. Additur inferiùs, cùm perueniſſet Abydum, fuiſſe renuntiatum eius aduentum, vocando eum hæreticum, & imperio rebellem. Idque volebant beſtiales illi à quibus ducebatur, de quibus ſic ibidem. [Qui per loca erant ſacerdotes, & cæteri fideles regionis ipſius, dirigebant munera beato illi causâ vtilitatis eius, non paruæ multoties quantitatis. Quas quidem directas ſpecies & quantitates, cuſtodes beſtiales continuò coràm diripiebant, improperioſa & amara plurima congerentes in eum. Eos autem, qui munuſcula detuliſſent, iniuriis & verberibus afficientes, dimittebant; dicentes ad eos: Quoniam quicunque diligitis iſtum, inimici eſtis Reipublicæ.] Inferiùs item à primo falſorum teſtium, inſimulatus dicitur

Digitized by Google

quod coniurationes feciſſet cum Olympio. Et cum vir ſanctus interrogatus an ita eſſet, reſpondere cœpiſſet, *quando Romam directus eſt Typus*, prohibitus eſt pergere: eò quòd non de fide cum eo ageretur, ſed de duellio, hoc eſt de conſpiratione in Rempublicam, & perduellionis crimine. Et paulò anteriùs. [Primicerius ſanè omnium accuſantium Dorotheus Patritius Ciliciæ, qui iurans dixit; Quoniam quinquaginta capita ſi haberet, non oporteret eum viuere, eò quòd ſolus ſubuertit & perdidit vniuerſum Occidentem, & deleuit, & reuera vnius conſilij fuit cum Olympio, & inimicus homicida Imperatoris, & Romanæ vrbanitatis.] Hæc omnia erant meræ calumniæ, in ſanctum Pontificem gratis intortæ, eò quòd noluiſſet Typum Conſtantis cum fidei Catholicæ oblæſione admittere.

S. Maximus Monachus & martyr, in eadem Monothelitarum procella fidei Catholicæ defenſor eximius, proditionis eſt inſimulatus, vt liquet ex Collatione eius cum Principibus in Secretario, vbi ſic habetur, de Sacellarij ad S. Maximum oratione, & reſponſione viri ſancti. [Ex his quæ feciſti, cunctis factum eſt manifeſtum, quòd odio habeas Imperatorem, & Rempublicam eius. Tu enim ſolus, Ægyptum, & Alexandriam, & Pentapolim, & Africam Saracenis tradidiſti. Et quæ eſt; infit, horum approbatio? Et falsò inducunt Ioannem, qui fuerat Sacellarius Petri quondam Prætoris Numidiæ, Prouinciæ Africæ, dicentem: Quia ante viginti duos annos auus dominatoris iuſſit beatæ memoriæ Petro exercitum ſumere, & pergere in Ægyptum contra Saracenos: & ſcripſit tibi tanquam ad ſeruum Dei loquens, certitudinem habens in te, vt potè in homine ſancto, ſi des ei conſilium abire. Et reſcripſiſti ei, dicens: Nihil tale facere, quoniam non benè placitum eſt coram Deo, vt imperio Heraclij & generis eius, cooperetur Reſpublica Romanorum.]

S. Anſbertus Rothomagenſis Epiſcopus, vir laudariſſimus, vt videre eſt apud Trithemium l. 4. de viris illuſtr. Ordin. S. Benedict. cap. 32. & Molanum in Indiculo SS. Belgij, calumniam paſſus de machinationibus contra Pipinum rerum tunc potientem, ſede Pontificia eſt exturbatus. Calumniam, & eius falſitatem, ſic deſcribit Angradus in ſancti viri Actis. [Cùm inter Principes Francorum, ſæua eſſet exorta diſcordia, ob multiformem regni diuiſionem, callidus humani generis hoſtis, malignorum contra Dei famulum ſæuire fecit inuidiam, qui Pipino principi fraudulenter ſuggererent, præfatum virum ſanctum aduerſus eum contraria tractaſſe conſilia. Decedente enim de ordine principatus VVaratone illuſtri & eius filio, ac ſupplantatore nefando Giſlemaro, Pipinus præfectoriam adminiſtrationem Domino largiente adeptus eſt. Quo tempore incuſatus apud ipſum Principem, præfatus Pontifex ſanctus, iuſſu eiuſdem exilio deportatur in Altummontem monaſterium, quod eſt ſitum in territorio Hannonienſi, ſuper Sambre fluuio. Cui tempore illo præerat venerabilis Halidulfus Abbas. Nullo extante crimine, humiliter exilij ſubiit ærumnam.]

S. Ioannes Damaſcenus, quem impius Conſtantinus Copronymus, vt habent Acta S. Stephani Auxentiani, *Ioannem Manſur* appellabat, cùm Damaſci ſub Saraceno Principe ageret, indéque per Epiſtolas Catholicis animos faceret ad venerationem ſacrarum imaginum retinendam, (quæ enim paſſim nomine orationum circumferuntur ab eo de imaginibus conſcriptarum, Epiſtolæ reuera fuerunt, teſte Ioanne Hieroſolymitano in eius Actis;) commouit aduerſum ſe Leonem Iſauricum Iconomacum, qui arte potiùs & calumnia, quàm vi aperta beatum

beatum Ioannem opprimendum ſuſcepit. Itaque conquiſito & denique reperto apographo epiſtolæ, ſancti Ioannis manu exaratæ, adhibuit varios Notarios, qui eius characteres effingerent quàm optimè; ſenſa item & ſententias, quàm maximè fieri poſſet, æmularentur. Cùm verò ſatis exercitati in artificio nequitiæ apparuerunt, Epiſtolam tanquam à Ioanne, manu ſua conſcriptam, ad ipſum Leonem exarari per eos curat, cuius hæc erat ſententia. [Salue Imperator. Maieſtati tuę gratulor, quòd eandem nobiſcum fidem tenes; tuæque Imperatoriæ præcellentiæ cultum ac venerationem, quam debeo tribuo. Eàque de cauſa, illud tibi ſignifico, vrbem hanc noſtram negligenter omninò cuſtodiri; atque Agarenorum præſidium, quod hîc eſt, exiguum & infirmum eſſe. Quare per Deum te obteſtor, vt huius ciuitatis miſeratione afficiaris; atque ingenti & ſtrenuâ manu, præter omnem expectationem miſsâ, quæ aliò ſeſe proficiſci ſimulet, vrbem ſine vllo labore obtinebis. Ad id enim ipſe quoque non mediocrem opem tibi afferam. Quandoquidem & vrbs, & regio vniuerſa, in mea penè poteſtate eſt.] His literis, vaferrimus Draco, æquè ac ferociſſimus Leo, adiungit ex ſuo nomine alias, ad Damaſcenorum Principem Saracenum, hoc exemplo. [Nihil ſanè pace beatius, atque amicitiâ fortunatius eſſe cenſeo. Ac prætęrea pacis fœdera ſeruare laudabile ac Deo gratum eſt. Proinde nihil antiquius duco, quàm amicitiæ fœdus, quod tecum ſanxi, firmum ac inuiolatum conſeruare. Quanquam ad illud clàm infringendum ac verſutè violandum à Chriſtiano quodam, qui ſub tuâ ditione atque imperio eſt, crebris ipſius litteris incitor: quibus illud certò confirmat, ſe mihi ad vrbem tuam in meam poteſtatem redigendam ingentem opem allaturum eſſe, ſi ingentem exercitum eò miſero. Vnde etiam vnam ex ipſius ad me miſſis Epiſtolis ad te remiſi, vt iis, quæ ad te ſcribo, fidem conciliem, atque intelligas, quàm in tuẽdis amicitiis veræ ac ſynceræ fidei ſim, ſimul etiam eius, qui ad me hæc ſcribere auſus eſt, improbitatem ac fraudem perſpectam habeas.] Binis illis literis acceptis, aduocauit Princeps Saracenus S. Ioannem, qui literarum formas ſuis eſſe conſimiles, non eſt inficiatus: ſe tamen rei totius eſſe prorſus neſcium, ſtructos autem ſibi eſſe dolos, & poſitas pedicas, eſt conteſtatus. Sed furente, & in rabiem propriè acto Barbaro, dextera viro ſancto eſt amputata, in pœnam molitionum & tentatæ mutationis in Republica. Hactenus ſtropha, calumnioſè in S. Ioannem odio fidei concinnata à Leone Imperatore Hæretico, eò deteſtabiliore, quò indignius eſt virum Principem fraudibus ac calumniis vexare quempiam, vt diſſerit Nazianzenus Orat. 3. Deus tamen ſerui ſui famam charam habens, calumniam abſterſit, reſtituta miraculo dextera per Deiparam; linea duntaxat ſuperſtite, quæ factæ reuera exciſionis teſtis eſſet. Quod miraculum Barbaro Principi tantam iniecit S. Ioannis venerationem, vt inſontem palàm pronuntiarit, & de viro bono ac fido malignitate Leonis malè habito, veniam expetierit; nec tantùm excidere gradu non ſit paſſus, ſed inter Conſiliarios ſummum ſtatuerit.

S. Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha, quod Bardam Patritium penes quem omnia in imperio gerebantur, præmiſſis crebris monitionibus, vt inſontem vxorem quam abiecerat, reſumeret, & cognatam malè ei ſubinductam dimitteret, pertinacem in ſcelere excommunicaſſet, eiuſdem Bardæ factione depoſitus eſt, per calumniam conſpirationis in Imperatorem; & poſt varias vexationes quibus ad renunciandum Epiſcopatui vrgebatur, in ſepulchro Copronymi incluſus eſt, cuſtodibus adhibitis crudeliſſimis ſatellitibus. Innouauit poſtea eaſdem in ſanctum

Digitized by Google

virum calumnias Photius Euiratus, S. Ignatio per Bardam ſuffectus, qui Imperatori ſuggeſſit, Ignatium exulem multa aduerſùs imperij pacem machinari. Falsò omnia & calumnioſè, vt Nicetas in viri ſancti vita diffuſè monſtrat. Aſtipulantur eiuſdem innocentiæ tabulæ Eccleſiaſticæ 23. Octob. & ſæpè Nicolaus I. infracti animi Pontifex, in Epiſtolis: qui cauſam S. Ignatij magno animo ſuſcepit, nec minore eſt proſecutus. Videndus etiam Anaſtaſius in præfat. hiſtorica ad 8. Synodum.

S. Colmannus ex Regia Scotorum ſtirpe ortus, cùm Hieroſolymam peregrinaretur, tentus in Auſtria eſt, & tanquam proditor ac explorator hoſtium, (quod illi per calumniam eſt affictum,) tractus; & tetro carcere aliquamdiu concluſus, dirè dein cæſus ac vſtulatus, ignitis etiam forcipibus vulſus, & oſſibus ſerra ſiſſis crudeliſſimè diuexatus, ad extremum inter latrones pependit, vt canit Ioannes Stabius, Maximiliani primi hiſtoricus, hymno de S. Colmanno. Meminerunt eiuſdem Cuſpinianus in Auſtr. & Ditmarus ad finem libri 7. qui ſupplet quod Stabius confuſè tantùm habet, de ſignis quibus Deus ſerui ſui innocentiam monſtrauit. Ait ergo Ditmarus, Sancti Colmani meritis, arborem de qua pependit, diu aridam, eo inibi appenſo refloruiſſe.

Addit Raderus in Bauaria ſancta de hoc cœlite agens, comam ſuſpenſo ac barbitium profuſè excreuiſſe, nec vllam in cadauere tabem notatam eſſe, vllúmve putorem, poſtquam ſeſquiannum in furca hæſiſſet, & terræ poſtea poſt ſeſquiannum item, infoſſum, perſtitiſſe incorruptum, labiíque purum. Manauit ſanguis de carne tanto poſt emiſſam animam inciſa, vt ſcribit Ditmarus illius temporis ſcriptor. Corpus viri ſancti in Hungariam aliquando abductum, Petente Petro Rege S. Stephani ſucceſſore, præter morẽ ſacrarum exuuiarum, grauauit non leuauit Hungariam. Semper enim (vt ſcribit in Auſtria ſua Cuſpinianus,) aut peſtis, aut fames, aut ariditas noxia, aut nimia humiditas, infeſtam habuit eam regionem, donec corpus ſactum vnde abductum fuerat reduceretur. Videtur gratiorem habuiſſe ſuo corpori, vir Sanctus, ſedem in regione è qua per infamem calumniam letho datus cœlos adierat. His prodigiis aliiſque compluribus Deus mendaces oſtendit qui virum ſanctum maculauerunt.

S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus, apud ingratiſſimum Imperatorem reus per calumniam factus eſt, quod VVillelmum Nothum Anglorum Regem, cum immenſis copiis ad occupandam Germaniam, & exturbandum Imperatorem aduocaſſet. Nec parum laborandum fuit ſancto Antiſtiti, vt eam calumniam tametſi inſcitiſſimè fabricatam repelleret, quod tamen denique fecit, dicto ſacramento. Monachus Sigebergenſis, qui iuſſu Reginhardi Abbatis, acta ſancti viri diffuſè conſcripſit, hanc in eum peſſimè intortam calumniam, recitat; & quàm inanis fuiſſet, demonſtrat. l. 2. c. 4.

S. Thomas Cantuarienſis ab Henrico II. perduellionis damnatus eſt, & ipſa die Natalis Domini per impios ſicarios in ſacra æde trucidatus, & idcirco ab impiis Anglis in Calendario ad diem ſancti Thomæ Cantuarienſis ponitur, *Becquet proditor*. Erat enim ſancto viro cognomen *Becquet*, vt notat Stapletonus mox referendus. Sed germana cædis cauſa fuit, quod iura Eccleſiæ inuicto animo tueretur, nec perſuaderi poſſet vt Regiam tyrannidem in perſonas & bona Eccleſiaſtica graſſantem, agere pro libidine ſineret; Vt ſcribunt æui illius ſcriptores Gulielmus Cantuarienſis, Herbertus Hoſcanus, Ioannes Sariſberienſis, & Alanus Tenkesbyrienſis, è quibus cauſam Sancti Thomæ compendio exhibet Thomas Stapletonus libro apologetico pro hoc S. Thoma,

Digitized by Google

S. Thoma, & Remundus Ruffus in Opere pro Pontifice & ſacris hominibus ad c. 37. Molinæi; quem refert, flagitioſiſſimè (pro more ſuo,) S. Thomam vocaſſe *ſeditioſum*, & robuſtè caſtigat. Recruduerat nimirum paulò antè quàm ſpurcitias illas chartis illineret Molinæus, plaga ſancti viri famæ illata ſub Henrico II. & ab eodem reſipiſcente quãtum licuerat obducta, exhibitis ſancto Martyri immenſis honoribus: Recruduerat inquam ea plaga, ſub truculentiſſimo æui illius homine dicam an fero ſingulariſſimo Henrico VIII. qui poſt aliquot ſecula, virum ſanctum de aſylo ſepulchri iteratò aduocauit ad iudicium, & proditionis damnauit. Monſtrum ſceleris, omnibus retrò ſeculis inauditi, Nicolaus Sanderus l. 1. de ſchiſm. Anglic. ad annum *1536.* accuratè exhibet. Nobis illa ex Pauli III. contra hanc trucem beſtiam decretoriis literis, ſat erunt. [Henricus quotidie magis ſe in ſua feritate ac temeritate confirmans, in noua etiam ſcelera prorupit, quippe qui non contentus viuorum prælatorum & ſacerdotum crudeliſſimâ trucidatione; etiam in mortuos, & eos quidem quos in Sanctorum numerum relatos, vniuerſalis Eccleſia pluribus ſæculis venerata eſt, feritatem exercere non expauit. Diui enim Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris oſſa, quæ in dicto regno Angliæ, ob innumera ab omnipotenti Deo illic perpetrata miracula, ſummâ cum veneratione in arcâ aureâ in ciuitate Cantuarienſi ſeruabantur, poſtquàm ipſum Diuum Thomam ad maiorem religionis contemptum, in iudicium vocari, & tanquam contumacem damnari, ac proditorem declarari fecerat, exhumari & comburi, cinerem in ventum ſpargi iuſſit: omnem plenè cunctarum gentium crudelitatem ſuperans; cùm ne in bello quidem, hoſtes victores ſæuire in mortuorum cadauera ſoleant.]

CAPVT XXI.

De damno obiectiuè illato communitati.

ODio Deo eſt impius & impietas eius. Itaque ſicut in gratiam piorum, tametſi plerunque nihil minùs cogitantium, Deus benefacit ijs qui ad eos quoquo modo attinent, vel cum eis degunt, (vt propterea Philo l. de Migratione Abrahami, & Philonem de more exprimens S. Ambroſius l. 1. de Abrah. c. 6. dolendum de pij viri abſceſſu confirment;) ita è contrario, intuitu malorum qui alicubi reperiuntur, mala pœnæ ſæpè infert, inuoluens cæteros iis calamitatibus, quas in ſua capita meritò deuocant nocentiores. Eâque ratione, vel alia cæterorum peccata plectuntur, vel auctius iiſdem meritum ex patienti perpeſſione paratur. Sic Deus à malitia inhabitantium poſuit terram fructiferam in ſalſuginem, quod incommodum in omnes æquè redundabat, etiamſi non omnes æquè noxij eſſent, & aliqui fortè eſſent innoxij. Sic ob vnius Achani furtum, in omnes Iſraelitas pœna tranſiuit, ſeu potiùs vexatio quoad innoxios. Sic aliis pleriſque occaſionibus, vnius noxa, alios qui nihil deliquerant, inuoluit. Hac opinione imbuti quidam impij, planéque perſuaſi ſcelera aliquorum obiectiuè obeſſe cæteris vnà degentibus, huiuſmodi calumnia ſæpè grauarunt Sanctos viros, vt ex ſubiectis exemplis colligetur.

Eliſæus propheta, ab Achabo cauſa obiectiua cladis Samariam vaſtantis, per ſummam calumniam habitus eſt. Cùm enim, vt ſcribitur 4 Reg. *6.* Benadado Syriæ Rege Samariam obſidente, facta eſt in vrbe fames horrenda, ita vt manus mulierum coquerent filios ſuos, iratus Achab ſupra modum ad eum nuntium, exclamauit, *Hæc mihi faciat Deus & hæc addat,*

Digitized by Google

ſi ſteterit caput Eliſæi filij Saphat, ſuper ipſum hodie. Nec minæ abiiſſent irritæ, niſi maturè Eliſæus, (vt ibidem narratur,) indemnitati ſuæ proſpexiſſet. Torquent ſe Patres & Interpretes, quærentes quorſum Achab ad nuntium tam Tragici facti, excanduerit adeò impotenter in Eliſæum. Quid enim Eliſæo, & matri ferales illas dapes ex mactato filio deguſtanti? Quòd S. Ambroſius putat Achabum ſuccenſuiſſe Eliſæo, quia Samariam precibus ſuis non liberauit ab obſidione, cùm liberare poſſet, minùs accommodatum eſt. Intentatio quippè cædis, ad abalienandum, non ad flectendum Prophetæ animum vſui fuiſſet. Minùs aptum eſt quod clades & fames Samariæ referatur in prohibitū ab Eliſæo Achabum, ne Syris in media ciuitate aotaſia percuſſis, necem inferret. Quanquam ſcio etiam hanc cauſam à S. Ambroſio 3. de offic. adhiberi. Vera igitur ratio furoris, in Eliſæum ad eum horrendum nuncium ab Achabo concepti, petenda eſt ex veſana opinione & impia perſuaſione, quòd Eliſæi in ea vrbe habitatio, mala omnia quibus premebatur exciuiſſet, quaſi non pede ſecundo, vt eſt apud Auguſtinum Epiſtola 44. adiret aliquo indignante proſpera fortuna, aduersùs locum in quo ille degeret; Quæ eſt calumnia in qua verſamur.

Chriſtiani veteres, omnium malorum quæ orbem premebant, cauſæ habebantur. Sic Agreſtius Chromatius vrbis Præfectus, Tranquillinum SS. Marci & Marcelliani Patrem alloquens, ait. [Poſtquàm cœpiſtis Deos blaſphemare, & à cultura eorum recedere, diuerſis cladibus Romanus orbis opprimitur.] Demetrianus Ethnicus, cum multis, (vt ait,) apud S. Cyprianum, [quòd bella crebriùs ſurgant, quòd lues, quod fames ſæuiant, quódque imbres & pluuias ſerena longa ſuſpendant,] Chriſtianis adſcribit. Tertullianus cap. 40. Apolog. de Ethnicis ait. [Aduersùs ſanguinem innocentium conclamant, prætexentes ſanè ad odij defenſionem, illam quoque vanitatem, quòd exiſtiment, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam. Si Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi cœlum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim; *Chriſtianus ad Leonem.*] Origenes quoquè Tract. 28. in Matth. tractans de tribulationibus Chriſtianorum, graſſantibus malis publicis. [Amant (inquit) qui in calamitatibus ſunt, cauſas earum diſcutientes, inuenire aliquid quod loquantur. Cùm hæc ergo contigerint mundo, conſequens eſt quaſi derelinquentibus hominibus Deorum culturam, vt propter multitudinem Chriſtianorum, dicant fieri bella, & fames, & peſtilentias. Frequenter enim famis cauſa, Chriſtianos culpauerunt Gentiles, & quicunque ſapiebant quæ gentium ſunt. Sed & peſtilentiarum cauſas, ad Chriſti Eccleſiam retulerunt. Scimus autem & apud nos terræmotum factum in locis quibuſdam & factas fuiſſe quaſdam ruinas, ita vt qui erant impij extra fidem, cauſam terræmotus dicerent Chriſtianos: propter quod & perſecutiones paſſæ ſunt Eccleſiæ, & incenſæ ſunt. Non ſolùm autem illi, ſed & qui videbantur prudentes, talia in publico dicerent, quod propter Chriſtianos, fiunt grauiſſimi terræmotus.] Itaque etiam terræmotuum cauſa in Chriſtianos eſt relata; & ita habetur in edicto Antonini quod deſcribit Nicephorus l. 3. hiſtor. c. 28. In ſumma, omnia planè mala, quæ vexare Rempublicam contingebat, omnia in Chriſtianos referebantur ab Ethnicis.

Sed hanc æquè inſulſam ac atrocem calumniam, potenter iam olim contriuere Patres, qui pro Religione Chriſtiana Apologeticos ſcripſerunt. Præſertim S. Cyprianus & Tertullianus locis annotatis, Arnobius l. 1. S. Auguſtinus quinque prioribus libris Operis de Ciuitate Dei, in

in hunc finem conſcripti, vt propoſita Ethnicorum calumnia refelleretur, necnon Epiſtola 5. & ſerm. 29. de verbis Domini cap. 9. & 10. Euagrius 3. hiſtor. cap. 41. & Paulns Oroſius libris 7. hiſtoriæ quam in Præfatione à ſe per D. Auguſtinum impulſo, conſcriptam in hunc finem docet, vt ſignatis publicis ab omni æuo calamitatibus, liqueret falsò iactari, per Chriſtianam religionem inuecta eſſe in orbem mala. Breuiter Tranquillinus in Actis ſancti Sebaſtiani, cùm Præfectus Chromatius dixiſſet, poſteaquàm religio Chriſtiana apparuit, orbem Romanum diuerſis cladibus opprimi, reſpondet. [Non ita ſe res habet. Nam ſi Liuij Decades recenſeas, innenies illic dæmonibus ſacrificantes vnâ die ampliùs quadraginta duo Romani exercitus millia cecidiſſe; Nec illud te fugit, vt Galli etiam Capitolium ferè occuparint, & omnem Romanam manum ſuis ludibriis ſubiecerint. Multiplices fames, & inenarrabiles, diuerſáſque captiuitates, varias cædes, Romana vrbs perpeſſa eſt, antequàm homines vnum colerent Deum. Nunc verò quando inuiſibilis & verus Deus, cœpit à credentibus coli, auctâ pace, Romanum exultat imperium.]

Iungebat huic Chriſtianorum criminationi Voluſianus, referente S. Marcellino, aliam de malo quod Religio Chriſtiana inuexit, prohibendo vindictam, & ferendo legem, vt percutienti alia præbeatur maxilla: vnde euerti mores antiquos atque adeò labefactari Rempublicam, expoſtnlabat Voluſianus. Agit efficaciſſimè contra hanc calumniam ſanctus Auguſtinus Epiſt. 5. & præter cætera luculenter monſtrat, ſi tales eſſent Reges, Iudices, mariti, parentes, filij, ſerui, quales eos informat lex Chriſtiana, nullam poſſe maiorem Reipublicæ ſalutem obtingere.

S. Maruthas cuius laus eſt apud S. Chryſoſtomum epiſt. 14. miſſus ab Arcadio ad Iſdegerdem Perſam, cùm mira & magna patraſſet in honorem Chriſtianæ fidei, calumnioſo Magorum Perſica ſacra tractantium artificio, inſimulatus eſt grauium malorum quæ Perſidi imminere prænuntiauerunt. Colebant Perſæ ignem in Piræo, eóque non rarò Rex commeabat. E ſuis ergo vnum quempiam, in hypogæo clàm abſcondunt, doctum vocem è conditorio emittere, quam Rex pro diuina haberet. Cùm igitur Rex acceſſiſſet, vox ab eo audita eſt omnium malorum Perſidi imminentium prænuntia, niſi Maruthas procùl amandaretur, aut necaretur. Attonito Rege, & de Maruthа dimittendo ineunte conſilium, technas aperuit Maruthas edoctus diuinitùs; monens Regem, vt regreſſus in Piræum, obſeruaret qua ex parte vox exaudiretur, & confeſtim ea ex parte terram effodi iuberet. Parente monitis Iſdegerde, deprehenſus eſt qui in ſubterranea crypta ad Regis ingreſſum quaſi oraculum fuderat, & letho datus; alij verò Magi decimati, in pœnam calumniæ viro bono impactæ; réſque eo proceſſit, vt Iſdegerdes dedoctus errores quos combiberat, ac de ſuorum Magorum præſtigiis & malignitate certior factus, de Chriſto colendo cogitationem ſuſciperet. Et videbatur rem perfecturus, niſi antequàm de religione planè conſtitueret, inopina morte eſſet oppreſſus.

S. Simeon Treuirenſis Monachus, vt ſcribit in eius rebus geſtis Euervvinus Abbas, tametſi viuebat ſanctiſſimè, & in turre in qua incluſus fuerat, ſeculo mortuus, & carni ſuæ ſemper infeſtus ſoli viuebat Deo; tamen à furente populo, per indigniſſimam calumniandi petulátiam, iactatus eſt cauſa eluuionum, quibus omnia tunc vaſtabantur. Eius ſceleribus, adſcribebatur ab omnibus tanta clades. Et perpetuò interpellabant Pontificem, vt impium illum atque peſtiferum, (ſic enim appellabant,) è turri deponeret. Cumque

Digitized by Google

à Præſule virtutum hominis Dei conſcio, non audirentur, coïtione facta à rabido populo impetu irruitur in turrim, feneſtræ reuelluntur, vt vir innoxius lapidibus obrueretur. Sed Deus ſeruum ſuum tutatus eſt, ita vt conſpicati immobilem, & pro calumniatoribus ſuis preces fundentem, turbulentiſſimi quique, cicurati illico ſint, eius innocentiam & agnoſcentes, & celebrantes. Et Deus cœleſtibus operibus, innocentiæ Sancti ſui eſt atteſtatus. Scribit enim Ioannes Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 1035. quo S. Simeon animam efflauit, tantos miraculorum imbres tranſitum eius eſſe conſecutos, vt Poppone Treuirenſi Antiſtite, (illo ipſo qui Simonem incluſerat,) expoſcente; Benedictus IX. ſtatim ab obitu, S. Simonem canoniſmo decorauerit, adeò liquida & omnibus comperta fuit innocentia illius; quem paulò antè (ô iudiciorum humanorum mutabilitatem!) lapidibus obrutum, tanquam peſtiferum & exitialem voluerant.

SERIES III.

De calumniis quibus falsò imponitur labes ſpectans illum ipſum cui infertur.

Calvmniæ de quibus hactenus, ſpectabant falſas noxas in Deum, aut proximum. Quæ ſuperſunt ſpectant illum ipſum, qui calumnia grauatur, ita vt quamuis actio interdum terminetur ad alium, tamen labes & macula quæ falſò imponitur, ſiſtat in illo, nec foras proſiliat. Sicut enim dantur virtutes aliquæ morales, quæ dicuntur eſſe ad ipſum operantem, puta Temperantia atque fortitudo: ita vitia his virtutibus oppoſita, ſiſtunt in operante, eúmque commaculant. Item ſunt quædam moraliter non mala, quæ apud homines ſunt probroſa, vt defectus natalium, vel humilitas generis, morbi monſtroſi, mors horrenda, aut cum extraordinariis quibuſdam adiunctis, aptis ad mouendam ſuſpicionem, Dei in hominem ſic defunctum exacerbati. De calumniis ergo quibus omnia hæc probra falſò alicui imponuntur, agendum ſupereſt.

CAPVT I.

De labe generis, & humilitate natalium.

Generis labes hîc appellatur, exortus ex copulatione vitioſa, cuiuſmodi eſt natorum ex non coniugibus: præſertim ſi ex adulterio, vel inceſtu, aut ſacrilega commiſtione ſint editi. Item ſordet genus eorum qui oriundi ſunt ex aliquo damnatæ memoriæ, vel qui vltore gladio publicæ poteſtatis ceciderint, & qui de gente non ſancta ſunt procreati, quales ſunt qui *Marrani* audiunt. Omnia iſta, ſecundùm æſtimationem hominum, notam generi inferunt, & probro ducuntur, nec leui, iuxta Molinam Tract. 4. de Iuſt. d. 16. n. 5. & Azorium t. 3. l. 13. cap. 7. qui putant euulgationem huius maculæ, ſi vera ſed occulta ſit, eſſe mortalem; quantò magis ſi falſò impingatur. Exiſtimatur ergo eſſe graue probrum, nec abſque fundamento ſaltem plerunque. Nam ſpuria vitulamina, (vt plurimum,) peccata in quibus ſunt concepta redolent. Non nego quin aliqui fuerint ſpurij illuſtres, & virtute clari, ac etiam Sancti, vt S. Theodorus Siceota, qui ſcorti filius fuit, & S. Euſtochium Patauina, filia Monachæ de qua Bernardinus Scardeonius l. 2. de antiquit. Patauienſi claſſe 6. & S. Albanus, qui de filia à patre eſt editus;

tus ; & in antiquo Teſtamento Iephte, qui meretricis filius diſertè à ſcriptura proditur,& eleganter in hanc rem profertur à S. Hieronymo epiſto. contra errores Ioannis Hieroſ. Item admitto, hoc non eſſe verum liberorum vitium. Quin tamen plerunque parentibus reſpondeant ſic procreati liberi, negari non poteſt, & pulchrè traditur à Serario in c. 11. Iudic. q. 3. eam ob rem huiuſmodi liberi vbiuis, & omni tempore ignominioſi ac dedecore operti, vt diſertè docet S. Chryſoſtomus hom. 24. in epiſtol. ad Rom. *in morali*. Apud ipſos Ethnicos arcebantur à ſacris, vt latè Caſaubonus l. 6. in Athen. c. 6. Itaque verum comprobatur, quod dicitur Sap. 4. *Ex iniquis ſomnis* (ideſt ex commixtione quomodolibet illegitima) *filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſum parentes, in interrogatione ſua*; cùm ſcilicet quæritur, quod ſit eorum genus. Et probrum parentum, vt cauſarum, in effectum refunditur, iuxta prudentem æſtimationem. Eſto reipſa & coram Deo, aliud ſit, vt benè ſtatuit Palæotus l. de nothis c. 55. Vilitas item maiorum, vt plurimùm nocet poſteris. Eſt enim in iuuencis, eſt in equis, patrum virtus. Et ſicut trãsfunduntur cum ſemine morbi, ita plerumque & mores morboſi ac pronitates; nihilque faciliùs quàm vt liberi, viis parentum inſiſtant, in quam rem latiſſimè diſſerit Tiraq. l. 7. connub. gloſſa 1. à n. 1. & Chaſſan. p. 11. Catalo. conſid. 25. Breuiùs Sanchez 2. in Decal. c. 27. n. 7. Ex Patribus fusè Chryſoſto. hom. 45. in Matth. Præter hanc veram natalium vilitatem, corrupta ſenſa mortalium ſtatuunt aliam: qua quis ſcilicet, ex parentibus valdè tenuis fortunæ natus eſt. Nam quod Saluia. l. 3. de prouid. pridem expoſtulabat, ijdem paſſim habentur diuites & nobiles. Et verò tenuem fortunam interdum deficiunt media rectè educandi & promouendi ingenium & natiuas dotes. Sunt igitur hæc omnia calumniæ materia, ſi talis aliqua macula, (ſaltem ſecundùm ſenſum communem mortalium,) falsò alicui imponatur ; vt non rarò ſanè imponi contigit, quod exempla monſtrabunt.

Salomon à multis, referente nec improbante Palçoto l. de nothis & ſpuriis c. 55. n. 11. ſpurius eſt habitus. Suffragari videtur, qui coniugium Dauidis & Bethſabëe improbant, & nefarium ac contra legem vocant, vt Theodoretus quæſt. 25. in 2. Reg. & Procop. 2. Reg. 11. qui coniugium ſic initum, tertius anteriore adulterio pronuntiauit. Ridicula autem eſt excuſatio à Georgio Veneto adhibita t. 1. ſect. 9. probl. 475. affirmante Bethſabeam ex diuina deſtinatione æterna, fuiſſe legitimam. Dauidis ſponſam, ab Vria bona fide occupatam ; atque ita nuptias cum ea ritè eſſe celebratas. Hoc dico eſſe ridiculum. Sic enim ſi Dauid abſtinuiſſet cæde Vriæ, non peccaſſet iungens ſe Berſabëe, ſuperſtite Vria ; ſicut nemo peccat, vſurpans rem ſuam, occupatam ab alio bona fide. Periclitatur itaque Berſabëe, (niſi aliud affertur,) audire ſcortum Dauidis, etiam poſt mortuum Vriam. Et ea ratione Salomon habendus eſſet ſpurius, ſiue *Manzer*, vt eum vocat S. Hieronymus in tradit. Hebr. ad 2. Reg. & 2. Paral. ſumpta voce *Manzeris*, in ea notione qua ſignificat natum ex commixtione illegitima. Cæterùm omnino ſtatuendum eſt, Berſabëe ex quo à Dauide poſt Vriam defunctum traducta eſt in palatium, fuiſſe verè ipſi vxorem, vt diſertè dicitur 2. Reg. 11. Atque ita Salomon, à iam marito genitus eſt, de propria vxore ; nec fuit quomodolibet illegitimus, quamuis fuerit filius eius quæ aliquando fuerat adultera, quod vnum voluit ſanctus Hieronymus, ſi ipſe verè eſt Autor Operis de traditionibus, quod Bellarminus diffitetur l. de ſcriptot. in *Hieronymo*. Pugnat latè pro hac nota à Salomone remouenda, Pineda l. 1. de Salom. c. 5.

Chriſtus Dominus, qua fuit erga nos charitate, eò demiſſionis venit, vt ſuſtinuerit Deus gloriæ, à vili ſcarabæo audire quod abſque veniæ præfatione referre, pollutio ſit. Celſus eſt quem dico, homo Epicuræus, quem ſub Iudæi perſona Chriſto oblatrantem refert Origenes, ſic ſcribens l. 1. [Facit cum IESV diſſerentem Iudæum, & multis in rebus (vt ipſe putat,) illum coarguentem: & in primis, quia finxerit ſe ex virgine genitum. Eidem præterea exprobrat, quòd in vico quodam ſit Iudaico natus: & ex muliere ſordidâ & ruſticanâ, quæ vel victum manu quæſierit: & ab eo cui denupſerat, qui faber lignarius eſſet; adulterij criminis inſimulata, repudiata ſit. Ait etiam eiectam illam à viro, & turpiter errabundam, obſcurum & ſpurium pepeiſſe Ieſum, qui poſtmodùm neceſſitate coactus in Ægyptum ſeceſſerit, vbi mercede duxerit vitam, ex opere diurno conuenta. Ibidémque cùm virtutum quarundam periculum feciſſet, quibus Ægyptij admodum gloriantur; & tandem cum fama rerum & mirabilium, Deus eſt habitus.] Duplicem hic blaſphemus, labem Chriſto impingit huius capitis propriam: nempe quod ſpurius fuerit, & quod obſcuro loco natus. Priorem blaſphemiam, nequam ille, monſtroſo ortu ex Panthera adulterante & Virgine corrupta cumulabat, vt inferiùs refert Origenes; qui omnes has impietates potenter excindit, monſtrans cum corporis ſtructuræ & temperiei, animi mores ferè reſpondeant; debuiſſe Chriſto dari ortum nitentiſſimum & maximè purum, quandoquidem erat futurus ſanctorum morum magiſter optimus. Itaque iuxta prophetias quas adducit, ex Virgine viri neſcia, & ſupra ſolem nitente, fuiſſe procreatum. Quod multo minus mirum videri debere contendit Origenes, cùm aliqui inter Ethnicos, abſque vllo coïtu humano ſati dicerentur ex diuino ſemine; ac nominatim Plato ex Apolline. Immenſis molibus diſputationum quibus Patres, Iudæos & Ethnicos circa Chriſti ex Virgine natiuitatem impugnarunt, obruere liceret impium Celſum, circa hanc calumniam. Videndus nominatim Ruffinus ad tertium Symboli articulum. Alio ſenſu, Chriſtus à Iuliano Apoſtata dictus eſt nothus, vt refert S. Cyrillus l. 5. nempe quoad diuinitatem. Quam blaſphemiã benè ibi reijcit ſanctus Cyrillus.

Poſterius probrum à Celſo illatum Chriſto Domino, quòd ſcilicet eſſet humili loco natus, & ex vico, ac ex matre manibus victum ſibi parante, probrum eſt hominis ex carnis ſpiritu pronuntiantis de rebus; cùm reuera ſplendor patriæ non plus homini conferat gloriæ, quàm aſino decedat de aſinitate, ex eo quòd in magna ciuitate ſit editus, vt philoſophatur Naz. orat. de Epiſcopis. Addit Origenes libro illo 1. & latè expendit; Themiſtoclem, cùm quidam Seriphius eius triumphos retuliſſet ad patriæ præcellentiam, reſpondiſſe; nec tu ſi Athenis natus eſſes, fieri Themiſtocles potuiſſes. Quo reſponſo ſignificabat Themiſtocles, à propria virtute, non à loci præcellentia, expectandam eſſe claritatem. At Chriſtus, (vt ibidem expendit Origenes,) etiamſi natus in vico, potuit vniuerſum orbem commouere: & verò commouit, ac pertraxit ad ſua inſtituta. Iam verò eius mater, non erat adeò tenuis fortunæ quàm hic blatero comminiſcitur, ſi audire lubeat recentiores, qui Virginis facultates ſatis amplificarunt, quos inter Poza l. 2. tract. 9. cap. 1. & 2. ac Spinellus l. de Throno Dei c. 18. ac Morales l. 1. in Matth. Ego vt mendicitatem ac ſordes à Virgine ablegaui in Dyptichis Marianis parte 1. p. 1. n. 4. & 5. ita & amplum illum cenſum ac dotem præpinguem. Ea tamen mediocritas quam ibi Deiparæ conceſſi, ſufficit ad euertendam Celſi in hac parte calumniam.

Chriſtiani

Digitized by Google

Chriſtiani per aliquot è primis Eccleſię ſæculis, ignobiles rupiceſque, ac pettones, & ferè egeni, nec niſi ad fæcem populi pertinentes, ſunt habiti. Ita paſſim legimus in Actis Martyrum, quoties vir aut mulier paulò honeſtiore loco nata, cogitabat capeſſere noſtra myſteria, exprobratam illi ignobilitatem & vilitatem Chriſtianorum. Videſis nominatim Acta S. Agathæ, in quibus impius Præſes Quintianus exprobat S. Agathæ, quòd magno ſuo dedecore, ad ſeruilem ac vilem Chriſtianorum ſortem ſe abieciſſet. Elpidius Iudex eandem cantilenam S. Sabinæ obtrufit, cùm eius conſtantiam labefactare omni ſtudio niteretur. Cæcilius quoque apud Minutium, inter cætera quibus grauat primos Chriſtianos, non omittit eorum imperitiam, & ruditatem, ac vilitatem. Tametſi verò fatendum eſt cum Apoſtolo 1. Corinth. 1. vocationem Chriſtianorum ſiue actiuam, ſiue paſſiuam; in primis initiis non fuiſſe multorum nobilium ſecundum carnem, & in eo magis ſplendore gloriam Chriſtianæ religionis, quod per tales operas ſit plantata, vt S. Auguſtinus ſerm. 59. de verbis Domini, & D. Chryſoſtomus homil. quod Chriſtus ſit Deus, optimè aduerterunt: Tamē quòd ad Chriſtianam religionē, etiam primo ſeculo, non ſit aggregata niſi fæx populi, & plebs imperita ac paupertina; eſt planè falſum. Iam enim ab ineunte Eccleſia, fuere Chriſtiani nobiles cuiuſuis ferè ordinis, vt ex tabulis Eccleſiaſticis eſt compertum. Fuerunt item viri locupletes non pauci, & Doctores inſignes, vt monſtrat S. Hieronymi Catalogus Scriptorum. Itaque ad calumniam pertinuit, quod iactatum malignè ab Ethnicis eſt, de tanta ignobilitate, paupertate, & imperitia omnium primorum Chriſtianorum.

Conſtantinus Magnus, à Zozimo & aliis quibuſdam, nominatimque à Bodino in Methodo hiſtor. cap. 7. pag. mihi 302. nothus ſtatuitur. Sed hoc per calumniam ſtatui, monſtratum ſatis eſt ſuprà, cùm oſtenſum eſt, S. Helenam non fuiſſe Conſtantij patris Conſtantini Scortum, ſed veram vxorem; tametſi adigente Maximiano, Theodoram eius priuignam & adoptione filiam, acceptutus, imperiumque pro dote ſortiturus, repudiare ad tempus viſus ſit Helenam. Quod neque reipſa facere potuit poſt ritè initum matrimonium, neque ex animo tentauit facere, vt euentus monſtrauit. Nam non modò cùm ſatis potens viſus eſt, Helenam pro vxore habuit, ſed etiam genitum ex ea Conſtantinum, omnibus aliis filiis ſuis antetulit, & hæredem dixit. Igitur per calumniam affingitur Conſtantino Magno, quod fuerit nothus: & Zozimus qui id contendit, repellendus eſt, à ferendo teſtimonio in cauſa Conſtantini, cuius ſe ſemper prodit iuratum hoſtem. Homo quippè Gentiliſſimus, exciſam à Conſtantino Magno Ethnicam ſuperſtitionem ferens acerbiſſimè, id vbique omni ſtudio connititur, vt Conſtantinum mordeat aut laceret. Sed encomio quocunque ſuperior Conſtantinus, hanc muſcam morientem nihili ducit. Eum verò ab hac labe latè purgat Michael Alfordus in Britannia illuſtrata cap. 1. ſect. 2. §. 6. & 7.

Sanctus Ioannes Damaſcenus ab impio Conſtantino Copronymo *Manzer* eſt cognominatus, ſenſu Iudaico, vt notat Theophanes in Miſcella anno Copronymi 11. Chriſti 742. Iudaicum autem ſenſum illius vocis petere licet ex c. 23. Deuter. vbi *Manzer* id eſt natus Scorto, prohibetur Eccleſiæ ingreſſu. Videndus in eam rem Palæotus l. de ſpuriis & nothis cap. 16. num. 9. Calumniam verò fuiſſe, qua vir ſanctus, de patre viro ſanctiſſimo procreatus, *Manzer* audiuit, ex eius actis perſpicuum eſt. Per errorem autem & viciniam vocum, in actis S. Stephani iunioris S. Damaſcenus qui *Man-*

ζer, dicẽdus erat,refertur dictus à Copronymo *Manſur* quod ſignificat *redẽptum* vt Theophanes ſup.notat Non enim impius Copronymus tam mentis inops,quàm virulentæ & maledicentis linguæ homo,vt in iiſdem Actis habetur, honorifico *redempti* nomine virum ſanctum honeſtare voluit, ſed dedecorare infami probro natiuitatis ex ſcorto. Et dabat fortaſſis aliquam maledicentiæ eius anſam cognomen auitum, quod fuiſſe *Manſur* ait Theophanes, & Suidas V. *Ioannes Damaſcenus*. In aliqua enim vicinia corticis vocis Hebreæ, *Manzer* cum Syriaca *Manſur*, bellè ſibi viſus ludere in eo tetro & calumnioſo ſcommate, cenſeri poteſt ſpurcus Copronymus, cui tantopere exoſum fuiſſe conſtat S.Ioannem Chryſorroam Nepotem Manſur, (ita nominat Theophanes anno 13. Imperij Conſtantini)vt quotannis eum anathematizaret, propter eminentem eius orthodoxiam.

Gregorius VII. antea *Hildebrandus*, à nonnemine, ſcribitur infimo ac penè ſordido loco natus, & fabri lignarij filius. Eſtque qui addat, puerulum in patris officina, aſſulas & ſcandulas tractantem, & vanè commiſcentem,effeciſſe eam ex lignis affabrè compoſitis ſententiam; *dominabitur à mari vſque ad mare.* Quod conſpicatus quiſpiam, Patri dixit, puerulum illum fore aliquando orbis totius moderatorem. Ita nonnemo apud Onuphrium lib.4. de vana creatione Romani Pontificis;qui inter fabulas hæc omnia recenſet, imò inter calumnias ab iis confictas,quibus propoſitum erat depreciare Gregorium, vt Principibus quorum ipſe malleus erat, gratificarentur. Reuera autem Gregorius, nobili genere ortus erat in Tuſcia,ex familia de Pitiliano, cuius oppidi principatus penes eam gentem aliquando fuit. Cúmque eſſet Gregorius magnæ indolis adoleſcens, petiit aulam Imperatoris,in qua ob virtutem, collegit inuidiam non leuem:cui cedens,Cluniacum abiit, & vitam monaſticam eſt profeſſus. Tam ſubita è patria in aulam profectio, & in ea prouectio, non redolent adeò humile genus, & fabri lignarij filium.

S. Bonitus gente Aruernus,poſteáque Claromontanus in eadem prouincia Epiſcopus, calumnia grauatur natalium valdè infamium. Dicitur enim natus ex Abbatiſſa, pia quidem & religioſa muliere, ſed callidè à dapifero ſuo oppreſſa, cuius honori vt conſuleretur, Angelus infantem matris vtero fuſum, dicitur ad Anachoretam deportaſſe, qui eum per annos ſeptem aluerit, & piè educarit. Hæc tamen eſt fabula portentoſa. Nam autor anonymus S. Boniti æqualis,qui eiuſdem S. Præſulis acta deſcripſit, diſertè cap. 1. parentes eius his verbis conſignat. [Inclyta Bonitus progenie Aruernicæ vrbis oriundus fuit. Cuius pater Theodatus, mater verò Syagria vocitata eſt, è ſenatu Romano ducta nobili proſapia.]His euertitur fabula calumnioſa de S.Boniti matre Abbatiſſa & patre dapifero.

Tres pij, & ſuo ſæculo clari viri, Gratianus Monachus, Petrus Lombardus, & Petrus Comeſtor, iactati ſunt fratres ex adulterio concepti. Eóque nomine à Tiraquello l. de nobilit. cap 15.num. 32. accenſentur illuſtribus nothis. Fuerunt enim ſinguli in ſuo genere inſignes. Quod de Gratiano monſtrat Decreti compilatio; De Petro Lombardo, liber quadruplex ſententiarum Theologicarum;& de Petro Comeſtore opus Hiſtoriæ Scholaſticæ, quorum operum in Dei Eccleſiam vtilitas primi præſertim ac ſecundi, eſt omni commendatione ſuperior. Hos ergo tres inſignes viros, iactatum eſt fuiſſe germanos, ex adulterio conceptos; & matrem cùm ad extrema veniſſet, ſcelus ſuum Confeſſario aperuiſſe, ſed abſque dolore; quòd tametſi non ignoraret ingentem eſſe adulterij malitiam, tamen triſtari non poſſet, quòd vel ea via, tam claros,

Digitized by Google

claros, tam Dei Eccleſiæ vtiles filios procreaſſet. Addunt verò repoſuiſſe Confeſſarium, quòd mulier ex crimine illuſtres filios ſuſcepiſſet, fuiſſe munus diuinum: quicquid autem ipſa mulier adhibuiſſet, fuiſſe crimen magnum, atque adeò dolore digniſſimum: Quod ſi eam dolor planè deficeret, at doleret ſaltem quòd dolere non poſſet; id enim ad Sacramentum, & peccati abſterſionem ſatis fore. Refert iſta S. Antoninus 3. part. ſummæ hiſtor. titulo 18. cap. 6. Et in particulari de Gratiano ſpurio, meminit Ioannes Corraſius Tractat. de beneficiis parte 3. cap. 2. & Auctor vitæ Gratiani. Hæc tamen planè fabuloſa ſunt, & nullo modo cohærent, vt rectè ſupra ſtatuit S. Antoninus, & Bellarminus l. de ſcriptor. Eccleſ. *in Gratiano*, ac Baronius anno 1164. & disertè Hugotio, antiquus decreti Interpres, adductus à S. Antonino. Sanè vel ſola abiunctio locorum in quibus tres illi Scriptores ſunt editi, dedocere potuit protritam fabulam. Gratianus enim Cluſij in Tuſcia natus eſt, vt liquet ex iis quæ de eo adducit Poſſeuinus V. *Gratianus.* Petrus verò Lombardus, Nouariæ apud Inſubres hauſit lucem primam. At Petrus Comeſtor, Trecis in Campania Galliæ, eſt editus. Quis ergo non rideat, ſi audiat fratres dici, homines adeò diſiunctis regionibus editos? Hebetem verò admodùm faciunt matrem tot inſignium virorum, quæ cenſeret opus nefarium ex bono euentu poſſe expurgari, & reddi dignum quòd non defleatur. Nec admodùm etiam peritum ſtatuunt Confeſſarium, quem volunt cenſuiſſe, ad ſtructuram Sacramenti pœnitentiæ, poſſe ſufficere dolorem de defectu doloris peccatorum; cùm tamen certum ſit, ad compactionem Sacramenti prædicti, exigi dolorem in ipſas culpas immediatè cadentem. Videſis Suarem tom. 4. 3. part. diſtinct. 20. ſect. 1. num. 2.

Iulius II. Romanus Pontifex, referente Eraſmo, adag. *à Scapha in triumphalem quadrigam*, obſcuriſſimis natalibus dehoneſtatus eſt. Illud enim adagium exponens, quod à Syneſio de Andronico fuerat prolatum, addit. [Efferri poteſt (idem adagium) de quouis è fæce hominum ad magnas opes dignitatéſque prouecto: quemadmodum Iulius Ligur, poſt ſedentariam operam in ducendo ſcalmo diu nauatam, Sixti Pontificis beneficio, inſignibus Eccleſiaſticorum honorum ornatus, tandem ad Pontificatum Maximum emerſit.] Et exponens adagium *à remo ad tribunal*; [Dici (inquit,) ſolitum, vbi quis repente ab infima conditione prouehitur ad honeſti muneris adminiſtrationem. Id quod haud ſcio an vlli contigerit feliciùs, quàm Iulio ſecundo. Nam fama eſt, hunc iuuenem, ad ſtipem, ſcalmum remo ſubigere ſolitum: & tamen à remulco non ſolùm ad tribunal, verùm etiam ad ſummum illum rerum humanarum culmen euectus eſt. Nec contentus hoc faſtigio, Pontificiæ ditionis pomœria, multùm protulit; longiùs etiam producturus, ſi per mortis inclementiam, vitam illi producere licuiſſet.] Hæc Eraſmus, qui benè habet quod poſteriore loco, non abſolutè Iulium ſecundum ex remige Pontificem dixit; ſed ita eſſe famam retulit. At [natura famæ omnibus nota eſt,] ait Tertullianus c.7. Apolog.) an verò famæ credat, niſi inconſideratus?] Credidit verò in hac re, famæ Eraſmus, ſaltem priore loco annotato. Fuit igitur, qualem Tertullianus depingit famæ credentem. [Et quidem ſi dare luberet, Iulium II. iis fuiſſe natalibus, quos ei mendax fama, & famæ credulus Eraſmus affingit; eſſet cur potiùs inde cumularentur eius decora, quòd à tam humili ſorte, beneficio ingenij is fuiſſet, qui tantopere prouehi potuiſſet. Nec deeſſent exempla ſubuectionis aliorum Pontificum à ſorte infima ad ſupremam: ac nominatim Alexandri V. qui

in

in Creta inſula, expoſitus à pio Franciſcano ex charitate ſuſceptus, & bonis literis imbutus, euaſit denique in Eccleſiæ vniuerſæ Rectorem: necnon Adriani ſexti; vt taceam Sixtum V. quorum natales non videbantur commenſi tanto ſplendori, quantum ſunt aſſecuti. Hæc tamen anchora non eſt nobis neceſſaria in cauſa Iulij II. quem magnanimitas & erectio animi, ſtirpem redolens generoſiſſimam, aduerſariis quos habuit plurimos & potentiſſimos, denigrandum obiecit, hac in parte planè mendaciter. Fuit enim Iulius, (cui ante Pontificatum nomen *Iuliano de Ruuere*) nepos Sixti quarti Pontificis Maximi, cui antea *Franciſco de Ruuere nomen*; At Sixtus IV. falsò iactatus eſt è plebeiis & piſcatoribus editus cùm patrem haberet Leonardum de Ruuere, Equitem nobiliſſimum, vt obſeruauit Anaſtaſius Germonius, exponens indultum Hieronymi Cardinalis de Ruuere §. *Sixtus* num. 28. qui etiam §. *Magnis*, de gentis Ruuereæ antiquo, (etiam ante Sixtum) ſplendore, agit diffuſiſſimè. Debuimus hanc qualemcunque grati animi ſignificationem Iulio, cuius hîc Auenione dum Legatus & Archiepiſcopus eſſet, tot publica vſurpamus oculis, beneficentiæ ac munificentiæ argumenta.

CAPVT II.

De Otioſitate & deſidia.

OTij dedecora latè proſequitur Petrus Bleſenſis epiſt. 9. Sanè otium eſſe præter hominis naturam, ad laborem & opus factam, tradit S. Baſilius in cap. 1. Iſaiæ, ad illud, *Neomeniam & ſabathum non feram.* S. Chryſoſtomus homil. 16. in Epiſtol. ad Epheſ. & homil. 1. in illud *Salutate Priſcillam* in fine, necnon homil. 7. in 2. Corinth. ac homil. 35. in Acta, valdè otium damnat. Et præter cætera, vocat otium omnis mali cauſam & radicem. Sed nihil hæc Patrum dicta, ad oracula Spiritus Sancti, quibus in variis ſcripturis otium ac otioſos configit. Salomon ſanè Prouerb. 12. ſectatorem otij, fore vt egeſtate repleatur. Siracides verò cap. 33. ab hoc malo Magiſtro, multam ſiue omnem malitiam doceri confirmat. Legeſis Hipparchum de religioſo negotiatore num. 96. Si ex ſæculari penu aliquid in hanc rem eſt ſpectendum, Iulius Celſinus apud Gellium l. 19. cap. 10. ex Ennij Iphigenia, hæc adducit ſanè concinna.

Otio qui neſcit vti, plus negotij habet,
Quam cùm eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit; ſtudet ibi, mentem atque animum delectat ſuum.
Otioſo initio, animus neſcit quid velit;
Hoc idem eſt, neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum eſt, ire illinc lubet.
Incertè errat animus, præter propter vitam viuitur.

Quid illud ſit *præter propter* in quo Grammaticus fruſtra ſudauit apud Gellium, ex verſuum acoluthia perſpicitur. Significat enim, ita vitam exigi, vt videatur non exigi, quod ingens eſt otij dedecus. Non eſt itaque dubium, quin hoc vt Themiſtocles ſcitè appellabat, viui hominis ſepulchrum; (nam viuit quidem cùm necdum obierit; nec viuit ſed ſepultus eſt, qui non agit quæ ſunt hominis,) ſit probroſum & notam inferens, ac proinde poſſit eſſe idonea calumniæ materia; & fuit reipſa quoad aliquos Sanctorum, nuncannotandos.

Chriſtiani olim ab Ethnicis, nomine inertiæ atque adeò infructuoſitatis traducebantur. Idcirco enim inutiles & infructuoſi,

fructuoſi, & Ethnicorum iudicio habebantur; quòd otioſi eſſent, nec ſe communibus aliorum muniis aut opificiis addicerent. Refert hanc calumniam Tertullianus cap. 42. Apolog. Et ſine dubio eiús calumniæ notare volebat Flauium Clementem S. Domitillæ patrem, Domitianus eius patruelis, cùm illum *contemptiſſimæ inertiæ* damnatum, iuſſit interimi. Ita quidem Suetonius in Domitiano c. 15. At Dio in Domitiano, diſertè ait Flauium Clementem Atheiſmi inſimulatum eſſe, & cum multis aliis qui in mores Iudæorum tranſierant, morte affectum. Quibus notis manifeſtiſſimè indicantur Chriſtiani, quos & Atheos à plurium numinum reiectione, & Iudæos ab origine prima denominatos eſſe, ſuprà eſt annotatum. Radix huius calumniæ fuiſſe videtur, quòd Chriſtiani tranquillioris vitæ cupidi negotiis ſæculi non ſe addicerent, cum ea ſuffocatione ſpiritus & immediata ſollicitudine, quæ Ethnicis erat perpetua. Iuuiſſe etiam ad promouendam calumniam potuit, quorumdam mendicitas, ſiue ex virtute, ſiue ex deſidia. Ethnici quippè, aduertentes aliquos è Chriſtianis, ſanos & benè valentes mendicare, vniuerſum nomen Chriſtianum damnabant deſidiæ, & omnes Chriſtianos vocabant *Chriſtemporos.* Audi Chryſoſtomum homil. 6. in 1. ad Theſſalo. [Neque ab aliis accipiendum, neque otiandum, ſed operandum, & aliis dandum eſt. *Beatius enim eſt dare,* inquit, *quàm accipere. Et operemini,* inquit, *manibus veſtris.* Vbi ſunt qui opus requirunt ſpirituale? Vides quomodò illis omnem occaſionem huius abſtulerit, cùm dicit, *manibus veſtris.* An ieiunium quiſquam manibus operatur? An manibus peruigilia fiunt? Aut opus eſt manuum, ſi humi quiſque dormierit? Nemo ſanè hoc dixerit. Attamen de ſpirituali opere loquitur. Eſt enim reuera ſpirituale, ſi quod operatus fueris aliis dederis. Et huic certè nihil æquiparari poterit, *vt cum decoro,* inquit, *verſemini.* Vides vnde eos reprehendat? Non dixit, ne inhoneſtè agatis mendicantes, ſed idem quidem innuit, mitiùs tamen ipſum ponit, vt & percellantur, & illud non vehementer fiat. Si enim qui noſtri ſunt, illis offenduntur, multò magis extranei, qui mille occaſiones cōminiſcuntur, ſi quando hominem corpore ſanum & qui ſibiipſi poſſet ad acquirendum alimentum ſufficere mendicare, & aliorum operam implorare viderint. Propterea & *Chriſtemporos* nos vocant. Quapropter & *nomen Dei,* inquit, *blaſphematur.* At nihil horum poſuit, ſed quod eos maximè mordere poterat, nempe turpitudinem & indecorum.] Vidiſti ergo apud Ethnicos ſorduiſſe mendicitatem Chriſtianorum valentium, & *Chriſtemporos* per contemptum ab Ethnicis dictos. Eam denominationem vſurpat S. Ignatius epiſt. ad Trallianos, agens de vaniloquis & Chriſtum mercantibus, Græcè eſt χριστέμποροι.

Nullum tamen ex prædictis capitibus, ſuffragatur calumniæ propoſitæ. Chriſtianos enim vniuersè, (quicquid ſit de aliquo non ex Chriſtianis inſtitutis vitam exigente,) inertes & inutiles ac infructuoſos fuiſſe, mendacium erat, quod Tertullianus cap. 42. Apolog. validè his verbis repellit. [Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur; & infructuoſi in negotiis dicimur: quo pacto homines vobiſcum degentes, eiuſdem victus, habitus, inſtructus, eiuſdem ad vitam neceſſitatis? neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnoſophiſtæ ſumus, Syluicolæ & exules vitæ? Meminimus gratiam nos debere Domino Deo creatori, nullum fructum operum eius repudiamus, planè temperamus, ne vltra modum aut perperam vtamur. Itaque non ſine foro, non ſine macello, non ſine balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis veſtris, cæteriſque commerciis cohabitamus, &

ruſticamur, & mercamur, proinde miſcemus artes, opera noſtra publicamus vſui veſtro. Quomodò infructuoſi videamur negotiis veſtris, cum quibus, & de quibus viuimus, non ſcio.] Iuſtiùs Ethnicis ipſis ſapientiæ gloriam captantibus, inertiæ notam inurebat Seneca lib. 4. de benef. cap. 13.

Iam amor tranquillitatis, & moderatum ſtudium in negotiis, perperam inſimulatur inertiæ: cum è contrario, nullum ſit optabilius in vita bonum, pingui illo & adipali otio, quo homo ſibi intentus, & humana non niſi ad modum rotæ contingens, (vt philoſophatur S. Hieronymus in Pſalm. 77. *ſub finem*,) minùs ſibi affricat lutum rerum terrenarum. Sanctus Auguſtinus epiſtol. 110. hoc ſanctum otium à ſe captatum profitetur, & ait, in illo magnum haberi negotium. Non ſanè ex eo genere nugarum, quæ in grandioribus *negotia* vocantur, vt idem ait l. 1. Confeſſ. cap. 9. Sed ex eo negotij genere, quod maximè probatum eſt & ferax bonorum. Syneſius epiſtol. 99. huiuſmodi otium, appellat maximum bonum, quod opimi inſtar & vberis ſoli, omnia bonorum genera producit. Gulielmus ſancti Theodorici Abbas, ſcribens ad Fratres de monte Dei, appellat hoc otium, *negotium negotiorum*. Petrus Bleſ. epiſtol. 125. improbato otio deſidioſo, pingue hoc otium ſic celebrat. [Non ſitis otioſus niſi negotium, animæ otium cenſeatis. Otium enim ſine literis, Hieronymo teſte, mors eſt, & viui hominis ſepultura. Vacatio à ſollicitudinibus ſæculi, otium eſt, de quo Salomon dicit: *Sapientia ſcribitur in otio, & qui minorantur actu, percipiunt eam.* Ideò diſcipuli Domini, in ſabbatho, in die ſcilicet otij tranſeuntes per ſata, fricabant ſpicas, & veſcebantur eis: Subtiliores enim ſententiæ de occultis educuntur in tempore ceſſationis, quibus animæ ſaginantur. Porta, quæ in Ezechiele reſpiciebat ad Orientem, non aperiebatur, niſi in Sabbatho. Anima enim ſabbathizante à concupiſcentiis ſæculi, ſapientia Dei liberiùs inquirenti ſe aperit.] Perperam igitur & calumnioſè, Chriſtiani à conſentatione huiuſmodi otij, damnabantur inertiæ. Nec iuſtiùs ſic notabuntur ob aliquorum valentium mendicitatem. Nam nec ea labes (vndecunque ortum haberet,) erat reuera omnium, ſed duntaxat paucorum, ob quos vniuerſum nomen Chriſtianum ſimiliter notari, non magis iuſtum eſt, quàm ſi ob vnius fabri culpam, omnes fabri notarentur; aut ſi ob vnius Medici errorem, omnes Medici vocarentur in inuidiam, vt rectè diſſerunt Naz. orat. 14. Theodoretus l. 12. contra Græcos, Iſidor. Peluſ. l. 2. epiſtol. 52. & l. 3. epiſtol. 242. Chryſoſtomus hom. 4. de verbis Eſaiæ, & de Philoſophis agens Epictetus l. 4. Arriani cap. 8. Etiamſi ergo aliqui ex deſidia ſe addixiſſent mendicitati, vt nunc quoque vſuuenire certum eſt, non fuiſſet ea labes omnibus Chriſtianis affricanda. Tantùm ſanè abeſt, vt Chriſtiana inſtituta ſegnitiem illam conprobent, vt potiùs valdè auerſentur. Idque vel ex vno S. Chryſoſtomo, qui hanc calumniam retulit, cernere licet. Nam & loco allegato improbat mendicabulorum vilium quæſtuoſitatem per ignauiam, & optimè homil 1. in illud *Salutate Priſcillam.* Eſt ſermo 17. tom. 5. Græcol. Ibi S. Chryſoſtomus, expendens ſalutem à Paulo tranſmiſſam cooperariis ſuis in confectione tabernaculorum, eóque ex capite valdè celebrās Apoſtoli demiſſionem, ſimulque operandi ſtudium, ſcribit, quæ meritò hîc attexam tanquam malagma & calumniæ & morbi ſatis vulgati. [Hæc igitur cum nos quoque ex hac ſalutatione didicerimus, operibus ipſis ſpecimen eorum edamus, neque diuites temerè beatos prædicemus, neque pauperes vilipendamus, neque nos pudeat artium, nec opificium probrum eſſe ducamus,

Digitized by Google

ducamus, ſed otium, & nulli occupationi vacare. Si enim probrum eſſet operari, nec exercuiſſet artem eiuſmodi Paulus, neque ea de cauſa magis gloriatus eſſet, ita dicens. *Si enim euangelizauero, non eſt mihi gloria. Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium Chriſti.* Quod ſi probrum eſſet ars, nequaquam eos qui non operarentur, etiam manducare vetuiſſet. Solum enim peccatum, eſt probrum: at illud ex otio naſci ſolet, nec vnum, aut duo, aut tria tantùm, ſed omnis ſimul improbitas. Propterea ſapiens etiam quidam oſtendens omnem malitiam docuiſſe otioſitatem, & verba faciens de ſeruis, ait: *Mitte illum in operationem, ne vacet.* Quod enim eſt frænum equo, id eſt opus naturæ noſtræ. Si bonum quid eſt otioſitas, omnia ſine ſemente & agricultura terra produceret. Atqui nihil tale præſtat. Olim igitur terram inaratam ferre cuncta præcepit Deus: iam verò non ita fecit, ſed & boues iungere, & vomerẽ trahere, & ſulcum ducere, & ſemen iacere, atque aliis multis modis colere, & vitem & arbores, & ſemina hominibus imperauit, vt operationis occupatio mentem eorum, qui ſe operibus exercerent, ab omni improbitate reuocaret. Principio quidem vt potentiam ſuam oſtenderet, effecit vt omnia ſine noſtris laboribus prouenirent. *Germinet enim terra herbam fœni*, inquit, & ſtatim cuncta vernabant. Poſtea verò non ita: ſed & noſtrorum laborum opera iuſſit illa è terra produci, vt diſcas, ob vtilitatem & commodum noſtrum, laborem eſſe inuectum. Ac audis, *Inſudore vultus tui, veſceris pane tuo:* re autem verâ, quædam eſt admonitio, eſt caſtigatio, & vulnerum, quæ peccatum inflixit, medela. Quam ob cauſam & Paulus operabatur perpetuò; non interdiu tantùm, ſed etiam ipſa nocte: quod & ipſe clamans teſtatur: *Nocte enim & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus.* Neque verò temerè delectationis, aut recreandi animi cauſâ opus tractabat, ſicut multi fratres, ſed tanto ſe labore exercebat, vt & cæteris ſubſidio eſſe poſſet. *Ad ea enim quæ mihi opus erant, & iis qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ.* Homo qui dæmonibus imperabat, qui doctor erat orbis terrarum, cui omnium qui terram incolunt fuerat cura commiſſa, qui cunctas ſub ſole Eccleſias, & populos, & nationes, & vrbes, ſumma ſollicitudine curabat, nocte & die operabatur, ac ne tantillum quidem ab illis laboribus reſpirabat. Nos verò quibus ne milleſima quidem illius curarum pars incumbit, vel potiùs qui mente quidem eas capere poſſumus, in otio perpetuò vitam ducimus. Quâ verò digni excuſatione, vel quâ tandem veniâ cenſebimur? Inde cuncta in genus humanum mala dimanarunt, quod in eo maximum decus eſſe poſitum arbitrentur, vt ſuas artes minimè tractent, & ſummo ſibi crimini ducant, ſi earum peritiam præ ſe ferant. Ac Paulum quidem non pudet, ſimùl & ſcalprum manu tractare, & pelles conſuere, & viros alloqui in dignitate conſtitutos, ſed & re illâ gloriabatur, cùm ad eum viri clari & illuſtres ventitarent. Neque tantùm hæc illum agere non pudebat, ſed etiam in epiſtolis ſuis tanquam in æreo cippo, quam profiteretur artem, diuulgabat. Quod igitur ab initio, didicerat, illud & poſtea tractabat, idque poſtquam fuerat tertium raptus in cœlum, poſtquam illi Deus arcana verba communicauerat. Nos verò qui ne calceamentorum quidem eius pretio æſtimandi ſumus, nobis ea probro ducimus, quibus ſe ille iactabat.]

Ex Chriſtiano ergo inſtituto, non eſt à labore abhorrendum, & otium captandum. Nulloque ex capite cadebat in Chriſtianos illud à Seneca in aliquos intortum l. 4. de benef. cap. 13. [Vobis voluptas eſt, inerti otio aſſuefacere corpuſculum,

puſculum, & ſecuritatem ſoporis ſimillimum appetere, & ſub denſa vmbra latitare, tenerrimiſque cogitationibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem, & cibis potionibuſque intra hortorum latebras, corpora ignauiâ pallentia ſaginare.]

55. Anachoretæ, ob nimiam, (vt quidem animalibus hominibus videbatur) elongationem à rebus humanis, non modò cuiuſdam miſanthropiæ incuſati ſunt, ſed etiam inertiæ & inutilitatis in genus humanum, vt refert S. Auguſtinus l. de moribus Eccleſ. cap. 31. quem iſta ſimul refellentem & variæ calumniæ damnantem audire iuuerit. [Multi ſunt (inquit) vſque adeò Dei amore flagrantes, vt eos in ſummâ continentiâ atque mundi huius incredibili contemptu etiam ſolitudo delectet. Quid eſt, quæſo, quod vident, qui non poſſunt hominem non diligere, & tamen poſſunt hominem non videre? Profectò illud quicquid eſt, præſtantius eſt rebus humanis, cuius contemplatione poteſt homo ſine homine viuere. Iam enim accipite Manichæi perfectorum Chriſtianorum, quibus ſumma caſtitas non laudanda tantùm, ſed etiam capeſcenda viſa eſt, mores & continentiam ſingularem: ne vos impudenter iactare apud animos imperitorum quaſi difficillima rerum abſtinentia, ſi quid in vobis pudoris eſt, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis, ſed quæ nobis occultatis. Quis enim neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem, per totum orbem in dies magis magiſque diffundi, & in Oriente maximè atque Ægypto, quòd vos nullo modo poteſt latere. Nihil de iis dicam, quos paulò antè commemoraui, qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſpectu, pane ſolo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſimi, quæ niſi ſanctorum intellectu percipi non poteſt. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis, res humanas plus quàm oporteret deſeruiſſe, non intelligentibus quantùm nobis eorum animus in orationibus proſit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimus. Sed hinc diſputare longum & ſuperuacaneum puto: nam hoc tam excellens faſtigium ſanctitatis, cui non ſua ſponte mirandum & honorandum videtur, oratione noſtra videri qui poteſt? Tantum iſti admonendi ſunt, qui ſeſe inaniter iactant, intantum proceſſiſſe temperantiam & continentiam ſanctiſſimorum Catholicæ fidei Chriſtianorum, vt reſtringenda nonnullis, & quaſi ad humanos fines reuocanda videatur: Vſque adeò ſupra homines illorum animos euaſiſſe, ab eis etiam quibus id diſplicet iudicatur.]

Religioſi, iam olim deſidiæ & otioſitatis ſunt inſimulati. Sic habetur ex Origene homil. 3. in Exod. vbi tractando moraliter increpationem Pharaonis, arguentis Moyſem & Aaron, quòd peruerterent populum ab operibus, ait: [Hoc quidem dicebatur antiquis. Sed & hodie ſi Moyſes & Aaron, id eſt propheticus & ſacerdotalis ſermo animam ſollicitet ad ſeruitium Dei, inuitétque eam exire de ſæculo, renuntiare omnibus quæ poſſidet, operam dare diuinæ legi, & ſequi verbum Dei, continuò audies dici ab his qui Pharaoni vnanimes & amici ſunt: Videte quomodò ſeducuntur homines, & peruertuntur; quales adoleſcentes ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis proſit, relictis rebus neceſſariis & vtilibus ineptias ſectantur & otium. Quid eſt ſeruire Domino? Laborare nolunt & inertis otij occaſiones requirunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc & nunc amici eius & familiares loquuntur.] Valens Arianus

ea-

Digitized by Google

ea lege quæ extat l. 10 Cod. Iuſtinianei eſtque 26. in titulo de Decurionibus, eodē probro reſpergit Monachos. [Quidam (inquit) ignauiæ Sectatores deſertis ciuitatum muneribus, caprant ſolitudines ac ſecreta, & ſub ſpecie religionis cum cœtibus monazonton congregantur. Hos igitur atque in huiuſmodi deprehenſos, erui latebris, conſulta præceptione mandamus, atque ad munia patriarum ſubeunda reuocari, aut pro tenore noſtræ ſanctionis familiarium rerum carere illecebris]

Fucos ignauum pecus, & laboris refugas, Monachos vocat Libanius orat. pro templis. Cauſidicus cum Monacho diſceptans, apud Marcum Eremitam, dolens quod Monachi litigandum negarent, exprobrat eis otium, ipſo diſceptationis initio. Inſiſtens eiſdem veſtigiis Gulielmus de S. Amore q. de valido mendicante, & ſæpè in reſponſionibus ad obiecta, otioſitatis & inertiæ grauiter culpabilis damnat Monachos validos, mendicantes quanquam metu cenſuræ nonnullas interdum temperationes adhibet, & nominatim ſub initium libri reſponſionum 5. *& vt de materia* vbi ſeptem limitationes proponit, quibus appoſitis hæc calumnia vix poteſt in Religioſos cadere. Móxque ſubdit, ſe doctrinam illam de mendacitate in benè valentibus illicita, intellexiſſe præcipuè de quibuſdam imò penè innumeris ſecularibus ignauis; nominatimque de quibuſdam iuuenibus, quos tunc vocabant *bonos valetos*, & de quibuſdam mulieribus iuuenibus, quas *Beguinas* nominabant; quæ omnes perſonæ nullis aſtrictæ legibus Religioſis, nec vllam habentes otij ſui excuſationem idoneam, prætextu orandi reſpuebant operationem. His obiiciebatur inertia citra calumniam.

Veris autem & probatis Religioſis, etiamſi ex idonea cauſa non operentur manibus, deſidia & otioſitas obiicitur per calumniam. Hoc confirmat S. Auguſtinus bona parte libri de Opere Monach. Nam quamuis contendit, pium eſſe & ſanctum, imitatione Apoſtoli laborare manibus, ad parandum victum; & vt ſuppetant quæ egentibus erogentur: tamen admittit, cum laude aliquos, abſque opere manuum, accipere ex aliena beneficentia vnde vitam ſuſtentent. Et ſanè quoad eos qui laborant in verbo, aut qui ſe comparant ad laborandum, vel eos qui hiſce aut laborantibus, aut ſe ad laborandum comparantibus ſunt ſubſidio; liquidum eſt ex Apoſtoli doctrina, fas eis eſſe ſuſtentationem aliunde accipere, quàm ex ſuo manuum labore. Cœteros ſi qui ſunt quos per valetudinem liceret operari, excuſare poteſt opera in Deum laudandum nauata, vice populi. Quo pacto ſeminantes proximis ſpiritualia, magnum non eſt ſi eorum temporalia metant. Videſis Rupertum l. 3. in Reg. S. Bened. à cap. 4. ad 13.

Hanc inertiæ & otioſitatis calumniam, non otioſè tantùm, ſed & malignè, omnibus Religioſis(vt hactenus retuli) impactam, ſpecialiter Cartuſianis ob plenam à ſeculo ſeceſſionem, impegere profani quidam, vt latè refert atque refellit Petrus Sutoris lib. 2. de vita Cartuſ. Tract. 2. cap. 2. *pag. mihi* 409. Sed eſt calumnia quæ per ſeipſam concidit. Poteſt enim Cartuſianus quiſque profiteri, quod de ſe B. Auguſtinus, cum ſecedens à curis muneris Epiſcopalis, captánſque ſanctum otium, ſic conteſtabatur. [Meum otium, magnum habet negotium.] Itaque negabat poſſe ſe inertiæ ac otioſitatis notari, ob eam ſeceſſionem, & negotiorum humanorum abiectionem. Niſi ſi Angeli & beati cœlites, quia nugis maiorum noſtratibus, quæ nomenclatore eodem B. Auguſtino negotia vocantur, nequaquam diſtinentur, otioſitatis & inertiæ ſunt inſimulandi, quod nemo ſanus in cogitationem admittat, cùm ea ſit maxima ac congruen-

congruentiſſima & homine digniſſima occupatio, vacare Deo ſoli, abiecta quantum fas eſt, cura & ſollicitudine de rebus inferioribus quibuſcunque. Et inde latè depellit notam inertiæ Monachis calumnioſè impactam. Monachus apud Marcum Eremitam in diſceptatione cum Cauſidico. In hoc itaque nauiter incumbunt Cartuſiani; atque adeò per nequitiam non ferendam, nec niſi ex Satanæ aſpiratione conceptam, otioſitatis & inertiæ ſunt inſimulati, quorum ſanctum otium omni negotio humano negotioſius, nullo reuera præconio æquari poteſt.

S. Trudo Haſbaniæ ciuis, ac demum Apoſtolus, cum à S. Remaclo Tungrenſi Antiſtite, Metas ad Glodulphum Epiſcopum miſſus, ab eo perhonorificè exceptus eſſet; inuidiam in ſe aduocauit domeſticorum Glodulphi, quos Theodoricus Abbas l. 1. de vita S. Trudonis c. 10. inducit expoſtulantes verbis illis. [En quò deuenimus, vt peregrina & otioſa paupertas honoretur, domeſtica & officioſa familiaritas contemnatur?] Et inferiùs cap. 14. narratur, S. Trudonem legatis rebus ſuis Eccleſiæ S. Stephani Metenſis, ab Oeconomo qui annonæ publicæ diſpenſator erat, audiuiſſe deſidioſum & ignauum. Sic enim habet Theodoricus, de Oeconomi ſenſu quoad ſanctum virum. [Circuncunſtante multitudine. Quid ſibi, inquit, vult aduena iſte, vt de remotis terrarum partibus huc ingratus veniret, & deſidioſus abſque opere, alieno cibario ventri morem gereret? Nunquid aut Haſbania præter ſolitum panes de habet; aut otioſos, nemo niſi Metis, ſemper habet?] *Dehabet*, barbarè dixit, pro *non habet*. Exprobrat ergo viro ſancto Oeconomus, ſatis elementorum ſuppetere ei poſſe in patria abſque grauatione Metenſium, in cibaria ignauo ſuppeditanda. Calumniam, agens pro S. Trudone populus, ſufficienter diſpulit. Nec Deus in tempore defuit. Nam cùm allegata eſſet cura & diligentia ſancti viri in addiſcendo pſalterio; & ſubſannans id ſtudium Oeconomus, imprecatus ſibi eſſet dolorem dentium, ſi aliquando illud mandaſſet memoriæ; poſt annum cùm vir ſanctus plenè didiciſſet Pſalterium, Oeconomus tanto dolore dentium vexatus eſt, vt potiùs Energumenus videretur quàm laborans dentibus, & ex eo dolore denique obiit, omnibus iuſtum Dei iudicium demirantibus: vt qui calumnioſè ſeruum Dei lacerauerat, & infixo leoninò dente diſcerpſerat, vocans otioſum ac deſidem, adnata dentibus veluti rabie, efflaret animam.

CAPVT III.

De ſuperbia & ambitione.

SVperbia tantum malum eſt, vt Deum habeat aduerſarium, iuxta illud, *Deus ſuperbis reſiſtit*. Idque D. Auguſtinus 3. de doctr. Chriſt. cap. 23. & ſerm. 53. de verb. Dom. & in Enchiric. 98. altiſſimo ac ſaluberrimo ſacramento, per vniuerſam faciem ac quaſi vultum ſanctarum ſcripturarum, admoneri docet. [Vide frater, (inclamat S. Hieronymus epiſtol. ad Antonium,) quale malum ſit, quod Deum habeat aduerſarium.] Et in ſpeciem quidem, attollit hominem ſuperbia; vnde *meteoriſmus & latio in ſublime* dicta eſt, apud Lucam c. 12. vt benè expendit Turrianus ad c. 94. S. Diadochi. Et idcirco à Bleſenſi epiſto. 90. *natione cæleſtis* dicitur, quia ſemper tendit in altum, & effertur. Reipſa tamen deprimit & deijcit, in quam rem optimè Nyſſenus l. de vita Moſis cùm de Dathano & Core; & Auguſt. 14. Ciuit. cap. 13. qui etiam in Pſal. 18. verſ. 14. *delictum maximum* interpretatur ſuperbiam. Multis in hoc peſtiferum malum conclamat Climacus gradu 22. & Chryſoſtomus hom. de deſperatione & ſuperbia,

Digitized by Google

ſuperbia, & Caſſianus l. 7. de inſtitu. ac creditus Auguſtinus ſect. 31. ad erem. Huius impuriſſimæ parentis filia primogenita, eſt ambitio matre nequior; quam eſſe ruinæ cauſam, rectè conteſtatus eſt S. Cyprianus ſerm. de ieiunio: & patuiſſe in Arrio, qui alliſus & contritus eſt præ ambitione Epiſcopalis faſtigij, monuit S. Cyrillus in homilia quæ habetur in Concilio Epheſino tom. 6. Concilij Epheſ. cap. 6. Hoc virus vnde in Eccleſiam inferri ſolet exitium, S. Chryſoſtomus aureo opere de ſacerdotio, quod refugiendum potiùs quàm ambiendum monſtrat, inſigniter inſectatur. Videndus etiam Bleſenſis Epiſtola 23. & 90. Auerſati ſemper ſunt Sancti ſuperbiam & ambitionem, benè conſcij malorum inde progerminantium; neque tamen euaſerunt calumniam quòd eis ſubiacerent, vt nunc liquebit.

Chriſtus Dominus, à Celſo Epicuræo, ſuperbiæ & vanitatis inſimulatus eſt. Sed eſt calumnia blaſphema, quam Origenes l. 2. contra Celſum *non multùm ab initio*, his breuiter refellit. [Oſtendant velim, vbinam aliquid in Ieſu dictis inueniatur, quod vel paululum inſolentiæ præferat. Nam quo pacto inſolens & ſuperbus videbitur, qui huiuſmodi dicat, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris?* vel quomodò ſuperbiæ is arguetur, qui vbi cœnatum eſt, veſte depoſitâ & linteo circuncinctus, effuſâ in peluim aquâ, ſingulorum diſcipulorum abluerit pedes: & hoc perferre nolentem arguerit, dixeritque, *Niſi hos lauero, mecum partem non es habiturus?* vel cur dici elatus animo poteſt, qui illud protulerit? *Et ego factus ſum inter vos non vt recumbens, ſed vt miniſter.*] Iuſto profectò molliùs, Origenes, hanc blaſphemam calumniam videtur repuliſſe, cùm vniuerſa ſcriptura & vetus & noua, ſcateat molibus locorum, quibus ſumma Chriſti humilitas ingeritur. Gregorius Nyſſenus orat. 1. de beatitud. paupertatem illam Spiritus quam Chriſtus *beatam* dixit, interpretatus humilitatem, breuiculum operum & adiunctorum penes quæ humilitas Chriſti agnoſcenda eſt, his paucis confecit. [Nullum aliud naturæ noſtræ malum tale eſt, qualis eſt is qui per ſuperbiam nobis morbus ingeneratur. Quoniam igitur omnibus propemodùm, qui humanæ naturæ participes ſunt, vitium elationis quodammodò innatum eſt: idcirco Dominus hinc initium beatitudines exponendi facit, tanquam primordiale malum quoddam, & habitu noſtro ſuperbiam eiiciens, dum conſulit vt imitemur eum qui ſponte ſua egenus fuit, qui verè beatus eſt, vt in quo poſſumus pro virili noſtrâ parte aſſimilare ex eo quod noſtrâ voluntate egeni paupertatem ſecuti fuerimus, etiam beatitudinis communionem attrahamus & adſciſcamus. *Hoc enim quiſque ſentiet, inquit, inter vos, quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt, quòd Deo par & æqualis eſſet: ſed forma ſerui ſumptâ, ſeipſum exinaniuit.* Ecquid magis in Deo mendicum, quàm forma ſerui? Quid in Rege rerum vniuerſarum humilius, quàm in communionem inopis ac mendicæ noſtræ naturæ veniſſe? Rex regnantium & dominus dominantium, ſponte ſua formam ſeruitutis induit: iudex rerum vniuerſarum principibus tributarius exiſtit: creaturæ dominus in ſpeluncâ diuerſatur: qui mundum vniuerſum complexus eſt, non inuenit locum in diuerſorio, ſed in præſepio brutorum animalium abiicitur: purus ille & incorruptus, humanæ naturæ ſordes non reſpuit, ac per omnem noſtram mendicitatem penetrans, vſque ad mortis progreditur experimentum. Videte voluntariæ mendicitatis modum. Vita mortem guſtat; iudex in iudicium ducitur, dominus vitæ rerum vniuerſarum ſubiicitur iudicis decreto: ſupra

ſupra mundanarum omnium copiarum rex, carnificum manus non repellit. Ad hoc, inquit, exemplum, modus animi demiſſionis tibi ſpectet.] Sic medicanti ſuperbiam noſtram tanta humilitate ſua, autori humilitatis, repreſſori tumoris, (vt eum appellat S. Auguſtinus, ſerm. 74. de tempo cap. 7.) quo colore potuit ſuperbia impingi; Qui in omnibus humilia quæque & demiſſa captauit, (& congruenter ſanè, vt diſſerit S. Cyrillus l. 6. in Iulia. *ſub finem*) quanam tandem ratione, niſi per rabiem fanaticam, potuit audire ſuperbus & arrogans?

B. Maria humilitatis exemplar, dicta eſt captaſſe per ambitionem, vt Chriſtus miraculum ante tempus patraret, ideóque repulſam paſſa eſſe. Dixit hoc vir ſanctus, ſed non ſanctè, eúmque exceſſiſſe hac in parte, pronuntiauit D. Thomas 3. p. q. 27. artic. 4.

Conſtantinus Magnus, ab Eunapio *in Aedeſio*, notatur ambitionis. Ait enim Eunapius, Conſtantinum [infinitam populi multitudinem, è debellatis vrbibus Conſtantinopolim tranſtuliſſe, ac circum ſe habere voluiſſe ad captandos in theatro à temulentis & crapulam ructantibus plauſus, ambientem à titubante populo laudari, nominarique ab his qui difficulter nomen ſonant ex vſu.] Indéque ait factum, vt cùm naues difficilè appellerent Byzantium, ni ſecundus puruſque Auſter afflaret, iſque à longo tempore quieſceret, perſuaderi ſibi Conſtantinus à plebe ſineret, Sopatrum vinxiſſe ventos: vnde Sopatro, ab Imperatore laudibus vulgi ebrio, ſecuris impacta; agente præſertim Ablauio prætorij præfecto, qui Sopatri claritatem qua ſuperabatur, ferre æquanimiter non poterat. Hæc omnia Eunapius: quæ quatenus Conſtantinum ſpectant, meræ ſunt nugæ calumnioſæ, ab Eunapio vel excogitatæ, vel diſſeminatæ in odium Conſtantini, quem Ethnici omnes habuere exoſiſſimum, ob abiecta Ethnica ſacra, & ſuſceptum Chriſtianiſmum. Quæ plaga cùm recruduiſſet tempore Eunapij, ob diſiectum tunc templum Serapidis, mirum quantum homo Ethniciſſimus in Chriſtianos Principes, (ſed in Conſtantinum maximè,) conceperit odium, quod ad omnem occaſionem effundit in ſcripta. Atque adeò non plus ei Conſtantinum laceranti fidendum eſt, quàm hoſti ſine probatione, ſine teſte, hoſtem cui ſit infenſiſſimus, criminanti.

S. Athanaſius, & Liberius Papa, in Colloquio Conſtantij & Liberij, deſcripto à Theodoreto l. 2. hiſtor. cap. 16. calumniam huc pertinentem ſunt paſſi: quam referam ex illius colloquij contextu, qui relatus eſt à Caſſiodoro in hiſtoriam Tripartitam l. 5. cap. 17. quia quamuis contextus ille nonnihil variat ab iis quæ leguntur apud Theodoretum ex nupera interpretatione, tamen non eſt inuer iſimile diſputationem quæ legitur in Tripartita, eſſe primigeniam; ita vt cùm Liberius & Conſtantius Latinè ſint collocuti, Epiphanius Interpres à Caſſiodoro adhibitus ad opus illud hiſtoriæ Tripartitæ Latinis tradendum, eam diſputationem qualis Latinè extabat, non verterit, etiam ſi apud Theodoretum, in Græcum verſa, indéque rurſus Latinè reddita, paulò aliter ſonet. Sic igitur de Athanaſio in ea diſputatione Conſtantius. [Nos & eo quòd Chriſtianus ſis, & Epiſcopus noſtræ Ciuitatis, dignum hoc iudicauimus, vt euocantes, te moneremus vt communionem ſceleratiſſimi Athanaſij, & ineffabili ſuperbia detenti, abnegare non differas.] Et inferiùs Epictetus Epiſcopus Imperatorem palpans, de Liberio ait. [O Imperator, non fidei cauſa hodie, neque Iudiciorum Eccleſiaſticorum facit: ſed vt apud Senatores in Romana conſtitutos vrbe glorietur, quaſi ſuperauerit Principem.] Itaque S. Athanaſius ſuperbiæ & quidem ineffabilis notatus eſt,

eſt, Liberius autem captatæ gloriæ apud Senatores.

Sed vtraque calumnia fuit omnino malè materiata. Nihil enim S. Athanaſio humilius, qui omnes virtutes in ſe collectas continebat, vt ait Naz. orat. 21. addens tamen, cum cùm ſuperbis reſiſtendum erat, fuiſſe infractum atque bellacem. Et hæc eſt germana cauſa, cur à Conſtantio habitus ſit ſuperbus. Quia enim Conſtantius in Arrij hæreſim iurauerat, & eius promotionem ac fidei Catholicæ eradicationem receperat, ferre non poterat ab vno ſibi Antiſtite obſiſti, cæteris ferè omnibus, quà pretio, quà honore, quà timore ſubactis, vt Naz. ibidem teſtatur, nec non Liberius in Colloquio de quo ſuprà. Eam ergo in Athanaſio firmitatem animi, & acrem pro fide conſtantiam, calumnioſè Conſtantius interpretabatur ſuperbiam Principi nequaquam cedentem. Æquè calumnioſè Liberius, ob intrepidam, (nunc quidem,) pro Iuſtitia, indirectéque pro fide, alacritatem & immobilitatem, ſpretis Conſtantis & muneribus & minis, dictus eſt captaſſe inanem gloriam. Benè enim S. Gregorius 7. mor c. 22. & 23. verba rantæ ſeueritatis & excelſitatis in Sanctis liberè obſiſtentibus impiæ Principum voluntati, eóſue arguentibus & increpantibus, non ad elationem animi, neque ad gloriæ captationem, ſed ad zelum pro Domino omni ex parte approbandum docet pertinere.

S. Baſilius ambitionis inſimulatus eſt, quaſi captaſſet ſedem Neocæſarienſem. Refert ipſe eam calumniam Epiſtol. 64. & potenter refellit, his præter cætera. [Quid opus eſt ad inania ſomnia confugere, & ſomniorum coniectores iſtos conducere, nõ que publicis conuiuiis temulentorum inter pocula fabulam facere? Ego verò, etiam ſi apud nonnullos alios locum habuiſſent iſtæ calumniæ, vos tamen animi ac ſententiæ meæ teſtes aduocaſſem. Nunc igitur quémque veſtrûm oro, vt veterum actorum illorum recordemini, quæ geſta ſunt, cùm nos vrbs veſtra vocaret: mitteretúrque legatio virorum, qui magiſtratu apud vos funguntur. Deinde quomodò paſſim nobis populus omnis circunfuſus ſit. Hic quid non dabant omnes? Quid non pollicebantur? Et tamen obtinere nos nequibant. Quomodò igitur qui tum cùm vocabar non obedini; nunc citra vocationem, meipſum intrudere conatus eſſem? Quomodò conſectarer & ambirem iam calumniantes: cùm aliquando laudantes me & celebrantes, fugerim? Ne credaris hoc optimi viri. Non vſque adeò noſtra floccifacimus Neque enim prudens quiſquam nauigium gubernatore deſtitutum ingredietur.] Subdit paulò pòſt, hæc fuiſſe calumnioſa figmenta Sabellianorum occultorum, qui ne conuincerentur, auertere Baſilium, & exoſum reddere ſatagebant. Sanè vt rationes propoſitæ ad illius calumniæ depulſionem, non eſſent ſatis validæ, (ſunt autem reuera validiſſimæ;) tam fortiter támque ſplendidè humilitatem paſſim celebrat, & ambitionem ac ſuperbiam inſectatur S. Baſilius; vt incredibile videri debeat, eum tales notas, imponentibus æmulis, ſubire potuiſſe.

S. Gregorius Nazianzenus, affectatæ per ambitum cathedræ Conſtantinopolitanæ, eſt accuſatus. Refert ipſemet eam calumniam & purgat, tota orat. 27. Conteſtatur ea Oratione Theologus, ſe per vim, & adactum, clamantémque & lamentantem, impoſitum onus excepiſſe: nec gratius quicquam habiturum fuiſſe, quàm ſibi viuere. Itaque concludit. [In gratiam cũ veritate redeant, qui nos alienam vxorẽ expetiuiſſe aiunt, cùm ne propriam quidẽ habere voluerimus.] Non eſt veriſimile, quòd ad hunc locum ait Elias, S. Gregorium fuiſſe paſſum calumniam captatæ alienæ vxoris, qui cœlebs ſemper

 vixerat,

vixerat, ad grauem vſquem ætatem, in qua hæc oratio eſt habita. Nec iam Epiſcopus, (etiam iuxta Græcorum morem,) potuiſſet de vxore cogitare. Nec homo ea ætate & ſanctimonia, credendus eſt habitus idoneus, cui calumnia abductæ viro ſuo vxoris ad abuſionem, imponeretur? Quare *vxor propria* quam habere noluerat, eſt Eccleſia Saſimorum, quam aliquandiu rexit. *Aliena* verò *vxor* cui inſidiatus ferebatur, eſt Eccleſia Conſtantinopolitana, quam vi adactus acceperat. Artes hæ erant Maximi, ex Cynico Philoſopho Chriſtiani, qui per ſimulationes, & artes malas, in ſedem Conſtantinopolitanam irrepere tentabat: & niſi fauor populi, ac præſertim diuina prouidentia, rem diſturbaſſet, ea ratione quæ orat. 28. exponitur, aſſecutus eſſet intentum. Porrò purum ſe ab hac labe ſatis monſtrauit S. Gregorius, cùm vltro denique ceſſit ea ſede.

S. Chryſoſtomus, ab Eudocia & partiariis, faſtus & arrogantiæ ac inſolentiæ, vt ex interprete loquitur Metaphraſtes in Sancti viri Actis, inſimulatus eſt ſuperbiæ. Socrates ſanè l. 6. cap. 14. ex Seueriano Gabalorum Epiſcopo, Chryſoſtomi eloquentiæ æmulo, ad populum Conſtantinopolitanum agente cùm primùm extruſus eſt, hæc verba refert. [Etſi in nullo alio vituperandus Ioannes eſt, eius tamen ſuperbia, crimen eſt ad damnationem ſufficiens. Omnia nàmque peccata remittuntur hominibus, ſuperbis autem Deus reſiſtit, ſicut ſanctæ Scripturæ docent.] Cæterùm hanc fuiſſe calumniam manifeſtum eſt ex perpetua ſuperbiæ inſectatione & humilitatis commendatione apud S. Chryſoſtomum. Nec minùs factis comprobauit ſtudium ſuum erga humilitatem, quàm oratione ac ſcriptis, vt vniuerſa eius Acta teſtatum faciunt. Neque verò ſancta libertas in arguendis peccantibus quantumuis ſublimibus, iure à Seueriano notata eſt ſuperbiæ: Alioqui Baptiſta, & omnes qui locuti ſunt de diuinis teſtimoniis in conſpectu Regum, quorum multos collegit S. Gregorius l. 7. Moral. c. 11. inſimulādi eſſent ſuperbiæ: cùm tamen in ſcriptura, tanquam probati ſerui Dei commendentur, etiam quoad eum actuum liberè admonendi, & arguēdi peccatores, quantumcunque ſublimes.

Cum ſuperbiæ maculam ex hoc capite S. Chryſoſtomo illitam abſterſiſſet in ſuo Dialogo Palladius, addit, Theodoro Romano in Chryſoſtomi laudes effuſo, vnum ex aſtantibus in eam erupiſſe vocem. [Quonam modò cùm tot inſignibus ſanctitatis Ioannes excelleret, ſuperbus tamen erat.] Rogatus vnde id haberet, reſpondit ſe quidem Ioannem vidiſſe nunquam, audiſſe autem de Coriario quodam, referente Ioannem extra Collectam Eccleſiaſticam, raro ad colloquium admiſiſſe quenquam; [Hoc autem ſuperbiæ ac faſtus apertum documentum eſt, conſortia ſe quærentium & alloqui volentium fugere,] Hæc fuit in S. Ioannem, digna Coriario putoribus aſſueto, calumnia, vt Palladius rectè ait, qui ad depulſionem huius probri, ſubdit. [Si ſuperbiæ indicium eſt vitare turbas, erit & Ioannes Baptiſta ſuperbus (ſecundum rationem tuam,) qui ad deſerta ſeceſſit. Saluator item non effugiet crimen; & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius & non turbæ. Et rurſus cùm vidiſſet turbas, receſſit ſeorſum, cuius exemplum Ioannes quoque noſter ex viribus imitatus, fugiebat turbas, eiſque maximè delectabatur, qui veraciter diſcere aliquid vellent.] Et cùm inſtaret aduerſarius, Ioannem à duobus quoque aut etiam ab vno, ſeceſſiſſe, & non à turbis tantùm, reponit Palladius [Et vnus quoque, ſi nugator & inutilis fuerit, turba eſt. Denique eiuſmodi ille fuiſſe videtur, qui cùm Saluatori diceret *Magiſter, ſequar te quocunque ieris*, audire meruit *Vulpes foueas habent*, & reliqua.]

Sanctus

Sanctus Auguſtinus, à Secundino Manichæo accuſatus eſt, quòd præ ambitione, iuncto timore incommodorum quæ inter Manichæos ſubiturus eſſet, ad Catholicos acceſſiſſet. Audi ipſum Auguſtinum, eam calumniam, & referentem & refellentem l. contra Secundinum cap. 1. [Quod de animo meo verum non ſentis, facilè contemno. Hoc enim ſentis, quod etſi in me non agnoſco, fieri tamen poteſt, vt ſit in homine. Ergo etiam ſi erras in me, non tamen ita erras, vt me de hominum numero exiſtimat tua opinio: quia id de me credis, quod fieri poteſt in animo humano, etiam ſi non ſit factum in animo meo. Nec igitur opus eſt, vt tibi hanc ſuſpicionem magnoperè coner auferre. Non enim ſpes tua pendet ex me, aut bonus eſſe non potero, niſi ego fuero. Senti de Auguſtino quicquid libet, ſola me in oculis Dei, conſcientia non accuſet. Quod enim ait Apoſtolus, *Mihi minimum eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Ego autem vicem tibi non rependam, vt de tua mente aliquid exiſtimare in malam partem audeam, quod intueri non valeo. Nec dico, quòd me ſubdolè lacerare volueris: ſed tantùm de te opinor, quantum de te indicas verbis. Quamobrem etſi non bona de me ſuſpicatus ſis, quod carnali timore alicuius incommoditatis, quæ de veſtra ſocietate mihi accidere poterat, hæreſim Manichæorum relinquerem; vel cupiditate honoris, quem in Catholica adeptus ſum: tamen non de te viciſſim malè ſentiens, credo eſſe beneuolam ſuſpicionem tuam, & hoc non criminandi cauſa, ſed corrigendi ſtudio ſcripſiſſe te exiſtimo. Si autem mihi accommodares credendi beneuolentiam, quoniam latebras animi mei arguis, quas vtique promere ad oculos tuos & demonſtrare non poſſum, facilè de ipſo mutares ſententiam, & nolles ampliùs temerè affirmare quod neſcis.]

Idem S. Auguſtinus, vt ſunt hominum ingenia ad malè de aliis pronuntiandum prona, calumniam ſuperbiæ paſſus eſt, cùm ordine ſacro initiandus eſſet. Audi Poſſidium cap. 4. Actorum S. Doctoris. [Eodem tempore in Eccleſia Hipponenſi catholicâ. Valerius Sanctus Epiſcopatum gerebat. Qui cùm flagitante eccleſiaſticâ neceſſitate, de prouidendo & ordinando presbitero ciuitati, plebem Dei alloqueretur, & exhortaretur, iam ſcientes Catholici ſancti Auguſtini propoſitum & doctrinam, manu iniectâ, quoniam & idem in populo ſecurus & ignarus quid futurum eſſet, aſtabat. Solebat autem Laicus, (vt nobis dicebat,) ab eis tantùm Eccleſiis, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinere præſentiam. Eum ergo tenuerunt, &, vt in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus id vno conſenſu & deſiderio fieri perficique petentibus, magnóque ſtudio & clamore flagitantibus, vbertim eo flente: nonnullis quidem lachrymas eius, vt nobis ipſe retulit, tunc ſuperbè interpretantibus, & tanquam eum conſolantibus ac dicentibus; quia locus presbyterij, licet ipſe maiore dignus eſſet, appropinquaret tamen Epiſcopatui. Cùm ille homo Dei, vt nobis retulit, maiori conſideratione intelligeret & gemeret, quàm multa & quàm magna ſuæ vitæ pericula, de regimine & gubernatione Eccleſiæ impendere iam ac prouenire ſpectaret, atque ideò fleret.]

Eundem S. Auguſtinum à Creſconio intolerandæ arrogantiæ calumniam paſſum, Lego libro aduersùs illum Grammaticum 1. cap. 3.

S. Simeon Stylites, magnum (vt Theodoretus in Relig. hiſtor. rectè vocat) orbis miraculum, quique eodem teſte Theodoreto, tamen ſupra humanum vſum ac morem paſſus eſt, vt dubitatum ſit à nonnullis, veréne eſſet homo; à nonnullis, captatæ per eam inſolitam vitæ rationem vanæ gloriæ eſt inſimulatus, vt eſt in

Actis S. Danielis Stylitæ à Metaphraſte exhibitis 12. Decemb. vbi ſic legitur. [Poſtquàm fuiſſent in illo vico qui nominatur *Telada*, vbi magnus ille in ſanctitate Simeon, magnos illos peragebat labores exercitationis, cùm ad ipſam iam veniſſent columnam; contemplabantur & columnæ altitudinem, & æſtatis calorem, & minas imbrium, & vim ventorum, & omnem aliam corporis tolerantiam. Cùm hæc viderent, quidam inſipientiores exiſtimabant, Sanctum vana gloria adductum, tanta ſuſtinere certamina. [Quid hac calumniandi malignitate deteſtabilius? Longè aliud S. Danieli viſum eſſe, Actorum eius ſcriptor teſtatur. Et vt defuiſſent inſignia miracula diuinæ erga Simeonem beneuolentiæ ſolis humilibus repenſæ pignora, idem poterat efficaciter perſuadere ſolida eius humilitas; qua ad nutum ſubiacebat Maioribus; ita vt de columna deſcendere ad minimum nutum paratus eſſet, & profiteretur ſe grauari delatis honoribus, vt ipſemet conteſtatus eſt Baſilicum Saracenorum Regem, vermem ex eius corpore deciduum colligentem & oculis ſuis admouentem. Eiuſdem ad Baſilium Imperatorem literas, quibus ſe *abortum Monachorum* appellat, repræſentat Euagrius l. 2. hiſtor. Eccleſ. c. 10.

S Marcellus Abbas Monaſterij Acœmetarum, de quo Metaphraſtes 29. Decemb. notatus eſt ſuperbiæ latentis, ſed per calumniam, & ex mera temeritate eorum qui notarunt. Alexandro enim Abbate, à quo inter Monachos cooptatus fuerat, vita functo, electus eſt condiſcipulus eius Ioannes in Abbatem, cùm ipſe B. Marcellus notata totius cœnobij erga ſe voluntate, certus ſe eligendum in Cœnobiarcham ſi maneret, nullo conſcio receſſiſſet à monaſterio, amore quietis & deſiderio ſeruiendi Deo in humilitate & ſubiectione. Non defuerunt tamen, qui ſanctum eius animum peruerterent. Finxerunt itaque nonnulli, eum per ſuperbiam ſeceſſiſſe. Quòd enim præuidiſſet fore vt Ioannes ipſi præferretur, idcirco captatam ab eo fugam dixerunt, eo quòd paſſurus non eſſet æquo animo eam condiſcipuli ante ſe locationem. Non ſuſtinuit calumniam ſancto viro irrogatam Ioannes Abbas, probè conſcius eximiæ humilitatis B. Marcelli: quam vt teſtatiorem faceret, regreſſo Marcello poſt increpitos calumniatores, quod maximè turpe in monaſterio erat miniſterium illi demandauit, curam ſcilicet aſinorum; quam Marcellus non modò demiſsè admiſit, ſed etiam animo lubentiſſimo, ita vt etiam ſyngrapham extorſerit de miniſterij illius perennitate penes ipſum. Quo facto calumniatorum malignitas pudore ſuffuſa eſt, & omnium ardentiſſimis votis perfectum vt adeò vile miniſterium tanto viro abrogaretur, & mortuo Ioanne Abbate, ſubiret cathedram honoris, vt hominibus ſuper capita imponeretur, qui aſinos pro humilitate rexerat.

S. Maurus B. Benedicti diſcipulus & inſtitutorum Monaſticorum in Gallia eximius propagator, Langiſſum quendam cœmentariæ artis Præfectum, ex altiſſimo ædificio lapſum atque colliſum, cùm mortuus, aut perbreui moriturus putaretur; illico, crucis tantùm ſigno ei appreſſo, reſtituit ſanitati, & ad opus vrgendum remiſit. [Itaque (inquit Fauſtus Actorum S. Mauri ſcriptor,) cùm Clericus qui ſanatus fuerat ad opus ſuum fuiſſet reuerſus, quidam ex operariis Beato Mauro detrahere cœperunt, dicentes, eum non religionis obtentu, ſed gratia cupiditatis, quò honoratior in aliis eſſet regionibus, ſuum reliquiſſe Monaſterium, & tam longinquas adiiſſe terras: Et hæc quæ faciebat, non virtute Dei; ſed potiùs quibuſdam obtinere præcantaminibus.] En B. Maurum, horrendæ ambitionis Magia cumulatæ inſimulatum. Sed per abominandam calumniam.

Nam

Nam S. Maurus, & ab honoris vani captatione plurimum aberat; qui nobiliſſimo ortus genere, potuiſſet in ſæculo ſplendere, ſi gloriæ amore captus eſſet: Et præterea à ſocietate nefaria cum Satana tam erat abiunctus, quàm erat coniunctus Deo; de quo ſolidæ eius virtutes, & imbres teſtatorum miraculorum, faciebant certam fidem. Vix autem erupetat inſana in virum ſanctum calumnia, cùm Deus innocentiæ & veritati eſt ſuffragatus, inſigni miraculo de quo in hunc modum Fauſtus. [Cùm ergo hæc inter ſe ſermocinarentur, malignus ſpiritus tres ex illis ſubitò inuaſit, & ita grauiſſima vexatione atterere cœpit, vt vni ex illis nomine Flodegiſo, animam extorqueret. Quod vbi vir Domini quid euenilſet agnouit, vehementer flere cœpit, iterumque Oratorium B. Martini ingreſſus, attentiùs Domino tam pro his qui torquebantur, quàm pro illo qui mortuus fuerat, deprecabatur. Et cùm per tres continuas horas orationi incubuiſſet, ad eos qui vexabantur, & ſe inuicem dentibus lacerabant, acceſſit; & ſignum Crucis tertiò contra eos faciens, dixit; Filius Dei vnigenitus, Dominus noſter I e s v s Chriſtus, qui Diſcipulis ſuis poteſtatem dedit calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones terræ, & ſuper omnem virtutem inimici, ipſe vos abſoluat ab hac Dæmoniaca vexatione. Et cùm adhuc dentibus ſtenderent, puluereque ſe conſpergerent, vir Dei propiùs accedens, digitos vtriuſque manus, illis in ora miſit. Spiritus verò immundi, fœtida relinquentes veſtigia, ventris egeſtione fugati ſunt.] Non potuere digniorem exitum ſortiri ſpurci ſpiritus. Et congruenter quoque mulctati ea ratione ſunt arreptitij illi calumniatores, vt quibus os fuerat in podice, (iuxta gloſſam Artemidori Onirocritici l. 5. num. 68.) indidem egererent fœdos inquilinos, patres calumniæ in ſanctum virum. Subdit Fauſtus de mox peracta ſuſcitatione Flodegiſi vnius è calumniatoribus in peccato ſuo mortui, quæ plena fuit calumniæ S. Mauro impactæ abſterſio. Ex eo mandato; quo rediuiuum grauauit ad plauſuum & inanis gloriæ declinationem, ne ſe viuo, eum locum frequentaret letho, alioqui confeſtim dedendus, planè monſtrauit, quàm eſſet ab honoris & gloriæ cupiditate, ſibi per calumniam impacta, alienus.

[S. VVandregiſilus ex Comite Palatij Dagoberti Regis, probatiſſimus Monachus & Abbas Fõtanellenſis, cùm accerſitus à Rege ſubitato, quòd eius iniuſſu ſæculum deſeruiſſet, properaret in Regiam, incidit in miſerum hominem in cœno iacentem, euerſo vehiculo quod illi pro tuguriolo ac domo erat. Omnibus autem miſerum prætereuntibus, noluit ſacerdotem & leuitam imitari, ſed equo diſiliens, ad pauperem in medium volutabrum acceſſit, indéque extractum, & de luto fœcis eductum, ſtatuit ſupra petram; ita tamen vt ipſemet egregiè cœno oblitus, & conſpurcatus emerſerit. Conſpicati qui aderant, ſancti viri in ſubleuando miſero charitatem; vnde ædificari debebant, & ei laudes pangere, inde calumniandi acceperunt occaſionem; iactantes, ſubleuationem iacentis, ſuſceptam ab eo fuiſſe per ſuperbiam, ac vt auram popularem colligeret. Sed obſurduit vir ſanctus ad has calumnias, illud ſecum reputans leue ſibi eſſe debere, ſi audiret *Superbus*; qui diſcipulus eius eſſet, quem impij *Beelzebub* nominare non erubuerant. Deus ipſe, ſyncerae in eo facto viri ſancti intentioni, eſt aſtipulatus. Nam lætantem de opprobrio indignè illato, extemplo cœlitus niueo induit amictu; id eſt (vt ſeipſum ſic locutum interpretatur vitæ Autor.) Angelus veſtem illius diligenter emundans, candidiorem quàm antea fuerat, reddidit; obſtruens os loquentium iniqua; & mon-

ſtrans non ex vanitate, ſed ex charitate, & in ſpiritu humilitatis, nauatam iacenti piam illam operam à Sancto viro.

S. Plato Monachus, cuius infractus animus tempore Iconomachorum apparuit, ſuperbus & vanæ gloriæ captator dictus eſt, tempore Conſtantini filij Irenes: qui tametſi Imperator Catholicus, tamen cùm primùm per ætatem licuit, excuſſa materna autoritate, in libidines effuſus, præter cætera quæ nefariè patrauit, vxore legitima abdicata, pellicem induxit in eius locum. Omnibus propè applaudentibus iniquitati, ſolus cum ſuis S. Plato fortiter obſtitit; & velut alter Ioannes ex eremo prodiens, factum Conſtantini improbauit, adeò generosè atque conſtanter, vt in carcerem extra ſuum monaſterium ſit abductus, & arctiſſima cuſtodia concluſus apud quoſdam Monachos exleges; qui Dei gratiam gratiæ Imperatoris poſtpoſuerant, & poſuerant ceruicalia ſub omni cubito manus. Conſtantia & fortitudo Chriſtiana viri ſancti, ab adulterij Regij comprobatoribus, necnon ab ipſius ſancti conſanguineis, & ab aliquibus Monachis, cùm eiuſdem, tum alterius inſtituti, non id quod reipſa erat eſt habita, ſed ſtudium falſæ gloriæ ex reſiſtentia facta Imperatori, & æquatione cum Baptiſta, arguente adulteros. Verùm eam atrocem calumniam, Deus ipſe diſpulit. Nam breui deiecto Conſtantino, & Irene matre gubernacula imperij reſumente, S. Plato non modò è cuſtodia denique eductus eſt, ſed etiam pro Martyre (voluntate quidem & affectu,) ab Imperatrice cultus, & in ſummo honore habitus, eoſdem expertus eſt conſtantiæ ſuæ laudatores, quos paſſus fuerat calumniatores; & ab omnibus nomine fortitudinis Chriſtiano & monacho dignæ, celebratus. Rem deſcribit accuratè S. Theodorus Studita, nepos eiuſdem ſancti Platonis ea oratione qua virum ſanctum vita functum celebrauit, ſanctus ſanctum; & fidei ipſe quoque eximius per ea tempora pugil.

S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, quod Bardam Cæſarem omnia pro libidine agentem, ob repudiatam vxorem legitimam, & conſuetudinem cum ſponſa cognata, priuaſſet vſu ſacrorum; cùm aliis calumniis appetitus eſt, tum nominatim de ambitu, per quem fauore Principum erepſiſſet in ſedem Conſtantinopolitanam. Et hoc nomine, in Conciliabulo numeroſo (quippè trecentorum octodecim Epiſcoporum, adinſtar Magnæ Synodi Nicænæ, vir ſanctus, poſtquam ad vlteriores graues moleſtias & relegationes infractus ſtetiſſet, artibus Photij euirati in locum eius per Bardam intruſi, depoſitus eſt. Sed has fuiſſe calumnias, quæ admodùm carò ſteterunt Eccleſiæ Orientali, euentus docuit. Sanè Nicolaus I. qui pro S. Ignatio fortiſſimè ſtetit, & omnes nefarias Photij molitiones, incredibili fortitudine ſimul ac prudentia euertit, Synodum illam quæ hanc calumniam in S. Ignatium impactam admiſit, *Synodum Latrocinalem* appellauit epiſtol. 8. Idem puræ & Canonicæ S. Ignatij electioni, nullo interueniente ambitu perfectæ, aſtipulatur ſæpè ſæpiùs; vt & Anaſtaſius in præfatione Hiſtorica ad octauam Synodum, præter Nicetam; qui S. Ignatij Acta, & micantiſſimas virtutes, ſed imprimis humilitatem ac remotionem à faſtu & ſuperbia, ſcriptis fideliſſimè commiſit. Et è contrario, Photij adulteri ac inuaſoris alienæ Eccleſiæ, faſtus; ac ſuperbia ambitu violentiſſimo declarata, literis vncialibus exarata apud eoſdem legitur.

Nicolaus I. inter eximios quoſque vniuerſalis Eccleſiæ Rectores, ſapientiæ, ac fortitudinis imperterritæ nomine meritò recenſendus, à Gunthario Colonienſi atque Theutgaudo Treuirenſi, literis ad eum datis, arguitur ſuperbiæ & arrogantiæ Tyrannicæ: qui fratres & Coëpiſcopos

ſcopos haberet pro ſuis Clericis; & ſuo ſolius arbitrio, furore Tyrannico, facta more latrocinali conſpiratione, nullo accuſante, nullo teſtificante, oppreſſiſſet innoxios; ipſos inquam Guntarium atque Theutgaudum. Literæ iſtæ habentur ad longum in Annalibus Fuldenſibus anno 863. Suntque reuera adeò horridæ & irreuerentes, imò infrunitæ, vt non niſi ab ebriis conſcribi potuiſſe videantur. Sed benè habuit, quòd vt in iiſdẽ Annalibus traditur anno 864 Guntharius poſtea pœnitentia ductus, Romæ Nicolao ſe ſiſtens quæſiuit ab eo pœnitentiæ locum, ſed non inuenit. Non enim aliter quàm Eſau lachrymabatur; vt ſcilicet cum paterna benedictione, ſedem è qua diſiectus fuerat, recuperaret. Exorris tamen manſit, non modò ob calumnias in Pontificem ſanctiſſimum, cuius iuſtum zelum, ſuperbiam & tyrannidem interpretatus fuerat, & communionem contempſerat, ſed etiam ob ſpurcitias quibus patrocinatus fuerat, fouens adulteria Lotharij cum Valdrada, & iniurias in Theutbergam legitimam vxorem peſſimè à Lothario abiectam. Fouens item turpitudines Engeltrudæ filiæ Manfredi Comitis, quæ Botone proprio viro relicto, huc atque illuc vagabunda, iam per ſeptennium oberrabat, contempto anathemate Tadonis Archiepiſcopi Mediolanenſis in eâ intorto, per Nicolaum Papam firmato.

[SS. Martyres Cordubæ & alibi in Hiſpania Saracenico gladio demerſi ſuperbiæ inſimulati ſunt ab ipſiſmet Chriſtianis. Audi S. Eulogium l. 1. memorialis ſanctorum. [Sunt plerique fidelium & heu (proh dolor!) etiam Sacerdotum, temerè horum Confeſſorum gloriam adimere non verentes, qui iubent eos non recipi in Cathalogo Sanctorum, inuſitatum ſcilicet atque profanum aſſerentes huiuſmodi martyrium: quippe quos nulla violentia præſidialis fidem ſuam negare compulit, nec à cultu ſanctæ piæque religionis amouit, ſed propria ſe voluntate diſcrimini offerentes; ob ſuperbiam ſuam (ita dicunt,) quæ initium eſt omnis peccati, interempti, ſuarum parricidæ effecti ſunt animarum.]

Hanc fuiſſe malignitatis & ignorantiæ plenam calumniam, fusè proſequitur eo loco S. Eulogius, & rurſus in Apologetico pro iiſdem martyribus, eos veriſſimo martyrio perfunctos aſſerit. Quo ipſo eos ſatis purgat à ſuperbiæ labe falsò illis impacta. Nam qui ex ſuperbia martyrium ſubiret, nulla ratione eſſet verus martyr, vt eſt per ſe manifeſtum. At hos de quibus agimus, non modò S. Eulogius pro veris martyribus habuit, ſed etiam Romana Eccleſia, quæ tabulis ſuis eos inſeruit martyrij titulo, variis diebus quos conſignat Baronius in Indice Topographico Romani Martyrologij V. *Corduba*. Fundamentum porrò impingendæ his SS. Martyribus ſuperbiæ, non tam fuit quòd vltrò ſe Martyrio offerrent circa fidem ſuam, non ſollicitati à perſecutoribus (quanquam de hoc quoque arguebantur:) quàm quod Mahumeti maledixiſſent, cùm tamen iubeamur non maledicere maledicentibus, ſed diligere inimicos noſtros: & Apoſtolus conteſtatus ſit, maledicos regnum Dei non poſſeſſuros. Diſiicit hoc ruinoſum fundamentum ſanctus Eulogius, monſtrans Sanctos illos martyres, dilexiſſe hoſtes ſuos ex animo, & pro eis oraſſe. Maledixiſſe autem ſoli Mahumeto; quem ſi ſuperſtes fuiſſet, obtruncare magna cum laude potuiſſent, ad auertendum tantum orbis carcinoma. Quòd ſi non licet ſilere contra hæreſis Magiſtros, (vt Arnobius in Pſalmum 139. disertè affirmat;) multò minùs fas fuiſſe ſanctis illis martyribus abſtinere laceratione nominis Mahometi, & deteſtatione ſpurciloquiorum eius, in tempore, & prudenter, ac cum ſpe aliqua fructus ad Dei gloriam & veræ fidei roborationem adhibita. Sed etſi hi martyres obtuliſſent

tuliſſent ſe martyrio, ſiue ex ſpeciali afflatu Spiritus Sancti, ſiue ex aliqua fidei aut diuinæ gloriæ neceſſitate, exortes martyrij non fuiſſent habendi, cùm in illis euentibus fas ſit ad martyrium ſe vltrò offerre. Videſis ſcriptionem noſtram de Martyrio part. 2. cap. 5. à num. 15.

Formoſus Papa, teſte Anaſtaſio in Nicolao I. ex magnæ ſanctitatis Epiſcopo Portuenſi, & Nicolai ad Bulgaros in fide Catholica erudiendos legato, iactatus eſt per ambitum occupaſſe Catholicam ſedem, eóque nomine ſub Stephano VII. agente maximè Sergio, poſtea Pontifice eius nominis III. homine turpiſſimo atque ſæuiſſimo, ex ſepulturæ aſylo poſt mortem extractus, & in Pontificium thronum cum omnibus Pontificiis inſignibus inductus; ſtatimque deiectus & exutus ac tribus digitis quibus benedicere ex vſu eſt mutilatus, in profluentem Tyberim deiectus eſt, horrendo ſpectaculo; nec ante vnquam viſo, nec (vt ſpes eſt,) deinceps videndo; quod Stephanus collecta ſuorum Synodo tanquam ritè factum probauit Sed Luitprandus l. 1. cap. 8. meritiſſimò deteſtatus eſt, necnon Ioannes IX. in Synodo poſtea coacta, in qua Acta illa Stephani contra Formoſum, reſciſſa voluit, & ignibus tradi. Per calumniam autem, Formoſum fuiſſe inſimulatum ambitus, non niſi à rabioſis & ſpurcis hominibus, zelum eius in purganda Eccleſia, & nitorem illius retinendum auerſantibus, fuiſſe traductum; ſatis demonſtrant cùm geſta à Ioanne pro Formoſo contra eius hoſtes, tum illuſtria virtutis ac ſanctitatis & doctrinæ teſtimonia, quæ Formoſo perhibent, Anaſtaſius, & Luitprandus iam laudati, & Hincmarus Rhemenſis in epiſtola à Frodoardo adducta l. 3. hiſtor. Rhem. cap. 20.

Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm iam vltra annos vndecim eam ſedem tenuiſſet, inſimulatus eſt ambitionis, & occupatæ per eam Patri[...] dignitatis, eoque nomine coact[...] do, ad quam Demetrius Cizyce[...] alij ſub Patriarcha Conſtantinop[...] Epiſcopi conuenerunt, damnatu[...] que depoſitus. Sed erat aperta ca[...] in gratiam Ioannis Fratris Micha[...] phlagonis tunc imperantis, con[...] quæ breui euanuit vrgente Alex[...] electio ſua irrita fuerat irritæ quo[...] berentur inaugurationes trium [...] torum, quos intra tempus ſedis [...] tæ inunxerat; Irritæ item haberen[...] tiſtitum conſecrationes intra ide[...] pus à ſe peractæ; quo vno ictu [...] propè pſeudoſynodi Antiſtites, [...] turpiter lenocinatos, deiiciendos [...] ſtrabat. Nam prope omnes ab eo [...] initiati. Itaque ſibi timentes, à [...] nia deſtiterunt.

S. Anſelmus, poſt triginta tres [...] in Monaſterio exactos, electus, & [...]rali violentia abductus in ſedem Cantuarienſem, à quibuſdam Beccenſibus, quibus præfuerat, inſimulatus eſt ſuperbiæ, & adamatæ prælationis; quam excutere potuiſſe ferebatur, ſi amorem religioſæ ſubiectionis, (vt præ ſe ferebat,) in voluntate retinuiſſet. Refert S. Anſelmus eam calumniam lib. 3. epiſtol. 7. & interpoſito iuramento ſe purgat; demonſtrans ſi licuiſſet, quam prælegiſſet ſubiectionem potiùs, quàm cathedram honoris, quicquid in eum ementita eſſet iniquitas, vel temeritas calumniatorem.

Alexander III. in vulgari narratione de tranſactione pacis inter ipſum & Federicum Imperatorem, quam ſcriptis conſignarunt nonnulli, magnæ arrogantiæ notatur, quod Federicum poſt annos duodeuiginti quibus à legitimo Chriſti Vicario receſſerat, factum ei ſupplicem Venetiis ad valuas Eccleſiæ ſancti Marci, ſuperbè admodum iuſſerit coram vniuerſo populo humi proſterni, & veniam poſcere

poſcere. Parentis verò & proſtrati collo, pedem impoſuiſſe Alexandrum aiunt, & inter comprimendum dixiſſe. *Scriptum eſt, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Ad quæ non iam verba, ſed atrocia maledicta, reſpondiſſe Federicum ferunt. *Non tibi, ſed Petro, cui ſucceſſor es, pareo.* Subintuliſſe verò Alexandrum dicunt, *& mihi, & Petro.* Hæc omnia fabuloſa eſſe & per calumniam tantum faſtum impingi Alexandro moderatiſſimo Pontifici, rectè euincit Cardinalis Baronius anno 1177. Acta enim Alexandri omni fide conſcripta, & relatio Romualdi Salernitani in calce Chronicorum ab eo conſcriptorum, qui adfuit, & præſens omnia conſpexit, necnon Rogerij qui eo tempore ſcripſit, omnia alia habent; vt indubitatum planè eſſe debeat, eam faſtuoſam Federici calcationem, & ſuperbia turgentiſſimam inſultationem; per calumniam, ab aliquo malè feriato affictam optimo & modeſtiſſimo Pontifici.

Manuel Comnenus, referente Nicæta Choniate l. 7. de eius rebus num. 3. ambitionis & captatæ inanis gloriæ, patrem, auum, cæteróſque cognatos ſuos incuſauit, quòd monaſteriis ampliſſima prædia attribuiſſent, & Monachos feciſſent Vrbicos; vt Petri Damiani vocem retineam. Cùm enim Monachis, antra deſerti & montium cacumina aſſignanda fuiſſent ad inhabitandum; è contrario maiores ſuos (aiebat Manuel,) monachos in vrbibus collocaſſe, [gloria ductos & incruſtata ſua ſepulchra & vario marmore exornata, iis qui templa ingrediebantur, ſpectanda propoſuiſſe, & mortuos quoque coronari ſe, & hilari ſplendidoque vultu conſpici voluiſſe, & in foro ac triuiis monaſteria ædificaſſe; & ibi nullo cum delectu virtutis, velut in cauea concluſiſſe eos qui Monachos non vltra tonſum capillum, & mutatum habitum, promiſſamque barbam exprimerent.] Sed homo profaniſſimus, & ſacrilegi Nicephori Phocæ (quod ibidem Nicetas monuit,) per omnia in Monachorum ſpoliatione affectator, per calumniam affinxit ſuis Maioribus, quod dotatione Monaſteriorum captaſſent inanem gloriam, exædificandis nobiliſſimis ſepulchris. An non enim potuiſſent ea ipſa glorioſa ſepulchra excitare in templis ſecularium, ſi ex eo tantùm fine oſtentandi ſepulchra, ædificaſſent ac dotaſſent in mediis vrbibus monaſteria? Ad populum ergo phaleras. Manuel maiores in bono opere per calumniam ſugillans, tanquam vanæ gloriæ captatores, rapacitatē ſuam in expilandis ſacrilegè Monachorum rebus, eiſdémve nefariè cenſu minuendis, eo ſipario obtegebat.

B. Ioannes de Capiſtrano, præcellentis ætate ſua nominis, *glorioſus* id eſt gloriæ appetens *& iactator ſui ex rumoribus hominum quibus placere magis quàm Deo ſtuderet, ideóque mercedem ſuam amiſiſſe* dictus eſt referente Pio II. in hiſtoria, qui poſt immenſas laudes Capiſtrano depactas, his malignorum hominum ſermonibus propoſitis, ſubdit. [Sunt iniqui iudices qui non in melius quæ occulta ſunt interpretantur, quando quæ patent, omnia bona vident. Cur virum calumnientur qui longam vitam in paupertate vixit? Qui multos annos docendo plebes abſumpſit? Qui abſtinentia in laboribus, in humilitate perſeuerans ac opera verbis æquans, nihil huius mundi appetiuit. Qui nulli fuit iniurius ſed ſæculum hoc ſuis cultoribus ipſe reliquit. Parua fuerit merces in tantis laboribus humana laus. Stultus eſt qui propter rumuſculos hominum, ſuum corpus affligit, ſuúmque genium fraudat. Ego ſanctum & iuſtum hominem qui calcauit auaritiam, libidinem ſubegit, honores ſæculi fugit, qui contra iniuriam atque iram patientiam obiecit, qui fouendis pauperibus ſtudioſum ſe præbuit,

Digitized by Google

qui nullum ſuperbiæ fomitem oſtendit, ſola fiducia futurorum teneri arbitror, retributionémque theſauri cæleſtis expectare, ac cum Paulo dicere, gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Indicauit autem hoc perpetua hominis lætitia quem nemo mœſtum vidit, ſed vultu ſemper eodem, vt de Socrate tradit antiquitas. Sciebat enim mortali culpa ſe liberum bonis operibus intentum. Expectat atque diſſolui & eſſe cum Chriſto. Quod ſi gloriam mundi quæreret, ſciret Deo ſe non eſſe acceptum, videretúrque ſæpè triſtior, conſcientiæ ſtimulis actus. Nam qui laudes ſectantur humanas ex alieno pendentes, ſæpè decepti mœrent. Soli ſunt ſerui Dei qui perpetua quiete & Domini tranquillitate fruuntur, qualem eſſe Ioannem minimè dubitauerim.]

Religioſi nupertimè, vſurpati per ſuperbiam & arrogantiam alieni tituli ſunt inſimulati, quia cum Sacerdotio initiantur prænomen *Patris* aſſumunt, & eorum conditio alicubi *paternitatis* titulo honeſtatur. Hoc quidem ante annos aliquot, non Sectari; tantùm Religioſis obiicere, ſed etiam quidam ſub nomine Catholico, & ſub Orthodoxorum perſona, Etherodoxi. Quin etiam ex iis quos Catholica plebs veneratur, non nemo eundem ſenſum his ipſis diebus præ ſe tuliſſe dicitur. Nec abſque anteriorum ſuffragatione. Sanè Guigo Prior Carthuſiæ *Patris* nomine donatus à Petro Cluniacenſi, repudiauit eum titulum, tanquam ſuperbiæ pabulum, vt videre eſt in Epiſtolis Petri Cluniacenſis lib. 3. epiſt. 25. Quid quod S. Hieronymus in cap. 4. ad Galat. contra Scripturam eſſe agnoſcit, vt Religioſi vocentur *Patres*? Verba eius ſunt. [Cùm Dominus noſter in Euangelio præcipiat, nullum, patrem vocandum niſi Deum, neſcio qua licentia in monaſteriis, vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquieſcamus.] Chriſtus Dominus apertè quo loco ablegabat *Patris* appellationem, hoc eſt c. 23. Matth. ſatagebat pro eliminando ſpiritu ſuperbiæ & arrogantiæ, & pro formandis ad ſynceram humilitatem diſcipulis. Itaque agnoſcebat *Patris* titulum ex ſuperbia & arrogantia experi: Proindéque Religioſi, ſe inuicem honeſtantes *Patris* nomine, & volentes à ſæcularibus *Patres* audire, ex ſuperbia & arrogantia, Euangelicæ demiſſioni contraria, ſic faciunt.

[Hæc tamen eſt manifeſta calumnia, repugnans intento Chriſti Domini, & antiquæ in Eccleſia conſuetudini. Nam Chriſtus tantùm intendit excludere ſpiritum ventoſum, ex quo Phariſæi huiuſmodi appellationem vſurpabant; tantúmque voluit agnoſci, neminem pro Deo, & in comparatione ad eum, eſſe verè patrem ſpiritualem: quamuis abſolutè tanquam cooperatores ad myſticam generationem per Euangelium, ſint qui ſub Deo dicantur Patres, vt optimè attigit S. Chryſoſtomus homil. 73. in Matth. & ad caput illud 23. Euthymius, Theophilactus, Maldonatus atque Ianſenius. Videſis quæ protuli in Tractatione de Agno conſecrato cap. 2. à num. 10. Quoad vſum verò antiquum Eccleſiæ, res eſt explorata. S. Auguſtinus lib. de moral. Eccleſ. cap. 31. fuiſſe teſtatur in cœnobiis vnum, quem cæteri vocarent *Patrem*. Hilarius Arelatenſis in S. Honorati panegyrico refert, S. Capraſium ab aliis *Patrem* dictum. Simeon Stylites in Actis S. Auxentij, ab iis qui ſe pro eius diſcipulis gerebant, bis appellatur *Pater noſter*. S. Cyrillus Alexandrinus Epiſtolam quæ in Synodo Epheſina part. 1. cap. 12. legitur, inſcripſit *Patribus Monachis*. Apud S. Epiphanium hær. 40. Archonticorum, Petrus quidam aſcitis aliquot Monachis, dicitur denominatus *Pater*, ob ſenectam & habitum, qui ei erat admirandus. Quid verò vulgatius, quàm librum

brum quo primariorum Monachorum hiſtoria contexitur, præferre titulum *Vita Patrum*, vt iam olim multi cognominarunt, annotati à Roſuedio Prolegomenio 1. ad eum librum *ſub finem?*

Recidit in Patris nomen, appellatio Nonni, quam deferendam eſſe iis qui aliis præponuntur, habet additio 1. ad Capitularia titul. 54. & delatam paſſim eſſe iis qui ſignificabantur eminere ſanctitate, liquet ex S. Hieron. epiſt. 47. & ex Arnobio iuniore in Pſ. 105. & in Pſ. 140. Atqui vox *Nonni*, ſonat *patrem reuerendum*, vt habetur ex illis S. Benedicti verbis in Regula cap. 63. aliàs 70. [In appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare; ſed priores, iuniores ſuos, *fratrum* nomine; iuniores, priores ſuos *nonnos* vocent, quòd intelligitur *paterna reuerentia*. Et expenſione dignum eſt, eo loco S. Benedictum, *prioris* nomine non inſigne tantùm eos qui ſubalterna præfectura in cœnobio potiuntur, ſed quoſuis anteriores aliis atque maiores: & eis *Patrum*, ſiue *Nonnorum* nomen, deferri velle à iunioribus. Papiam adducit Hugo Menardus ad eum S. Benedicti locum, ſic exponentem nomen *Nonni*. [*Nonnos* vocamus maiores, ob reuerentiam. Nam intelligitur *paterna reuerentia*.] Extenſa eſt nominis illius dignitas ad fœmineum ſexum, vt multis teſtimoniis illuſtrat Roſuedius in Onomaſtico V. *Nonna*, & declaro ipſe quoque fusè in opere de ſobria ſexus mollioris frequentatione c. 7. Vnde Gallica nomenclatio Virginum in Parthenonibus, *les Nonnains*. Quæ enim in cœnobiis, ætate aut munere maiores erant, dictæ ſunt *Nonna*: qua voce prouectiores ætate fœminas & matres familias deſignat Xiphilinus in Domitiano; dicens, eum commiſiſſe noctibus ad lychnucos etiam Nonnas; Quas Suetonius cap. 4. dixit fœminas, (addens in ſtadio commiſſas quoque ab eo eſſe Virgines: ac proinde ſupponens fœminas de quibus dixerat, fuiſſe ætate prouectiores & matres familias:) Eas Xiphilinus *Nonnas* vocauit, à quibus vt præmiſi tanquam dignioribus, manauit, vt cœtus vniuerſus *Nonnarum* appellatione donetur. Sicut vniuerſus cœtus virorum Religioſorum, dicitur *cœtus Patrum*, quamuis non omnes in eo ſint Patres. Sufficienter ergo ex *Nonni* appellatione ſonante *paternam reuerentiam*, ſtabilitur *Patris* titulus, maioribus, ſed præſertim Sacerdotibus iam olim in religione delatus, & idem cum vulgatiſſimo *Abbatis* nomine, ex quo piget argumentum contexere. Nec S. Hieronymus eo loco qui in contrarium eſt adductus, inficiari voluit, fas eſſe maiores in monaſteriis vocare *Patres*, vt tuliſſe antiquum vſum, maximè in Paleſtinæ & Ægypti monaſteriis, ipſemet teſtatur in cap. 23. Matth. Similiterque epiſt. 22. ſic habet. [Macarius, Pambo, Iſidorus, quos *Patres* vocant.] Itaque illum alium locum qui in ſpeciem aduerſatur, Sixtus Senenſis l. 6. Bibl. annot. 279. arbitratur eſſe ſuppoſititium, & ex margine perperam textui inſertum. Commodiùs diceretur, coërceri à S. Hieronymo, licentiam hodiéque alicubi nimiam, vocandi in cœnobiis Patres, quoſcunque ibi degentes, etiamſi neque Sacerdotio neque alia prærogatiua inſignes. Qui fructus ex *Patris* denominatione poſſit exiſtere in maioribus inde commonitis ad regendum non regiè aut Tyrannicè ſed paternè, plenè proſequor in Commonitorio vt ſit moderatio quod dicitur §. 12. Inferiores autem, ea voce, commonentur honoris ac reuerentiæ maioribus debitæ. Ex quibus omnibus per ſe liquet, admodum abſurdam fuiſſe calumniam,

in *Patris* nomine

fundatam.

CAPVT IV.

De Hypocriſi.

VOx *hypocrita* Græca eſt, Latinè, propriè ſonaret *actorem*; ſicut Græca vox *hypocriſis*, Latinè *actio* dicitur. Sanctus Auguſtinus pulchrè id aduertit l. 2. de ſerm. Dom. in monte *ipſo initio*. [Manifeſtum eſt (inquit,) hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde geſtare. Sunt enim hypocritæ, ſimulatores; tanquam pronuntiatores perſonarum alienarum, ſicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in Tragœdia, verbi gratia alicuius alterius, ad hiſtoriam vel fabulam quæ agitur pertinentis, verè ipſe eſt, ſed ſimulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Eccleſia, vel in omni vitâ humanâ, quiſquis ſe vult videri non exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit quem poſſunt etiam ſimulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eiſque laudantur. Ex his patet, hypocriſim germen ſuperbiæ eſſe, & ſpeciem, ambitionis: id quòd etiam Seneca epiſt. 5. confirmat, cùm ait. [Illud te admoneo, ne eorũ more qui non proficere, ſed conſpici cupiunt facias aliqua quæ in habitu tuo, aut genere vitæ, notabilia ſint. Aſperum cultum, & intonſum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi poſitum, & quicquid aliud ambitionem peruerſa via ſequitur, deuita.] En peruerſam ſequelam ambitionis; captando videlicet ſplendorem à quo abhorrere videaris. S. Gregorius 18. Moral. cap. 4. docet, idcirco hypocritam ſpecie raptoris exhiberi à Iobo, quod hypocrita, vitæ innoxiæ ac perfectæ, qualem reuera non viuit, laudem rapere affectet, cùm alteri ſit debita. Ambitionem ſubornatam eadem ex cauſa, hypocritæ adſcribit Auctor libri de Operat. Chriſti Card. ſerm. de ieiunio & tentat. monſtrans in hypocrita, extincto Spiritu, ſolas ſupereſſe exuuias, & exanimem virtutis ſpeciem, ac ſimulachrum ſanctitatis; è quo tamen interpoſita fallacia & reali mendacio, captetur decus ſolidæ ſanctitati conſentaneum. Immenſus ſim, ſi huc conferre velim, quæ Patres & Doctores aduersùs hoc peſtilentiſſimum vitium addenſant, præſertim Chryſologus ſerm. 7. & 9. Chryſoſtomus homil. 74. in Matth. & tom. 6. homil. de fugienda ſimulata ſpecie, S. Maximus centur. 3. ex variis c. 67. Petr. Damiani ſerm. de S. Barbatiano, ſed inſigniter S. Cyrillus l. 7. de adorat. *ſub finem*. Ex recentioribus fusè Petrus Simonis l. 5. de verit. cap. 9. 10. 11. 12. 13. & Thomas Boſius, Petrus Ribad. Adamus Gontzen impugnantes Macchiauellum, ſpecie & tectorio virtutum, in principe contentum. Signaui eorum loca, & alia in hanc rem produxi cap. 2. Operis de Æquiuocat. num. 14. Ex quibus euidentiſſimum eſt, hypocriſim eſſe magnam labem. Vt tamen nulla eſt tam tetra nota, quæ viris ſanctis quandoque non inuſta, non paucos ſanctos & ſolidæ pietatis viros, huius cœni turpitudine inquinari non ſemel contigit; quorum nonnulla exempla ſubiicio.

S. Petrus Apoſtolorum Princeps ab impio deſertore Iuliano hypocriſis notatus eſt referente S. Cyrillo l. 9. in Iulia. in ipſo fine. [Cauillatur (inquit de Iuliano S. Cyrillus) & eximium inter Sanctos Apoſtolos Petrum quem & hypocritam eſſe dicit & per Paulum reprehenſum quod interdum Græcorum moribus viuere ſtuduerit, interdum autem Iudæorum.] Calumnia hæc fuit maledicentiſſimi Iuliani. Non enim S. Petrus ex ſtudio gloriæ alius quærebat apparere quàm reuera eſſet quod faciunt hypocritæ. Sed inſigni prudentia vtens aliqua coram Iu-

dæis

Digitized by Google

dæis vel ex minima cauſa offendendis prætermittebat quæ alibi vbi ſcandali occaſio aberat ſine ſcrupulo vſurpabat. Si autē ex eo quod S. Petrus aliqua indifferentia nunc vſurpabat, nunc omittebat, hypocrita fuit iudicio Iuliani, quantus hypocrita fuitipſe Iulianus qui per tempus non modicum aliud numen veneratus eſt exteriùs, aliud mente & animo coluit? De eo ſanè ſic Ammianus l. 21. [Iulianus Auguſtus nihil interim de ſtatu rerum præſentium mutans, ſed animo quieto incidentia cuncta diſponens, paulatimque ſeſe corroborans, vt omnes nullo impediente ad ſuum fauorem alliceret, inhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo iampridem occultè deſciuerat arcanorū participibus paucis. Aruſpicinæ auguriiſque intentus & cæteris quæ Deorum ſemper fecere cultores. Et vt hæc interim celarentur, feriarum die quem celebrantes menſe Ianuario, Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam, ſolemniter numine orato diſceſſit.] Hoc fuit agere ſolemniter hypocritam, indignè Principe quem ſimulatio præſertim in religionis negotio dedecet: Indignè Cenſore illo qui S. Petri prudentia in cauendo Iudæorū ſcandalo ex re indifferenti, dānauit hypocriſeos.

[Chriſtiani paſſim in Actis Martyrum, & apud antiquos Chriſtianæ religionis defenſores, dicuntur ſpurciſſimam vitam clanculum viuere, tametſi exteriùs pietatem & modeſtiam præferrent. Hoc verò perinde erat ac dicere, Chriſtianos eſſe hypocritas. Idque etiam ſonabat illud à S. Hieronymo relatum epiſtol. 10. [Vbicunque viderint Chriſtianum, ſtatim illud de triuio, ὁ γραικὸς ἐπιθέτης.] *Græcum Impoſtorem* appellabant Ethnici, Chriſtianum quemcunque, quia affingebant Chriſtianis hypocryſim, quòd Curios ſimularent & Bacchanalia viuerent. χρηστολόγους dicere potuiſſent, voce ad Imperatorem Pertinacem aptata apud Capitolinum; quòd aliud loqueretur, aliud præſtaret: quo ſenſu χρηστολογίαν vſurpauit Apoſtolus ad Rom. 16. Verùm abſurdiſſimè Chriſtiani, vitæ biformis calumniam ſuſtinuerunt. Philoſophorum propria ea labes fuit, quos ſemper aduersùs ſua vitia facundos, pronuntiat Minutius in calce libelli; ſubdensè contrario, de Chriſtianis. [Nos non habitu ſapientiam, ſed mente præferimus: Non eloquimur magna, ſed viuimus.] Nihil in vniuerſo ſacrorum Euangeliorum corpore, adeò ſæpè & adeò valide reprehenſum inuenimus, atque hypocriſim, vt benè notauit Petrus Simonis l. 5. de verit. *ſub finem.*

[Catholici ab hæreticis, *ficti Chriſtiani & hypocritæ*, iam olim audiebant, & etiam num audiunt. Manichæi ea fœda aſpergine Catholicos reſpergebant, vt legere eſt apud S. Auguſtinum l. 5. contra Fauſtum *ad finem*. Et eōdem pertinet, quod paſſim Hæretici, & nominatim Manichæi, eodem teſte Auguſtino, Catholicis obiiciebant, malam vitam aliquorum Catholicorum à profeſſione Chriſtiana diſcordem; quaſi quod erumpebat in iſtis, lateret in aliis, non deeſſet. Quam tamen fuiſſe friuolam prorſus & inanem calumniam, monſtrat D. Auguſtinus præclarè l. de mor. Eccleſiæ c. 34. & epiſtola 137. Breuiter verò poſſumus idipſum ad hanc calumniam reponere, quòd ad hanc ipſam calumniam à Fauſto Manichæo intortam, S. Auguſtinus l. 5 contra Fauſtum *in ipſo fine*. [Veſtrum oculum, maleuolus error in ſolam paleam noſtræ ſegeris ducit: nam & triticum ibi, citò videretis, ſi & eſſe velletis. In vobis autem & qui Manichæi ficti ſunt, mali ſunt: & qui ficti non ſunt, vani ſunt. Vbi enim fides ipſa ficta eſt; & qui ea ſimulatè viuitur, fallit: & qui eam veram exiſtimat, fallitur: Nec ex ea poteſt exiſtere bona vita, vel benè vel malè. } Si igitur aliqui Catholici, & iam olim peccabant,

& etiamnum peccant;non poteſt inferri, cæteros qui peccare non probantur, fictè agere, & cum hypocriſi: cùm ex principiis fidei Catholicæ, & vi profeſſionis quam ſuſceperunt, cenſendi ſint rectè agere, nec præſumendi ſint mali, niſi probentur. At hæreticos fide falſa irretitos, nec vi profeſſionis ad ſupernaturale bonum tendentes, nihil eſt quod adigat bonos præſumere, etiamſi eorum malitia non exeratur, & foris non pateat.

Monachos iam olim hac tetra hypocriſeos nota apud pleroſque ſordere ſolitos, compertiſſimum eſt, & inde nominatim eos allatrat Zozimus Ethnicus Hiſtoricus leg 5. Cæteri item religioſi, eadem labe ſemper ſorduerunt, iuxta improbos & maleuolos. Cadit ſanè in Monachos duntaxat,non in quoſcunque Chriſtianos, illud à S. Hieronymo adductum in calce epiſtolæ 23. [Nos quia ſerica veſte non vtimur,Monachi iudicamur: quia ebrij non ſumus, nec cachinno ora diſſoluimus continentes vocamur & triſtes. Si tunica non canduerit, ſtatim illud è triuio, impoſtor & Græcus eſt.] Senſus eſt, Chriſtianos planè laxæ diſciplinæ, cum primùm aliquem viderint non concurrentem in eandem pariter licentiæ confuſionem, illicò à ſannionibus dici Monachos; quorum illud eſſet proprium cognomen, *hypocritæ*, ſiue *Græci*, & *impoſtores*. Apud Gulielmum de S. Amore in ea hæreſeon & mendaciorum camarina, quam autoritate Eccleſiæ pridem terra obrutam, nuperrimè malè feriati quidam refoderunt, nihil frequentiùs occurrit, quàm hypocritas eſſe Religioſos. Eſt tamen calumnia pinguiſſima Veri enim religioſi, qui ſoli attendendi ſunt,ab hypocriſi ſunt alieniſſimi, & in hypocritas conclamant valentiſſimè. Sed mirum non eſt Religioſos ab iis qui foris ſunt, hypocritas nominari. Quod ſubiungo, eſt longè admirabilius.

Religioſos probatos & accuratos, non ab impiis tantùm qui foris ſunt, ſed etiam à diſcolis & laxatæ diſciplinæ ſodalibus, audire hypocritas & ſanctitatis ſimulatores ad gloriæ vanæ aucupium, iam olim notatum eſt, & illuſtri exemplo declaratum in vita S. Odonis Cluniacenſis l. 2. cap. 11. Ibi refertur de S. Odonis, ad quoddam monaſterium in quo Regulæ obſeruatio euiguerat, progreſſione cum ſuis quibuſdam Monachis ſtrictioris inſtituti, qui vt S. Benedictus cap. 31. & 32. tradidit; ſotulares (malè Surius corrupto textu Autoris, ſuppoſuit ſoccos, quorum non eſt apud Benedictinos vſus): Sotulares inquam, vel vt habet textus primigenius *ſubtalares*, lauare ſunt aggreſſi; increpante eam curam quodam ex illis collapſæ diſciplinæ Monachis, qui cùm reſponſum nullum poſſet extorquere à Monacho probato S. Odonis familiari, eo quòd tempus ſilentij interueniſſet; frendens ac furens, ea dixit in tenacem hunc ſilentij probatum Monachum, quæ cacochymiam eius ſatis proderent. Obiecit antiqua periuria, & furta, cùm mercaturam faceret. Vocauit ſerpentem ſibilantem, quaſi lingua ad loquelam diuinitus prouiſa deſtrueretur. Dixit velle impudenter videri ſanctulum & religioſulum, quaſi ignoraretur quiſnam eſſet. Calumniam Deus ipſe, perbreui vltus eſt. Cùm enim poſt biduum exlex iſte & calumniator Monachus, perſtaret in ſententia; nec vellet erratum agnoſcere; & iuſta ſatiſfactione eluere, vt in Capitulo vrgebatur facere; exiens inde, illico elinguis factus eſt, & poſt triduum inexpiatus exceſſit.

S. Eugenia Philippi Auguſtalis filia, nouo ſanctæ artis genere illudens ſeculo, cum Monachi perſonam ementiretur, & *Eugenius* diceretur, quæ reuera erat Eugenia ſexu mulier, calumniam paſſa eſt, quaſi ſpecie medendi, & præſtandi in nomine

Digitized by Google

nomine Chriſti miracula, vim inferre cogitaſſet primariæ mulieri. Ea erat Melanthia Alexandrinæ nobiliſſimæ ſtirpis fœmina, quæ beneficium curationis à quartana febre conſecuta erat, ſtatim atque ab Eugenio, ſacro oleo inuncta fuerat. Cùm autem impuris ignibus in Eugenium quem virum putabat, exarſiſſet Melanthia, nec fortem Eugenij animum emollire ad ſcelus potuiſſet, amore in rabiem verſo, dicam illi impegit inſignis hypocriſeos, pudicitiæ alienæ inſidiantis, ſpecie pietatis. Sed Deus innocentiæ vindex, impiæ mulieris machinationem in caput eius retorſit, & confuſione perfudit nequiſſimam calumniatricem, retecta Eugeniæ ſolida pietate, ab hypocriſi alieniſſima, vtiam ſuprà tetigi, tractans calumnias de turpitudine: & plenè refertur in Actis S. Eugeniæ, quæ deprehenſa quod erat, & à Philippo Auguſtali agnita pro filia, ipſum Philippum patrem, & filiam copioſam, Chriſto per eam occaſionem lucrifecit, ita vt ſanguinem quoque pro Chriſto funderent. Videndus Metaphraſtes 25. Decemb.

S. Theodorus Siceota, ex Archimandrita Epiſcopus Anaſtaſiopolis, & denuo poſt dimiſſum Epiſcopatum, præfectus Monachorum inſigni gratia miraculorum pollens, hypocrita audiuit, & vanæ gloriæ per conficta miracula captator. Cùm enim vir quidam ex metropoli Ancyra, filium ſuum à dæmonio muto inſeſſum, ad virum ſanctum detuliſſet, vt curationis beneficium exoraret, liberatus eſt puer inter accipiendum diuinam Euchariſtiam; & pro more cõmunicantium, iuſſus dicere *Amen*, clarè & diſtinctè effatus eſt quod iubebatur. Hæc cùm S. Theodori apud Deũ gratia perficerentur, Di aconus quidam magnæ Eccleſiæ cui *Domitiano* nomẽ, humi alliſus iacuit. Accurrentibus Clericis, Et quid ei accidiſſet ſciſcitantibus, reſpondit, puero *Amen* inclamante, & patre S. Theodori merita celebrante, viſam ſibi flammam ignis è pueri ore exilire, quam in peruerſi de ſancto viro iudicij pœnam, à puero ad ſe migraturam extimuerat. Itaque falſus calumnioſum ſuum iudicium, & veniam ſibi apprecatus, benedictione S. Theodori confirmatus eſt, & horrore ac metu liberatus; doctúſque deinceps abſtinere calumnia in virum ſanctum, tanquam fictorem non factorem miraculorum, per hypocriſim ſub mirabilium vmbraculo deliteſcentem.

Euphraſia iunior, piiſſimorum coniugum Antigoni & Euphraſiæ filia vnica, atque adeò ampliſſimarum facultatum hæres, cum à Theodoſio Imperatore quem cognatione contingebat, adoleſcenti nobiliſſimo atque ditiſſimo addicta eſſet in ſponſam, Chriſti nuptias præeligens, adiit Ægypti parthenonem, in quo centum ac triginta degebant Virgines in magna omnino vitæ duritia. Nam vinum & oleum non nouerant, ac ne conditas quidem oleo herbas aſſumebant in cibum. Earum aliquæ non niſi veſperi, aliæ poſt biduum duntaxat, quædam poſt triduum, reficiebant corpuſculum. Balnea planè ignorabant. Breuem ſomnum capiebant in ſtrato humi cilicio, veſtibus item cilicinis in pedes vſque protenſis veſtiebantur. Operi manuum pro facultate virium inſiſtebant. Si morbus aliquam corripuiſſet, non aduocato medico, neque adhibitis vllis pharmacis, pendebat à Dei prouidentia, & naturæ aduerſus infirmitatem conniſu. Exitus è monaſterio, nemini vnquam patebat. Hanc vitæ duritiam, Euphraſia non niſi ſeptennis, concedente matre, (nam pater pridem obierat,) adamauit; & complexa eſt tanto ardore animi, vt literis Imperatoris reuocata poſt tempus aliquod, ad pacta connubialia cum Senatoris filio cui deſponſa fuerat, ineunda; præciſè reſpuerit ſponſum quemcun-

que

que carnalem. Duritiam verò cœnobij non modò exquiſitè tenuit, ſed etiam non exiguis imbonitatum acceſſionibus cumulauit, vſque adeò vt toto anno (niſi cum noctu ad breuem ſomnum membra componeret) nunquam ſedere deprehenderetur, ac ne comedendo quidem; nec niſi ſemel in hebdomade exiguum cibum caperet, & ſub dio per dies 45. manibus in cœlum ſublatis orans hæreret. In ſororum miniſterio, omnis abiectionis & laboris perſtudioſa durabat, tanto feruore & Dei demerendi ſtudio, vt vix ſit legere inter ſanctarum Virginum res geſtas, aliquid ad Chriſtianam ædificationem plus factum. Non defuit nihilominus quæ tantam virtutem, interpretaretur hypocriſim, vt gradu abeunte Abbatiſſa, promoueretur in locum eius Euphraſia. Hoc ei in faciem impegit ignobilis genere ſocia, cui nomen *Germana*. Sed calumniam, non modò Abbatiſſa cum inaudiuit ſeuerè vlta eſt, ſed Deus ipſe multis magniſque ſupra naturam operibus in Euphraſiæ gratiam editis, prorſus abſterſit. Quinetiam calumniatrix, beneficio Euphraſiæ, furorem energumenæ mulieris à qua propemodùm lacerata erat, euaſit, Deo humilitatis amatore, ſuperbiam Satanæ, per humilis Virgunculæ deiectionem frangente. Finis præſertim vitæ totius ſanctiſſimè exactus, quàm ab hypocriſi abfuiſſet ſemper Euphraſia, liquidò demonſtrauit.

Ægrè à me impetro, vt quam hypocriſis notam, ſtupor cum malignitate certans inuſſit S. Brunoni Cartuſianorum parenti, hîc legi patiar. Sed quod adeò malè materiata ſit ea calumnia, vt non ſit timendum ne famæ viri ſanctiſſimi vlla ex parte adhæreſcat, nolo prætermiſſam: vel vt hinc liqueat, in quod barathrum malignitatis & nequitiæ demittatur calumniator, ſtatuens oculos ſuos declinare in terram. Neminem latet, fuiſſe Pariſiis ſub finem ſeculi vndecimi inſignem hypocritam inter Doctores Theologos clarum eruditione & ſpecie pietatis, quem in morte Sacramentis Eccleſiaſticis communitum, & coram hominibus pia morte defunctum, turba copioſa extulit, ſi tamen turba vocari poteſt, multitudo conferta Doctorum ac ſtudioſorum, & lectiſſimorum ampliſſimæ vrbis ciuium, qui exequias viri iuxta ſæculum magni, cohoneſtarunt. Euentus docuit quam vitam vixiſſet hypocrita, deteſtandus potiùs quàm miſerandus, tametſi miſerrimus: quandoquidem ipſiuſmet aſſertione omnibus innotuit, accuſatum, iudicatum, damnatum à Iudice incorrupto fuiſſe, qui hominibus cor non introſpicientibus, tectorio pietatis illuſerat. Non deſunt hoc tempore, qui hanc totam narrationem ad Deum Fabulinum ablegent, ipſimet reuera fabulones. Quid enim proferunt ad excindendam veritatem narrationis hactenus omnium ore iactatæ, pietatis antiquiſſimis expreſſæ, ſcriptis tam multiplicibus conſignatæ, conſtanti & perpetua Ordinis Cartuſiani traditione ſubnixæ? De hoc alibi diligentiùs. In præſentia conſiderandum eſt, quid ei narrationi pro indubitata ſuppoſitæ, mendacitas atque calumnia inædificarit. In Collectaneis vitæ S. Brunonis cap. 28. apud Surium 6. Octobris, refertur fuiſſe, qui ſibi & aliis perſuadere niſi ſint, Doctorem illum hypocritam, cuius ſimulatam pietatis ſpeciem, virtutem verò abnegatam, damnatio manifeſtata retexit, fuiſſe hunc Brunonem Cartuſiæ incolam primum, & Ordinis fundatorem.

Verùm hæc calumnia, fuſte vel flammis, non reſponſione eſt repellenda. Infert enim atrocem iniuriam, & viro ſancto, quem Tartaro de cœlo deiectum contrudit; & Eccleſiæ Catholicæ quæ irretractabili iudicio eum beatitate dona-

tum

tum pronuntiauit; & Ordini Cartuſiano qui S. Brunonem agnoſcit parentem. Nam tametſi nihil vetaret mali coruí bonum eſſe ouum, quandoquidem natiuitas ex his parentibus eſt voluntaria: Tamen non vacat probro, iuxta humanum ſenſum, & communem exiſtimationem, & monſtroſitatem à perfectis Dei operibus alienam redolet, quod cœtus Sanctorum, belluino & dæmoniaco capiti ſupponatur S. Bruno, tantùm abeſt vt is Doctor fuerit cuius hypocriſis denique reuelata eſt, vt potiùs tam horrendi ſpectaculi nouitate, ſeceſſionem à mundo fecerit, & in virum ſanctiſſimum, ac pietatis ſpeculum nitentiſſimum euaſerit.

S. Angelus ex ordine Carmelitarum, vita & munere Angelus; cuius laus eſt in tabulis Eccleſiaſticis 5. Maij, & in Breuiario ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani, prædicans apud vrbem Leocata Agrigentinenſis in Sicilia Diœceſis, & publice arguens Berengarij illic potentis viri inceſtam libidinem, qua cum ſorore conſueuerat, ab eodem audiuit *hypocrita triſtis, & homo Diabolicus, mentiens de omnibus*; Nec erubuit os illud Diaboli, ea probra de ſancto viro publicè vbiuis diſſeminare. Sed S. Angelus tantùm abfuit ab hypocriſi quam illi homo nequiſſimus affingebat, quantùm hic impius à ſana mente. Neque enim per hypocriſim, ſed ex ſolida & ſyncera virtute, vir ſanctiſſimus operabatur. Is quippe ex diuina prænuntiatione conceptus è parentibus Deiparæ monitu à Iudaiſmo ad Chriſti fidem traductis, ordini Carmelitanorum Hieroſolymis adſcriptus, inibique grauiſſimis aſperitatibus vltrò aſſumptis exercitus; multiſque ac magnis miraculis illuſtratus; poſt quinquennem in deſerto quod olim Chriſtus ieiunans frequentauerat, commorationem; Chriſti ipſius monitu Siciliam petiit, vt exiens de deſerto velut alter Ioannes Baptiſta, Berengarium turpi inceſtu ſorore abutentem, reprehenderet, & à tanto ſcelere abſterreret, primùm clam omnibus per ſeptem vices, tum palàm & manifeſtè niſi reſipiſceret. Executus eſt fideliter concreditam ſibi legationem pius Angelus poſtquàm adita vrbium matre in Sanctos Dominicum & Franciſcum incidit, inibique Franciſcus & Angelus, mutuis de cœlo inſpiratis prænuntiationibus ſunt recreati; (nam Franciſcus Angelo martyrium, hic impreſſionem ſacrorum ſtigmatum longè ante quàm contigeret prædixit:) Secedens ab vrbe B. Angelus, exorata ab Honorio III. Euangelicæ prædicationis facultate, Siciliam petiit, vbi cum Berengario, non ſepties duntaxat, vt iuſſus erat, ſed inſuper decies clam egit, arguens, obſecrans, increpans. Sed cùm ſecreta correptione nihil proficeret, & Berengarius in ſcelere obduratus omnia inficiaretur, & virum ſanctum mendacij ac hypocriſis argueret, ad publicam tanti ſceleris caſtigationem progreſſus eſt Angelus; eo euentu, vt Margareta Berengarij ſoror pro concione ſcelus ſuum iam per annos duodecim continuatum vltrò ſit faſſa, tribus filiis ex fratre ſuſceptis, magno cordis mœrore prolatis. Egit in rabiem Berengarium, S. Angeli prædicatio, & Margaretæ publica confeſſio. Itaque hominem Dei in ipſo ſuggeſto concionantem ad populum confodit, perrecturus ad ſororis trucidationem. Ea verò prohibitus per populi à Sancto viro ſub mortem admoniti accurſum, præ deſperatione & rabie de infelici trabe alter Iudas pependit, obſignante Deo ſolidam & ab hypocriſi remotiſſimam S. Angeli virtutem, ſignaculo martyrij, & cita vltione in caput impuriſſimum, quod huic Baptiſtæ Herodes fuit.

S. Franciſcus Paulanus, vltimæ huius ætatis Thaumaturgus, vt quoquo modo celaret inſignes curationes quibus fa-

uente Deo ægros pene innumeros ſanitati reſtituebat, ſolitus erat herbas quaſdam admouere, vel vnguenta, aut medicos pulueres, quorum magnam vim in eum finem ſemper aſſeruabat, vt videri poſſet ægritudines depuliſſe, non vi diuina & per miraculum, ſed naturali & humano modo. Tametſi Deo gloriam pro declinata gloria rependente, priuſquàm admouerentur, aut vnguina, vel pulueres, plerunque ſanitas reueniebat, vt liquere poſſet, cuinam cauſæ deberetur. Nec rarò, confeſtim & in ipſo admotionis momento, ſupra omnem vim actiuorum naturalium, optatus ſanitatis effectus comparabatur. Hæc admotio naturalium actiuorum, Religioſo cuidam Ordinis Minorum, probatæ cæteroqui vitæ, ac ſecundum homines eximiæ virtutis, perſuaſit; omnem S. Franciſci Paulani vitam, inſigni hypocriſis labe ſordere; Miracula quæ ab eo patrata circumferebantur, impoſturas eſſe; Vitæ exigendæ nouam, & imbonitatum pleniſſimam rationem, occulere ſub vana ſanctitatis imagine, vberem nequitiam. Hoc ille priuatis ſermonibus paſſim vulgabat; hoc de ſacro ſuggeſto magna concitatione orationis ad confertam turbam ſollicitus proponebat. Et vt erat vitæ alioqui probatæ, mirum quantum Sancto viro, eiuſque rationibus incommodabat.

Non tulit Deus, calumniæ ſeruo ſuo illatæ prorogationem diuturniorem. Itaque cùm B. Franciſcus obmuteſceret ſilens à bonis, & calumniator per ſancti viri mititatem efferatior in dies fieret, nec procacitate contumeliarum ipſimet viro Dei in ſuomet cœnobio abſtineret; inſigni opere ſupra naturam per ſeruum ſuum edito, repreſſit calumniantis impetum. Iniecit enim B. Franciſco eam mentem, vt cauis manibus, vim carbonum ignitorum exciperet, & oblatratorem ſuum hortaretur, ad depellendum eo ignitabulo frigus quo premebatur. Homo cæteroqui non malus, & zelo potiùs improuido ac non ſecundùm ſcientiam, quàm animi malignitate ſancto viro obſtrepens, vt vidit non ambuſtas prunis manus, illicò ad eius pedes ſupplex accidit, vberibus lachrymis perfuſus, & erratorum veniam demiſſiſſimè expoſcens, non ſine conteſtatione ſarciendi illata famæ innoxij diſpendia. Et fecit quod receperat, vbique & ad omnem occaſionem retexens quæ priùs in virum ſanctum malè effutiuerat. Ioannes Chappotus qui de rebus ſancti viri diffusè & accuratè ſcripſit, rei huius geſtæ narrationem intexuit Operis illius l. 2. cap. 6. Nec diſſimilem hypocriſis labem viro Sancto illatam à Medico Ludouici Francorum Regis, retulerat l. 1. cap. 16.

CAPVT V.

De nouitatum captatione.

HIc quoque eſt fœtus ſuperbiæ. Qui enim nouitates captant, affectant audire mirabiliarij, & dicier *hi ſunt*. Et hanc eſſe germanam cauſam cur aliqui euadant Nouatores circa fidem & religionem, transgrediendo iam olim à Chriſto & Eccleſia, poſitos terminos, inde manifeſtum eſſe poteſt, quòd omnes eiuſmodi, de ſuo nomine appellant quos implanant; vt notarunt varij P P. nominatim Athanaſ. orat. 2. contra Atrian. *ferè initio*. Eſt igitur ſuperbiæ frutex, nouandi amor, nec eſt ea labes exigua, vt quoad nouitates circa doctrinam ſacram perpulchrè docet Tertullianus l. de præſcrip. cap. 29. 30. & 31. ac 36. aliiſque locis ibi à Pamelio ſignatis, S. Vincentius Lyrin. in Commonit; & breuiter ſed inſigniter S. Baſilius l. de Spir. Sancto c. 29. & Epiſto. 62. Congero in eam.

eam rem plenâ meſſem in Opere de iuſta confix. libr. partit. 1. Erotem 20. vbi demonſtro non modo circa fidem & religionem Catholicam à Chriſto traditam, & ab Eccleſia, Dei interprete propoſitam, iure improbari nouitates; ſed etiam circa alia niſi nouitas ſit extra earum ſyllabum, quas Apoſtolus *profanas* nominauit; nec redoleat leuitatem animi, ſed ex ſolido motiuo citra omne incommodum inuehatur. Quæ temperationes quia facilè deficiunt, procliue eſt, vt nouitatum captatio, (etiam extra fidem & religionem Catholicam, vbi ſemper eſt reproba,) malè audiat & vitio vertatur. Quod hæc labes falsò aliquibus ſanctis interdum ſit impoſita, docebunt ſubiecta exempla.

Chriſtiana fides ac religio, ab infidelibus eo nomine calumniam ſuſtinuit, quòd noua eſſet, & eius buccinatores captarent nouitates, conuellerent verò vetuſtatem in qua vniuerſum ſuum præſidium denique locabant, cum aliis adacti machinis, validè vrgebantur ad deditionem ſalubrem. Videſis Tertullianum cap. 6. Apol. Arnobium l. 2. Lactantium. l. 2. cap. 7. Zachariam Mythil. ſub finem diſputationis contra Philoſophos, & creditum Ambroſ. Epheſ. 5. ad illud, *nemo vos ſeducat*. Verùm qua ex parte hi hoſtes Chriſtianorum turabantur ſe, allegando ſuorum errorum antiquitatem, intutum planè perfugium captabant. Præſtat enim abiicere veteres errores, quàm illis diutiùs inſiſtere. Qua verò ex parte traducebant Chriſtianam religionem tanquam nouam, laborabant ignoratione conſiliorum Dei, qui illam ipſam religionem quam ſub Chriſto ad perfectionem deduxit anteriùs & iam à mundi initio præformarat [Nihil ſine ætate eſt, (ait Tertullianus l. de vel. Virg. c. 1.) & omnia tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes, *tempus* inquit, *omni rei*. Aſpice ipſam creaturam, paulatim ad fructum promoueri: Granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur. Deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens, eruditur in manſuetudinem ſaporis. Sic & iuſtitia, (nam idem Deus iuſtitiæ & creaturæ) primò fuit in rudimentis, natura Deum metuens: dehinc per legem, & Prophetas promouit in infantiam: dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem: nunc per Paracletū componitur in maturitatem.] Demus huic limbo ſenſum Catholicum, ablegata Tertulliana fatuitate de Paracleto Montani. In bono autem ſenſu, Spiritus ſanctus, Eccleſiæ poſt Chriſti Patris abſceſſum, tutor, expoliit, & perfecit in maturitatem, quod initio propè informe & quaſi acerbum erat. Bellè eôdem facit comparatio corporis humani, in variis ætatibus eiuſdem, ſimul varij; itemque ſeminis varia incrementa ſuſcipientis: quas comparationes in hanc rem adhibet Vincentius Lyrin. Commonit. cap. 28. 29. & 30. Hoc ſpectantes Euſebius l. 1. hiſt. cap. 3. & 4. ac in Opere de Præpar. Euang. & de Demonſtrat. necnon Nicephorus Caliſtus l. 1. hiſtor. cap. 2. dixerunt, religionem Chriſtianam non fuiſſe nouam, cum viſa eſt induci. Goffridus Vindoc. ſerm. 5. eadem mente ait, antiquos Patres in veteri Teſtamento, fuiſſe Chriſtianos. Scitè Rupertus l. 5. in Geneſ. c. 33. ait fuiſſe Chriſtianos catechumenos, & idcirco non eſſe admiſſos ad contuenda ſancta, donec perfunderentur baptiſmate ex ſanguine in cruce profuſo. Itaque per calumniam, S. Paulus cum Chriſtianam fidem annuntiaret, dictus eſt *annunciator nouorum dæmoniorum*: id eſt nouæ diuinitatis, & numinis non antiqui, ſed Dei

recentis. At non eſſe Deum Chriſtianorum, alium à Deo antiquorum, demonſtrant varij Patres, agentes contra Marcionem & Manetem, alioſque impios, mali principij æterni aſſertores. Per calumniam quoque, Beniamin Hebræus apud Iſidorum Peluſ. l. 1. epiſt. 401. Euchariſtiam ob nouitatem reiiciebat; cùm potuiſſet, (vt ei obiicit Iſidorus,) in Sacra menſa veteris legis, typum Euchariſtiæ deprehendere. De aliis ferè omnibus myſteriis noſtris, idem ſtatuere liceat, cum Origene murænulas aureas interpretante.

Vt autem quod ad Ethnicos attinet, daremus illis, Religionem Chriſtianam cum inuecta eſt, fuiſſe planè nouam, erroribus apud eum inueteratis planè contrariam, non eſſet idcirco cur Chriſtianam religionem depretiarent. Egregiè id proſecutus eſt Iſid.Peluſ. l. 2. epiſt. 46. ſic ſcribens ad Athanaſium Presbyterum. [Dic ad eum qui tecum altercatus eſt, atque Ethnicorum dogmata profitetur, contenditque Euangelium nouam quandam, atque à veteri conſuetudine diſſidentem vitæ rationem induxiſſe: vir ſapientiſſime, illud ignorare videris, improbam conſuetudinem nouitate ſolâ comprimi atque extingui ſolere. Quâ de cauſa Euangelij quoque Dominus huc venit, ac cœleſte vitæ genus inuexit. Et quidem ſi in priſtino ſtatu permaneremus, admoneret, nihil noui moliri neceſſe fuiſſet. Sin autem idcirco venit, vt ea, quæ minùs rectè conſtituta erant, reprehenderet, nouis rebus profectò erat opus, vt improbitas quæ inualuerat, frangeretur. Neque enim fieri poterat, vt eadem turpitudine vires obtinente, correctio fieret: verùm ei neceſſe erat, qui vitia emouere ac de medio tollere cupiebat, ea quæ nondum legibus ſancita erant, eorum loco, quæ in detrimentum ac perniciem inualuerant, conſtituere. Quapropter illud potius in contrarium admirationem haud immeritò mouere debuiſſet, ſi cùm ad res mutandas huc veniſſet, nihil noui legibus ſuis ſanxiſſet; Oportet enim & legiſlatorem & monitorem, ea quæ in rem futura ſint, nihil omnino curantem, an ſententiis nouitatis aliquid inſit. Quemadmodùm enim eum qui minimè conducibilia ſuadet, odiſſe ac deteſtari par eſt, etiamſi conſuetudinis veſtigiis hærere videatur: ſic eum qui optimis atque vtiliſſimis conſiliis accedit, laudibus ac plauſu proſequi conuenit, etiamſi alioqui extra ea quæ moribus recepta ſunt, aliquid conſulat. Quocirca ſi quid quod reprehenſionem mereatur, Chriſti oraculis adiunctum eſſe perſpicis, id oſtende; & tibi victoriam concedam. Sin autem cum hoc dicere nequeas, morem atque conſuetudinem, tanquam firmum quoddam præſidium, retines, apparet te per ſpecioſum conſuetudinis prætextum, id quod vtile eſt repudiare. Neque enim graue ac ſceleratum eſt, aliquid innouare, cùm vtilitas nouitati adiuncta eſt. Non enim noxia & vtilia temporis diuturnitate perpenduntur; verùm id explorandum eſt, an in antiquioribus rebus vitium inueniatur; an contra in recentioribus virtus reperiatur. Tu porrò hac ratione videris exiſtimare, huic qui à iuuenili ætate ſemper in luſtris & proſtibulis ſe volutauit, ſermonem de pudicitia minimè inſerendum eſſe: nec ſicario, de manſuetudine ac morum lenitate. Nam ſi quiſque illorum conſuetudinem honeſtati anteponat, ſexcentis malis ſeipſum inuoluet atque transfiget.]

S. Simeon Stylites *Magnum orbis terrarum miraculum* fuit, vt enim quidem denominauit Theodoretus cap. 26. adductus ſupra cap. 3. & iuxta S. Eudocium orat. 9. apud Photium Cod. 230. *cœlitum vitam in terris æmulans* imo ſupra terram extans atque adeo è nomenclatore Euagrio l. 1. cap. 13. *Sanctiſſimus & acerrimus martyr*,

martyr, iuxta Græcorum Triodium, *cælum in terra luminę inſtructum*; Hic vir talis ac tantus nouitatis captatæ nomine proſciſſus eſt, referente ſuperiùs Theodoreto; qui ei præclaram ſtruit Apologiam ex diuino afflatų quo ad eam vitæ rationem impulſus fuerat, vt ſpectaculi nouitas multis aduentantibus ſaluti fieret, ſicut reipſa contigit tot hominum millibus, qui ad nouum ſpectaculum confluebant, etiam ex Gentilibus, ad Chriſtum ea nouitate traductis. Non aliter ſanè Deus ipſe, vt Theodoretus benè proſequitur, in ſimilem finem percellendi ſpectatores, multa ſeruis ſuis noua & inviſitata mandauit; vt Iſaiæ, nuditatem in publico; Ieremiæ, appoſitionem ligneorum collariorum; Oſeæ, coniugium cum fornicaria, Ezechieli, perfoſſionem muri, ac fugam, & decubitum in vnum latus tempore admodùm diuturno. [Quomodò ergo vniuerſorum Deus iuſſit illorum vnumquodque fieri, curam gerens eorum qui ignauè & ſocorditer viuebant; ita etiam hoc nouum & admirabile procurauit ſpectaculum, rei nouitate & admirabilitate, omnes trahens ad ſpectandum, & efficiens, vt aduenientibus, credibilis exhiberetur admonitio. Nouitas enim ſpectaculi, eſt pignus ſufficiens doctrinæ: & qui venit ad ſpectaculum, cùm res diuinas doctus fuerit, recedit. Et quemadmodum ij quibus obtigit vt eſſent Reges hominum, poſt aliquam temporis conuerſionem, mutant imagines nummorum; aliquando quidem leonum exprimentes imagines, aliquando autem ſtellarum, & aliquando Angelorum, nouo charactere tentantes aurum reddere pretioſius: ita etiam ſummus Rex vniuerſorum, veluti quaſdam figuras ac characteres, hæc noua & multiplicia viuendi inſtituta, pietati veræque religioni adiiciens, non ſolùm fidei alumnorum, ſed eorum qui laborant morbo incredulitatis, ad laudandum linguas excitat.] Subdit, & longa enumeratione confirmat, quàm multi omnis generis infideles, ad huius ſpectaculi nouitatem Chriſto adhæſerint, ſalutemque ſint aſſecuti.

Religioſi Cartuſiani, nouitatis notati ſunt ob ſeceſſionem à turbine & tempeſtate. Refert, & egregiè refellit eam calumniam, Gulielmus Abbas S. Theodorici in libello ad fratres Carthuſianos de monte Dei, qui extat inter ſcripta S. Bernardi. Ibi ferè initio, ſic habet Gulielmus. [Veſtrum ſecretum, iam earum rerum quæ tumultum faciunt, vel facere videntur, pluribus incutit horrorem. Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſericordiæ, implete gaudium non meum tantummodo, ſed omnium diligentium nomen Dei, vt in varietate veſtitus deaurati de auro Sapientiæ Dei, reginæ aſſiſtentis à dextris ſponſi, veſtro ſtudio, veſtrâ inſtantiâ ad Dei gloriam & magnam coronam veſtram; & gaudium omnium bonorum, hoc ſanctæ nouitatis inſtauretur ornamentum. Nouitatem verò dico, propter linguas nequam, (à quarum contradictione abſcondat vos Deus in abſcondito faciei ſuæ;) hominum impiorum, qui cùm manifeſtum lumen veritatis obnubilare non queunt, de ſolo nouitatis nomine cauillantur, veteres ipſi, & in veteri mente neſciente noua meditari; vtres veteres non capientes vinum nouum, quod ſi eis infunderetur, rumperentur. Sed hæc nouitas, non eſt nouella vanitas. Res enim eſt antiquæ religionis, perfectæ, fundatæ in Chriſto pietatis, antiqua hæreditas Eccleſiæ Dei à tempore Prophetarum præmonſtrata, iamque nouæ gratiæ ſole exorto, in Ioanne Baptiſtâ inſtaurata & innouata, ab ipſo Domino familiariſſimè celebrata, ab eius diſcipulis ipſo præſente concupita, cuius transfigurationis gloriam cùm vidiſſent qui cum eo in monte ſancto erant, continuò Pe-

ætus in eo quidem abreptus ſibi, & neſciens quid diceret, quia viſâ Dei maieſtate commune bonum intra priuatum ſuum viſus eſt concluſiſſe; in eo autem præſentiſſimus ſibi, & ſcientiſſimus quid diceret, qui ſuauitate eius guſtatâ optimũ ſibi iudicauit in hoc ſemper eſſe, vitã hanc in contubernio Dei & ciuiũ ſupernorũ, quos cum eo viderat, concupiuit, dicẽs: *Domine bonũ eſt nos hîc eſſe, ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnũ, & Heliæ vnũ.* In quo ſi auditus fuiſſet, facturus procul dubio erat poſtmodũ alia tria, ſibi vnum, Iacobo vnum, & Ioanni vnum. Poſt paſſionem verò Domini, calente adhuc in cordibus fidelium effuſi eius ſanguinis recenti memoriâ, ſolitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem ſpiritus ſectantibus, & in ſpiritualibus altero in alterum zelantibus, deſerta repleta ſunt. Ex quibus legimus Paulum, Macarium, Antonium, Arſenium, & alios quamplures in ſanctæ huius conuerſationis Republica conſulares viros, egregia nomina in ciuitate Dei, nobiles & triumphales titulos habentes de victoria huius ſæculi, & principis huius mundi, & corporis ſui, de cultu animi, & Domini Dei ſui. Sileant ergo qui in tenebris de luce iudicantes, vos arguunt nouitatis & vanitatis.] Hæc ad diſpellendam calumniam propoſitam, plus ſatis. Nec ſuffragati ſanè ſunt calumniatoribus, viri ſanctiſſimi, & grauiſſimi, qui ipſis Cartuſianæ ſeceſſionis initiis, immenſas ei inſtituto laudes panxerunt, nominatim Petrus Cluniac. l. 6. epiſtol. 12. & l. 2. mirac. cap. 28. Petrus Cellenſ. epiſtol. 23. & 46. & Nicolaus Monachus Sueſſionenſis, in Actis S. Godefridi Ambian. l. 3 cap. 8.

Reformatores diſciplinæ in cœnobiis collapſæ, inuectionis nouitatum inſimulari, neminem latet. Eſt enim perpetuum, & vbiuis quotidianum. Refert id quoque, & calumniam eſſe probè reuincit Ioannes Nider l. 1. de reformat. religioſ. c. 7. præmittens ante omnia, hanc eſſe manifeſtam ignorantiam eorum, qui obſiſtunt veritati, quandoquidem tantùm abeſt vt hæc nouitas iure patens reprehenſioni, & digna quæ obiiciatur, vt potiùs digniſſima ſit quæ captetur, & ad eã ſæpè nos impellat Spiritus Sãctus in Scripturis, vt Rom. 7. vbi dicitur, *Seruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ.* Et 1. Corinth. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio.* Et Hebr. 1. teſtatur Apoſtolus, vt ineamus, viam nouam quam Chriſtus Initiauit nobis: Quomodò igitur non eſt calumnioſum, notare nouitatis vitioſæ, rationem agendi à Spiritu Sancto toties commendatam? Quomodò verò nouitas dicitur, quæ reuera eſt antiqua, & præfuit deformationi? Certum quippè eſt principia in Ordinibus laxatæ nunc diſciplinæ, fuiſſe longè alia. Vnde quæ dicitur *reformatio*, non eſt noua inſtituti religioſi formatio, ſed reductio ad primam formam. Ac proinde non eſt captatio nouitatis exactè loquendo, ſed potiùs depulſio nouitatis, ſuperinductæ antiquo ſtatui. Itaque hæ calumnioſæ excuſationes in peccatis, nullo modo ſunt admittendæ.

Societatis IESV inſtitutum, à pleriſque eo nominatim ex capite improbatum eſt, quòd nouitates contineret; Vt conſtitutionem aliquorum in ſtatu religioſo per vota ſimplicia; in abdicationem dominij proprietatis, cum ſola eius vinculatione quoad vſum ad nutum Superioris; puerorum inſtitutionem in ſtudiis mitioribus; defectum Odæi, ſiue chori, (vt vocant;) reſciſſionem noxiorum membrorum; & ſi quæ ſunt alia, nunc ei inſtituto peculiaria. Per calumniam tamen & ignorantiam, prædicta inſtituti capita nouitatis ſunt inſimulata: quod de illorum nonnullis, monſtrat Vaſquez l. 2. diſput. 165. Baſilius Poncius in variis diſputationibus, & Thomas Sanchez

chez

chez lib. 5. 6. ac 7. in Decalogum. De omnibus verò iiſdem capitibus, accuratè idem perſequuntur Petrus Ribaden. in Opere de Inſtituto Societatis IESV, & Franciſcus Suarez Tract. 10. de Religione. Demonſtrant hi DD. quæcunque ab æmulis per calumniam damnabantur nouitatis in hoc inſtituto, fuiſſe antiquiſſimi vſus in Dei Eccleſia: ita vt hac quoque in parte valeat, Nihil eſſe ſub ſole nouū, quod nō fuerit in ſæculis quæ fuerunt ante nos iuxta, Sapientis Oraculum Eccleſiaſtis 1.

Ludouicus Molina, Bellarminus, Suarez, Vaſquez, Leſſius, & alij Societatis IESV Theologi, cum aliis ex capitibus captatæ perperam nouitatis damnantur à nouo quodam Theologo qui ſe Alexandrum Patricium dixit; tum ex eo nominatim, quod agnoſcant genus quoddam gratiæ Chriſti præter efficacem: Cuiuſmodi gratiam (ait hic ſcriptor,) [nec D. Auguſtinus, nec vllus poſt illum Latinorum Patrum, nec D. Thomas, vel vetuſtiorum Theologorum aliquis agnouit, nec Eccleſia in vllis Conciliis Generalibus aut Prouincialibus approbatis. Neque verò agnoſcere potuit, niſi principia quibus ipſa per antiquos Patres Chriſti gratiam defendit, funditùs euertat.] Ita ille Tomo 3. l. 2. c. 29. *col.* 213. & l. 3. cap. 1. *col.* 251. & eiuſdem libri tertij cap. 2. & 3. ſpecie monſtri hanc ſufficientem gratiam exhiber, nec niſi ad peccandum ſeruire tradit. Et eſſe inuentum Pelagianicum, ac Semipelagianicum docet ibid. cap. 1. & 11.

Verùm hæc omnia adeò monſtroſa ſunt, & tantam hominis in euoluendis Patribus ac Scholaſticis, vel indiligentiam, vel ſupinitatem produnt, vt mirum ſit potuiſſe committi literis. Sanè peccatores, etiamſi non conuertantur, tangi tamen & ſollicitari à Deo ad conuerſionem; & cum poſſent conuerti, ſola ſua malitia hærere in peccato; tam frequens eſt & perpetuum apud D. Auguſtinum, & Patres omnes, vt incredibile ſit, hominem ad ea quæ chartis illineret, attendentem, negare potuiſſe, id vlli Patrum, ac nominarim D. Auguſtino in mentem veniſſe: vel effutire auſum eſſe, doctrinam illam à ſolis Hæreticis eſſe propoſitam. Scholaſticos verò notius eſt quàm vt probari debeat, agnouiſſe gratiam aliquam ſufficientem, cui defectu humanæ libertatis non ſit ſubiunctus effectus. Id enim non modò omnes Scholaſtici quoad rē ipſam, ſed etiam quoad extimas gratiæ ſufficientis voces, S. Thomas, & Ioannes Duns, patritiarum in ſchola familiarum ductores duo primarij, profitentur: Ille 1. 2. quæſt. 106. artic. 2. ad 2. cùm ait. [Si quis poſt acceptam gratiam Teſtamenti noui peccauerit, maiori pœna eſt dignus, tanquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non vtens: quia quantum eſt de ſe, (lex noua,) ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.] Scotus verò in 1. diſtinct. 46. quæſt. vnica ad 1. ſic habet. [Deus vult omnes homines ſaluare quantum ex parte ſui, voluntate ſuā antecedente; pro quibus dedit dona naturalia, & leges rectas & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem. Ita dico, Deus vult iſti illa adiutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter benè viuere & ſaluari;] Audeat nunc Alexander Patricius, præfidenter more ſuo iactare, neminem è Scholaſticis antiquis, gratiam ſufficientem tantùm, quæ ſcilicet non ſit efficax, & vitio noſtro caſſa abeat, agnouiſſe; cùm videat eam expreſſam, & quidem de nomine.

Non igitur qui gratiam tantùm ſufficientem admittunt, conſectantur nouitates, vt iſte blaterat; ſed potiùs qui illam diffitentur. Et poſſem ego ſanè, ſi hoc inſtitutum id pateretur, molibus allegationum obruere Alexandrum, & proferre in eandem cum D. Thoma & Scoto doctrinam veteres omnes Scholaſticos, præter

ſoleant ; dimiſſa anteriore diſpoſitione, ea Opuſculis annumerauit: notatis tamen in antiqua Epiſtolarum ſerie locis, in quæ ea Epiſtola ab legata erat, ne cui diligentia rectiùs diſponendi lucubrationes illas, fraudi eſſer, dum quæ ex anteriore Epiſtolarum editione alicubi allegata reperiret, deſideraret in nouo Codice. Ex quo factum eſt, vt perpauca Opuſcula, adiectione trium ſupra quadraginta opuſculorum ex Epiſtolarum volumine extractorum, excreſcerent ad ſummam omnino notabilem, & lectoribus ob appoſitam diſſectionem in capita, gratioſiorem ac commodiorem. Eam ſummam coronauit embolum Opuſculi in Hiſtorias veteris Teſtamenti, quod Caëtani oculos fugerat.

In ea Petri Damiani diſpoſitione, quid peccarit D. Goffar, me planè latet. Nam diſpoſitio illa Epiſtolarũ, quam experientia docuit incõmodiorem fuiſſe,& Lectores faſtidioſos auertiſſe abearundẽ Epiſt. peruolutationẽ, quanta poſtea eſt ſubſecuta; non fuerat adhibita à B. Petro Damiani; ſed vel abipſo Caëtano, vel ab alio quopiam Collectore, cuius iudicium in ea diſpoſitione irrefragabile ducere, nihil eſt quod cogat. An enim reprehendendus eſſet, qui pro ordine gradus perſonarum ad quas Epiſtolæ illæ exaratæ ſunt, (quem ordinem tenuit Caëtanus, nihil moratus notam temporis quo ſunt datæ, & nexum negotiorum de quibus erant conſcriptæ;) alium initer earundem collocandarum ordinem, pro ratione temporis quo datæ ſunt, aut pro nexu negotiorum de quibus in illis agitur? Editæ pridem fuerant S. Cypriani Epiſtolæ, ſed valde indiſtinctè ac perturbatè. Quod cùm aduertiſſet vir Doctiſſimus Iacobus Pamelius, omnia ſus deque magno lectorum bono euertit, & nouum omnino ordinem appoſuit. Quis hoc reprehendit? Quis mutatam antiquam diſpoſitionem expoſtulauit? Idem circa S. Hieronymum præſtitit Marianus Victorius; & circa S. Ambroſium F. Felix de Monte alto, poſtea Sixtus V. Circa Tertullianum Ludouicus de la Cerda & alij nonnulli; nec non circa B. Auguſtinum Louanienſes, & circa S. Chryſoſtomum Fronto Ducæus, & circa alios alij, improbante nemine, imò collaudantibus omnibus, qui nullius idcirco ea in re marſupium degrauabatur. Et vtinam eſſet, qui ſecundis curis B. Hyeronymum in quo adhuc Tractatus Epiſtolis permiſti, magna cum lectorum incommodatione iacent; admota poſtrema manu, nouo & fructuoſiore ordine diſponeret. Vtinam qui circa S. Bernardum idem præſtaret, in quo lolia & ſteriles auenæ,cum tritico permiſta habentur. Ea enim cribratione Operum ſancti viri, & furfurum in angulum ſepoſitione, magnum ſancto Doctori decus accederet, magnns lectoribus fructus, etiamſi antiqua diſpoſitio immutaretur. Nec deſpero, quin R. P. Ioannes Bona Ord. Ciſtercienſis ſtrictioris inſtituti, vir & ingenio & doctrina præcellens, quem pridem ad hoc vrgeo, hoc ornamento, lucubrationes ſancti ſui Patris condecoret.

Hanc igitur operam circa B. Petrum Damiani, à D. Antonio Goffar eſſe nauatam, nemo querelas cieat, niſi cuius bono, & crumenæ prior diſpoſitio ſerniret, & donec omnia editionis illius exemplaria admodùm carò diſtracta eſſent, dilatam eam diligentiam voluiſſet. Quòd verò nomine Opuſculorum propoſuerit, quæ Epiſtolæ ſunt ad alios inſcriptæ, ne hoc quidem peccatum eſt, cum ipſe S. Hieronymus epiſtola 8. ſuam epiſtolam 22. vocet *librum*. Diui Auguſtini liber 2. de Anima & eius origine ad Petrum Presbyterum epiſtola eſt, ipſo D. Auguſtino teſte 2. Retract. cap. 56. & tamen pro libro circumfertur. Orationes, vel libri, vel tractationes de Imagi-

Calumniæ quidem, quia falſum impingis, vt demonſtraui: Detractionis autem, quia tametſi probrum illud vana quidem exiſtimatione, (nam teipſa probtum non eſt;) in me caderet; non fuit in tua poteſtare, nullis antea tentatis me corrigendi rationibus, illud adhuc larens euulgare, & in meam famam adeò licenter bacchari. Sed homo, quem ipſos quoque cœlites vindicatos, furti inſimulare probroſis ſcriptis non puduit, intercepti lucri vulnere ſaucius, furore arma miniſtrante, neſciens qua ictum dirigas, cœco impetu irruis. Ringeris, audiens quod non lubet? Qui dicit quod non debet, ex veteri parœmia, audit quod non vult.

CAPVT VI.

De Auaritia.

AVaro nihil eſt nequius, ipſemet Spiritus Sanctus per Siracidem c. 10. admonuit. Per Apoſtolum verò, auaritiam omnium malorum eſſe radicem, denuntiauit, quod quàm verè dictum ſit, Valerianus Cemelienſis homil. 20. rectè expendit, & Teophilus Alex. epiſtol. 3. Paſchali, ac Balſamon ad Epiſtolam Canonicam Gregorij Nyſſeni ad Larrium c. 6. & inſigniter quoque Aſterius homil. aduersùs auaritiam; vbi agens de iis qui ſuo tempore ineſcati donis & promiſſis Iuliani Apoſtatæ, ad aras & dæmonia defecerant, auaritiam ait eſſe ſceleribus, quod eſt aurea gleba condita circa proprium generationis auri locum vnde velut venæ in longum hinc inde producuntur, ſicut arborum à ſtipite ſe explicant ac diffundunt radices. Nec omittit Aſterius truculentum, (tametſi verbis perſtrictū,) auaritiæ elogium apud Apoſtolum, à quo vocatur *Idololatria*. Nimirum quià vt differit Guerricus ſerm. 5. de Purif. [Sicut vni Deo Idololatria nititur auferre gloriam, ne ſolus habeat nomen Deitatis; ita auarus in Dei res ſe extendit, vt ſolus vſurpet quæ Deus omnipotens in vſum plurimorum fecit. Vtraque Deo inimica, quia Deo negat quod eſt eius.] Piget in huius monſtri feralitatem., diffuſiùs hîc excurrere, quod l. 4. de virtut. à num. 220. latè id præſtiterim. Et hæc pauca quæ retuli, ſatis ſuperque eſſe videantur ad huius probri fœditatem intelligendam, atque adeò quantopore dehoneſtetur qui per calumniam auarus audit. At audiuerunt nonnulli ſancti viri, reuera ab eo probro alieniſſimi, quorum exempla ſubiicio.

Conſtantinus Magnus, cùm aliarum tetrarum notarum, à variis Ethnicis quos attigi in diſſertat. de Natali S. Ambr. p. 4. tum nominatim immanis auaritiæ inſimulatus eſt, à Zozimo Ethnico. Ait enim Zozimus eſſe à Conſtantino impoſitum fœdum tributum Chryſargiri. Hoc quale eſſet attigi l. 4. de virtut. n. 221. ex Conſtantino Manaſſe *in Anaſtaſio*, Ex quo ac Cedreno idem habet Lipſius l. 2. de Magnitud. Rom. cap. 6. diſſentiente aliquatenus Baronio: qui anno 330. ſolis negotiatoribus impoſitum fuiſſe id tributum, affirmat. At Nicephorus infrà & Cedrenus de vilibus tantùm perſonis, puta ſeruis, meretricibus, mendicis id aſſerit. Euagrius l. 3. cap. 39. de ſcortis tantùm & pueris meritoriis, id tradit. Alij rectè ſtatuunt ex vrina & ſtercore, ſiue hominum ſiue iumentorum, collectum eſſe, vſque ad Anaſtaſium Imperatorem. Hanc ergo auaritiæ monſtroſitatem, à Conſtantino occœpiſſe, ait Zozimus. Sed eſſe impoſturam hominis in Conſtantinum efferati, ob contritam Idololatriam, affirmat cōſtanter Euagrius l. 3. hiſtor. c. 41. [Quemadmodum enim (inquit) fieri poſſet, vt qui tam liberalis tamque magnificus fuiſſet, idem ipſe adeò ſordidus & parcus exiſteret, vti tale

quo puero Iulianus bacchabatur, frequentiſſimus eſt in ſugillanda Pſeudomonachorum auaritia. Idem facit Caſſianus lib. 7. & collat. 4. cap. 20. & creditus Cyprianus ſub finem Prologi ad librum de Chriſti Cardinalibus operibus; itémque Ioannes Sariſberienſis l. 7. polycratici cap. 17. & in Religioſorum cauſa teſtes Sariſberienſi locupletiores, S. Bernardus homil. 4. ſuper *Miſſus eſt* ad finem, & S. Theodorus Studita Cathec. 120. nec ſemel alii. Quamuis autem aliquorum vitio hæc verè dicantur, tamen paucorum incredulitas fidem Dei non euacuauit, vt cum Apoſtolo dicam; hoc eſt ſordes paucorum Religioſorum à ſuis inſtitutis deficientium non obſtant, quominus recenſeatur inter calumnias, labes auaritiæ afficta Religioſis indiſcriminatim; cùm certum ſit, vt omnes Religioſos vi ſui inſtituti, & pleroſque, vel etiam eorum partem longè maximam, res caducas quaſcunque, arbitrari vt ſtercora, nec auaritiæ lepra corripi, ſed omnem eius attactum planè abominari.

Clerus vniuerſus iam olim auaritiæ nomine malè audiuit à Laicis; ſiue ob aliquos turpilucros extenſa ad omnes eadem labe, ſiue ob decimarum & oblationum exactionem aut admiſſionem. Sed neutra excuſatio eſt idonea ad eximendam à calumnia talem accuſationem. Nam quid iniuſtius, quàm vnius labem ad omnes ex eodem cœtu diffundere? An enim idem in fabris & quibuſuis opificibus ſeruatur. Egregiè id viget Naz. orat. 14. & Iſidor. Peluſ. l. 2. epiſtol. 52. & l. 3. epiſtol. 241. & Theodoretus l. 12. contra Græcos, ac Chryſoſtomus homil. 4. de verbis Iſaiæ *vidi Dominum* ſub finem Vt verò ob temporalia, pro ſpiritualibus ſuppeditatis expedita vel admiſſa, tanquam iuſtum neceſſariæ ſuſtentationis ſubſidium, laici, Sacerdotes incuſent auaritiæ, indigniſſimum eſt; vt potenter & fusè admodùm vrget S. Chryſoſtomus homil. 9. in epiſtol. ad Philipp. *in morali.* [Etenim (inquit) ſanctis apud nos debetur miniſterium, & nihil illis gratuitò facimus. Nam quemadmodùm in exercitu ſtantibus & bellum gerentibus ſumptus debentur ab illis qui in pace ſunt, & bellum non ſuſtinent: pro illis enim iſti in acie ſtant: ita & hîc. Niſi enim docuiſſet Paulus, quiſnam ipſum tum in carcerem conieciſſet? Itaque debetur miniſterium & officium ſanctis. Quomodò namque abſurdum non fuerit, Regi terreno bellum gerenti omnia adminiſtrare, & indumenta & alimoniam, non ſolùm quantum neceſſarius popoſcerit vſus, ſed & ad abundantiam vſque: Regi verò cœleſti aduersùs multò grauiores hoſtes præliantì, (lucta enim noſtra non eſt aduersùs ſanguinem & carnem,) ne ea quidem ſubminiſtrare, quæ neceſſitas exegerit, quantæ non fuerit perfidiæ? quantæ ingratitudinis? quàm turpis quæſtus? Verùm vt ſoler, plus valet apud nos hominum metus, quàm gehennæ, & futurorum ſuppliciorum. Quapropter & omnia peruerſa ſunt. Nam res quidem politicæ, quotidie magnâ diligentiâ perficiuntur, nec quicquam eorum omittere licet; ſpiritualium verò nulla vſpiam ratio; ſed quæ quidem coactè exiguntur, & cum tormentis & tanquam à ſeruis & inuitis, exhibentur cum multa animi gratitudine: quæ verò à voluntariis, & tanquam à liberis petuntur, viciſſim omittuntur. Non de omnibus dico, ſed de illis qui ſumptus iſtos non porrigunt. Num enim poterat Deus iſta quoque, neceſſaria facere & coacta? Sed non vult. Vobis enim parcit magis, quàm illis, qui aluntur. Proptera non vult vt coacti deponatis hos ſumptus, alioqui nulla eſſet merces. Et multi eorum qui hîc ſunt, Iudæis inferiores ſunt. Perpende quantum Iudæi dederint, decimas, primitias; rurſus decimas, iterum, & alias decimas; deinde & alias trigeſimas, & ſiclum, & tamen

tamen nemo dicebat quòd multa conſumerentur à ſacerdotibus. Quanto plura accipiebant, tanto maior erat & merces. Non dicebant, multa accipiunt, ventri inſeruiunt, quæ nunc quoſdam audio dicere. Et quidem qui domos ædificant, & agros coëmunt, nihil ſe putant habere. Si verò Sacerdotum quiſquam ſplendidiùs indutus fuerit, aut victu neceſſario non eguerit, aut ne præter decorum ipſe cogatur obire ſingula, miniſtrum habuerit, pro diuitiis illi imputatur.]

S. Macloüius, (aliàs Machutus,) auaritiæ inſimulatus eſt, vt his verbis refert Sigebertus in Sancti viri Actis cap. 18. [Filij Belial Macloüium infeſtantes execrabili odio, inuchebantur in eum eiuſmodi conuitio: Quis inquiunt, hîc regno noſtro improbus ſucceſſit aduena, qui vſquequaque nobis concitat ſcandala? Quis eſt iſte pellax ſycophanta, qui blanditiis ſuis humana à ſe alienat pectora? Quis iſte eſt cupidus hæredipeta, qui ex noſtris incommodis, ſua hîc comparat commoda? Cùm Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus nihil in terra ſit poſſidendum, hic ſub obtentu paupertatis, velat cupiditatis virium, & ſub prætextu eleemoſynarum, auaritiæ exercet emolumentum: ſub obtentu longæ orationis, expoliat domos viduarum. Qui omnia pro Chriſto reliquiſſe mentitur, & omnia ſe in Chriſto habere gloriatur, nos & filios noſtros exhæredat, & hæreditates noſtras ſibi captat auidè. Qui ſua ſe nō curare ſimulat, cur aliena diſpenſat? Nihil ergo nobis magis vtile, quàm iam iámque noſtris feſſis rebus conſulere, & hunc longè à regno noſtro exturbare, & hæreditates iniuſtè Eccleſiis mancipatas, iterum occupare. Siquidem nobis & filiis noſtris nihil reliqui fecit, quia ſibi omnia noſtra vſurpauit. Solam ſpem futurorum, nobis pretio omnium rerum noſtrarum vendit, quarum vſumfructum ipſe in præſentiarum capit.] Malignitas & vanitas huius calumniæ, quæ à ſuis virum ſanctum fecit extorrem, abundè deprehenſa eſt, ex grauitate diuinæ iræ in calumniatores, de qua in iiſdem Actis cap. 25.

S. Thomas Cantuarienſis, nimiæ tenacitatis & auaritiæ incuſatus eſt à nonnullis, ob defenſam magna conſtantia ſacram immunitatem, & ſubductam oppreſſioni Eccleſiam Dei. Petrus Cellenſis epiſtol. 10. ad ipſum S. Thomam data, eam calumniam & refert & refellit. [Equidem (inquit) hoc mihi ad miniſterium aliquod imponendum in obſequio veſtro non indignè reſeruatum reperio, ſi muſcas abigere poſſem veſtram ſanctitatem oblatratione inuidioſa pungere volentes, vel ſaltem interpretatione peruerſâ denigrare ſinceritatem fidei veſtræ inſiſtentes. Planè muſcæ iſtæ morientes, quæ in Ægypto abundant, & Pharaonem regem Ægypti, tanquam virum muſcarum circundant. Deo opitulante, non perdent ſuauitatem vnguenti. Seruabitur namque in diem ſepulturæ Ieſu, & prædicabitur in generationem & generationem, quòd Archiepiſcopus Cantuarienſis, murum ſe opponens pro domo Iſraël veſtigia ſanctorum antiquorum imitatur, dum Chriſtum in cruce nudum pendentem nudus ſequitur. Quomodò ergo cùm Abraham potero abigere eaſdem muſcas contaminare volentes illibatum domini ſacrificium, niſi ſancto ventilabro de authenticis Scripturis, quo vel fugiantur, vel ſaltem effugentur? Dicunt enim, non debet Archiepiſcopus tam inſtanter ſua repetere à Rege Angliæ, vt dimittat reconciliationis pacem, pro amiſſa pecunia. Qui ſpecie veri decipiuntur, inſtruendi ſunt: qui adulatione falſi, repellendi. Simplicitas enim reuocanda eſt, malitia prorſus abiicienda.]

Richardus ex Monacho Epiſcopus Cantuarienſis, S. Thomæ in eadem ſede ſucceſſor, vir eximiæ virtutis, inſimulatus eſt

eſt auaritiæ, ſed per calumniam, teſte Bleſenſi, qui eius fuit Cancellarius, vt ipſemet profitetur epiſtol. 38. & 130. Ait ergo de Richardo Domino ſuo Bleſenſis epiſtol. 38. [Noui quoſdam, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, innocentiam Domini mei detractationibus attentaſſe; ei notam auaritiæ inurentes, quia bona pauperum, & patrimonium crucifixi, venatoribus non effundit. Talium gratiam non venatur, quorum laudem vituperium putat: Neque gloriam mendicat ex alienæ vocis officio, cuius gloria hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ ſuæ. Ipſum ſæpè monui, vt eſſet propitius famæ ſuæ, & donis obſtrueret os loquentium iniqua: & erat eius reſponſio. Si talibus, (dicebat, placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Si expedit placere hominibus, laus mea ſit in Domino, apud manſuetos & iuſtos: ac ſi diceret cum Propheta. *In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur.* Non enim, qui ſeipſum commendat, vel qui ab omnibus commendatur, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.]

S. VVillelmus Abbas Roſchildenſis, è Gallia vnde ortus erat, in Daniam ab Epiſcopo Abſolone euocatus, interuentu Saxonis Grammatici Roſchildenſis Præpoſiti, qui Hiſtoriam Danorum conſcripſit, ad monaſterium quoddam corruptæ diſciplinæ, reſtituendum feruori & obſeruationi primæuæ; multa à falſis fratribus pericula, & graues calumnias tanta æmulorum pertinacia, vt binis ſociis Lutetiam remigrantibus, fracta propè ſit præ faſtidio, ſancti viri conſtantia. Firmatus tamen optimi Epiſcopi Abſalonis piis monitis, hæſit in gradu, nouis in dies calumniis grauatus, ſed nominatim auaritiæ. Cùm enim fames valida regionem Danicam occupaſſet, & mortuis pecoribus propè vniuerſis, defeciſſet butyrum & caſeus, nec panis ſuppeteret; verſi in furorem Monachi, culpam omnem penuriæ cum qua conflictabantur, in ſanctum VVillelmum Abbatem ſuum conferebant: expoſtulantes quòd homo peregrinus & pannoſus, neque manducans neque bibens, præſtantiores quaſque res cœnobij, auro argentóque permutaret, & in loculos ſuos inferret!, ſuos interim inedia confici ſinens ſparſum eſſe rumorem illum quaquauerſum, & obſcuratam veritatem aliquandiu latuiſſe, calumniam verò multorum occupaſſe aures, vitæ ſancti VVillelmi ſcriptor, qui aderat, annotauit; addens illum patientia peruiciſſe: & glorioſum obitum illuſtribus decoratum miraculis, innocentiæ eius aſtipulatum eſſe, quæ deinceps ſcribit liquidò produnt.

Adrianus VI. Pontifex Maximus, auaritiæ ac ſordium circa expenſas notatus eſt, vt multi ſcripſerunt. Exhorruiſſe certè fertur, cùm fortuitò Leonis X. deceſſoris ſui rationes aliquando inſpexiſſet, vt ſcribit Petrus Opmeerus in Chronographia. Damnat nominatim huius culpæ Arianum Ioannes Pierius Valerianus qui tunc Romæ agebat; l. 19. Hierogl. § *Princeps ſibi tantùm ſtudens*, Verùm Adrianus, Iudicio proborum omnium, Pontifex ſanctitate æquè ac doctrina inſignis, idcirco Ioanni Pierio, & aliis eiuſdem furfuris hominibus diſplicuit, & auaritiæ ab eis notatus eſt, quod nollet opes ſanguine Chriſti & ſanctorum purpuratas, effundere in tenebriones, qui per ſpeciem literaturæ politioris, ſopitos Ethniciſmi ignes ſuſcitabant pro viribus. Hæc enim ſunt illa tempora in quæ conclamant Viues l. 2. de verit. fidei cap 7. & Putherbæus l. 1. de tollendis malis libris *pag.* 81 Homines itaque vaniſſimi, & fermento impietatis corrupti, (quos inter Ioannes ille Pierius, qui nomen ſuum luſtricum *Ioannis Petri*, abnegata Principis Apoſtolorum appellatione, commutauit nomine

ne *Ioannis Pierij*, vt Heliconem & Muſas nomine ipſo præferret,) videntes apud Pontificem, & Theologum, & ſolidè pium, ſtudia inania frigere, & pecuniam Pontificiam in ſumptus bellicos aduerſus Turcas eo primùm tempore imminentes Hungariæ, non in ſtipendia vel lautia Verſificatorum conferri; Pontificem notarunt auaritiæ ac ſordium, quem à ſancta & conuenienti Eccleſiaſticarum opum erogatione, par fuerat commendare. Quòd autem locus ille cœnoſus, apud Pierium etaſus ſit, iuſta cenſura tulit. In editione certè Baſileenſi anni 1575. fol. 140. hic locus in aliis quibuſdam poſterioribus editionibus deſideratus, in-tegrè legitur.

CAPVT VII.

De prodigalitate & improuida rerum dilapidatione.

SIcut iuſto tenacior auaritia, aut acquirendi nimia auiditas, reprehenſioni iure patet, ita & nimia profuſio; qua res partæ, quaſi non eſſent partæ, hoc eſt magno labore & cruciatu acquiſitæ, (ſic enim vim illius vocis aperuit D. Auguſtinus) citra modum & menſuram conuenientem profunduntur, falſa ſpecie liberalitatis. Id enim eſt quod Socrates apud Stobæum, quendam contuitus abſque delectu ſua prodigentem, ſugillare voluit cùm dixit [Malè ſit tibi, qui gratias Virgines, Scorta feciſti.] In Magnatibus, frequens hæc eſt origo rapinarum, & grauium indignitatum, vt de Liuio Druſo notauit Plinius l. de viris illuſtr. cap. 66. Vt enim habeant vnde pergant prodigere, multa indignè, multa iniquè præſtanda ſunt, quibus & ſibi dedecus, & aliis vaſtitatem inferunt. Quoad priuatos, non alia eſt tritior ad familiarum euerſionem via, vt quotidiana experimenta faciunt teſtatiſſimum. Eſt itaque prodigalitas magnæ improuidentiæ, aut malitiæ, vel vtriuſque certum argumentum. ἀσωτίαν ab euerſa prudentia, & intellectus obcœcatione, vocant Græci. Ac proinde non poteſt eſſe dubium, quin tetra admodùm nota ſit, prodigum dici: Quod ſi falsò ea nota cuipiam imponatur, calumniam grauem habendam eſſe. Nonnullos ſanctos quibus per calumniam hoc probrum eſt affectum à maleuolis, recenſitum venio.

S. Maria Magdalena, præueniens vngere corpus Chriſti ad ſepulturam, id eſt pio officio anteocupans obſequium ſacto Chriſti corpori è cruce depoſito & ad ſepulturam aptato exhibendam, prodigalitatis damnata eſt à Iuda, cuius ea fuerunt voces. *Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? Poterat enim vnguentum iſtud venundari pluſquàm trecentis denariis, & dari pauperibus, Et fremebant in eam* Verùm hanc vt S. Paulinus epiſto. 4. ſcitè dixit, *piè prodigam* mulierem, perperam à Iuda; eoque incentore, à paucis aliis ficto Iudæ zelo deceptis, (vt diſſero in Tractatione de Iuda cap. 7. n. 8.) inſimulatam fuiſſe profuſionis, monſtrat defenſio Chriſti: qui tametſi vnguenta ſibi affundi non quærebat, pium tamen animum Sanctæ huius mulieris habuit acceptiſſimum, vt benè diſputat Iſido. Peluſ. l. 1. epiſto. 88. Ac proinde quam Deus commendauit, calumnioſè Diabolus inter diſcipulos furta ſua euerſa dolens, momordit indigniſſima oblocutione, de qua ſic pronunciat S. Paulinus epiſtola illa quarta. [Vocem Iudæ aſpernatus eſt (Dominus) qui recepti corde ſuo zabuli ſpiritu, mulieris vnguentum Chriſti pedibus inuidebat. Operibus enim pietatis, & miſericordiæ, & vngitur, & ſerenatur, & paſcitur Chriſtus. Verùm traditor antequàm proderet Dominum, perfidiam ſuam prodidit, quem

non

non pauperum ſed furtorum ſuorum cura commouerat, & liuor mentis inſidæ, vt vnguentum illud quamlibet pretioſum, Dominici tamen ſanguinis comparatione viliſſimum, pretioſius corpore ſalutari iudicans, indignaretur in fœminam piè prodigam, quam ipſe Dominus bonum in ſe opus teſtatur operatam, docens egentium curam eſſe poſthabendam, ſed ſibi tantùm: vt in eo oſtenderet vt corde peruerſo, fidei miſericordiam prætuliſſet, cùm fomes operum fides ſit, & præceptis ſuis præſtet ipſe præceptor. Niſi quod in hoc quoque, Filius perditionis oſtendit, quam vilem Chriſtum haberet, vt qui vnguentum quod ſupra Chriſtum effundebatur, perire dixit. Et ideò non eſt in pretio ſanguinis Chriſti, quia habere non poteſt redemptorem, quem maluit habere venalem, & iure à commercio vitæ, mortis contractor excluditur, ſuo ipſius damnandus iudicio, quo triginta aureis vendidit eum, quem mulier vt ipſe taxauerat, vnxit trecentis. Sed in hoc peruerſus, quod ipſum vili æſtimans Dominum, vnguentum illud quod in ſalutarem nobis eius ſepulturam præmittebatur, carò æſtimauit. Verè vt Zabulus, ignarus gratiæ Dei in qua illi non eſſet portio, non charitate, ſed inuidia, magno æſtimauit pretium mortis eius, qua nos gratis ſeruat, qui magno emit, non vendit.] Sarſit Chriſtus, hanc breuem famæ ancillæ ſuæ detritionem par calumniatorem, æternaturo cum Dei Eccleſia præconio: *Vbicunque enim Euangelium Chriſti eſt annuntiatum*; (& quo non peruenit ſonus eius.) *dictum eſt, quod hæc fecit in memoriam eius.* Librat egregiè Chriſti in eo promiſſo exequendo fidelitatem, S. Chryſoſtomus Orat. 2. contra Iudæos. Quod autem Nouatores hunc Iudæ crocitatum contra Magdalenam, ipſi quoque S. Chryſoſtomo aduerſùm templorum exornatores affingunt, ob quædam eius verba hom. 51. & 81. in Matth. enodatur à Bellarmino l. 3. de Sanctis cap. 6. ad 8.

S. Ambroſius, quod in redemptionem captiuorum ſacra vaſa diſtraxiſſet, tanquam ſacrilegè prodigus ab Arrianis eſt reprehenſus. Sed fuiſſe vaniſſimam calumniam agnoſcit S. Auguſtinus, huius Ambroſiani facti laudator & imitator, vt ſcribit Poſſidius cap. 24. & idem à variis ſanctis Antiſtitibus in cauſa pari ſeruatū eſſe, oſtendo l. 1. de malis bonorum Eccleſ. cap 4. Oratio qua hanc calumniam abſtergit S. Ambroſius 2. offic. cap. 28. bellè hic referetur. [Melius eſt (inquit,) pro miſericordia cauſas præſtare, vel inuidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam: vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, vt captiuos redimeremus: quod Arrianis diſplicere poterat, nec tam factum diſplicere, quàm vt eſſet quod in nobis reprehenderent. Quis autem eſt tam durus, immitis, ferreus, cui diſpliceat quòd homo redimitur à morte, fœmina ab impuritatibus Babrarorum, quæ grauiores morte ſunt: adoleſcentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Quam cauſam nos etſi non ſine ratione aliqua geſtimus, tamen ita in populo proſecuti ſumus, vt confiteremur, multóque fuiſſe commodius aſtrueremus, vt animas domino, quàm aurum ſeruaremus. Qui enim ſine auro miſit Apoſtolos, & Eccleſias ſine auro congregauit. Aurum Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus. Quid opus cuſtodire, quod nihil adiuuat? An ignorámus quantum auri atque argenti de templo Domini Aſſyrij ſuſtulerint? Nonnè melius conflat ſacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quàm ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis. Nonnè dicturus eſt Dominus; Cur paſſus es tot ino-

pes fame emori? Et certè habebas aurum, vt miniſtrares alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium ſunt, nec redempti? Cur tot ab hoſte occiſi ſunt? Meliùs fuerat, vt vaſa viuentium ſeruares, quàm metallorum, His non poſſet reſponſum referri. Quid enim diceres. Timui ne templo Dei ornatus deeſſet? Reſponderet; Aurum Sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemptio captiuorum eſt. Et verè illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus theſaurus eſt Domini, qui operatur quod ſanguis eius operatus eſt. Tunc vas Dominici ſanguinis agnoſco, cùm in vtroque videro redemptionem, vt calix ab hoſte redimat, quos ſanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum, vt cùm agmina captiuorum ab Eccleſia redimuntur, dicatur; Hos Chriſtus redemit: Ecce aurum quod probari poteſt, ecce aurum vtile, ecce aurum Chriſti quod à morte liberat, ecce aurum quo redimitur pudicitia, ſeruatur caſtitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quàm aurum reſeruare. Hic numerus captiuorum, hic ordo præſtantior eſt, quàm ſpecies poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum Redemptoris, vt redimeret periclitantes. Agnoſco infuſum auro ſanguinem Chriſti, non ſolùm irrutilaſſe, verùm etiam diuinæ operationis impreſſiſſe virtutem, redemptionis munere.]

S. Epiphanius Cyprius, cùm contigiſſet Eugnomonem quendam Romanum, à prædiuite fœneratore cui nomen *Draconi* compingi in carcerem, rogato pro hoſpitis exſolutione Dracone homine Ethnico & ſæuis moribus certò Eugnomonem detineri inexorabiliter in carcere, donec aliquis pro eo penderet nummorum centenarium miſertus vincti, nummos accepit ex corbona epiſcopij, & annumerauit Draconi. Charinus diaconus, qui ſedem S. Epiphanij affectabat, hanc eius charitatem, interpretatus dilapidationem rerum Eccleſiæ, multa in eum oblocutus, Clerum reliquum aduersùs eum commouit: vnde murmur magnum eſt excitatum, tanquam S. Epiphanius res Eccleſiæ diſpergeret; denuntiatumque ei eſt, vt vel centum nummos Eccleſiæ ſubductos redderet, vel relicta ſede in patriam remigraret. Non eſt paſſus Deus, hanc calumniam ſeruo ſuo adhæreſcere ad longum tempus. Itaque non ita multo poſt Romanus ille Eugnomon domum reuerſus, litrum Sancto Antiſtiti pro ſe ſolutum refudit; & Clerici in melius commutati, piam ſancti viri charitatem approbarunt, nec pecuniam refuſam reſumi ad communem vſum ſunt paſſi; ſed eam ſancto Antiſtiti ad alios pios vſus permiſerunt. Charinus verò obtrectationis caput, & ſancto Antiſtiti alter Iudas, ſubitanea morte vomens animam, concitatum erga ſe Deum monſtrauit; cuius etiam bona omnia quæ exigua non erant, in Sancti viri arbitrium ceſſerunt, vt ſcribit Metaphraſtes in S. Epiphanij Actis ex Ioannis diſcipuli eius ore exſcriptis.

S. Sidonius Apollinaris, natalibus illuſtriſſimus, & omnibus eximij Antiſtitis ornamentis nitentiſſimus, quem Flodoardus l. 1. hiſtor. Rem. Eccleſ. c. 12. agens de eius familiaritate cum S. Remigio, appellat, [virum eruditiſſimum, & tam genere, quam religione ac ſermone clariſſimum:] prodigus & dilapidator rerum Eccleſiæ, eſt habitus. Quam enim in ſtatu laico erga pauperes exercuerat effuſam miſericordiam, (ita vt domeſticam ſupellectilem pretioſam, clam Papianilla vxore, filia Auiti Imperatoris, erogaret pauperibus :) exerere perrexit factus Antiſtes, frementibus in eum illa ex cauſa Aruernenſibus Presbyteris; quorum factione exutus omni poteſtate adminiſtrandi res Eccleſiæ, ad arctum vi-

ctum

ctum redactus eſt, homo eo gradu & loco. Rem obiter retuli in Indiculo SS. Lugdunenſium V. S. *Sidonius*, poſt Gregorium Turonenſem l. 2. hiſtor. Franc. cap. 23. qui addit; vlciſcente Deo, calumniatores ſancti viri pœnas dediſſe longè grauiſſimas: cum è duobus Preſbyteris, factionis capitibus, vnus poſt iactatas in S. Sidonium minas, pudendo lethi genere quo Arrius extinctus eſt, mortem obierit: Alter euocatus per viſum ad diuinum iudicium, morte repentina infelicem animam vomuerit in conuiuio, monſtrante Deo, cordi ſibi fuiſſe, ſeruum ſuum tegere à calumnia, tanto ſupplicio calumniæ ſtructoribus repenſo.

S. Gregorius Magnus, verè pater pauperum, & rerum Eccleſiæ cum egenis communicator, (quod Ioannes Diaconus ſub finem libri ſecundi Vitæ, ex variis eius Epiſtolis docet,) prodigalitatis accuſatus eſt, & viuus & mortuus. Quod intelligitur ex illis paucis verbis Ioannis Diaconi l. 4. de vita S. Gregorij cap. 69. [Sicut à maioribus traditur, cùm calumniarum veterum incentores, Gregorium prodigum, dilapidatoremque multiplicis Patriarchatus theſauri perſtreperent, deficiente perſonali materie, ad comburendos libros eius cœperunt pariter anhelare.] Eadem habet Sigebertus in Chronico anno 606. additque anno 607. Sabinianum S. Gregorij ſucceſſorem, de S. Gregorio tanquam de prodigo eſſe oblocutum. Id quod ex M. ſcriptis Codicibus confirmat Baronius anno 605. & in Antropologia ſua Raphael Volaterranus lib. 22. Cæterum S. Gregorij erga pauperes regium animum, calumnioſè inſimulatum eſſe prodigalitatis, euentus docuit: & memoria æterna ac malæ auditionis excluſio, qua illum Deus honeſtauit, manifeſtè patefecit. E contrario autem Sabinianus, tenacitatis & auaritiæ cauſa à S. Gregorio iam cœlis illato per viſum quartò reprehenſus, & denique grauiter in capite percuſſus, vitam miſerrimè finiuit: & cum totius populi Romani deteſtatione, in ſepulchrum inglorius eſt aſportatus, eò quòd dira vrgente fame triticum Eccleſiæ venale expoſuiſſet, non autem liberaliter in egenos erogaſſet, vt conſueuerat S. Gregorius, quod Anaſtaſius in Sabiniano recitat, & alij poſt ipſum.

S. Anaſtaſius Sinaita, Epiſcopus Antiochenus, prodigalitatis & profuſionis in rerum Eccleſiæ diſpenſatione accuſatus eſt in Synodo Epiſcoporum, agente Iuſtino Iuniore, & eo nomine depoſitus, ac ſede ſua per annos 24. excluſus, donec mortuo ſucceſſore Gregorio, item Sinaita, ſub Mauritio Imperatore ſedem ſuam recuperauit. Sed per calumniam S. Anaſtaſium fuiſſe damnatum prodigalitatis, ſatis ſignificat Euagrius l. 5. cap. 5. & Nicephorus lib. 17. cap. 36. qui referunt, cauſas irarum Iuſtini in S. Anaſtaſium fuiſſe, quod cùm eſſet deſignatus Epiſcopus, Iuſtino petenti pecuniam negaſſet: Et cùm rogaretur cur copioſus eſſet in eleemoſynis, allegaſſet Iuſtini rapacitatem, à qua ſe ſacro theſauro timere diceret. Sed innocentiam S. Anaſtaſij, tueri videntur ſancti eius mores; & Iuſtini auaritia nimium quantum manifeſta, cum ſacerdotia venalia expoſuerit, & exactiones à Iuſtino ſeniore ſublatas, reſtituerit; vt videre eſt apud Euagrium l. 5. cap. 1. Eximiè laudatus legitur S. Anaſtaſius à S. Gregorio l. 1. epiſto. 27. & l. 4. epiſtol. 36. & 37. nec ſemel aliàs. Quod autem Nicephorus l. 18. cap. 44. eum vocat *primarium præclariſsimque Eccleſiæ Doctorem*, tenue videri poteſt præ elogio quod ei his verbis pangitur in 6. ſynodo. [Recipimus S. Anaſtaſiū: & Theodorus Melitines reſpondit. Sanctum vocat totus Oriens, hunc ſanctæ memoriæ Anaſtaſium, qui fuit Epiſcopus Antiochiæ. Et qui eum non recipit, Deus ana-

lumnia ſuperiùs ex ipſo S. Ambroſio ſunt recitata.

Odo Abbas S. Dionyſij, æqualis S. Bernardi, & ab eo datis binis ad Eugenium Pontificem literis commendatus, (ſunt apud S. Bernardum 285. & 286.) à ſuiſmet Monachis, prodigalitatis & dilapidationis bonorum eſt accuſatus: ſed per calumniam haud veriſimiliorem, quàm ea fuerit qua grauatus eſt perpetraſſe homicidium, homo mitiſſimus, & de quo nunquam auditum fuerat verbum malum. Sed furor & rabies falſorum Fratrum, tam dira optimo viro potuit affingere. Et comprobatum hîc oportuit, quod Iulianus Apoſtata apud Ammianum l. 22. ſe expertum eſſe profeſſus eſt; *Nullas eſſe infeſtas hominibus beſtias, vt ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum.* Teſtimonium hoc verum eſt.

CAPVT VIII.

De Guloſitate & ingluuie.

ANimalium loco non hominum, habendos cum Salluſtio decernit Seneca epiſtol. 60. ventri obedientes; vel ſi vltra communem modum ſæuiat ea affectio, ne in animalium quidem numero ponendos ſtatuit, ſed mortuorum: cùm ſeipſis non vtantur, atque adeò non viuant, ſed ſic in domo ſint, quaſi in conditorio, ac proinde mortem ſuam anteceſſerint. Tanta ſanè intellectus obductio & rationis infoſſio, conſequitur eam mancipationem ad ventridæmonem, omnium (iudice Clemente Alexandrino 2. pædag. cap. 1.) teterrimum, vt homo hominem exuiſſe videatur. [Sicut (ait S. Chryſoſtomus homil. 16. in Acta, in nauibus ſupra modum oneratis, magna turbatio eſt nautarum, gubernatoris, eius qui in prora eſt, eorum qui aſcendunt malum, qui ſuperiora quidem proiiciunt in mare, quæ autem inferiora perdunt; ſic ſanè & hoc loco: nam quæ ſuperiùs ſunt euomunt: alia autem inferiùs, & ſeipſos corrumpentes liberantur. Quod ſanè turpius eſt omnibus, quia ipſum os vſum recipit poſtremarum partium, & fit illis ignominioſius. Si autem in ore tanta turpitudo, cogita in anima quid? Etenim illic omnia procellæ, omnia tenebræ, multa rationum confuſio.] Profero in hanc rem benè multa l. 6. de virtut. ſect. 2. cap. 5. exempla verò edonum propè monſtroſorum, pete ex Lipſio Centur. 3. epiſtol. 41. Nihil eiuſmodi gurgitibus eſcarum, tetrius ac ſpurcius. Fœditatem tamen adeò probroſam, viris innoxiis per calumniam fuiſſe impactam, conſtabit ex iis quæ ſubiicio.

Chriſtus Dominus idea totius ſanctitatis, & temperantiæ exemplar abſolutiſſimum, dictus eſt *homo vorax*, Matth. 11. vel *deuorator*, Lucæ 7. Græcè φάγος: quæ vox *edacem* vel *comedentem* aut *comeſſatorem* ſonat. Qua calumniæ inſulſitate, nulla potuit eſſe maior, cùm Chriſtus Dominus temperatiſſimè vteretur cibis; nec ex guloſitate aliquando admitteret lautas menſas, (quod hi calumniatores criminabantur,) ſed vt facilitate conuictus, & communi cum omnibus vitæ ratione adhibita, minùs difficiles ſe præberent mortales ad excipienda verba vitæ. Intererat verò etiam noſtrâ, præcludi à Chriſto errorem de ciborum immunditia, quem aliqui Hæretici prohibentes aſſumere cibos à Deo in vſum noſtrum creatos, erant inuecturi, vt prænuntiauit Apoſtolus. Ne igitur Chriſtus, abſtinendo cibis alioqui licitis, puta carnibus, videretur errori illi ſuffragari, par fuit, eum abſtinentiam à carnibus lege non prohibitis miſſam facere, vt Titus Boſtrenus Lucæ 7. rectè notauit. Expono materiam calumniæ de qua agimus, carnes cum S. Epiphanio hær. 38. §. 19. Sicut enim cùm Ioannes ibidem dicitur non mandu-

ſpes in ferculis iacet, ſed maior his eſt agape quia per hanc adoleſcentes tui cum ſororibus dormiunt, appendices ſcilicet gulæ laſciuia atque luxuria eſt. Quam ſocietatem & Apoſtolus ſciens cùm præmiſiſſet, *non in ebrietatibus, nec in comeſſationibus*, adiunxit *nec in cubilibus & libidinibus*. Ad elogium gulæ tuæ pertinet quòd duplex apud te præſidentibus honor, binis partibus deputatur, cùm Apoſtolus duplicem honorem dederit, vt & fratribus præpoſitis. Quis ſanctior inter vos niſi conuiuandi frequentior, niſi obſeruandi pollucibilior, niſi calicibus inſtructior? Meritò homines ſolius animæ & carnis, ſpiritualia recuſatis; Talibus ſi placerent Prophetæ mei non erant. Cur ergò non conſtanter prædicatis; Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.]

Hæc calumnia à Tertulliano, per Proculum & Montaniſtas iam dementato irrogata, facilè diluitur, eo ipſo loco Apologetici quo frugalem Chriſtianorum menſam & agapen aduerſus Ethnicos demonſtrauit. Erat enim cùm ea ſcriberet, adhuc Catholicus. Seipſum ergo iugulat ſuo gladio, cùm factus Hæreticus iiſdem quorũ abſtinentiam tantopere collaudarat, affingit guloſitatem, & ſaginas agaparum. Facit verò quèm maximè ad eiuſdem calumniæ reiectionem, agnitio germanæ cauſæ, ob quàm Tertullianus adeò efferatus eſt in Catholicos, vt gulam illis & ſaginas imponeret. Erat Tertullianus duri & auſteri admodùm ingenij homo. Incidens ergo in Montani ſectatores, ac vt veriſimile eſt, in Proclum Montani diſcipulum, diſputatione cum Caio antiquo Theologo coram Zephyrino habita, clarum; à quo ſecta Montaniſtarum dicta eſt. *Cataproclum*, ab ipſo Tertulliano mirificè laudatum l. contra Valentin. cap. 5. videns commendari à Montaniſtis monogamiam, rigidum in martyriis animum excluſis latebris & vitæ redemptione in omni euentu; ternas denique quotannis quadrageſimas (quaſi tres paſſi eſſent Saluatores, vt benè eis opponit S. Hieronymus epiſtol. 54.) & quidem in Xerophagiis, Chameuniis, & omni imbonitate, quæ eiuſdem libri cap. 1. deſcribitur; hæc auidè arripiens, homo (vt dixi,) auſteri & duri ingenij, Catholicos quod iſta nollent vt debita & neceſſaria exigi, & ab Eccleſia non à Montano ſpurco homine prætextis commentis reuelationum, præſcribi vellent, exagitauit vt carnales & animales, probro quod antea Valentinus apud S. Irenæum l. 1. c. 1. in Catholicos coniecerat, quod à ſpiritualitate (ſcilicet) abhorrerent, & delirare cum Valentino tenuerent.

Religioſi à ſæcularibus, facilè audiunt lurcones ac helluones, ſed per calumniam, vt monſtrat, qui improuidentiam ſic mordentium Religioſos, refert & caſtigat S. Baſilius cap. 7. Conſtit. Monaſt. [Animaduerto (inquit,) quod iis ſolitum eſt vſu venire, qui communem ac vulgarem vitam ſequuntur, quandocunque in pietatis cultorum vitam inquirunt: ſimulatque enim pietatis cultor cum animo ſuo ſecum ſtatuerit rectum eſſe poſt longinquam eſuriem, eſcâ corpus fulcire ſuum, ne ruat. veluti ſi omnino corporis ac materiæ expers eſſet, aut nullum prorſus, aut quàm minimùm cibum aſſumere illum, volunt. Etſi ex huiuſmodi diſciplina quempiam animaduerterint, qui non vſquequaque inclementer corpus tractet, ac vel tantillum illius neceſſitati ſubueniat, hunc conuiciis calumniiſque proſcindunt, deriuatáque ab vno in cunctos proteruia, petulantiáque vniuerſos pariter lurcones quoſdam, & helluones appellant: neque illud reputant, ſe, cùm bis, & ex ipſis nonnulli, ter etiam quotidie epulentur, craſſiſſimis, pinguiſſimiſque ſuffarcinati veſcantur cibis & infinitam carnium molem deuorent, ingentémque ſupra modum vini ingurgitent vim, menſis tamen nihilominus

minus ſe ita inhiare, vt exemptis è vinculo poſt diuturnam eſuriem catulis aſſimiles videantur. Porrò qui veræ pietatis ſectatores ſunt, ij quàm fieri poteſt, ariduſſimo vtuntur cibatu, & in quo præter imbecillitatem tenues admodùm ad alendum vires ſint: idque in totam diem ſemel, quibus modò perpetuo diſciplinæ ordinem ſeruare in animo eſt: & hunc ipſum, quòd modicè, & vt ratio iubet, aſſumunt, iure vbi eius ſumendi tempus aduenit, fidenter nulla impediti religione, neceſſarium corpori auxilium tribuunt. Quò fit vt nequaquam conuenire iudicandum ſit, libertatem noſtram ab alia conſcientia iudicari. Si enim nos cum gratia participamus, quid blaſphemantur pro iis de quibus gratias agimus? cum exiguam admodùm & viliſſimi pretij ciborum portionem tanta nos cum voluptate amplectamur, cum quanta ne ipſi quidem ſplendidiſſimos & copioſiſſimos cuiuſque modi ferculis, inſtructiſſimos menſarum apparatus.] Rectè iſta de Orientalium cœnobitarum abſtinentia S. Baſilius, appoſitiſſimè ad retundendam calumniam lurconum, ſua probra religioſis per calumniam impingentium. De abſtinentia verò Cœnobitarum Occidentalium, quos terna (vt minimùm,) hominum millia, ſub vno patre & pluribus decanis, egiſſe notat, videndus S. Auguſtinus l. de moral. Eccleſ. cap. 31.

Spectat verò etiam ad hunc locum, calumnia Monachis ab Eunapio impacta *in Ædeſio*. Is exulceratus ob dirutum iuſſu Theodoſij templum Serapidis, & ſuffectos Sacerdotibus Ethnicis Chriſtianos aſcetas, ſic habet de Monachis. [Iidem (Magiſtratus Theodoſij,) poſtea in ſacra loca inuexerunt Monachos; ſic dictos, homines quidem ſpecie, ſed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita atque infanda ſcelera committebant; quibus tamen pietatis pars videbatur ſacri loci reuerentiam proculcare: Nam ea tempeſtate, quiuis atram veſtem indutus; quique in publico,ſordido habitu ſpectari non abnuebat, is tyrannicam obtinebat auctoritatem. In eam virtutis opinionem venerat id genus hominum, de quibus etiam dictum eſt in vniuerſæ hiſtoriæ commentariis.] Deo gloria, quod ea ſpurciloqui huius lucubratio intercidit. Similia verò habet in Excerptis legationum, & ferè quoties incidit in Monachos. In hoc quem recitaui loco, vita porcina quam Monachis imponit, relata ab eo videtur ad ſtudium aqualiculi,& curam carnis in deſideriis:qui hodiéque eſt grunnitus aliquorum de ſeruis Dei, Deo ſoli, ac ſibi duntaxat intentis. Nihil autem eſt neceſſe, cum Eunapio pro Monachis agere, quales erant tunc temporis (hoc eſt ſub Theodoſio Magno,) valdè perfecti in Ægypto. Idem dictum eſto de Zozimo, iurato hoſte Chriſtianorum; qui l. 5. hiſtor. Monachos quoque traducit, vt comedones & potatores egregios:Nec non de Libanio,qui oratione de non euertendis templis,ſic præter cætera ſtomachatur in Monachos, quorum in templorum euerſione flagrans ſtudium deſcribit. [At enim pullati hi, pluraque elephantis comedentes, negotium verò faceſſentes multitudine potus his qui in cantus vicem iis potus mittunt; occultantes verò hæc pallore per artem ipſis quæſito.] Excrementa hæc fuere pectoris cacochymia grauati, ob curam Monachorum in euertendis templis Idolorum: quod non modò ſub Theodoſio Magno ab eis factum, ſed etiam poſtea ſub Arcadio, vt habetur ex S. Chryſoſtomo epiſto. 123. & 126. ac ex Theodoreto, l. 5. hiſtor. cap. 29.

Daniel Stylita, ab impuro Hæretico guloſitatis notatus eſt, quod ementiretur abſtinentiam. Prolato enim piſce aſſo, & illum & alios multos conſimiles,

clanculum

Digitized by Google

clanculum comedi à S. Daniele, eſt calumniatus. Sed vindicta diuina ſera non fuit. Miſer piſcem prolatum, vxori & liberis, (nam fortè aderant,) diſtribuit, quos illicò ab illius eſcæ contactu, inuaſit furor per occupationem à ſatana. Itaque vexatione dante intellectum, ſupplices ſancto Danieli facti, & calamitatem tantam deprecati, monimentum exoratæ veniæ, & recuperatæ mentium ac corporum ſanitatis; argenteam ſancti imaginem, adſcriptis ſuis ad ſancti pedes nominibus ac figuris, grati in templo D. Michaëlis appendêre.

S. Goar Presbyter, apud Ruſticum Treuirenſem Antiſtitem delatus eſt ab Albiuuino & Adaluuino, quòd eſſet homo edax & manè comedens, nec maturas diei horas ad cibum ſumendum præſtolaretur, quaſi ſit regnum Dei eſca & potus. Calumniam verò adeò combibit Ruſticus Epiſcopus, vt quamuis ingenti miraculo per ſanctum virum ad ſuorum calumniatorum ſubleuationem in via edito, dedoceri non potuerit errorem; ſed potiùs iactaret, Goarem quæ feciſſet, non ope diuina ſed arte Magica effeciſſe: [Nec in illo aliquod veræ virtutis indicium poſſe exiſtere, qui carni & ventri ſubditus, manè comedat ac bibat, ac ieiunij inediæque ſit impatiens: cùm antiqui ſancti & iuſti, per ieiunium & abſtinentiam, & eleemoſynas Deo placuerint.] Sic de S. Goare carnalis Antiſtes, venundatus ſub peccato. Nam is ipſe eſt, quem poſtea S. Goaris ab Epiſcopo ad patrem infantis expoſiti detegendum adacti, propheticus ſpiritus, patrem reuicit. Cæterum matutina S. Goaris cibatio, ex charitate in peregrinos ad eum confluentes, ne impaſti abirent, ſancti viri charitatem probabat, non gulam, vt mendaciter ac per calumniam delatores criminati erant, & nimis improuidè credidit Antiſtes. Sententia ſanè fuit grauium Eremi Patrum, præſtare ieiunium ſoluere ex charitate in peregrinum; quàm minore erga hoſpitem conuiuio adhibitum charitate monſtrata, inediam prorogare. Sic Marcianus apud Theodoretum in *θεοφ.* Et alia aliquot nonnullorum ſimilia dicta notantur in Vitis Patrum libr. 5. libello 13.

CAPVT IX.

De Perpotatione & bibacitate.

NOn apud Chriſtianos tantùm aut Ethnicos ſapientes, ſed apud quoſcunque de plebe benè compoſitos, id eſt, qui non prorſus ebrutuerint, bibendi largitas fœda eſt ac ſordens. Nam eſt via immediata ad ebrietatem, qua nihil turpius & homine honeſto indignius. Sepelit enim rationem; & hominem, cui vita plantæ ſuperſtes eſt, ſtatuit, in conditorio, quoad vitam rationalem, qua homo eſt; & fere quoad vitam ſenſitiuam. Videſis autorem Tractatus de Moribus Brachmanorum, perperam adſcriptam S. Ambroſio, & breuiter ac pulchrè S. Hilarium in Pſal. 125. & Petrum Cellenſem epiſtola 52. Pleniùs Origenem hom. 7. in Leuit. Chryſoſtomum homil. 10. in Geneſ. & alios Patres quos profero l. 6. de virtut. à num. 102. referens nominatim ex Chryſoſtomo ſerm. 34. Tomi 5. Græcol. dixiſſe Apoſtolum, in ebrietate eſſe luxuriam, Græcè *ἀσωτίαν*: quod Faber accepit de inſalubritate, quæ verè ſumma eſt in ebrietate, vt demonſtro eodem loco à num. 109. Tamen juxta vocis Græcæ corticem, accipiendum eſt de luxu quo omnia profunduntur per improuidentiam, vt fieri ſolet ab adoleſcentibus ſui iuris, cùm acceperunt portionē ſubſtantiæ quæ illos contingit. Euadunt enim ſimiles Aſotis illis (quorum Plato meminit,) omnia profundentibus in comeſ-

Digitized by Google

ſationibus, nec ſolem ſiue Orientem, ſiue Occidentem videntibus. Quo ſenſu Athenæus l. 8. vſurpauit verbum *ἀσωτεύειν*. Quia igitur omnia interna bona dilapidantur per ebrietatem, & innumera mala inde exiſtunt, dixit Apoſtolus, luxuriam eſſe in vino, iuxta Chryſoſtomum. Vt non debuerit ſanè Eraſmus in Notis ad Epiſtolam Dominicæ vigeſimæ poſt Pentecoſtem, de ea expoſitione tanquam ſua, adeò extolli. Fœdum hoc probrum calumnioſè aliquibus ſanctis impactum eſſe, monſtratum venio.

Patres veteris Teſtamenti, ebrietate notati ſunt ab homine Germano, Autore libri Comitibus Mansfeldenſibus dicati, ac editi Lipſiæ hoc titulo *Regementbuch*, quo libro toto, monſtratur ex Scriptura, ebrietatem Deo placere. Sanè Patres antiquos inebriatos plerumque eſſe, Scriptura teſtatur. Nam Noë ob hauſtum largiùs vinum, patuit ſannis filij minoris, Geneſ. 9. & idem habetur de Loth Geneſ. 19. & de Ioſepho cum fratribus conuiuante Geneſ. 43. & de Vria, autore Dauide, 2. Reg. 11. & de Simeone Machabæo 1. Machab. cap. 16. Quid quòd Spiritus Sanctus in Canticis, ad bibendum, ſéque inebriandum, hortatur & prouocat? dicens, *comedite amici, bibite & inebriamini chariſſimi*. Ex his igitur Scripturis, veteres Patres ebrietatem adamaſſe, probat ille de Lutheri ganea perpotator, quem referebam. Sed per calumniam, Patribus inurit eam probroſam notam; ſi vnus aut alter excipiantur, qui non ſunt trahendi in exemplum, puta Loth, & fortaſſis Vrias. Nam Loth, cùm non ignoraret vim vini largiùs hauſti, inebriatus eſt: vnde ſecuta filiarum fœdatio, in qua tametſi non peccauit ob inuincibilem facti ignorantiam, peccauit tamen, cauſam illius ignorantiæ adhibendo; ſiue ſe inebriando, vt benè diſtinxit S. Auguſtin. 22. contra Fauſt. cap. 44. Vriam, veriſimile eſt à Dauide implanatum, bibiſſe vltra iuſtam menſuram; & peccaſſe in ea ſimpliciter dicta inebriatione. Dauid enim ebrius, & non à vino, cupiens celare ſuum cum Berſabëe commercium, videtur tentaſſe per incenſionem Vriæ à multo vino, vt idem illi contingeret, quod Lotho; poſtquàm vidit eum ſponte ſua noluiſſe ad vxorem accedere, prætexentem Ioabi & commilitonum chameunias. Vrias autem non potuit vt Regi placeret, prætergredi iuſtam hauriendi vini menſuram. His ſepoſitis, in aliis qui allegabantur, non habuit locum inebriatio ſimpliciter dicta, & culpabilis Nam Noë neſciebat facultatem vini ad vſum rationis præpediendum, vt S. Hieronymus l. 1. contra Iouin. animaduertit. Vnde inebriatio eius vacauit peccato, vt S. Chryſoſtomus, ac Theodoretus, & paſſim alij rectè ſtatuunt. Fratrum verò cum Ioſepho inebriatio, & Simeonis Machabæi cum filiis, nõ eſt accipienda de inebriatione populariter dicta, ſed de honeſta remiſſione & exhilaratione, vel repletione. Notat enim Bartholomæus Veſthemerus in Phraſibus ſacræ Scripturæ V. *ebrietas*, & V. *inebriare*, & præiuerat S. Auguſtinus quæſt. 144. in Geneſ. plerumque in Scripturis, *ebrietatem & inebriationem* ſumi pro ſaturitate & repletione: vt cùm Pſaltes ait, *inebriabuntur ab vbertate domus tua*, id eſt (ait Autor ille,) ſaturabuntur & replebuntur. Quo item modo accipit illud Pſalmi 64. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam*. In re præſenti, *inebriationem* pro hilaritate ex comeſſatione & compotatione intra terminos honeſti, accipiunt S. Hieronymus, & S. Auguſtinus & paſſim interpretes ad calcem illius capitis 43. Et nemo non videt, eam expoſitionem eſſe congruentiſſimam. Quis enim ſibi perſuadeat, Ioſephum virum ſanctum & admodùm temperatum, adeò vt oblatam voluptatum illicitarum materiam conſtantiſſimè reſpuerit, turpitudine

dine inebriationis ſorduiſſe, & cum eo fratres eius, ſub Patris ſanctiſſimi exquiſitiſſima diſciplina educatos? Itaque pono extra dubium, calumniam eſſe, quod Ioſeph & ſimiles veteris Teſtamenti Patres, præ vino nimio dementari ſtatuuntur.

Anna mater Samuelis, temulentiæ notata eſt ab Heli. Sic enim dicitur de ea flente largiter, coram Domino 1. Reg. 1. [*Factum eſt autem*, cùm *illa multiplicaret preces, coram Domino, vt Heli obſeruaret os eius. Porrò Anna loquebatur in corde ſuo, tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æſtimauit ergò eam Heli temulentam, dixítque ei: Vſquequequo ebria eris? digere tantiſper, vinum quo mades.*] Coniectio eſt probri maximè indecori, abſque vllo fundamento. Nam ebrietas, tametſi vbiuis probroſa, tamen in fœmina eſt multo probroſior; ita vt Ahellius l. 10. cap. 23. notet, perinde in fœmina plecti ebrietatem, ac adulterium. Præ ſumma enim ſexus illius mollitudine & imbecillitate, propius eſt naufragium, ſi vino innatet, vt dixit S. Chryſoſtomus homil. 16. in Matth. Videndus in eam rem Alexander Neapol. l. 3. Genial. cap. 11. & ibi Tiraquellus, necnon ad l. 9. Connub. n. 54. Fœdiſſimo itaque probro S. Annam conſpurcauit Heli. At quanto cum fundamento? ſanè nullo. [Vnde hoc vel ſuſpicari potuit Sacerdos, (ait ſanctus Chryſoſtomus.) Neque enim ridentem vidit, neque ſaltantem, neque vertigine concidentem. Non audiuit vllum verbum, obſcœnum, quid aut illiberale ſonantem. Vnde igitur concepit hanc ſuſpicionem?] Quòd autem ſubdit ſanctus Chryſoſtomus impulſum eſſe Heli ad ſic ſuſpicandum, eò quòd eſſet hora meridiana: & incertum eſt, & admodùm debile. Nam fuiſſe tunc horam meridianam, non colligit D. Chryſoſtomus, niſi ex eo quod eodem capite dicatur, Annam poſtquàm comederat & biberat, veniſſe ad tabernaculum. Sed quid ſi Anna remigratura in domum ſuam cum Helcana, paulo maturiùs, vt moris eſt, datura ſe viæ, cibum ſumpſit, & interim dum ſarcinæ colliguntur, repetiit tabernaculum effuſura cor ſuum in conſpectu Domini? Poſt immolatas quippè victimas, atque adeò iteratò, veniſſe Annam in templum, id eſt in tabernaculum, diſertè habet Scriptura. Et quamuis daremus Annam ſub meridiem adiiſſe tabernaculum, & iudicio Heli iam pranſam; quo iure potuit colligere; eam vino prolutam eſſe, vſque ad mentis emotionem? Num omnes qui pranſi ſunt, vino madent, aut ebrij ſunt. Itaque non videtur negari poſſe, quin Heli admodùm temerè calumniatus ſit ſanctam fœminam: quæ calumniam placidiſſimè diluit, reſpondens [*Nequaquam Domine mi: nam mulier infelix ego ſum, vinúmque & omne quod inebriare poteſt, non bibi; ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. Ne reputes ancillam tuam quaſi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris & mœroris mei, locuta ſum vſque in præſens.*] Agnouit Heli, ſe calumniam impegiſſe piæ mulieri. Itaque ait ei *Vade in pace, & Deus Iſrael det tibi petitionem tuam quam rogaſti eum.* [Mulier (ait ſanctus Chryſoſtomus eadem homilia de fide Annæ,) ex accuſatore fecit patronum: tanta res eſt humanitas ac manſuetudo, pro contumelia. Copioſo accepto viatico diſceſſit, cúmque nacta eſt propugnatorem & interceſſorem, quem habuerat obiurgatorem.] Imò calumniatorem, & quod acerbius eſt grauiſſimè calumniantem abſque fundamento.

Chriſtus Dominus, *potator vini* audiuit Lucæ 7. & Matth. 11. *Vinarium* legit ſanctus Auguſtinus 16. contra Fauſtum cap. 31. qua voce meliùs exprimitur probrum de quo agimus. Solemus enim prouerbio, quos ebrioſitatis notare volumus,

& intemperantiæ in vſu vini, vocare *vires vinarios*, vel *vaſa vinaria*. Gall. *vn ſac.de vin*. V. Prouerbium, *Vtres Thylaci* ex Athenæo l. 11. Hoc ergo ſenſu, Iudæi Christum Dominum œnopotam dixere. Nam abſolutè quidem loquendo, vini potus non fuiſſet ab eis vitio datus Chriſto, cùm neque lege diuina, neque maiorum traditione vetaretur. Sicut ergo ob ſummam ſancti Ioannis abſtinentiam dictus eſt *non bibiſſe* & *non manducaſſe*, quamuis reuera aliquid eſſet & potaret: ita è contrario Chriſtus dictus eſt *deuorator*, & *potator vini*, id eſt helluo & vinibibus, ſed non cũ ea ſobrietate quæ vitio verti nequeat. At hæc erat malignitas non ferenda, in qua Sapientia Dei; (vt rectè Chriſtus ipſe pronuntiauit,) iuſtificata eſt ab illis; quandoquidem apparuit, Deum quidem omni exemplorum genere illos iuuiſſe; per ipſos autem ſtetiſſe, quominùs iuuarentur; qui nec vitæ auſteritate qualem Ioannes profitebatur, nec moderatione à Chriſto adhibita, molliri eſſent. Cæterùm ſobrietati eximiæ Chriſti Domini, præter generalia argumenta ex eius ſumma ſanctitate, aſtipulatur Eccleſiaſtica traditio, quæ docet, præter alias cauſas cur aqua in calice ſit vino admiſcenda, vnam eſſe, quòd Chriſtus vinum dilueret.

Apoſtoli, quòd accepto Spiritu Sancto linguis gentium omnium loqui audirentur, dicti ſunt ebrij, & muſto pleni Sed erat pinguis planè calumnia, vt rectè monſtrat his verbis ſanctus Fulgentius ſermone nouo 52. *ſub finem*. [Reſpondete mihi duricordes, ad credendum, procliues ad detrahendum, quiſquámne hominum calidi muſti potatione ſopitus, efficitur ignotæ linguæ diſſertiſſimus? Quomodo poterit temulentus, lingua quam non didicit magiſterium vſurpare, qui labiis vino turbatis in propria locutione incipit clauditare? Ignoratis quid loquamini delirantes. Vanitas irrogatæ huiuſmodi calumniæ veſtram retundit doloſam, redarguítque falſitatem, noſtram confirmat, & aſtruit ſimpliciſſimam veritatem.] Depellit item perpulchrè hanc de largiore mero calumniam in Apoſtolos intortam Leo Imperator orat. 4. ex quo plagulam attexo. [Audiebatur (inquit) inter variarum linguarum gentes, lingua cuiuis propria; & quidem ab iis quorum locum vbi degebant antequam ad Chriſtum aggregati eſſent, nemo prorſus cognitum habebat. Eratque res omni admiratione plena, quippè planè inuſitata & præter eorum qui loquebantur, naturam. Quocirca ab abſurdiſſimis mortalium in abſurdis numerabatur, & tantum miraculum tanquam incantamentum & præſtigiarum ludibrium, traducebatur; temulentiæque adſcribebatur ab his qui immedicabili temulentia laborabant. Vetus hic eorum qui cum Deo pugnant, mos eſt, vt non ſolùm diuinis operibus fidem nullam adhibeant, ſed conentur etiam de propria improbitate, aliquid improbæ ſuſpicionis innocentibus aſpergere. Patrabat Chriſtus homo factus, virtute Sancti Spiritus, plurima circa humanas vires miracula. Et ecce ad Beelzebub dæmoniorum principem hanc tantam poteſtatem referebant. Agit nunc ſecundùm conuenientem ſibi poteſtatẽ. Sanctus Spiritus. Et muſti eſſe id opus fabulantur & nugantur: Hoc pacto miraculum ſe inſectari & accuſare poſſe opinabantur. Sed temulentiam ſapientia vincit, & ora inuidiâ liuida, os Spiritu Sancto illuſtratum obturat. Ille enim qui non pridem virgam piſcatoriam & retia reliquerat, piſcator, ſimplex, artiúmque liberalium expers, os cùm aperuiſſet, malignitatis nugas, ſapiente oratione diſſoluit. Sed quomodò muſtum nouas recentéſque linguas effingit, efficítque ô inſane? Intuere publicè concionantem Petrum, & Sycophantiam illam Iudaicam, cum

ſtupendo

ſtupendo commuta miraculo, & gloria loquentis in eo ſpiritus. Non eſt muſti, temulentique hæc loquendi libertas, ſed virtutis quæ recens ex alto ſuperuenit, quæ cùm mentem, tum linguam ipſi excitauit. Cogita vnde factus ſit tam animatus atque audens, ille qui ne ancillæ quidem verba ferre poterat. Sed enim quibuſcumque auditus, menſque pigra erant & torpida ab inuidia tales redditi, ſpiritus ſancti verba non intellexerũt; quibuſq; non impeditus erat ſenſus, hi & intellexerunt, & linguæ piſcatorũ & ſpiritus fuere venatio ac præda.] Princeps Apoſtolorũ Actor. 2. hanc calumniam grauiter redarguit, dicens, cùm eſſet hora diei tertia, conſtare potuiſſe, Apoſtolos non eſſe ebrios; Quæ ratio difficilis viſa eſt, cùm Operarios (cuiuſmodi erant Apoſtoli,) hora tertia ſiue numerata ab ortu ſolis, ſiue ritu ſacro Iudaico ſpectata, quæ à nona noſtra matutina ad meridiem producenda erat nihil vetaret arbitrari, comeſſationi vacaſſe. Expedit eum nodum ſatis commodè ibi Sancius n. 35. dicens, in die feſto Pentecoſtes Iudaicæ, in quam tunc concurrit Chriſtiana, Apoſtolos ab opere piſcandi ceſſantes, ieiunium ſoluere ſolitos, pro more omnium Iudæorum, tantùm ſub ſextam. Sicque huiuſmodi argumentum, tametſi non niſi topicum, pro negotio & adiunctis eius, fuiſſe idoneum ad calumniæ depulſionem.

S. Caſſius Narnienſis Epiſcopus à Totila Gottho bibacitatis eſt inſimulatus. Calumniam hanc in virum ſanctiſſimum & eius fundamentum plane vanum aperit his verbis S. Gregorius 3. Dialog. c. 6. [Cum Rex Totilas Narnian veniſſet ei vir vitæ venerabilis Caſſius, eiuſdem vrbis Epiſcopus occurrit. Cui quia ex conſperſione ſemper facies rubere conſueuerat, hoc Rex Totilas non conſperſionis eſſe credidit, ſed aſſiduæ potationis, eumque omnimodò deſpexit. Sed omnipotens Deus vt quantus vir eſſet qui deſpiciebatur oſtenderet, in Narnienſi campo quo Rex aduenerat malignus ſpiritus coram omni exercitu, eius ſpatharium inuaſit, eumque vexare crudeliter cœpit. Qui cum ante Regis oculos ad venerandum virum Caſſium fuiſſet adductus, hunc ab eo vir Domini, oratione facta, ſigno crucis expulit, qui in eum ingredi vlteriù non præſumpſit. Sicque factum eſt, vt Rex barbarus ſeruum Dei ab illo iam die veneraretur ex corde, quem deſpectum valdè iudicauit ex facie. Nam quia virum tantæ virtutis vidit, erga illum mens efferа ab elationis faſtu detumuit.]

Roberto Turnero Ieſuitæ Duacenſi, adſcribit Gaſpar Dornauius *Encomium ebrietatis*, quod exhibet in Amphiteatro Sapientiæ ſerioiocoſæ. Vacauit enim & Turnero Autori malè feriato, in tam propudioſi argumenti celebrationem tempus ac ſtudium collocare; & Dornauio Collectori, ea ſtulta ingenij oſtẽtatione, dehoneſtare Camarinam illam ſuam, in quam laudes tot aliarum indignitatum corriuauit, vt *pediculi*, *ſtultitiæ* ſeu *Moriæ*, *podagræ*. Eſto aſini, vmbræ, caluitij, ac ſimilium exornatio, ad ingenij in illaudabilibus materiis exercitationem, ferri potuerit. Ebrietatis autem celebratio, ſupra ipſam ebrietatem fœda eſt ac deteſtanda. Nam qui alienum peccatum commendat, fœdiùs impingit eo ipſo qui peccatum laude donatum admittit. Siquidem dicit malum bonum, & ſceleri honeſtatem conciliare conatur, quæ eſt, *vniuerſitas iniquitatis*, à S. Iacobo notata in lingua nequam. Sic enim accepit Iſidorus Peluſiota l. 4. epiſto. 10. *κόσμον ἀδικίας*. Itaque grauiſſimi Patres, collaudationem peccati, & laudationem peccatoris in deſideriis animæ ſuæ, ac iniqui benedictionem, habent pro inſigni culpa. Videſis Chryſoſtomum in pſal. 49. ad illud, *& cum adulteris portionem tuam*

Digitized by Google

ponebas, Iſidorum Peluſiotam l. 4. epiſt. 60. S. Gregorium 4. moral. cap. 29. Philippum Abbatem l. de ſilentio Clericor. cap. 51. Peſſimè igitur Turnerus, collaudandæ ebrietati nauauit ope; & iniquitatis ac probri particeps haberi iure debet Dornauius, qui ſcriptum illud Turneri, quod in fœtiarium duntaxat peniculum vſui eſſe oportuerat, aut flammis paſcendis addici, in ſua Collectanea congeſſit.

Grauandus verò inſuper eſt Dornauius ſectarius, quod eius lucubrationis titulo, fœdam calumniam illiuerit. Nimirum ſpurciloquium illud celebratæ integra lucubratione ebrietatis, tribuens homini Societatis IESV Apage frontem inuerecundam. Quis enim non ſtomachetur, audiens huiuſmodi cœno conſpergi corpus nitentiſſimum, à quo toties, & tam fortiter repulſa & damnata eſt ea corporum & animorum pernicies, ac exitialis dehoneſtatio? Teſtes Valentia, 2. 2. d. 9 q. 3. p. 2. Toletus tract. de peccatis mortalibus cap. 61. Leſſius de Temper. cap. 3. dub. 3. Layman l. 3. ſect. 4. num. 4. Sa V. *Ebrietas* Fornar. l. 2. tract. 2. cap. 25. Ioannes Buſæus in Panario V. *Ebrietas*. Caniſius p. 3. catechiſmi cap. de 7. peccatis capitalibus §. 9. Cornelius Epheſ. 5. ad verſ. 18. Salazar Prouerb. 23. à verſu 29. Serarius ad cap. 15. Iudith 9. 3. & 4. & ad cap. 16. libri primi Machabæorum, Antonius Balinghen libro cui titulus, Congreſſus pomeridiani. Nos item plenè aduerſus has ſpurcitias egimus l. 6. de virtut. à n. 102. Impudentiſſimè itaque calumniatur, quiſquis nobis affingit Ebrietatis encomium, & eius turpitudinis cuius indefeſſi exagitatores ſumus, congruentem ebrio collaudationem nobis impingit, cuius ne pilum quidem aut apicem ſit reperire apud Ribadneyram, Alegambam, & ſi qui ſunt alij, qui conficiendis ſcriptorum noſtrorum Indicibus, contulerint operam.

CAPVT X.

De ſpurcitiis luxuriæ abſque participe.

CEreri & Baccho magna cum Venere affinitas, id quod ipſa membrorum poſitura demonſtrat, vt obſeruauit Tertullianus l. de ieiunio cap. 1. verbis illis. [Monſtrum libido ſine gula, cùm duo hæc tam vnita atque concreta ſint, vt ſi diſiungi omnino potuiſſent, ipſi priùs ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, & vna regio eſt. Denique pro diſpoſitione membrorum, ordo vitiorum; prior venter, & ſtatim ſaginæ ſubſtructa laſciuia eſt, per edacitatem, ſalacitas tranſit.] Nec diſſimilia S. Hieron. in cap. 1. ad Titum, & l. 1. in Iouin. & præiuerat Philo. l. de Agricult. cùm de pecuarij & paſtoris diſcrimine. Poſt expoſitas igitur calumnias circa cibum & potum, meritò ſubnectuntur calumniæ circa Venerem. Sed quia hæc, prout cum alia perſona multipliciter admitti, & falsò impingi poteſt, iam diſcuſſa eſt ſerie præcedenti, ſupereſt vt hìc attingamus calumnias huius generis, abſque culpæ conſcio & participe impoſitas; nimirum quibus affingitur alicui labes ſolitaria, & neminem inuoluens cum quo admiſſa dicatur. Sunt enim qui turpiſſimè inquinantur, nec tamen in illo cœno cum alia perſona conuolui volunt; ſed contenti ſeipſos paſcere ea illuuie, in nullum externum commercium erumpunt: quæ eſt infamiſſima ratio peccandi in corpus ſuum. Sed nominatim ſignanda eſt labes eorum, qui ex abundantia cordis loquentes aut ſcribentes, illinunt chartis turpitudines, aut ore effundunt interioris cloacæ cœnum, vt loquitur S. Chryſoſtomus hom. 44. in 1. Cor. *ſub finem*.

S. Leo cognomento haud euanido magnus,

Digitized by Google

magnus, cui Facundus Hermianenſis l. 12. pro tribus capitulis cap. 2. elogium pangit ſapientiæ, conſtantiæ, & ſanctimoniæ ſummo Eccleſiæ Chriſtianæ Antiſtite dignæ; calumniam hac in parte paſſus eſt aliis inſuper falſis probris cumulatam Fuerunt enim qui ſcriberent, eum piæ mulieris ſpecie præſtantis, oſculo manui Pontificiæ religioſè admoto perculſum, muliere neque participe, neque conſcia, cœni aliquid contraxiſſe: Mox tamen tactum dolore cordis intrinſecùs, inſurgentem animoſè in ſeipſum, dexteram quæ illex ſceleris fuerat, præcidiſſe; nec niſi precibus & meritis B. Mariæ, illam recuperaſſe poſt aliquod tempus. Verùm hæc omnia calumniam malè materiatam continent, vt ne diſiectione quidem egeat. Vt enim prætereeam altum de his omnibus ſilentium apud omnes retrò Latinos ſcriptores antiquos, (quĩ potius è contrario, ſummis præconiis per omnia celebratum S. Leonem abſque vel leui talium probrorum mentione ſit manifeſtum:) certè Græci, quorum ille ſuperbiam contudit, & Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſecundas ſibi arrogantem, conſtanter frænauit, nullo modo diſſimulaſſent huiuſmodi probra ſi, verè eis ſorduiſſet S. Leo Itaque ad populum phaleras. Dico de hac in Sanctiſſimum Pontificem calumnia pleniùs, agens de probro truncationis ſui ipſius, perperam impacto.

Albertus Magnus ob ſcripta de ſecretis mulierum & ratione partus humani, variaſque de rebus impudicis quæſtiones, apud aliquos ſpurciloquus audiuit & obſtetricationis peritus; Imo non defuerunt qui eum egiſſe obſtetricem ſint commenti occaſione præſertim accepta ex libro de Natura rerum in quo ars obſtetricandi diligenter ac minutè exponitur, conteſtante autore, non eſſe quod id alienum videatur à Religioſo ſcriptore, cum ob imperitiam obſtetricantium multi filij pereant & à gloria æterna excidant. Verùm liber ille de Naturis rerum non eſt Alberti Magni, ſed Auditoris eius Thomæ Cantipratani, vt fusè monſtrat Petrus de Pruſſia Ordinis Prædicatorum in Alberti vita cap. 18. qui admodùm ſuccenſet in blaterones illos qui Alberto impoſuerunt quod egiſſet obſtetricem: fallus tamen Cantipratanum ad inſtructionem obſtetricum in Opere perperam ſuppoſito præceptori eius Alberto, tradidiſſe modos & vias felicis obſtetricationis, cuius præcepta chartis committi, nec voce tradi poſſunt abſque expreſſione multorum quæ libido non natura fœdauit. Qualia item multa ab Alberto de vſu coniugij in 4. S. d. 31. *ſub finem*, ſcripto comprehenſa fatetur; illud ex ipſo Alberto ibidem præfatus. [Dicendum primò, quod huiuſmodi turpes quæſtiones, nunquam tractari deberent niſi illa cogerent monſtra quæ his temporibus in confeſſione audiuntur.] Ne ergo Confeſſarij rudes ſint Medicinæ quam facere debent adeò frequentibus morbis, iuſtum cenſuit Albertus, in illud oletum ſtylum demittere. Idque ab eo & ſimilibus nodorum conſcientiæ tractatoribus, iuſtè factum, latè confirmat Petrus de Pruſſia capite illo 18. cuius titulus eſt, *Quod ſcire naturalia, etiam impudica, vtile ſit & neceſſarium:* Et quanquam optandum eſſet, vt nemo mentem ea ſcriptionis quaſi illuuie paſceret, niſi neceſſitate adactus, hoc eſt niſi qui ad Confeſſiones rite audiendas ſe comparat, iiſue excipiendis iam diſtinetur: Tamen neceſſarium eſt enodationem ſolidam atque legitimam dubiorum circa fœditates illas emergentium, proſtare alicubi apud probatos Doctores, cuiuſmodi fuit Albertus, qui proinde reprehenſione vacat, etiam ſi illum veluti ſcriptionis putorem ſuis commentariis immiſerit. Illuſtrabo id pleniùs in depulſione ſimilis calumniæ quæ in alium

Digitized by Google

item magnum virum, de quo proximè, ſuperioribus annis ingenti cum fragore detonuit.

Thomas Sanchez à pleriſque fori rabulis ſparcus audiuit, quod in Opere de Matrimonio, librum nonum qui eſt de debito coniugali infecerit ſpurcitiis, & multa chartis commiſerit quæ abſque fœdo ſenſu & verecundiæ contrucidatione, vix legi poſſint. Et fatendum eſt, arduum eſſe de tali argumento integra verecundia ſcribere. Vt enim rectè monet Saluianus l. 6. de prouid. tractans impuritates theatrorum; illecebroſa illa obiecta, eiuſmodi ſunt, vt concupiſcentiis animus, & aſpectu oculi, polluantur. [Explicare verò ea quiſpiam, atque eloqui ſaluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ ſtatu, dicere queat illas vocum ac verborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates. quæ quanti ſint criminis, vel hinc intelligi poteſt, quod & relationem ſui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima ſcelera, incolumi honeſtate referentes, & nominari & argui poſſunt, vt homicidium, latrocinium, adulterium, ſacrilegium, cæteráque in hunc modum ſolæ theatrorum impuritates ſunt, quæ honeſtè non poſſunt vel accuſari: ita nouæ in coarguendâ earum turpitudinum probroſitate res euenit arguenti: vt cùm abſque dubio honeſtus ſit qui accuſare ea velit, honeſtate tamen integra, ea loqui & accuſare non poſſit.]

Arduum ergo fuit, ſcribentem de fœdo illo argumento, (tametſi non natura illud ſed libido fœdauit.) illimem ac nitentem videri. Et tamen certum eſt, Thomam Sanchem innocentiſſimæ vitæ hominem, per atrocem calumniam hac in parte traduci. Eius innocentiam & vitam puriſſimam, exhibent Crombetius l. 2. de ſtudio perfect. cap. 12. & Ioannes Bourgheſius l. cui titulus eſt, *Societas* I E S V, *Deipara ſacra* cap. 20. Fuiſſe autem eam de Matrimonio ſcriptionem neceſſariam, audire memini ex homine & probatorum morum ſeueritate, & eruditione clariſſimo, P. Valerio Reginaldo. Is cùm in quadam Prouinciali Congregatione, à nonnullis meticuloſis propoſitum eſſet vt opus Patris Thomæ Sanchez de Matrimonio truncaretur ea tractatione, cuius fœtor toties pro tribunalibus à maleuolis Cauſidicis extra cauſam ingeſtus erat; grauiter conteſtatus eſt, nihil eſſe in eo opere conſcientiarum duntaxat arbitris conſcripto, quod offenſionem meritò moueret. Cùm non modò apud Iuriſperitos, (Tiraquellum præſertim in legibus Connubialibus,) tetriora abſque neceſſitate ad merum curioſitatis pabulum legantur, ſed etiam apud alios de Matrimonio Scriptores, nec non apud ſummiſtas eadem occurrãt; quæ omnia Lybitinæ addicere; & impoſſibile & damnoſum foret. Apud Sanchem certè, quod maximè ſpurcum ac vel lectu fœdum videri poterat, ſibi aliquando ad diiudicandum fuiſſe propoſitum; & niſi ex eo Autore enodationem habuiſſet, ſalebras ſibi inexpedibiles fuiſſe futuras. Itaque non plus offendi quemquam debere, ea fœtidorum dubiorum tractatione ad directionem pœnitentium neceſſaria, quàm ſuccenſeamus, cum Medici olida eiectamenta in ægri bonum & curationem emouent.

Video hac ipſa comparatione S. Chryſoſtomum hom. 37. in 1. ad Corinth. neceſſariam ſibi in huiuſmodi cœnum diſputationis immiſſionem excuſaſſe, verbis illis. [Hæc quæ manifeſtiùs paulò diſputata nobis ſunt, nemo criminetur; neque enim orationis grauitate conſpici ſtudemus, ſed graues eos qui audiant efficere: certè nec Prophetæ ſibi ab hoc genere verborum temperarunt, quoties excindere Iudaicam intemperantiam ſtudent, & clariùs iſta quàm nos tangunt.

Nam

Nam & medicus putredinem eiicere nolens, qui mundas manus ſeruet non curat, ſed quî ægrum ſanet: & qui deiectum releuare vult, deiicit ſe priùs. Qui mactare inſidiatorem ſuum feſtinat, ſanguine ſe illius conſpergit. Immò hoc eſt quod victoriã pleniorem reddit. Nam neq; prælio reuerſum ducem, ſi ſanie, ſi cruore, ſi cerebro conſperſum inquinatumque cernamus, ob hoc odimus auerſamurve, ſed tollimus.] Similia illa eiuſdem Chryſoſtomi hom. 5. in 1. ad Theſſalo. *ſub finem.* [Ferre me aliquid quæſo impurum etiam quiddam, (vt ita dicam,) loquentem, pudoremque & ruborem exuentem. Non enim iſtud mea ſponte accidit, ſed propter eos qui nullo rerum ipſarum pudore tenentur, iſta dicere cogor. Multa verò & in ſcripturis talia videmus. Nam & Ezechiel exprobrando Hieruſalem, multa eiuſmodi loquitur, & nihil pudefit. Ac meritò: Non enim ex animi ſui affectione illa dixit, ſed ex caſtigatione. Etenim etſi verba inhoneſta videantur, ſcopus tamen haud inhoneſtus eſt, ſed congruus ei qui cupiebat immunditiam ex animis illorum eiicere. Niſi enim hæc ipſa verba audiat animus impudens, non immutatur. Et medicus namque putredinem eiicere cupiens, digitos primùm in ipſum vulnus immittit; & niſi primùm polluat ſalutiferas manus, ſanare non poterit.] Tandem l. 3. aduerſ. vituper. vitæ Monaſt. præfatus, diu ſe pudore prohibitum, agere de moleſto & confuſionis pleno argumento. [Audendum iam (inquit) ac dicendum eſt. Nam eſſet profectò incredibilis ignauiæ, & imperitiæ, ſi peſtem aliquam reſecare cupientes, ne mutire quidem aduerſus illam auderemus, ſilentioque noſtro morbum illum accuſare, & grauiorem conſtituere vellemus. Non itaque ſilebo amplius, etiamſi millies, & pudendum mihi & erubeſcendum fuerit. Neque enim Medicus cùm putredinem exprimere, & extergere parat ex vulnere, ferrum manibus arripere deuitat, atque in ipsũ, vt ita dixerim vulneris fundum digitos demittere. Et nos itaque etſi ſit iſta longè grauior & moleſtior putredo, non tamen de hiſce loqui recuſabimus.] Hæc Sanchez excuſare æquè poſſint apud æquos Iudices. [Nec illa minùs commoda, quæ in ſui excuſationem adhibuit Hincmarus, ſtylum demittens in obſcœniſſimam materiam, cuius Tethberga Lotharij vxor inſimulabatur. Sic igitur Hincmarus Opuſc. de diuortio Lotharij & Tethbergæ. [Nemo nos execret impudicos, de huiuſmodi impudicitiis quas verecundæ aures erubeſcendo refugiunt, ſermocinantes. Quia in rimore Chriſti, quem in ſe locutum fuiſſe, veraciter dixit Paulus, inter alia de talibus diſputauit. Illa quæ ex interrogatis ſentire potetimus, nequaquam tacere audebimus, terrente nos eo, atque dicente, *qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua*, & Patris & ſanctorum Angelorum. Nemo etiam debet exacerbari, audiens turpitudines infirmitatum, quas venenata diabolicæ malignitatis calliditas humanæ infligit fragilitati; ſciens ſe ſecundùm Apoſtolum, circundatum eſſe infirmitate, & conſiderans ſeipſum, ne fortè & ipſe tentetur. Neque debet metuere (Beato dicente Gregorio in regula Paſtorali,) vt dum aliena reſtamenta condeſcendendo cognoſcit, eiſdem tentationibus etiam ipſe pulſetur: quia & hæc eadem; per quam populi multitudo in lutere, iubente Domino per Moyſem facto, diluitur; aqua proculdubio inquinatur. Nam dum ſordes diluentium ſuſcipit, quaſi ſuæ mundiriæ ſerenitatem perdit. Sed hæc nequaquam paſtori timenda ſunt, quia Deo ſubtiliter cuncta penſante, tantò faciliùs à ſua eripitur, quantò miſericordiùs ex aliena tentatione fatigatur. Et tantò alienarum in-

firmitatum impuritates, & patienter audire, ſi & infirmis medicinali concilio, prout cuique expedire viderit, debet modis omnibus ſubuenire, quantò Deum vt ipſe per Prophetam dicit, ſuſtinendo laborare in noſtris iniquitatibus, & occulta dedecora noſtra, & ipſarum etiam cogitationum immunditias conſpicere, & miſericorditer portare, diutina expectatione, ignorare non poteſt.]

Similia quæ apud Ioannem Sarisberienſem epiſto. 291. leguntur, ibi videantur. Ego nolo prætermiſſam inſignem Radulphi Flauiacenſis diſputationem, qua nonnullos caſtigat, faſtidientes expreſſionem quarundam turpitudinum, in Leuitico proſtantem; & Scriptori Canonico, imò ipſi Spiritui ſancto ſcriptoris Doctori atque motori, haud aliter obſtrepentes, quàm nunc loculeij iſti, obſtrepant Thomæ Sanchez. [Multi (inquit Radulphus) cùm in ſcripturis talia reperiunt, abominanter auertunt auditum, & penè ſi auderent, legem diuinam, quòd in ea talia ſcripta ſunt, reprehendere niterentur. Sed meminiſſe debemus, quia aliud eſt de vitiis cogitare aut loqui ſub ratione peccandi, aliud ea intentione diſcutere, vt ſubtiliùs euitentur. Nobis potiùs imputari deberet, qui audire talia digni ſumus, quàm legem diuinam in aliquo reprehendere.] Addit quod in hanc rem attentiſſimè expenſum velim. [Nos temerariâ præſumptione arguimus lumen quod nos ipſos nobis oſtendit, arguimus verbum Dei quod ſine ſuo vitio noſtra vitia reprehendit. Quid agis humana ſuperbia. Tantæ ſunt ſordes tuæ, in has fœces deuoluta es, vt ſermo Dei qui curam tui ſuſcepit, non aliter ſubuenire tibi poſſet, niſi in ſtercora tua quodammodò manus mitteret; & vt tibi ſordes detrahat, (ſi dici fas eſt,) ipſe contraheret. Sicut tamen radius Solis incontaminatus cloacas penetrat, ſic ſtylus Spiritus ſancti, propter ſuam munditiam vbique attingit, & nihil inquinatum in illum incurrit. Quod autem ſordeſcere viſus eſt, tibi adſcribe; Tui enim cauſa factum eſt.]

Hæc pro Canonico Scriptore, ipſoque Spiritu Sancto à Radulpho diſputata, pro Thoma Sanche faciunt, & pro quocunque ſobrio Scriptore, quem iuuandorum proximorum neceſſitas adegerit ad verſandas & emouendas eas ſpurcitias, cum temperatione ad metrū neceſſitatis admenſa, vt ſanè à Sanche factum eſt. Nimirum (vt in rebus geſtis Gregorij Nazianzeni dixit Gregorius Presbyter, allegato quodam Ethnico,) etiam fœda vtiliter interdum & ſcribuntur & leguntur, vt poſſint curari. Idemque conteſtatus eſt S. Epiphanius hær. 26. agens de horrendiſſimis Gnoſticorum turpitudinibus; ac etiam S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 6. recenſens fœditates Manichæorum, quas ab Eccleſiaſtico tractatore, tactas neceſſariò ait, vt fideles perſtarent impolluti. Quod item pro Sanche dico. Vt enim ſcirent Chriſtiani coniuges, à conſcientiarum peritis arbitris edocti, poſſidere ſeipſos in ſanctificatione & honore; refugerent autem quæ abſque numinis offenſa non poſſent admittere; vel ſi in quibuſdam ex erronea conſcientia labuntur, putantes grauia eſſe peccata, quæ vel nulla, vel leuia ſunt mala, & tamen per animi effrenationem in ea ruentes, dedocerentur errorem, ſicque deinceps ſoluta ignorantia, vel leuiùs, vel nullo modo peccarent: operæ pretium fuit peritos tractatores à talibus diſcutiendis non abſtinere. Et ita factum videmus ante Sanchem, ac poſt eum, à quampluribus. Vt mirum ſit, hunc æſtum effebruiſſe in vnum Sanchem. Eius verò è contrario inſigne elogium, legere eſt apud Ioannem Sancium diſp. 43. de ſacr. num 16. quod compendio expreſſit diſp. 33. n. 28. dicens autorem illum, *in rebus Moralibus, eſſe portentoſum.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XI.

De Inuidia.

TAbes poſſeſſorum inuidia, virus ac rubigo inuidorum,] ſola ex animi paſſionibus æquiſſima ſimul & iniquiſſima: illud, quia bonis infeſta, hoc, quia dominos ſuos conficit.] Verba ſunt Nazianzeni orat. 27. Plenius eec, vno loco Gregorius Nyſſenus, ſed nominatim Orat 7. de beatitud. & pulchrè verbis illis ſub finem libri de vita Moſis. [Inuidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calumniæ principium. Inuidia enim nos longè exterminauit à paradiſo, verſa in ſerpentem aduerſus Euam: inuidia repulit à ligno vitæ, ſacriſque impaſſibilitatis veſtibus detractis, ficulneis ignominioſè foliis induxit. Inuidia Cain aduerſùs fratrē armauit, mortem quæ ſeptuplum punita eſt, induxit. Inuidia Ioſeph in ſeruitutem detruſit; inuidia, dico, mortifer ſtimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenoſa, tabes ſpontè adhibita, telum amārum, figens animam clauus, flamma cordis, inteſtinorum ignis; hanc qui habet, nonſuis malis, ſed alienis bonis infelix eſt, & contrà non ſuo bono, ſed malis proximi felix eſt. Inuidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet. Miluos cadaueribus paſci, & pretioſis vnguentis emori, aiunt: videtur enim natura ſua ad putridum ac purulentum eſſe affinis: quandò huic morbo ſubiectus eſt aliquis, amicorum commodis quaſi vnguento tabeſcit: etſi quid calamitoſum incidiſſe proximo intellexerit illico aduolat.] Scatent his aduerſùs inuidum floribus, aliorum Patrum ſcripta. Multa in hanc rem habentur ſect. 1. Anthologiæ titulo in inuidiam. Legeſis item quæ libauimus l. 4. de virtut. à num. 99. Et multa vndecunque congeſſit Læl. Biſciola tom, 2 ſubſec. l. 14. cap. 3. Non defugerunt quidam Sancti, huius tam terræ maculæ impoſturam; & habiti ſunt inuidia contacti; vt ſequentia exempla monſtrabunt.

S. Chryſoſto. æmulationis & inuidiæ in Seuerianum Epiſcopum Gabalorum, inſimulatus eſt. Sic enim habetur in hiſtoria tripartita l. 10. cap. 10 vbi refertur, S. Chryſoſtomum, initio quidem adulationibus Seueriani captum, habuiſſe illum inter charos; ac proficiſcentem in Aſiam, commendaſſe illi Eccleſiam Conſtantinopolitanam: Poſtea tamen, cum Seuerianus occaſione vſus, magnum ſibi nomen comparaſſet, ita vt Antiochum Epiſcopum Ptolemaidis, facundiſſimum eo tempore Eccleſiaſten, æquè cognomento Chryſoſtomum, ſuperare in multis cenſeretur, & Imperatoribus, (ſed Eudociæ maximè,) eſſet acceptiſſimus, corripuiſſe æmulatio S. Chryſoſtomum viſa eſt: & idcirco crimināti Seueriano Serapioni nimium credulus, eum à ſe ablegauit ac ægerrimè, (annitente licèt Eudoxia, & per Theodoſium paruulum ad genua Chryſoſtomi aduolutum, redintegrationem beneuolentię eius ac Seueriani expoſcente,) in gra[illegible] illum receperit; habiturus mox illum ingentis procellæ concitatorem cum Theophilo Alexandrino, & Antiocho Ptolemaidis, nec non Acacio Berœnſi. Vt verò habuerit facilitas S. Chryſoſtomi in Serapionis falſiloquiis excipiendis, (facilè quippè eſt bonis mentibus imponere; præſertim diſtentiſſimis in alia, nec alios niſi ex ſuo genio æſtimantibus;) ſanctū Chryſoſtomum inuidia aduerſus Seuerianum fuiſſe contactum, diſertè habet Sozomenus l. 8. cap. 10. meliùs expreſſus in Tripartita, quàm à Chriſtophorſono, qui vertit. *Chryſoſtomus Seuerianum ſuſpectum habuit.* Sed Græcè eſt ἐζηλοτύπως quod æmulationem & inuidiam ſonat. Hæc verò calumnia fuit. Erat enim depreſſior Seuerianus, quàm vt ſancti

Chryſoſtomi luminibus officeret, & eius erga ſe inuidiam concitaret. Quàm verò ab inuidia ab horruerit ſanctus Chryſoſtomus, legere apud eum licet, hom. 7. in ad Rom. *in morali* & hom. 29. in 1. ad Cor. & hom. 11. in epiſto. ad Coloſſ. & hom. 36. in Ioannem; quæ in farraginem homiliarum ad populum congeſta ſunt hom. 44. & 45 & 53. Itaque poteſt hic locus vnus haberi ex illis multis in quibus Sozomenum eſſe mentitum, notauit ſanctus Gregor. l. 6. epiſto. 31.

S. Hieronymus immenſæ inuidiæ notatus eſt à quibuſdam. Audi Palladium cap. 78. Lauſiacæ, agentem de Poſſidonio. [Huius ſancti, noui hanc quoque prophetiam. Hieronymus enim quidam presbyter, habitabat in illis locis, qui in ſermone Romano, magna erat virtute ornatus, & præclaro ingenio: ſed tanta fuit eius inuidia, vt ab ea obtueretur virtus doctrinæ. Cùm ergo multis diebus cum eo verſatus eſſet ſanctus Poſſidonius, dicit mihi in aurem; Ingenua quidem Paula, quæ eius curam gerit, præmorietur libera ab eius inuidia. Vt autem arbitror, propter hunc vitum non habitabit [illegible] ſanctus in his locis, ſed eius perуadet inuidia, vel vſque ad proprium fratrem. Reſque ita accidit. Etenim Beatum Oxyperentium Italum, is hinc expulit; & Petrum alium quendam Ægyptium, & Simeonem, viros admirabiles, quos ego annotaui.] Hactenus de ſancto Hieronymo Palladius. Qui etiam c. 29. eiuſdem operis, expoſtulat de Hieronymi inuidia, qua Paulam inuidia motus ad ſuum peculiare viuendi inſtitutum pertraxerat. Sed non eſt quod exiſtimemus Palladium ſolum talia de ſancto Hieronymo effutiſſe. Pleriſque enim aliis, ea in ſanctum Hieronymum calumnia, fuit communis.

S. Auguſtinus l. 2. contra Iulian. ſub finem cum S. Hieronymum adduxiſſet teſtem Catholicæ veritatis de peccato originali, addidiſſetque Iulianum reiecturum ſancti Hieronymi teſtimonium, cauſam reiiciendi eſſe ait, quia in Oriente contra Pelagium Catholicam fidem pia intentione defenderat. Subdit S. D. [De illo autem ſancto Presbytero qui ſecundùm gratiam quæ data eſt ei ſic in Eccleſia laborauit, vt eruditionem Catholicam multùm in Latina lingua multis & neceſſariis literis adiuuaret, non ſolet Pelagius iactitare, niſi quod ei tanquam æmulo inuiderit.] Itaque calumnia à Palladio impacta à ſancto Hieronymo, Pelagium quoque habuit autorem. Præterea verò audi ipſummet Hieronymum in prooemia ad opus contra Pelagianos, vbi & huius in ſe calumniæ meminit, & veram eius radicem aperit; ac nominatim Palladij offenſio vnde ſit exorta, declarat. [Aduerſùs eos qui me dicunt hoc opus, inflammatum inuidiæ facibus ſcribere, breuiter reſpondebo; nunquam me hæreticis peperciſſe, & omni egiſſe ſtudio, vt hoſtes Eccleſiæ, mei quoque hoſtes fierent. Heluidius ſcripſit contra S. Mariæ virginitatem perpetuam. Nunquid vt ei reſponderem, ductus inuidia ſum, quem omnino in carne non vidi? Iouinianus cuius ô Pelagi, à te nunc hæreſis ſuſcitatur, Romanam fidem me abſente turbauit, tam elinguis & ſermonis putidi, vt magis miſericordia dignus fuerit, quàm inuidia. Illi quoque reſpondi, vt potui. Ruffinus non vni vrbi ſed orbi, blaſphemias Origenis, & περὶ ἀρχῶν libros, quantum in ſe fuit, intulit: ita vt Euſebij quoque primum librum defenſionis Origenis, ſub nomine Pamphili Martyris ederet, & quaſi ille parum dixiſſet, nouum pro eo volumen euomeret. Num inuidemus ei quia reſpondimus, & tanta in eo eloquentiæ fuere fulmina, vt me à ſcribendi atque dictandi ſtudio deterrerent. Palladius ſeruilis nequitiæ, eandem hæreſim inſtaurare conatus eſt, & nouam tranſlationis Hebraicæ mihi calumniam

lumniam ſtruere? Num & illius ingenio, nobilitatéque inuidimus? Nunc quoque myſterium iniquitatis operatur, & garrit vnuſquiſque quod ſentit. Ego ſolus ſum, quem cunctorum gloria mordeat; & tam miſer, vt iis quoque inuideam, qui non merentur inuidiam.] Alia addit, quibus monſtret quantùm ab inuidia abſit, in iis ſcriptionibus quarum cauſa arguebatur inuidia. Nam ſibi quidem, errores non homines exoſos fuiſſe, conteſtatur. Ex Seueri Sulpitij dialog. 1. cap. 4. alia ratio adiungi poteſt. Nempe quod S. Hieronymus (quem ibi abs ſe aditum celebrat effuſiſſimè,) non hæreticorum duntaxat errores, ſed etiam Catholicorum vitia inſectaretur, nec Monachis parceret aut Clericis, quorum auaritiam, & vanitatem, ac familiaritatem cum Virginibus, acriter, ſugillabat. [*Vnde à quibuſdam* (ait Sulpitius) *dicitur non amari.* Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non deſinit. Oderunt eum Clerici, quia vitia eorum inſectatur & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur & diligunt.] En cur ſanctus Hieronymus audierit inuidus.

Fratres Minores (atque adeò etiam qui eorum fulti priuilegiis eadem præſtant,) notati ſunt inuidiæ, eo quod exoraſſent indultum Apoſtolicum, vetans ne aliud Monaſterium ædificaretur iuxta ipſorum cœnobium, niſi certum ſpatium in Pontificio decreto deſignatum, interiaceret. Ita refert S. Bonau. in libello Apologetico pro Minoribus quæſt. 7. cui ſapienter demonſtrat hanc eſſe pinguem calumniam: cùm non ex inuidia, ſed ob graues pleraſque cauſas, huiuſmodi priuilegium ſit exoratum. Inprimis enim monaſterium alicubi anterius conſtructum, quandoque anguſtius eſt, quàm ferat iuſta neceſſitas. Itaque ſi nouum monaſterium in vicinia conſtruatur; fient ant vtrique aut ſaltem priori, anguſtiæ; & daretur occaſio multorum incommodorum alteri ab altero creandorum, non abſque violatione charitatis, & multarum diſſenſionum excitatione. Quid ſi enim nouum monaſterium conſtruat odæum ſuum propè anterioris Monaſterij valetudinarium, ex quo contingat exaudiri pſallentes cum perturbatione quietis neceſſariæ ægrotis? Quæ item ratio poteſt locum habere quoad ſanos, ratione ſtudiorum. Poſſent item ambo monaſteria perturbationem ſibi mutuò inferre, ſi vtrorumque cantus ad alios viciſſim peruaderet. Quid quòd multiplex ſementis zelotypiæ & æmulationis fieri poſſet, dum vnus ex vno cœnobio, obſeruat quinam externorum, vicinum cœnobium potiùs quàm ſuum frequentet, non abſque liuore aliquo & murmuratione in perſonas cœnobij quod adiri frequentiùs deprehenderet? Quin etiam ob ædificationem longè opportunius eſt, cœnobia non ædificari adeò vicina. Nam ſi contingeret in vno aliquo è vicinis monaſteriis laxari diſciplinam, periculum apertum eſſet, ne ea contagio ſerperet, præſertim ratione iuniorum aut minùs probatæ virtutis religioſorum. Item poſſet eſſe periculum ne vnius cœnobij labes affricaretur, vicinis alterius cœnobij religioſis, per errorem, aut malignitatem; cui vicinia fundamentum aliquod aut colorem præberet. Quid quòd externis quoque eſt longè vtiliùs monaſteria eſſe diſiuncta? Sic enim plures ciuitatis regiones habent vnde à Deo expectent tutelam, intuitu viciniæ piorum; & vnde minore (vt ſic dicam) impenſa, petant ſpiritualia ſubſidia, ſiue per auditionem ſacrorum, & exceptionem Sacramentorum, ſiue per auditionem verbi Dei, & reſponſorum de conſcientiæ dubiis. Cæterùm hæc calumnia non fratres duntaxat Minores grauaret, ſi verè eos grauaret, ſed alios quoque Religioſos non paucos, ſimili potientes beneficio, vt videre eſt apud

Sorbum in collectione Priuilegiorum V. *ædificare*. Et redundaret quoque ea labes in Pontifices; inuidiæ (ſi Deo placet,) ſupplicum ea priuilegia exorantium aſtipulatos, Clementem inquam quartum, Innocentium quartum, Sixtum quartum, Iulium ſecundum, Pium quintum, & alios, quorum reſcripta annotantur loco annotato prædictæ collectionis priuilegiorum, & à Roderico tom. 2. qq. regular. quæſt. 46. art. 5.

B. Ioannes Capiſtranus, & Ioannes Huniades, ſtrenuiſſimi aduersùs communem Chriſtianorum hoſtem, fidei pugiles, inuidiæ alter in alterum ſunt inſimulati: eò quòd parta ad Albam in Hungaria, inſigni victoria; vterque cùm ad Pontificem Calixtum III. ſcriberet, de ſocio & cooperatore tacuit. Nota eſt Platonis & Xenophontis, tanquam inuidiæ morbo laborantium, accuſatio: cùm neuter alterius meminerit vnquam, vt Gellius monuit l. 14. cap. 3. quanquam vterque ac maximè Plato, complurium Socratis ſectatorum in ſermonibus quos ſcripſit, commeminerit. Alia ſimilia inuidiæ Platonis argumenta, notauit Petrus Crinitus l. 3. de honeſta diſcipl. cap. 1. Similiter ergo hi duo Catholicæ fidei veluti muri, nonnullius liuoris labe maculati ſunt, non modò ab Ænea Syluio in Bohemica hiſtoria cap. 65. (qui Huniadis labe ferè prætterita, in Capiſtrani probro amplificando laborauit;) ſed etiam poſteriorum pleriſque. Vterque tamen, videtur ea infami nota liberandus: quia neuter agebat alterius hiſtoricum; ſed quilibet de iis quæ per ſeipſum tractauerat atque perfecerat, commonebat Pontificem. In qua agendi rationi, nulla liuoris, nulláve inuidiæ iuſta criminatio fundari poteſt, ſicut fieret in arroſione vel detritione factorum alterius per alterum. Et vt peculiariùs pro Capiſtrano agam quem peculiariùs dehoneſtauit Æneas Syluius, perſuadeor eum nec liuore, nec maligna æmulatione laboraſſe, quem ſpectatiſſima ſanctitas Eccleſiæ iudicio probata commendat.

CAPVT XII.

De Ira, & animi impotentia, ac Zelo non ſecundùm ſcientiam.

NEcto hæc omnia probra quia ferè habent eandem terram originem: nimirum genium præferuidum, atque adeò inconſideratum, & præcipitem, à quo nihil niſi perturbatè, & cum impetu ac violentia, ſuſcipiatur aut perficiatur. Vnde fit vt S. Ambroſius l. de Elia & ieiunio cap. 16. & S. Chryſoſtomus homil. 24. ad popul. ebrium cum iracundo componant: quia ſicut ebrius omnia inconditè peragit, nec prudentiæ ductu, ſed veſano furore abripitur, ita & iratus. Hominem iratum, occupatum non iam vino, ſed dæmone, dixit S. Gregorius lib. 5. Moral. c. 31. Quæ comparatio placuit etiam Gregorio Nyſſeno orat. 7. de beatitud. & legitur etiam apud D. Chryſoſtomum hom. 30. ad popul. necnon apud Petrum Damiani opuſcul. 40. cap. 4. Et ſanè ſi quoduis peccatum de eiuſdem Chryſoſtomi ſententia homil. 28. in ad Rom. eſt dæmon voluntarius, & ſpontaneus quaſi arreptitij energumeniſmus, (id quod etiam ſignificat S. Dyoniſius in Hierar. Eccleſ. cap. 3. part. 3. agens de arreptitiorum corporalium remotione ab Euchariſtia, vt ſpirituales energumeni, hoc eſt quicunque peccatores arceri ab ea intelliguntur:) nemo non videt, quanto iure præ cæteris peccatis, ira, turbulentum malum & ſpumoſum, & hominem ſanitate mentis deturbans, cum furore abreptitiorum componatur. Exempla iræ immoderatæ, ac œſtri eiſque

quæ contermini, zeli non ſecundùm ſcientiam, ſanctis viris malignè ac per calumniam quandoque impoſiti, occurrunt nonnulla.

S. Petrus ſæuitiæ & crudelitatis præ zelo incondito calumniam paſſus eſt ab impio Porphyrio, vt S. Hieronymus epiſtol. 8. teſtatur. Viſa enim eſt Porphyrio pœna irrogata culpam excedere, cum non de alieno ſed de ſuo partem aliquam ſubduxiſſet, veritus incertum humanæ. Nec contentus in virum ſæuire S. Petrus etiam vxorem cuius præ iudicij imbecillitate & neceſſaria ad virum adhæſione, dignior miſeratione culpa fuit, ſubita morte perculit. Sic ratiocinatus animalis homo Porphyrius. Sed calumnioſè. Non enim idcirco ſanctus Petrus crudelitatis fuit inſimulandus, ſed iuſtitiæ nomine commendandus, qui eo exemplo ſtatuto poſteros erudire vellet ad ſimilis culpæ declinationem. Fuit porro ea culpa longè grauiſſima, nec vna ſed multiplex. Hypocriſis enim vt ſuperbia interuênit iuxta ſanctum Hieronymum epiſtol. 150. quæ eſt ad Hedib. quæſt. 1. iuxta ſanctum Baſilium ſerm. 1. Aſcet. quandoquidem illatio quam fecerant hi coniuges ad excitandam hominum de ſe opinionem ſpectarat. Non defuit mendacium & violatio veritatis. Sed quod maximè eos inquinauit fuit ſacrilegium quo aduersùs votum traditam Deo ſubſtantiam ſubduxerunt ex parte. Quod apertè ferunt verba illa ſancti Petri, *non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Et ita diſertè agnoſcunt Patres vt Naz. carm. de Virginum præceptis carmine expreſſis, Arator in metrica Actorum paraphraſi, Chryſoſtom. homil. 12. in Acta, Auguſtin. ſerm. 27. de verb. Apoſtol. Caſſianus collat. 18. cap. 7. Fulgentius Epiſtol. de coniug. debito, & alij adducti in Tractatione de Apoſtatis cap. 11. loco 3. vbi de illius culpæ grauitate, plura.

Malignè igitur, ſanctus Petrus, neceſſarium in illis Eccleſiæ cunabulis ſtatuens iuſtæ ſeueritatis in ſacrilegos exemplum vt cæteri diſcerent ſapere alieno docti periculo imo exitio ſaltem temporali, accuſatur crudelitatis. Qua calumniandi indignitate, Deus ipſe crudelitatis notaretur. Neque enim ſanctus Petrus fuit qui ſolo verbo Ananiam & Saphiram exanimauit, ſed Deus vittam auream in momento diſrumpens: qui item multo magis inſimulari poſſet eiuſdem labis in Ozæ percuſſione ob factum in ſpeciem religioſum, & in Adami omniumque poſterorum addictione ad tot ærumnas ob vnius pomi fruſtillum; aliiſque ſimilibus pœnis quæ humana lance libratæ videntur improuidis excedere culpas ob quas ſunt illatæ, cùm tamen iuſto Dei iudicio ſint irrogatæ atque adeò non poſſint de nimia ſeueritate notari. Pugnat pro ſancto Petro, eúmque à nimiæ ſeueritatis labe perperam impacta purgat ſanctus Iſidorus Peluſ. Epiſtol. ad Orionem l. 1. epiſtol. 181. & paſſim Interpretes Actor. 5. Diffuſiſſimè verò Didacus à Cea l. 1. Apolog. pro S. Petro Archielogio 1. cap. 2. & 3.

Aliam ex parte reſponſionem quam non dederimus inſinuat his verbis ſanctus Hieronymus epiſtol. 8. [Ananias & Saphira, diſpenſatores timidi, imò corde duplici, & ideò condemnati, quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua, & non eius cui ſemel ea vouerant, partémque ſibi iam alienæ ſubſtantiæ reſeruauerunt, metuentes famem quam vera fides non timet; præſentem meruere vindictam, non crudelitate ſententiæ, ſed correptionis exemplo. Denique & Apoſtolus Petrus, nequaquam imprecatur eis mortem, (vt ſtultus Porphyrius calumniatur;) ſed Dei iudicium prophetico ſpiritu annuntiat, vt pœna duorum hominum, ſit doctrina multorum.]

S. Victor I. iracundiæ & impotentis animi à Caluino l. 4. Inſtit. cap. 7. §. 7.

& ab aliis ſectariis paſſim accuſatur, quod Aſianos inſtitutis S. Ioannis Apoſtoli in Paſchatis celebratione inhærentes, excommunicatione perculerit: Eáque ex cauſa ſanctum Irenæum vehementer Victorem obiurgaſſe, teſtatur Euſebius l. 5. hiſtor. c. 24. addens idem ab aliis Magnis Antiſtitibus factum. Hæc tamen mera calumnia eſt in S. Victorem, quem prudentiſſimè egiſſe vniuerſa Eccleſia cenſuit, ratum habens eius decretum in Nicæno Concilio. Cùm enim Blaſtus Iudaiſmum tentans introducere, contenderet Paſcha eſſe celebrandum decima quarta Luna, in quemcunque demum diem incideret, vt Tertullianus de eo notauit l. de præſcript. cap. 53. Victor autem cuius tempore Blaſtus errorem ſeminabat, teſte Euſebio 5. hiſtor. cap. 15. malignitatem eius ſubolfeciſſet; meritò putauit fortiter agendum, & comprimendam in ſuis principiis iniquitatem. Nec verum eſt, ſanctum Irenæum & alios illius æui magnos Antiſtites, obiurgaſſe ſanctum Victorem, eíve ob animi impotentiam ſuccenſuiſſe: Tantùm enim humiliter flagitarunt, & hortati vehementer ſunt, ne tantam gregis Chriſti partem, abſciſſam vellet, vt monſtraui in ſanctorum Lugdunenſium Indiculo, cùm de S. Irenæo: vbi oſtendi Græcum Euſebij contextum, non plus ferre; Quamuis interpretatio, (veriùs interpolatio & paraphraſtica expreſſio textus Euſebij) facta à Ruffino, ferat S. Victorem fuiſſe à S. Irenæo obiurgatum, quod admiſit Bellarminus l. 2. de Rom. Pontif. c. 19.

Berno Abbas, vir religioſiſſimus, Manlianorum imperiorum, & impotentiſſimi animi accuſatus eſt, vt habent Acta Sancti Odonis Cluniacenſis l. 1. cap. 13. Diuerterat ad eum ſanctus Odo, vt ſub diſciplina præſtantis illius Abbatis, erudiretur diſciplina Sanctorum. Id conſpicati falſi fratres, qui ſub Bernone iam merebantur, ad Tyronem Odonem acceſſere, his vtentes verbis. [Omnes nos conamur hanc ſodalitatem deſerere, vt poſſimus ſeruare animas noſtras; & tu huc venis, vt tuam perdas?] Sciſcitante beato Odone quò hæc pertinerent, ſubdiderunt Monachi. [Noſti mores Bernonis Abbatis? Heu heu! quàm malè ille accipit Monachos ſuos! Reprehenſiones eius, mox ſequuntur verbera: verberibus affectis, iniicit compedes, adhibet carcerem, & inediam: atque nec ſic tamen, miſeri, eius ſibi poſſunt conciliare gratiam.] Calumniam fuiſſe oprimo Abbati tradidit ſocius beati Odonis Adhegrinus, vir ſanctiſſimus: qui vacillantem tyrocinij collegam, firmauit his ad eum vſus verbis. [Noli Odo pater, trepidare. Sermones iſti non eorum ſunt qui eos proferunt, ſed illos ſuggerentis. Non dubites horum ore Diabolum ſibi eſſe locutum.] Et ita fuiſſe, confirmat Ioannes Monachus, autor vitæ ſancti Odonis, notans de falſiloquis illis calumniatoribus, dictum eſſe Iob 3. *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.*

S. Gregorius VII. à Sigeberto in Chronico anno 1074. de multorum (vt ait,) ſententia, inconſiderati præiudicij inſimulatus eſt, & tam grauis ſcandali, quantum per nullam vnquam hæreſim fuiſſet excitatum, ob damnatas contra Patrum doctrinam Miſſas Sacerdotum coniugatorum, ac Simoniacorum. Verùm hæc eſt mera calumnia Sigeberti: qui de illorum Religioſorum numero ſe eſſe ſæpè prodit, quibus vileſcit; & erga Eccleſiam & bonum animarum affectus tepet aut friget, præ nationali & gentilitio ſtudio. Itaque cùm S. Gregorio VII. & Henrico Imperatori cui Sigebertus ſuberat, malè conueniret; nullam prætermiſit occaſionem mordendi ſanctum Pontificem, quem quatenus damnatarum Miſſarum indignorum Sacerdotum notat, reiicimus ſuprà cùm de calumnia hæreſeos.

hæreſeos. Quatenus verò præcipitis & impotentis animi in damnatione incontinentium Sacerdotum inſimulat ſanctum Gregorium, ferendus non eſt. Nam Gregorius ſanctiſſimè aduersùs torrentem impurorum miniſtrorum eſt obnixus. Quid enim decentius, quàm miniſtrantes altari, ſuccinctos eſſe lumbos mentis & corporis. Diffusè id proſequuntur Petrus Damiani, Bernaldus ſiue Bernoldus agens pro Gregorio VII. Philippus Abbas in Opere de Continent. & nuper Michaël Medina, & Claudius Eſpencæus, ac Ioannes Bourgheſius, in Operibus de Continentia. Quod verò idem ſanctus Gregorius VII. Regem Germaniæ, & Imperatorem eius nominis tertium, inconſideratè damnauerit, non eſt minus calumnioſum: vt per otium oſtendi in Tractatione de malis bonorum Eccleſiæ, & abundè liquet ex horrendis ſceleribus quæ de Henrico refert Gerhoüs, Præpoſitus Reicherſpergenſis in Syntagmate de Henrici & Gregorij cauſa cap. 10. 11. 12.

S. Thomas Cantuarienſis, cum aduersùs rapacitatem Henrici Anglorum Regis, bona ſibi Eccleſiaſtica vſurpantis, fortiter obniteretur, damnatus eſt zeli immoderati, & non ſecundùm ſcientiam. Calumniam viro ſancto impactam, refert & refellit Stapletonius in Apologia pro ſancto Thoma ad 3. caput criminationum, & iam olim Petrus Cellenſis Epiſtola ad ipſum ſanctum Thomam, quæ eſt decima libri primi, vbi prælocutus de multis ſancti Thomæ aduerſariis, illud præter cætera obiectum illi refert; quod præ immoderatione zeli in repoſcendis aut retinendis Eccleſiæ iuribus, in diſcrimen vocaret omnia. Præſtare verò cenſebant hi ſecundùm carnem ſapientes, bona & iura Eccleſiæ perdere, quàm præ zelo nimio, Regem ad iracundiam concitare, & pacem Eccleſiæ profligare. Id quod confirmabant exemplo veteris Eccleſiæ, quæ per aliquot ſæcula, perſecutionem paſſa & ſpoliata ab Imperatoribus, manſit ſicut ouis coram tondente ſe, nec vim vi repulit; quamuis ſi obſiſtere voluiſſet, non ſemper defuiſſent vires; & vel ex ſolis iis qui vita ſpoliati ſunt, acies propè immenſæ inſtrui potuiſſent, vt alicubi philoſophatur D. Auguſtinus. Hæc tamen vt non infirmarunt robur animi in ſancto Thoma, cuius oliua fortiter preſſa in torculari tribulationis, eò profuſiùs oleum produxit, iuxta Petrum Cellenſem; ita calumniam B. Martyri impactam non muniunt. Neque enim ſemper & vbique cedendum eſt potentibus iurium aut rerum Eccleſiæ inuaſoribus; ſed ſtandum prudenter eſt, pro domo Dei, imitatione ſancti Thomæ. Nec ſi olim Eccleſia ſe tonderi, vel etiam deglubi ſinebat, eadem nunc debet eſſe eius conditio, vt benè his verbis tradit citata Epiſtola Petrus Cellenſis. [Cæterùm, penſandum eſt in omni tam contractu, quàm actu, quid propter quid faciendum, vel dimittendum ſit. Penſanda enim ſunt tempora, & diuerſi ſtatus temporum, ſecundùm quos mutantur merita cauſarum. Nam in primitiua Eccleſia ſola patientia locum habuit, vt auferenti tunicam dimitteret & pallium. Alius enim erat & alibi, id eſt, extra Eccleſiam, qui perſequebatur; alius & alibi; id eſt, intra Eccleſiam qui patiebatur: Modò verò iam adulta Eccleſia, non licet filiis Eccleſiæ quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, ſicut decuit pupillam tolerare aduerſarium. Diſtinctus namque ſapphiris legitur venter ſponſi, & quemadmodùm ante paſſionem ſuam IESVS dixerat, *Qui non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, & ſimilia; in paſſione dixit Apoſtolis, *Qui non habet gladium, vendat tunicam & emat.* Verba quidem bona, verba conſolatoria, non immeritò exigeret cauſa

iuſta in oculis Dei; in oculis autem inſipientium dubia & infirma; niſi virtus patientiæ omnem tranſcenderet conſolationem, & plus gauderetis de conſolatione, quàm malleus feriens proficeret de percuſſione.]

Clemens VII. & Paulus III. à Michaële Rouſſel in Hiſtoria Iuriſdictionis Pontificiæ, notantur zeli præferuidi, & non in iudicio, ob præciſum ab Eccleſiæ corpore Henricum VIII. Angliæ Regem, quem præſtitiſſe dicit tolerari patienter, quàm cum tanta clade animarum, & ruina Eccleſiæ, à fidelium corpore præſcindi. Hæc tamen calumnia, non dehoneſtat illos Pontifices, cùm ſit ex meris mendaciis contexta. Clemens enim erga Henricum, ſi quid peccauit, indulgentia potiùs & nimia lenitate, quàm ſeueritate deliquit, vt legere eſt apud Sanderum l. 1. de Schiſmat. Anglic. præſertim, cum de Maſſilienſi Clementis itinere, & congreſſu cum Rege Franciſco I. vbi refert pœnituiſſe denique Clementem tantæ ſuæ in impium Regem lenitatis. Sed vrgente denique iuſtitia cauſæ Reginæ Catharinæ, ab Henrico contra ius faſque abiectæ; Carolo item V. pro eadem Catharina amita ſtimulante Pontificem, ſed maximè ſcandalo vniuerſali totius Eccleſiæ interpellante Clementem; ſententiam in Henricum tulit: quam tamen poſt tantam patientiam iam expromptam, ſuſpendit adhuc ad aliquod tempus. Intra quod tantùm abeſt, vt Henricus pellicem abiicere, & vxorem legitimam reſumere in animum induxerit, vt potiùs immanibus ſceleribus & hæreſibus cumularit adulterium, & legitimæ coniugis abiectionem. Succeſſit Clementi Paulus III. qui patientiſſimè vltra triennium præſtolatus truculentiſſimi hominis reſipiſcentiam, vbi vidit eum ſancta & humana quæque in dies petulantiùs ac effrenatiùs euertere, dolens & adactus, putre membrum reſecuit, præcipitationis malignè damnatus.

CAPVT XIII.

De remiſſione iuſto molliore, & ſtulta benignitate.

ZElo præferuido & iuſto auctiori, opponitur remiſſio nimia & ſtulta benignitas, quæ vt apparuit in Heli, diſſipat omnia, & viam aperit laxamentis, quibus denique quantumuis benè firmata moles concidit, miſereque euertitur. Grauiſſima damna huius mollitudinis, aperire memini in Commonitorio vt ſit moderatio quod dicitur §. 17. & 18. Inſigniter verò in hanc rem diſſerunt Guerricus ſect. 4. de ſancto Benedicto, Bleſenſis epiſtola 100. Petrus Damiani opuſcul. 57. duplici diſſertatione, & Ioannes II. ad ſanctum Cæſarium Arelatenſem in cauſa Contumelioſi (tom. 1. Concil. Galliæ.) [Verè dico (inquit) quia illi quibus cum periculoſa & falſa miſericordia indulgere videmur, cùm ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos ipſos cauſas dicturi ſunt, dicentes, quòd dum aut aſperitatem linguæ eorum expauimus, aut falſa blandimenta & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus, nos eos dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut ipſa peccata etiam augere permiſerimus, non recordantes illud quod in Veteri Teſtamento ſcriptum eſt, quia vno peccante, contra omnes Dei ira deſæuiit? O pietas! ô miſericordia! Vni parcere, & omnes per exemplum malum in diſcrimen adducere? Non ita ſuadet ſanctus ac beatiſſimus Cyprianus martyr, dicens. [Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſuaminiſtrat; nec reprimit

primit

Digitized by Google

premit delicta illius, ſed fouet.] Et ite-rum. [Imperitus eſt Medicus, qui tu-mentes vulnerum ſinus, manu parcente contrectat, & abſconditum in profundis receſſibus virus, dum ſeruat exaggerat. Vnde & S. Ioannes Epiſcopus Conſtan-tinopolitanus Epiſcopos arguit, dicens, Imperitus eſt Medicus, qui ante dige-ſtam putredinem, ſuperinducit vulneri cicatricem:] Et inferiùs. [Valde metuo & contremiſco illam damnationem quam Heli Sacerdos propter ſtultam indulgen-tiam accipere meruit. Qui pro eo quòd filios ſuos negligenter caſtigauit, vt eos nec cædere nec excommunicare noluerit, ipſi filij vna die occiſi ſunt, & triginta millia de populo interfecta ſunt, & arca Teſtamenti in captiuitatem ducta eſt, & ipſe retrò cadens fractis ceruicibus mor-tuus eſt, & nomen ipſius de libro vitæ deletum.] Inſigniter quoque eandem te-ctionis mollitudinem, tanquam ſubditis exitialem arguit Philo l. de Agricult. vbi recitatis damnis violentarum domina-tionum, ſubdit. [Officiunt autem non hæ ſolæ dominationes, verùm & nimis æquanimes principatus, præfecturæque. Benignitas enim res eſt contemptibilis, vtriſque, tum principibus tum ſubditis noxia. Illis dum contempti ſubiectis, nec priuatim, nec publicè valent quic-quam rectè conſtituere, interdum etiam principatu ſe abdicare coguntur: his ve-rò dum ex continuo Magiſtratuum con-temptu, negligentiores facti, magnum morbum arrogantiam ſibi contrahunt, vt merito hi à pecudibus, illi à pecuariis nihil deferre iudicandi ſint. Nam illi ſunt autores oblectandi ſe rerum copia, hi non ferendo ſaturitatem, vertunt ſe ad petu-lantiam. Notati ſunt huius *impia pieta-tis* (vt Petrus Damiani opuſcul. 7. cap. 2. ignauam hanc mollitudinem nominat,) nonnulli viri ſancti, ſed per calumniam. Appendo quoſdam.

S. Zephyrus Papa & Martyr, quòd lapſos, non excluſis mœchis & fornica-toribus, ad pœnitentiam admitteret, & vt ab aliis idem fieret, decreto ſanxiſſet, à Tertulliano l. de pudic. cap. 1. molli-tiei ac ignauiæ remiſſionis diſciplinam Eccleſiaſticam euertentis, accuſatus eſt. [Audio etiam (inquit,) edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto. O edictum cui adſcribi non po-terit bonum factum! Et vbi proponetur liberalitas iſta? Ibidem opinor in ipſis li-bidinum ianuis, ſub ipſis libidinum ti-tulis. Illic eiuſmodi pœnitentia promul-ganda eſt, vbi delinquentia ipſa verſabi-tur. Sed hoc in Eccleſiâ legitur, & in Eccleſia pronuntiatur, & virgo eſt. Ab-ſit, abſit à ſponſa Chriſti, tale præconium. Illa quæ vera eſt, quæ pudica, quæ ſan-cta, carebit etiam aurium maculâ. Non habet quibus hoc repromittat. Et, ſi ha-buerit, non repromittit: quoniam & ter-renum Dei templum, citiùs ſpelunca la-tronum appellari potuit à Domino, quàm mœchorum & fornicatorum.] Totus li-ber aduerſus pœnitentiam conſcriptus, (vt ſanctus Hieronymus rectè vidit epi-ſtol. 146.) conclamat aduersùs eam faci-litatem. Sed perperam & cum calumnia erga ſanctiſſimum Pontificem; qui meri-tò voluit peccatorem, in quacunque die ingemiſceret, ſaluum fieri, & neminem ob Eccleſiæ nimiam duritiem perire.

S. Cornelius à Nouatiano per Noua-tum Africanum dementato, inſimulatus eſt facilitatis eneruis, eo quod Apoſtatas & lapſos in Eccleſiam admitteret, ſi pœ-nitentiam conciperent. Renouarunt No-uatus & Nouatianus duo filij iniquita-tis, Montani hæreſim ex Tertulliano iam Montaniſta proximè tactam. Duos dico Nouatum & Nouatianum, quia tametſi Græci ferè confundunt illos, deluſi non-nulla affinitate nominum, tamen duos

Digitized by Google

fuiſſe, calumniæ in ſanctum Cornelium & ſchiſmatis architectos, debet eſſe extra dubium, à quibus renouatam eſſe prædictam Montani hæreſim, teſtantur ſanctus Hieronymus Epiſtol. ad Marcellam, & Pacianus epiſtol. 1. & 3. Nouatus Epiſcopus fuit, ab eo enim conſecratum quendam Diaconum memorat ſanctus Cyprianus epiſtol. 49. quæ de Nouati ſceleribus ob qua extorris factus eſt, continet horribilia. Nam & vtero vxoris calce percuſſo, fœtum eliſerat; & patrem fame in vico mortuum, ne ſepultura quidem donanerat; & pupillos, viduas cenſúmque Eccleſiaſticum, per rapacitatem ſacrilegam expilauerat; & Feliciſſimum, pro lapſis abſque cunctatione exoluendis ſatagentem, aduerſus ſanctum Cyprianum clàm fouerat & acuerat. Præueniens igitur Eccleſiaſticam præciſionem, Romam profectus eſt; & Nouatiano Archidiacono (ſic enim eum vocat ſanctus Eulogius apud Photium Codice 182.) factus eſt vnguis in vlcere, vt notauit ſanctus Fabianus epiſtol. 1. Erat Nouatianus doctrinæ & facundiæ laude clariſſimus, quòd eius liber de Trinitate inter Tertulliani opera ſuperſtes, demonſtrat. Is dolens ſe in Cornelij electione fuiſſe præteritum, docente & vrgente Nouato iam contra lapſos ſollicito, irritam poſſe effici Cornelij electionem, exiſtimauit; cùm aliis ei affictis electionis reprobæ vitiis, tum nominatim exprobratione admiſſionis lapſorum, ad preces Martyrum deſignatorum, vel oſtentata pœnitentia. Hi fuere calumniæ aduerſùs ſanctum Cornelium autores. Quòd autem Socrates multus eſt in commendando Nouato, & Nouatianis; munditiem quam profitebantur, veſte alba, vt l. 6. cap. 20. ait, præferentibus; indéque ſe *Catharos* & *mundos* denominantibus, (*mundanos* aptiùs ſe dixiſſent, iuxta ſanctum Auguſtinum l. de ago. Chriſti cap. 31.) Quod inquam hos ſancti Cornelij calumniatores, Socrates admodùm extollit; mirum non eſt, cum fuerit Nouatianus, vt obſeruauit Iacobus Billius lib. 1. ſacr. obſer. cap. 26. Et idem eſt de Sozomeno, ac Nicephoro Calliſto. Per calumniam porrò, ſanctum Cornelium de nimia facilitate eſſe notatum, & omnino congruere, vt peccator reueniens, poſt condignos pœnitentiæ fructus, admittatur ab Eccleſia, monſtrarunt varij Patres, vt ſanctus Cyprianus, qui pro ſancto Cornelio fortiſſimè ſtetit. Sanctus Pacianus variis epiſtolis contra Sympronianum, & Nouatianos, ſanctus Ambroſius duobus libris de pœnitentia, Fulgentius libris duobus ad Euthymium, Bacchiarius ad Ianu. & alij qui aduerſùs eam *feritatem & crudelitatem planè belluinam*, (vt loquitur Theodoretus l. 5. diuino. decretor. cap. de pœnitentia,) armati ſunt. Multos profetunt Gerardus Voſſius ad ſermonem ſancti Ephrem de Pœnitentia, Pamelius ad initium libri Tertulliani de Pœnitentia, & ad Nouatianum de Trinit. Valdenſis Tomo 2. à cap. 135. Non igitur ſancti Cornelij ignaua remiſſio, ſed Chriſti inſtitutio & Dei voluntas, tulit vt lapſi quicunque; poſt dignos pœnitentiæ fructus, recorporarentur Eccleſiæ, & abſoluerentur.

Sigebertus Rex Orientalium Saxonum in Anglia, per Oſvvi Regem Nordumbrorum ad Chriſtianam fidem adductus, princeps clarus eximiis virtutum dotibus, inſimulatus eſt nimiæ facilitatis in condonandis iniuriis: eóque nomine à duobus fratribus propinquis ipſius, eſt obtruncatus. Quod enim ſcribit Beda l. 3. hiſtor. cap. 22. homicidæ deprehenſi, & interrogati cædis patratæ cauſam, [Nihil aliud reſpondere potuerunt, niſi ob hoc ſe iratos fuiſſe & inimicos Regi, quod ille nimiùm ſuis parcere ſoleret inimicis; & factas ab eis iniurias, mox obſecrantibus placida mente dimitteret.] Hanc illi filij Belial, ignauam remiſſionem interpretabantur.

pretabantur. Sed malignissimè. Non enim condonatio iniuriarum, eſt partus ignauiæ, vel remiſſionis ignobilis, ſed potiùs inſignem animi erectionem prodit, vt meritò ſanctus Irenæus l. 2. cap. 57. *μικροψύχους* ſiue exigui animi, pronunciet eſſe eos, qui iniuriarum ſunt tenaces. Et conſonat illud Naſonis.

Quò quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ.

Et faciles motus, mens generoſa capit.

Egregiè & amœnè id verſat Ludouicus Carbo l. de pacific. inimico. c. 51. & 52. iis additis quæ præmiſerat cap. 20. Perperam igitur Rex optimus, inſimulatus eſt ignauiæ, ob facilitatem condonandi iniurias. Et ſanè alioqui, omnes Chriſtiani aſtringerentur ad ignauiam, cùm aſtringantur ad parcendum inimicis.

S. Anno Epiſcopus Colonienſis, atrocibus iniuriis affectus, quas Sigebergenſis Monachus in eius rebus geſtis deſcripſit, l. 2. cap. 20. tanta tamen flacciditate eas ferebat, vt de immoderata Clementia ſit redargutus, eſſentque qui iactarent, id eum ad popularem gratiam aucupandam facere; nec aduertere, ea via aperiri ad omnia ſcelera nefariis hominibus portam patentem. Sed ſanctus Anno, tametſi in tempore coërcere audaces nouerat, tamen memor manſuetudinis Chriſti, non ex ſtupiditate aut ignaua remiſſione, ſed ex Chriſtiana generoſitate, ſic ſe habebat ad diſcolos. Nec aliud accidit ei durius, quàm quòd prouinciales iniuriam Antiſtitis ſui non ferentes, magno numero collecti, vrbem diripuiſſent, & multos è refractariis malè multaſſent, cæcatis quibuſdam, aliis detonſis, aut flagellatis, pleriſque re familiari ſpoliatis. Quam ſeueritatem iniuſſu ſuo editam, ſanctus Præſul Sacramento ſæpè firmauit. Hæc ille (vt dixi,) ingenti animi excelſitate, non ſupinitate, aut hebetudine perfecit: Ab aliis, quod mirum eſt, contrariæ calumniæ nota fuit inuſtus, & de nimia ſeueritate inſimulatus, dum ſæuitiam eorum qui pro ipſo ſteterant, nec frænari ab eo poterant, in ſanctum Antiſtitem immeritò transfundunt. [Nec mirum (inquit vitæ autor cap. 21. *in fine.*) cùm & Moyſem ſanctum, homicidam nonnulli blaſphement.] Parum verò intereſt Satanæ, pugnantibus (vt vidiſti,) calumniis ſanctos onerare, dummundò oneret.

S. Gulielmus Epiſcopus Bituricenſis, ex Ciſtercienſi familia aſſumptus, mollior & remiſſior erga noxios audiuit: ſed iniuria & per calumniam, remiſſionis eſt inſimulatus; qui idcirco tantùm in multa patientia tolerabat vaſa iræ, vt qui lapſi erant reſurgerent, prouocati ea lenitate ad pœnitentiam. Conſiderabat etiam in noxis aliorum, propriam infirmitatem, iuxta Apoſtoli monitum. Vbi tamen lenitas damnoſa eſſe poterat, non omittebat admiſcere ſeueritatem, vinum & oleum prudenter infundens vulneribus, vt olei lenitas temperaret dolorem; vini verò acrimonia, vulnerum ſaniem abſtergeret, vt autor vitæ ſancti Gulielmi philoſophatur, apud Surium X. Ianuar.

CAPVT XIV.

De Simplicitate hebeti: & aſinitate.

SVnt hæc probra, remiſſioni (de qua proximè,) contermina, & plerumque veluti gemella. Quare hîc rectè ſubnectuntur. Cùm autem aliqua ſimplicitas in laude ponatur, Columbina nimirum ad quam Chriſtus hortatur, & à qua Iob commendatur vir ſimplex & rectus; ſeiungenda fuit ab ea quæ tanquam probrum inuritur nec ſita eſt in ſynceritate, biformis agendi rationis experte, ſed in hebetudine & aſinitate hominem peccante, ac propè deiiciente de gradu

Digitized by Google

creaturæ rationalis; accenſente autem illum beſtiis, præ ſtupiditate iudicij. Ex quo liquet, quantum ſit hoc probrum. Tertior verò etiam eſt labes inſaniæ, quæ planè excludit vſum rationis, & hominem extra ſe ſtatuit. Quòd ſi is ſtatus non ſit perpetuus, ſed dilucidis aliquibus interuallis diſtinctus, ita vt homo nunc ratione potiatur, nunc mente exerret; delirare dicitur, quæ eſt veluti inconſtans dementia. Omnia hæc probra, ſunt planè grauia, & cùm falsò impinguntur, tertam calumniam continent, bipartitò mox exhibendam in variis ſanctis, quos inquinari ea falſa labe contigit; initio ducto ab iis qui ſimplicitatis aſininæ ſunt notati.

S. Iob, ſimplicitatis (vtique hebetis & aſininæ,) notatus eſt ab vxore improuida. Cùm enim orbus filiis, ſpoliatus facultatibus, deſtitutus ab omnibus, carnem variè ægram habens, laudaret nihilominus diuinam bonitatem, & diuinis conſiliis patienter acquieſceret, ſanctas illas voces identidē iterans, *ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum*; ab vxore in rabiem acta, audiuit, *adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* Quod cùm ab exprobrante intorqueatur, pertinet ad ſimplicitatem ſtolidam, quæ neſciat agnoſcere quid res ferat. Cùm tamen hæc eſſet craſſiſſima calumnia mulieris ſtultæ, quandoquidem nunquam Iob ſapientiam ſuam meliùs prodidit, quàm omnia excipiens de manu Domini, & ad omnes eius nutus ſe fingens, ac humillimè componens. Inſigniter & mulieris rabiem, & Iobi moderationem expendit S. Chryſoſto. homil 28. in 1. ad Cor. eodem loco ſe fuiſſe apud alios monſtrant illa ſancti Iob cap. 12. *Qui deridetur ab amico ſuo, ſicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum. Deridetur enim iuſti ſimplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum*, Quibus verbis vir ſanctus, deriſum ſe vt ſimplicem, à ſuperbis profitetur: ſed eam ſimplicitatem nunc ſub modio iacentem, quandoque à Deo ſuper candelabrum collocandam eſſe conteſtatur. Gloſſa S. Gregorij in eum locum 10. moral. cap. 27. & 28. eſt in hanc rem inſignis.

Chriſtiani ab Ethnicis, ruſticæ ſimplicitatis & hebetis ingenij, calumniam paſſi ſunt. Hoc illis Galenus impingit l. 2. de diffet. pulſ. barditatis aſininæ eſſe affirmans, quòd abſque demonſtrationibus perſuaderi ſibi quidlibet patiantur. Sed id non eſſe ſimplicitatis aſininæ, conſtat ex credibilitate euidente myſteriorum, præuia aſſenſui ob diuinam autoritatem.

Catholici, à Valentiniano, notati ſunt ſimplicitatis bardæ. Ita refert & calumnioſè dictum monſtrat Tertullianus l. contra Valentin. cap. 2. his verbis. [Simplices notamur apud illos, vt hoc tantùm, non etiam ſapientes: quaſi ſtatim deficere cogatur à ſimplicitate ſapientia, Domino vtramque iungente: *Eſtote prudentes, vt ſerpentes, & ſimplices vt columbæ* Aut ſi nos propterea inſipientes, quia ſimplices, num ergò & illi propterea non ſimplices, quia ſapientes? Nocentiſſimi autem qui non ſimplices, ſicut ſtultiſſimi qui non ſapientes. Et tamen malum in eam partem, meliori ſumi vitio. Si fortè præſtat minùs ſapere quàm peius, errare quàm fallere. Porrò facies Dei expectat in ſimplicitate quærentes, vt docet ipſa, non quidem Valentini, ſed Salomonis. Deinde infantes teſtimonium Chriſti, ſanguine litauerunt. Pueros vocem qui crucem clamant. Nec pueri erant, nec infantes, id eſt, ſimplices non erant. Repueraſcere nos & Apoſtolus iubet ſecundùm Deum, vt malitia infantes per ſimplicitatem, ita demum ſapientes ſenſibus ſimus, diuinæ ſapientiæ ordinem, de ſimplicitate amando. In ſumma Chriſtum columba demonſtrare

demonſtrare ſolita eſt, ſerpens verò tentare. Illa & à primordio diuinæ pacis præco, Ille à primordio diuinæ imaginis prædo. Ita faciliùs ſimplicitas ſola Deum & agnoſcere poterit & oſtendere, prudentia ſola concutere potiùs & prodere. Abſcondat itaque ſe ſerpens quantùm poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cœca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam euoluat, tortuosè procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia. Noſtræ columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper & apertis, & ad lucem; amat figuram Spiritus Sancti; Orientem, Chriſti figuram.] Hoc ipſum erat, quod iiſdem Hereticis, vt ait ſanctus Irenæus l. 1. cap. 1. ſolemne fuit vocare Catholicos *Pſychicorum* nomine, tanquam animales & craſſos, ac ſimplicitate hebeti laborantes: quam nomenclationem poſtea Tertullianus à Montaui ſpiritu dementatus, æquè intorſit in Catholicos; nec aliud ſonat quàm ruditatem & aſinitatem animalium hominum, haud quaquam pollentium lumine intelligentiæ.

Æquè Catholicos Origeniſtæ dicere ſoliti ſimplices *ἀπλουστέρους* vt habetur ex ſancto Epiphanio hær. 64. & ex ſancto Hieronymo epiſto. 61. quæ eſt ad Pammach. contrà errores Ioannis Hieroſol. Locus eſt hîc adſcribendus, vt intelligatur, per quantam calumniam Catholici dicti ſint ſimplices. [Dicit Origenes (inquit,) per ſcalam Iacob paulatim rationabiles creaturas ad vltimum gradum, id eſt, ad carnem & ſanguinem deſcendere: nec fieri poſſe, vt de centenario numero, ſubitò quis ad vnum numerum præcipitetur, niſi per ſingulos numeros, quaſi per ſcalæ gradus, ad vltimum vſque perueniat: & tot mutare corpora, quot de cœlo ad terram mutauerint manſiones. Hæ ſunt ſtrophæ veſtræ; atque præſtigiæ, quibus nos *Peluſiotas, & iumenta, & animales homines* dicit, quia nos recipimus ea, quæ ſpiritus ſunt.] *Peluſiotas* dici Catholicos, cenſet Marianus Victorius ab vrbe Peluſio, Paludoſa & ſcatente vberi vligine, pinguem ſenſum faciente. Sed verius eſt, legendum eſſe *Piloſiotas*. Simplicitatis enim & hebetudinis Catholicos inſimulabant Origeniſtæ, quod admiſſà eiuſdem corporis anaſtaſi, pilos quoque futuros homine rediuiuo affirmarent, quod illis videbatur perridiculum. Eandem ob cauſam aliàs vocabant Catholicos *phyloſarcas* quòd eandem carnem reſurgere dicerent. Audi infrà Hieronymum. [Dicit ergo Origenes in pluribus locis & maximè in libro de reſurrectione quarto, & in expoſitione primi pſalmi, & in ſtromatibus, duplicem errorem verſari in Eccleſia, noſtrorum, & hæreticorum, nos *ſimplices* & *phyloſarcas* dicere, quòd eadem oſſa, & ſanguis & caro, id eſt, vultus, & membra, totiuſque compago corporis reſurgat in nouiſſima die; ſcilicet vt pedibus ambulemus, operemur manibus, videamus oculis, auribus audiamus, circumferamuſq; ventrem inſatiabilē, & ſtomachum cibos concoquentem: conſequens autem eſſe, qui iſta credamus, dicere nos, quod & comedendum nobis ſit, & bibendum, digerendi ſtercora, effundendus humor, ducendæ vxores, liberi procreandi. Quò enim membra genitalia, ſi nuptiæ non erunt? quò dentes, ſi cibi non molendi ſunt? quò venter & cibi, ſi iuxta Apoſtolum, *& hic, & illi deſtruentur*? Ipſo iterum clamante: *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, neque corruptio incorruptionem* Hæc nos innocentes & ruſticos aſſerit dicere.]

Iſidora Virgo Tabenneſiota, (ſic enim vocari in Græcis Codicibus, quæ apud Latinos nuſpiam de nomine appellatur, ſcribit Raderus 2. p. virid. cap. 3.) pro ſimplice, & hebete, ac ferè fatua, inter ſorores eſt habita, vt ſcribit Pallad. cap. 42.

42. Sed Deus per inſignem Aſcetam, cui nomen *Pitrio*, calumniam abſterſit, & quanta eſſet Iſidoræ ſapientia, patefecit. Placebat ſibi in corde ſuo Abbas Pitrium, quaſi ad inſignem prouectus ſanctimoniam. Deus verò pro illo ſuo more quem aliàs ſæpè adhibuit, eum dedocuit errorem. Sic enim Paphnutio compoſitus à Deo ſymphonicus, & negotiator, & protocomes vnius Oppidi, vt eſt apud Palladium cap. 58. 59. 60. Cum ſancto Antonio collatus eſt coriarius Alexandrinus; cum Eremita Sanctus Gregorius Papa; cum ſancto Theodulo, Cornelius Mimus. Haud aliter igitur, cum viro notæ ſanctitatis, compoſita eſt à Deo Iſidora, quæ inter ſuas ſorores, *Sale* audiebat; id eſt, fatua propè, & admodùm hebes cenſebatur, & vt talis tractabatur. Sed cum Pitrium Angeli monitu ad eam viſendam profectus, ex notis ab Angelo aſſignatis, deprehendiſſet, quam cæteræ hebetem rebantur, omnium eſſe ſapientiſſimam, idque palam omnibus aperuiſſet; damnarunt reliquæ Virgines priorem ſuam mentem, & tanta deinceps veneratione Iſidoram ſunt proſecutæ in abſterſionem prioris calumniæ, & admenſæ ei tractationis, vt pia Iſidora pertæſa honorum, clam ſeceſſerit, nulli ad mortem vſque viſa mortalium.

S. Sabas, vir planè ſapiens, à ſuis quibuſdam, traductus eſt vt hebes ac ſimplex. Sed fuit indigniſſima calumnia, quam deſcribens Cyrillus Monachus, cùm de Hieroſolymitano Saluſtij Patriarchatu, & ſancti Sabæ per eum inaugnratione in ſacerdotem; præfatur, non eſſe quod mirum videatur, fuiſſe inter ſancti illius Abbatis Monachos, qui ita deſiperent, vt ſanctum ſuum moderatorem inſipientiæ damnarent. [Nam frumento ſæpè etiam adnaſcuntur zizania, & ſicut rubus in vinea, & ex diſcipulis cernitur vnus proditor, & Eliſæi diſcipulus erat Giezi, Eſau conſtat fuiſſe fratrem Iacobi, & Cain Abelis.] Audierunt ergo Salluſtium Patriarcham falſi fratres, rogantes vt præficeret ipſis dignum eo munere Rectorem, quòd is à quo regebantur, ineptus eſſet ad eam curam, *propter ſimplicitatem nimiam, & ruſticitatem* : & addebant probationem vnam ſimplicitatis illius, quòd ob nimiam in ſuſcipiendo ſacerdotio cautionem, neque ipſe vellet ſacerdos eſſe, neque aliis concederet, vt ſacerdotio inaugurarentur. Interim tamen Præfecti ſub quo degerent, ſtudioſè reticebant, ne ſi apertè dixiſſent ſe agere contra B. Sabam, exſibilarentur; ob ſummam eius apud omnes autoritatem, & perſpectiſſimam ſapientiam. Verùm fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Salluſtius enim Patriarcha, vir perſpicax, prudenter dimiſſis ſeditioſis illis Monachis, aduocans ſilentio B. Sabam, & firmauit ei rectionem, & in ſacerdotem inaugurauit, celebrans ſummam eius ſapientiam & ſanctitatem. Eaque ratione calumniatores egregiè repreſſit, & tela retudit. Id quod etiam ardentiſſimæ vir Religionis, Quiricus Sacerdos, ante præſtiterat, cùm in aduentu falſorum Monachorum ad Patriarcham, affuiſſet; & quæ ſubdolè ſimul ac malignè in B. Sabam intorquebantur, accepiſſet. Neque verò magna confutatione opus erat ad eam calumniam reuincendam; quandoquidem vniuerſa ſancti Sabæ vita, refertiſſima eſt ſapientiæ, ita vt poſſit tanquam exemplar rectionis religioſæ præfigi probatis quibuſuis Aſcetarum moderatoribus.

S. Gregorius Magnus, à Mauricio Imperatore, *ſimplex* eſt appellatus, vt ipſe refert ſcribens ad eundem Mauricium l. 4. epiſto. 31. his verbis. [In ſereniſſimis iuſſionibus ſuis Dominorum pietas dum me de quibuſdam redarguere ſtuduit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis vrbanæ ſimplicitatis fatuum appellat.

appellat. In ſcriptura etenim ſacrâ cùm in bona intelligentia ponitur ſimplicitas, ſæpè prudentiæ aut rectitudini ſociatur. Vnde etiam de B. Iob ſcriptum eſt: *Erat vir ſimplex & rectus* : & Beatus Paulus Apoſtolus admonet dicens; *Eſtote ſimplices in malo, & prudentes in bono* Et per ſemetipſam veritas admonet, dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Eſſe valdè inutile iudicans, ſi aut ſimplicitati prudentia, aut prudentiæ ſimplicitas deſit. Vt ergò ſeruos ſuos ad cuncta eruditos efficeret, eſſe eos & ſimplices ſicut columbas, & prudentes vt ſerpentes voluit: quatenus in eis & ſerpẽtis aſtutia colũbæ ſimplicitatem acueret, & columbæ ſimplicitas, ſerpentis aſtutiam temperaret. Ego igitur qui in sereniſſimis Dominorum iuſſionibus ab Arnulphi aſtutia deceptus, non adiunctâ prudentiâ ſimplex denuntior, conſtat procul dubio quia fatuus appellor: quod ita eſſe ego quoque ipſe confiteor. Nam ſi hoc veſtra pietas taceat, cauſæ clamant: ego enim ſi fatuus non fuiſſem, ad iſta toleranda quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minimè veniſſem.] Adſcribit S. Gregorius ſimplicitati, quod in Pontificem inaugurari ſe permiſiſſet. Cæterum eius prudentia & ſapientia adeò inſignis fuit, vt vix vlli Pontificum de ea conceſſerit. Et vna de cauſis ob quas Mauricius adeò graues pœnas dedit, hæc fortaſſis ſancti Gregorij depretiatio fuit.

S. Petrus de Murono, qui ad Pontificium thronum euectus, dictus eſt Cœleſtinus V. inſimulatus eſt hebetudinis & ſimplicitatis, à Ioanne Andrea, quem adducit & approbat Baldus ad rubricam de natura Feudi num 1. Ea verò eſt petulantia verborum, qua hi leguleij, virum ſanctum & aliquando Chriſti Vicarium, procaciter appetunt, vt præſtet illa reticere, & breuiter ſtatuere, calumniam putam putam eſſe, quod is fuerit ſanctus Petrus, qualem depingunt licenter nimiùm hi ſeculi ſapientes, ſanè ſapientia (vt ſic dicam) ſpeculatiua, ſiue peritia rerum Theologicarum & Canonicarum, non fuit in hoc ſancto viro exigua, vt liquet ex eius Opuſculis nuperrimè editis, diligentia Cœleſtini Teleræ. Quod verò abiectionem Pontificiæ maieſtatis ab eo factam, homines qui carnis ſunt ſapientes, trahunt ad affingendam eidem hebetudinem, peruerſiſſimè & inſaniſſimè faciunt: cùm id potiùs fuerit argumentum euidens inſignis ſapientiæ & ſanctimoniæ B. Petri Cœleſtini, vt rectè ponderauit Petrarcha l. 2. de vita ſolitaria c. 18. & qui ad miraculum referendam eam abiectionem contendit, Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Eccleſ. artic. 11. Deus ipſe illuſtribus miraculis factum viri ſancti obſignauit. Nam cùm poſt renunciationem digrederetur, claudo & membrorum officiis deſtituto ſanctitatem reſtituit, & ſigno Crucis cœcum illuminauit, vt ſcribit in eius vita Cœleſtinus Telera. Sannas Dantis Aligerij, ſcriptoris reprobi, quem negata malè expetita diſpenſatio, in ſanctum virum concitauit, vno verbo tecidit Syluester V. *Papa*, num. 4.

Sanctæ coniuges, (referente Iacobo de Vitriaco in procemio ad vitam B. Mariæ Oegniacenſis,) cum auulſæ à viris de eorum conſenſu, continenter degerent; ab impuris hominibus calumniam hebetudinis ſunt paſſæ, vt his verbis refertur ab Autore prædicto, agente cum Fulcone Epiſcopo Toloſano. [Vidiſti non ſine admiratione, atque etiam multo animi dolore, impuros quoſdam homines, totius religionis hoſtes, earum fœminarum religionem malignè traducere, & canina rabie, mores ipſorum vitæ planè aduerſos, lacerare atque proſcindere: Cumque nihil poſſent aliud, nouis quibuſdam à ſe confictis nominibus, eas appellare: quemadmodùm olim

Iudæi Chriſtum *Samaritanum*, & Chriſtianos *Galilæos* dicebant. Neque id mirum. Ægyptij enim abominantur oues; & tenebriones atque malitioſi homines, ſimplicium innocentiam derident, inter pocula & epulas, in ebrietate & crapula vitam abſtinentium proſcindentes. Itaque ſanctus quidam Monachus Ciſtercienſis ordinis, in Alnenſi Abbatia Chriſto militans, præ ſimplicitate dubitare cœpit, cuiuſmodi illi eſſent homines, qui inuſitatis nominibus à maleuolis vocarentur. Sed cùm oraret, à Spiritu ſancto reſponſum eſt ei. Inuenientur in fide ſtabiles, & in opere efficaces. Ab eo verò tempore, ſenex ille tanta dilectione illis coniunctus eſt, vt ferre non poſſet ſe præſente malà quippiam de eis dici.] Subdit multa & magna, diuinitùs in fauorem earum patrata; monſtrante Deo, quàm acceptum haberet quod ſanctæ illæ mulieres (vt ait Vitriacus,) in igne poſitæ non arſiſſent; & à licitis voluptatibus, de virorum conſenſu ſe ſubduxiſſent. Et mirum eſt, id potuiſſe ſimplicitatis inter Catholicos notari, cùm tam multi coniuges, communi conſenſu, non vt iſti poſt vſuram coniugij licitarumque voluptatum perceptionem ad aliquod tempus, ſed etiam prorſus illibato pudicitiæ flore ſeruato, perſeuerarint, plerique viventes eodem thoro. Annotaui benè multos in Heteroclitis ſpiritual. parte 1. ſect. 2. puncto 10. titulo *SS. Coniuges, in coniugio Virgines*.

CAPVT XV.

De inſania & deliratione.

INſaniam alicui imponi, non poteſt leue videri cùm Chriſtus Dominus, ſtatuat gehennæ ignis reum, qui dixerit fratri ſuo *fatue*. Tametſi enim non quicunque ioco, aut ſubita animi commotione fatuum pronuntiat alium, reus illicò ſit habendus gehennæ, vt Maldonatus Matth. 5. ad illud *reus erit concilio* benè aduertit: tamen ſecluſis adiunctis ex parte perſonarum, probrum illud extenuantibus, probrum eſt planè graue, quodque omnibus ritè perpenſis, poſſit aliquando aſſurgere ad lethalem culpam, reatum gehennæ inuehentem. Eſt ſanè inſania, deiectio de ſtatu hominis, qui à ratione expedita ducit eſſentiam. Ac proinde (vt capite ſuperiori attingebam,) notari inſaniæ, eſt annumerari pecudibus, Quòd ſi ſeruus, iuxta Ariſtotelis doctrinam de ſeruis à natura, quia minuitur ſenſu, nec ſatis prudentiæ habet ad regendum ſeipſum, debet alieno ductu viuere; & vt alibi dictum eſt, non cenſetur in hominum numero, ſed annumeratur iis qui non ſunt: perſpicuum eſt, eum qui ſtultitiæ notatur, eo ipſo dignum pronuntiari, qui addicatur ſeruituti, & deſinat computari inter homines. Hoc ergo tam infami, tamque tetro probro, ſanctorum natio ſapè ſæpiùs eſt inquinata, vt exempla quæ ſubiicio teſtatum reddent.

Eliſæus, ab impiis Iudæis, tanquam veſanus & emotæ mentis habitus eſt, vt intelligitur ex petulanti appellatione per pueros 4. Reg. 2. *Cum aſcenderet per viam,* (ait Scriptor ſacer de Eliſæo,) *pueri egreſſi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes, aſcende calue: Qui cùm reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros*. Indignatio Eliſæi, non tam ſpectabat ætatulam illam, quàm parentes, quorum iudicia de Eliſæo, petulci pueri combiberant, & iterabant vocibus ſuis. Ac proinde quod creditus Iuſtinus q. 80. ad Orthod. notauit, ea paruulorum vrſis in prædam conceſſorum laceratio, pœna fuit parentum: quos etiam pueris autores directè fuiſſe, vt S. Prophetam ſic irriderent,

irriderent, cenſuit S. Auguſtinus ſerm. 204 de tempo. Caluitiam porrò, quod puſiones Eliſæo obiectabant, veſaniam ſignificaſſe, Gaſpar Sancius 4. Reg. 2. num. 56. & ſeqq. eruditè monſtrat. Nam ſiue à natura, ſiue ex inſtituto Prophetico, Eliſæus caluus eſſet, (de quo non liquet;) tamen de mente parentum à quibus hauſtas voces referebant paruuli, laborabat inſania; iuxta illud quod ibidem cap 9. de ſubmiſſo per eum vno è ſuis ad Iehu, dictum eſt, *quid venit inſanus iſte, ad te?* Sanè Moriones dictos *caluos*, ex l. 12. tabularum eruit Nonius Marcellus; Et Perſius Satyra 1. agens non cum homine è cuius capite abeſſent capilli, ſed cum ſtolido & fatuo, ait,

——— *Nugaris, cùm tibi calue*
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.

Quantumuis igitur obnitatur in contrarium Syneſius pro caluitio certans, & ſapientiæ notam eſſe decernens; tamen pleriſque omnibus veterum, alia ſedit ſententia; & caluitium ob intectum caput, & faciliorem cerebri incommodationem, in mentis emotæ argumentum ceſſit. Eliſæus ergo aſcendens in Bethel, vbi maximè feruebat Idololatria vitulorum à Ieroboamo erectorum in Deos, à puellulis dementiæ & veſaniæ notatus eſt, non tam ex ſua quàm ex parentum ſic loqui ſolitorum ſententia, cùm tamen Eliſæus ſaperet quæ Dei erant, & in eo completus eſſet ſpiritus Eliæ, vt dixit Syracides cap. 48. vbi de eius laudibus inſigniter. Sed filiis huius ſeculi, ſapientia carnis quæ mors eſt & Deo aduerſatur, aliam proponit Ideam ſapientiæ, quàm veritas ferat, & Deus agnoſcat. Itaque ſicut quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus (iuxta Apoſtolum,) ita quod homines à diuinis regulis auerſi damnant inſaniæ, apud Deum eſt ſapientia.

Filij Prophetarum, qui inter Hebræos ſegregem & veluti Religioſam vitam viuebant, habebantur à vulgo inſani, vt monſtrat illud 4. Reg. 9. à domeſticis Ioram dictum Iehu, cùm eum vnus è filiis prophetarum, miſſus ab Eliſæo, ſeduxiſſet, renunciaturus ei diuinam voluntatem de clade domus Achab. *Quid venit inſanus iſte ad te?* Putat ibi Sancius, *inſanum* eo loco dici pro *fatidico*. Quidam enim iuxta Platonem in Phædro, diuino beneficio inſaniunt, vt Prophetæ, & Sibyllæ. Quod dictum eſt iuxta eam ſententiam, quæ Prophetas eſſe arreptitios exiſtimat, vt inſinuatur à Semeia Nehelamite Ierem. 29. v. 26. Pluribus eam exiſtimationem conuellunt Pamelius parado. 18. Tertulliani, Chriſtophorus Caſtro l. 3. de Vatic. cap. 12. Iulius Rugerius de vniuerſo Dei verbo cap. 14. Caſtro *Propheta* hær. 2. Suarez l. 2. de orat. cap. 19. num 27. & Patres quos ſigno in Natur. Theol. diſt. 4. n. 70. optimè S. Chryſoſtomus in pſal. 44. *ad initium.* Iuxta eam ergo falſam de prophetantibus opinionem, putat Sancius, dictum *inſanum*, eum Eliſæi nuntium, id eſt propheram, ſed vanum & ludificatorem. Nam addunt ſtatim iidem ſanniones, percunctari quid dixiſſet; *falſum eſt, ſed magis narra nobis:* quaſi pro ſomnio audituri, quod ille vt propheriam iactaſſet. Poteſt nihilominus inſania illa, accipi vt verba ſonant, cuius notarentur Prophetarum filij, auerſi à ſeculo & ſeculi moribus. Quod eo maximè corruptiſſimo tempore, vigente per Iezabelem idololatria, valuiſſe apud Iſraëlitas carneos homines, non eſt dubium. Animalibus namque hominibus, vita addictior diuino cultui, cùm aliqua victus & veſtitus horriditate, qualem filij Prophetarum profitebantur, ſtultitia eſt & inſania.

Chriſtus Dominus, (quod non abſque præuia veniæ apprecatione referendum eſt,) furoris & inſaniæ calumniam

à ſuis eſt paſſus. Nam Marci 3. cùm maximè ferueret Chriſti prædicatio, *audientes ſui, exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem verſus eſt.* Sui illi, non erant Apoſtoli, quidquid Zuinglius contendat; ſed erant cognati & affines Chriſti ſecundum carnem, qui tanta patiantem Chriſtum audientes, retulerunt ad mentis emotionem & furorem, quod diuino Spiritui aſſignandum erat. Et veriſimile eſt, quod Theophylactus ibi affirmat, viſum illis eſſe, Chriſtum habere dæmonium, vi cuius extra ſe factus, tanta ederet ſupra communem hominum poteſtatem. Hæc verò erat calumnia, & blaſphema, & inſaniæ plena. Nam qui nexus tantorum operum quanta Chriſtus edebat, cum energumeniſmo & inſania? En iudiciorum noſtrorum cæcitatem, & voluntatum malignitatem, quibus Dei ſapientia calumniam ſubiit furoris, & inſaniæ, ac occupationis à Dæmone. Vt habere profectò hîc debeat locum vſus ſanctus Chriſtianorum Africanorum, qui quoties legebatur Euangelium in quo inuſta Chriſto tanta labes refertur, percutiebant pectora, vt refert D. Auguſtinus.

Refert item ſanctus Auguſtinus 22. contra Fauſt. c. 25. [Sacrilegos quoſdam Paganos, reprehendiſſe tanquam ſtultitiam, vel potiùs tanquàm dementiam Chriſti, quia tempore anni non congruo, poma quæſiuit in arbore: Aut pueriliſ cuiuſdam fatuitatis affectum exiſtimaſſe, quòd inclinato capite, digito ſcribebat in terra, & cùm hominibus interrogantibus reſpondiſſet, ruſus hoc facere cœpit.] Sacrilegas haſce de Chriſto calumnias, puerilitatis damnat ſanctus Auguſtinus, nec ſecùs ſe habuiſſe ait, talia de Chriſto effutientes Ethnicos, quàm pueros imperitos in ſchola, qui Virgilio obſtrepunt, quia dixit *Pars in fruſta ſecant*, cùm iuxta Grammaticum Canonem quem ipſi pro magno didicerunt, nomini numeri ſingularis, adiungendum fuiſſet eiuſdem numeri verbum, dicendo, *pars in fruſta ſecat.* Et quia norunt *religionem* dici, culpant Maronem quia geminata litera dixit *Relligione Patrum.* Multò abſurdiùs prædicti Ethnici, ſapientiam Dei inde culpabant fatuitatis & dementiæ, vnde eam maximè ſuſpicere par fuerat. Et ficum quidem areſecit Chriſtus quia fructum non habebat, quamuis non eſſet tempus ficorum, vt Marcus admonuit; ſiue vt generatim oſtenderet, infructuoſos Iudæos eſſe areſeciendos, quod ſanctus Gregorius ſcribens ad Eulogium, ratum habet l. 8. regiſt. epiſtol. 42. & Maldonatus Matth. 21. verſ. 19. ex variis Patribus confirmat: Siue vt oſtenderet ſe peccatum excidiſſe, & cauſam parentalis culpæ per ficum ad nos tranſmiſſæ, planè ſuſtuliſſe, vt ex arcano ſapientum ſermone philoſophatur Iſidor. Peluſ. l. 1. epiſtol. 51. Qui præmiſerat voluiſſe Chriſtum dedocere Iudæos, ſtultum errorem de tanta eius bonitate, vt benefacere duntaxat, non etiam malum irrogare poſſet, etiam ſi res ferret. Origenes homil. 16. in Matth. ſignificatum vult, etiam cum tempus fructuum non adeſt, promendos eſſe Chriſtiano fructus. Eſſe inquam, etiam erga hoſtes à quibus violati ſumus, adhibendũ amorem. Iam ſcriptionem Chriſti in terra, quam Ethnici puerilis fatuitatis damnabant, eodemque ſpiritu ſpurcus ſectarius Theodor. Beza Ioan. 8. *nouitatis & inſolentiæ* inſimulat, nec poſſe vlla ratione ſatis commodè explicari contendit; varij Patres magnæ ſapientiæ refertam agnoſcunt, præſertim Auguſtinus. l. 4. de conſenſu Euang. cap. 10. & tract. 33. in Ioan. Ex quo & aliis, Toletus ibi annot. 5. & Maldonatus ad verſ. 6. proferunt varia, vt quòd accuſatores qui à Deo receſſerant, ſcribendos in terra inſinuaret: quòd in terra fertili, non in lapide, deinceps eſſet ſcripturus, & operam locaturus: quod auertere & eludere prudenter vel-

let

let criminatorum accuſationem. Itaque mera calumnia & infamis blaſphemia fuit, qua Chriſtus ob alterutrum hoc factum, inſipientiæ eſt inſimulatus.

Per tempus paſſionis, eidem calumniæ ſubiacuiſſe Chriſtum Dominum, & tanquam inſanum fuiſſe tractatum, non dubitabit qui aduerterit, Chriſtum ab eodē eſſe illuſum ac ſpretum in ſua taciturnitate triumphali, ac in maiorem contemptionem indutum veſte alba id eſt ſplendenti: Græcè enim eſt λαμπρά: Quod erat dicere, Chriſtum qui ſe Regem iactaret, inſaniuiſſe, eumque in actu exercito proclamare inſanum. Quod ipſum ſignificare voluerunt milites, iiſdem Regis perſonati imitamentis, Chriſtum ſubſannantes, vt factum eſt ab Ægyptiis Alexandrinis, Carabæ illi fatuo de quo in hūc modum Philo l. in Flaccum. [Erat quidem inſanus, nomine Carabas, non ex illo conſpicuo furioſorum genere, ſed leuiore correptus inſaniâ. Is interdiu noctuque oberrabat per compita, nec frigus deuitans, puerorum & adoleſcentum ludibrium. Hunc miſerum propulſum ad gymnaſium, in ſuperiore loco ſtatuunt, vt ſpectari poſſet ab omnibus; moxque capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori ſtoream induunt, pro ſceptro fruſtum arundinis humi ſublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis inſigniis, & in regem transformatum more hiſtrionico, adoleſcentes perticas in humeris geſtantes ſtipabant pro ſatellitio: tum alij ſalutatum accedebant, alij ſibi reddi iura petebant, alij conſulebant eum de republica; poſt hæc acclamatum eſt à circumſtantibus, magnâ voce *Marim* appellantibus, quod nomen Syris ſignificat *dominum*.] His ipſis ludibriis, ſapientia Patris Chriſtus Dominus, ac inanis tanquam inſanus eſt affectus.

S. Petrus, ab impiis quibus fidem Chriſti annuntiabat, pro inſano habitus, & in coronam attonſus eſt, vt ſcribit ſanctus Germanus in rerum Eccleſ. theorica *non multùm ab initio.* Quod tametſi trahi poſſit ad argumentum improbitatis eximiæ, cum Tullio orat. pro Roſcio; iiſque fortaſſis fuerit Domitiani ſcopus, cum teſte Philoſtrato l. 7. Appollonium planum improbiſſimum, coma & barba tonderi iuſſit, nec aliter ſanctum Ioannem Euangeliſtam habuit, vt eſt apud qualemcunque Autorem Prochorum: Tamen poteſt quoque ad inſaniæ ſignificationem aptari: quandoquidem Lucianus in Conuiu. motionem deſcribit raſo capite, paucis tantùm capillis in vertice relictis, erectis in criſtæ modum. Et apud Monachum Sangallenſem l. 2. de vita Caroli Magni, ſic habetur. [Reſponſum accipiens quòd quidam Coccio (Gall. *coquin*,) deraſus, inſultus, & inſaniens, linea tantùm & femoralibus indutus.] Sic ergo ab impiis deriſum velut inſanum Chriſtum Domini, & ſuum in terris Vicarium, Deus verſa in honorem ignominia, gloriæ corona circumdedit, & ab omnibus qui clero adſcriberetur, eandem notam, ſed iam non probroſam, præferri voluit, vt philoſophatur ſanctus Germanus.

S. Paulus Actorum 26. à Feſto Præſule creditus eſt inſanire. Cùm enim de Chriſti reſurrectione diſſeruiſſet, & ſuum ad Chriſtum per obiectam de cœlo ſpeciem, acceſſum narraſſet, tribuens id Feſtus emotioni mentis, præ nimio ſtudio, ait: *Inſanis Paule. Multæ te literæ ad inſaniam conuertunt.* Verum eſt docente Ariſtotele ſect. 30. probl. pleriſque à multis literis inſaniam obtingere, debilitato & emoto per nimiam contentionis aſſiduitatem cerebro, vel præ melancholiæ vbertate, quæ iugem applicationem ad literas neceſſariò affectatur; nigris ac fuliginoſis aſpirationibus occupantibus & euertentibus arcem mentis. Hanc tamen emotionem ſibi verè attribui,

 bui,

Digitized by Google

bui, rectè inficiatus eſt ſanctus Paulus. *Non inſanio* (inquit,) *Optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor.* Feſto animali homini ac peſſimo, nec niſi ratione muneris dicto *Optimo*, inſanire videbatur, qui ſapientiam Dei in myſterio enuntiabat, eratque reuera ſapientiſſimus, vt diffusè proſequuntur qui de eius prærogatiuis diſſerunt. Videſis Cornelium in proœmio ad Epiſtolas Paulinas cap. 30.

Chriſtiani, paſſim habiti ab Ethnicis inſani, & eorum vniuerſa doctrina, nihil aliud habita, quàm ſtultitia & deliratio. Ita ex Autolyco homine Ethnico refert Theophylus Antiochenus l. 2. *initio.* Et l. 3. ait id fuiſſe vulgatum apud Ethnicos omnes, de Chriſtiana religione iudicium. Et diſertè anteriùs Paulus 1. Corinth. 1. prædicationem Chriſtianam de Deo cruci confixo, gentibus ait fuiſſe ſtultitiam. Nec ſemel alibi, notat, placuiſſe Deo, per ſtultitiam prædicationis, & eam ſapientiam quæ animali homini ſtultitia eſt, ſaluos facere credentes. Ipſe Chriſtus apud Iſaiam interprete Apoſtolo Hebr. 2. ait ſe & pueros ſuos, Apoſtolos inquam & prædicatores Euangelij, futuros in portentum, id eſt, numerandos inter deliros, à carnalibus & animalibus. Verùm hæc eſt craſſiſſima calumnia, & quod mundo eſt ſtultitia, Deo vero Iudici, eſt ſapientia, vt Apoſtolus eſt conteſtatus 1. Corinth. 3. Scitè autem Autor Lexici Bibliorum Complutenſium in radice *Sachal*, obſeruauit, appoſitiſſimè ab Apoſtolo dictum eſſe. 1. Corinth. 1. quod gentibus eſt ſtultitia, vocatis ad fidem eſſe ſapientiam: quia mutatis punctis & literis ſymbolicis, eadem vox ſignat ſapientiam, & ſtultitiam: quo putat alluſiſſe ibi Apoſtolum, nec abnuit ad eundem locum Cornelius.

SS. Martyres, paſſim inſaniæ notati leguntur, quod cùm poſſent vita & vitæ deliciis frui, præſertim plerique illuſtriſſimo loco conſtituti, tamen improperium Chriſti anteferrent vniuerſæ ſæculi gloriæ. Vix vlla occurunt antiquiorum Martyrum Acta in quibus eorum conſilium non damnetur inſaniæ. Sed ſuam inſaniam in eo iudicio agnoſcent tandem aliquando impij, iuxta illud Sapientis c. 5. cùm de magna conſtantia iuſtorum ſtantium aduerſùs eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum; déque timore horribili impiorum, mirantium in ſubitatione inſperatæ ſalutis proborum, & dicentium intra ſe, non abſque pœnitentia & gemitibus, *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Erat hæc inſania falſa, & veriſſima ſapientia, non de earum falſarum inſaniarum numero ob quas repudiatas, Pſaltes beatum pronuntiat virum pium, contectûs à ſancto Maximo homil. de Calend. Ianuar. qui *inſanias veras* dictum maluiſſet. Iuſtorum igitur inſania, verè falſa & calumnioſè impoſita erat; cùm hoc denique ſit ſapere, Dei amorem per aſpera quæque retinere, ac vel ſi idcirco mors oppetenda, & ſanguis ad vltimam vſque cruoris guttam profundendus eſſet.

S. Baſilius, dementiæ temporariæ inſimulatus eſt. Refert ipſemet epiſt. 86. quæ eſt ad Boſporium. Cùm enim præmiſiſſet, quàm malignè diſſeminatum eſſet, quòd Dianæum in pace Catholica defunctum anathematizaſſet, addit [Non contenti ſunt iſto figmento, niſi & hoc tragico more adiiciant, quod factus ſim aliquando ita demens, vt ipſa mea verba haud intellexerim.] De ſumma ſancti Baſilij ſapientia hanc calumniam abundantiſſimè diſpellente, fruſtra conquirerentur teſtimonia: cùm conſtet, illum & humanæ & diuinæ ſapientiæ veluti miraculum, æuo ſuo claruiſſe.

S. Martinus à Brictio tunc iuuene poſtea eius ſucceſſore & ſancto; pro deliro

&

Digitized by Google

& amente eſt habitus, ita vt aliquando roganti cuipiam externo vbi eſſet ſanctus Martinus, reſponſum dederit, [Si delirum illum quæris, proſpice eminus. Ecce cœlum ſolitè ſicut amens reſpicit.] Reprehenſus verò à ſancto Martino, qui in ſpiritu Dei calumniantem audierat, & de futura in Epiſcopatu ſucceſſione multis aſperitatibus reſpergenda certior factus ſubintulit, apud ſe. [Nonne verum dixi, iſtum verba delira proferre ?] Sed & Presbyterij honore præditus, (addit Gregorius Turon. ex quo iſta habemus 2. hiſtor. Franco. cap. 1.) ſæpiùs beatum virum conuiciis laceſſiuit.] Nempe vocans amentem, & delirum. Agnouit denique in ærumnis ſeptennibus peccatum ſuum ingenuè profeſſus : [Meritò hæc patior, quia peccaui in ſanctum Dei, & eum delirum & amentem ſæpè putaui.]

SS. Monachi inſaniæ plerumque per calumniam ſolim ſunt inſimulati. Habemus luculentum huius calumniæ argumentum, apud Rutilium Numatianum, Poëtam Ethnicum, qui profugus in Italiam, à cladibus quas Stiliconis proditio Galliæ intulerat, cum pacatis vtcunque rebus regrederetur in Patriam, deſcripſit carmine ſuum Itinerarium; & agens de Monachis Inſulæ Caprariæ à ſancto Auguſtino valdè celebratis, ſic ſcribit.

Proceſſu Pelagi, iam ſe Capraria tollit:
Squallet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe Monachos Graio cognomine dicunt,
Quod ſoli nullo viuere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur:
Quis tam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?
Quænam peruerſi rabies tam ſtulta cerebri?
Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Siue ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimia bilis morbum aſſignauit Homerus,
Bellerophonteis ſollicitudinibus.
Nam iuueni offenſo ſæui poſt tela doloris
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.

Erras mi homo, erras. Non eſt hæc cauſa Monaſticæ ſeceſſionis, ſed quia non cognouerunt viri ſapientiſſimi iuſtitiam & veritatem eſſe in ſæculo, imò contradictionem & iniquitatem affluere in ciuitatibus, elongauerunt fugientes, & manſerunt in ſolitudine, eaque ratione probarunt ſe eſſe verè ſapientes, facti iuxta ſæculi fallacem rubricam, ſtulti. Id quod ferebat Apoſtoli monitum *ſi quis vult ſapiens eſſe inter vos, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens* [Quid eſt hoc, (inquit Eucher. in calce homiliæ de Pentecoſte) *ſtultus fiat vt ſit ſapiens?* An non videtur aliquãdo ſtultus homo quando amore ſalutis ſuæ & cœleſtris emore iudicij, vitiis impletus, diuerſa vitæ huius oblectamenta quæ ſolebat ambire refugit, quæ ſolebat cõgregare contemnit, imò per ſinus pauperũ ſeminantis more diſpergit; affluentia offenditur, inedia paſcitur, ieiuniis delectatur, corde humiliatur, habitu mutatur, effectum præſentium deſpiciens, & ſpem auidus ſequens, dimittit quod poſſeſſione tenet, & quærit cogitatione quod non videt, animum cœlo inferens. quod amauit, odit; ſtudet velle quod noluit. Trahit enim poſt ſe cor illius, eruditiones & fidelium veridica promiſſa ſanctorum, de quibus dictum eſt, *vt ſeductores & veraces.* Quare ſeductores. Quia docent hominem deſpicere quod habet, & ſperare quod non habet. Quæ oculis expoſita ſunt, auerſis & clauſis ſenſibus præterire; & quæ ab oculis remota ſunt, inexplebilibus deſideriis explorare.] Diceres contundi ab Eucherio, non ita multò antè, talia blaterantem Rutilium.

S. Hiero

S. Hieronymus à Bartholomæo Cauſæo in Clypeo fidei dialo. 6. 7. & 8. dicitur fuiſſe *homo furioſus, mente alienatus, ſtolidarum, rabidarum, inſanarum, & infelicium ſententiarū propola* Præiuerat huic tenebrioni de Caluini ganea, auus eius Lutherus, qui in Opere de ſeruo arbitrio, ait S. Hieronymum fuiſſe *hominem nullius iudicij*. Alibi ſcribens ad Seuerinum Monachum, cunctatiorem in excutiendo cucullo, quàm ferret Lutheri impetus, (extat epiſtola tom. 2. pag. 351.) diſertè S. Hieronymum habet pro inſano, qui caſtitatis & virginitatis decora vrgeat, quam porcus iſte volutabro luti aſſuetus, habet pro re impoſſibili. Video (inquit,) Hieronymum in Monaſtice & in cœlibatu, *nihil penitus Chriſtiani fuiſſe indicij*. Nam qui auſus eſt Monaſticen comparare baptiſmati, *totus inſaniuit, & ſenſu etiam communi caruit, vt ſtipitem potiùs quàm beſtiam dixeris talia garrientem.*]

Non ſunt hæ calumniæ, & ſimiles in alios ſanctos intortæ, confutatione dignæ: ac ne audiendæ quidem ſunt, cum patientia. Quis enim ferat Quintinum Libertinorum in Gallia anteſignanum, referente Caluino contra Sectam Libertinorum c. 9. pronuntiantem quod *Ioannes Euangeliſta* fuerit *iuuenis ſtolidus*, nec concitetur animo? Quis non ſuccenſeat Hateroni Lutherano Ioanni Bugenbagio ad cap. 3. Ionæ, ſcribenti, *Dionyſium Areopagitam*, quem Catholici vt eximium Doctorem venerantur, fuiſſe reuera *Aſinum Cumanum* Eundem *delirum ſenem, & ſomniorum confictorem* dixerat Bartholomæus Cauſæus dialo. 11. Clypei fidei. Hæ maledicentiſſimorum pecorum calumniæ, ſeipſis concidunt, nec tam confutatione quàm execratione ſunt excipiendæ.

In Epiſtola de miraculis S. Hieronymi, quæ legitur tomo 9. adſcripta perperam Cyrillo Hieroſolymitano, narratur diffuſè calumnia quam pia Monialis ſuſtinuit, habita inſana, eo quòd ex reuelatione ſancti Hieronymi, exitium Monaſterio prænuntiaret, niſi ſimonia indidem exterminaretur, & puellæ deinceps abſque pretio cooptarentur. Eamque calumniam obtritione parthenonis dilutam eſſe, *ibidem* narratur.

S. Paulinus, homo ſanguine, titulis, opibúſque clariſſimus, quòd calcato faſtu mundano vilitatem Crucis amplexatus eſſet, raro exemplo quod omnes tunc mortales perculit, inſanire creditus eſt. Teſtatur id ipſemet Epiſtola 4. ad Auſonium (eſt duodecimum inter poëmata.) Malè habebat Auſonium, Paulini quondam Magiſtrum, quòd S. Paulinus eam vitæ rationem iniuiſſet: & multos quoque grauiſſimè tuliſſe eam mutationem, teſtatur ſanctus Ambroſius Epiſtola ad Sabinum. Itaque pro more carnalium hominum, (cuiuſmodi fuiſſe Auſonium, tametſi Chriſtianum, docent eius nonnullæ ſcriptiones parum Chriſtianæ quia parum caſtæ;) cauſabantur in ſancto Paulino, eiuſque pia coniuge Teraſia eorundem inſtitutorum conſorte, errorem mentis; id eſt inſaniam, & cerebri emotionem. Hoc à ſe depellit eo car. 12. ſanctus Paulinus, his præter cætera.

Ne me igitur, venerande parens, his vt male verſum
Increpites ſtudiis, neque me vel coniuge carpas,
Vel mentis vitio: non anxia Bellerophontis,
Mens eſt, nec Tanaquil mihi, ſed Lucretia coniux.
Nec mihi nunc patrij eſt, (vt vis,) obliuio cœli,
Qui ſummum ſuſpecto Patrem, quem qui colit vnum,
Hic verè memor eſt cœli. Crede ergo, pater, nos,
Nec cœli immemores, nec viuere mentis egentes.

Negat ſibi Teraſiam eſſe Tanaquilem, concedens

concedens eſſe Lucretiam, id eſt caſtam & fortem ac fidam comitem, viri amantiſſimam; quia Tanaquil Tarquinio dominabatur. Vnde vxores quæ maritis quaſi imperabant *Tanaquiles* denominabantur, vt notat Ioſephus Scaliger l. 1. Auſonian. lect. cap. 16. Barditatem ergo & veſaniam, à ſe amolitur Paulinus: negans ſe (vt Auſonius inſinuarat,) adductum in eum ſtatum à Teraſiæ fatuitate. Et inferiùs, iudicium Auſonij calcans.

Non reor id ſano ſic diſplicuiſſe parenti,
Mentis vt errorem credat, ſic viuere Chriſto,
Vt Chriſtus ſanxit. Iuuat hoc, nec pœnitet huius,
Erroris; ſtultus diuerſa ſequentibus eſſe,
Nil moror, æterno mea dum ſententia Regi
Sit ſapiens Breue quicquid homo eſt, vt corporis ægri,
Temporis occidui, & ſine Chriſto puluis & vmbra:
Quod probat aut damnat, tanti eſt, quanti arbiter ipſe,
Ipſe obit, atque illi ſuus eſt comitabilis error,
Cúmque ſuo moriens ſententia iudice tranſit.

In hanc calumniam, quæ in pleroſque inſignes viros iam olim conjecta eſt, & etiamnum conjicitur, egregia eſt ſancti Paulini Epiſtola ad Aprum, (eſt numero 29.) qua ſanctum illum à Tribunalibus tranſeuntem ad Chriſtum, non ſine multorum ſannis, firmat in ſuſcepto conſilio, monſtrans nominatim, quod homines humi hærentes iis detraherent, *vt inanibus & ſtultis*, quos Dei ſapientia imbuiſſet altioribus ſenſibus, floccifaciendum & deſpiciendum eſſe. *Inanes* vocabant, quos inſaniæ falsò damnabant: quia inſania ex vacuitate cerebri exiſtit, ſiue pauperies & penuria ſpirituum, quorum tanta eſt ad phantaſiæ operationes neceſſitas, eam inanitatem conſtituat, ſiue parcitas ſubſtantiæ cerebri, cui phantaſia implantatur. Oblæſionem porrò phantaſiæ, in hoc ſtatu adiunctam habere inſaniam, ob potentiarum connexionem alibi monſtratur. Itaque ſanctos illos dictos eſſe *inanes*, perinde fuit, ac dici ſtultos & inſanos. Et quanquam Caninius de locis noui Teſtament. cap. 7. inanitatem hanc verbo *Richa*, ſeu *Racha* à Syris & Hebræis expreſſam de aliquali potiùs ſtultitia & inſulſitate accipiat, cuiuſmodi eſt qua ſæpè vocamus aliquem *pauperem ſtultum*, tamen id nobis eſt perinde.

S. Paula mater S. Euſtochij, ex D. Hieronymi ſcriptis notiſſima, quòd ea faceret quæ ſæculi legibus & mundanæ ſapientiæ non probarentur, habita eſt inſana, à nonnullis. Teſtatur hoc ſanctus Hieronymus epiſtol. 27. quæ eſt monodia ipſius B. Paulæ, vbi egregiam eiuſdem aduersùs hanc calumniam animi erectionem, his verbis aperit. [Noui ſuſurronem quendam, (quod genus hominum pernicioſiſſimum eſt,) quaſi beneuolum nunciaſſe, quòd pro nimio feruore virtutum, quibuſdam videretur inſana, & cerebrum illius dicerent confouendum. Cui illa reſpondit: *Theatrum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Et: *Nos ſtulti propter Chriſtum: Sed ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus.* Vnde & Saluator loquitur ad Patrem: *Tu ſcis inſipientiam meam.* Et iterum: *Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis: vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Quem in Euangelio & propinqui quaſi mentis impotem, ligare cupiebant, & aduerſarij ſugillabant, dicentes: *Dæmonium habet, & Samaritanus eſt.* Et: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Sed nos audiamus Apoſtolum cohortantem. *Hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*: quoniam in ſanctitate, & ſynceritate, & in gratia Dei conuerſati ſumus in mundo. Si enim eſſetis de mundo, amaret vtique mundus

Digitized by Google

quod ſuum erat. Et ad ipſum Dominum verba vertebat: Tu noſti cordis abſcondita, & hæc omnia venerunt ſuper nos, nec ſumus obliti tui, nec iniquè egimus in teſtamento tuo, nec auerſum eſt retrorſum cor noſtrum. Et: propter te mortificati ſumus tota die.]

Marcus cognomento *Salus*, id eſt fatuus, quòd ab omnibus fatuus diceretur, qui verè erat ſapiens. Alexandriæ nudus toto corpore præter tectam naturæ verecundiam, diuerſabatur in foro inter pleroſque reipſa fatuos. Atqui Daniel ſenex magnæ ſanctitatis, feſta die ex eremo in vrbem progreſſus, in Marcum incidit; quem ex diuina monitione corripuit, & renitentem accitis in auxilium ciuibus, firmiter retinuit. Vrgentibus verò Danielem ciuibus, vt ab homine inſano ſecederet, ne qua contumelia ab eo afficeretur; [Vos (inquit Daniel,) inſani eſtis. Ego quippè nullum hodie in tota ciuitate, præter hunc, ſapientem inueni.] Vitis item nonnullis è ſacro Ordine, eadem petitione Danielem pulſantibus, & quid ſibi cum ſtulto vellet inquirentibus, inſtitit vt Marci ſapientiam per Patriarcham cognoſcerent. Abductus ad Patriarcham Marcus, & adiuratione interpoſita adactus fateri quod erat, deprehenſus eſt inſignis Dei ſeruus; quem Deus poſtridiè placidiſſimè efflaturum animam, volnerat agnoſci quod erat; calumnioſis de eo iudiciis obtritis, & falſa de eo tanquam inſano exiſtimatione, in venerationem apud omnes commutata. Recitat hæc omnia ex M. S. Græco Codice Auguſtano Raderus 2. part. Virid. SS. c. 3. vbi de aliis fatuitatem ementitis plura. Sed vix illuſtrius proferri poteſt exemplum, quam ſancti Simeonis cognomento *Sali* id eſt *fatui*, qui ſtultus haberi voluit vt eſſet ſapiens, vt ſcripſit Leontius Cyprius laudatus Actor. 4. Synodi 2. Nicenæ, necnon Euagrius l. 4. cap. 33. Sed hæc exempla parciùs refero, quod minùs in eis micet calumnia, quæ non tantùm falſi probri intorſio eſt, ſed etiam maligna.

S. Plato Monachus referente ſancto Theodoro Studita in eius encomio, ab impiis hominibus, dictus eſt *delirare*. Cùm enim Conſtantinus filius Irenes, abiecta vxore legitima adulterinum coniugium iniuiſſet, & eo nomine (applaudentibus licet pleriſque omnibus,) à ſancto Platone liberè eſſet increpitus, iuſſit in carcerem compingi ſanctum Platonem, & pane tribulationis, ac anguſtiæ aqua ibidem refici, non dimittendum donec coniugium ritè initum probaret. Quis crederet, Præfectos Monachorum, in gratiam Imperatoris, ſanctum Platonem eſſe inſectatos, & vti ſeruum non à ſuis tantùm conſanguineis, ſed etiam à falſi nominis Monachis, habitum eſſe inſanum, qui cum tanto diſcrimine, cupiditates Imperatoris ſugillaret? Verè ſapientia carnis, (iuxta Apoſtolum,) mors eſt. Ea verò inſana & mortifera ſapientia, non eos duntaxat qui ſæculo merent, ſed plerunque homines in ſpeciem mundo mortuos occupat. Ab his ergo ex politiciſmi & carnalis prudentiæ, (verè ſtultitiæ,) legibus, omnia mentientibus, ſanctus Plato in magna conſtantia ſtans aduerſus impuros ignes Imperatoris, inſanus eſt habitus; ſed per atrocem calumniam, quàm ipſi poſtmodùm qui illiuerant abſterſerunt; agnoſcentes quàm ſapienter egiſſet vir ſanctus, nequaquam tempori cedens; cùm haud ita multò poſt, multato Conſtantino, Irene mater habenas reſumpſiſſet imperij; & ſanctum Platonem, quo par erat honore, reſtituiſſet in integrum.

S. Eduardus Rex Angliæ, fatuus & inſanus eſt habitus, quòd homini contracto, ex reuelatione aſſuiſſet, geſtans eum ad Eccleſiam. Audi Aelredum in ſancti Regis Actis §. *Sanctus autem Eduardus* 5. Ianuarij. [Cùm in palatio iuxta Eccleſiam

Digitized by Google

cleſiam beati Petri rex aliquando moraretur, ſuperuenit quidam vir mirabilis, Hybernicus genere, pedis vtriuſque priuatus officio: (nerui enim in poplite contracti, ad poſteriores corporis partes crura retorſerant, tali natibus inhæſerant, immerſione carnibus pedum articuli à lumbis eius & deorſum corpus omne peruerterant; Porrectis ad terram manibus & ſcamnis ſuppoſitis repebat, & factus ſibimetipſi grauis, trahebat ſe poſt ſe:) Hic videns regis cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me reſpicis, nec miſereberis, nec mouebit te mea tanta calamitas. Et ille. Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit, Apoſtolorum limina repens (vt cernis) viſitaui, & ſanitatem, necdum promerui. Quam tamen mihi Apoſtolorum Princeps non negauit, ſed diſtulit, ſocium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem ſibi nouit in omnibus eſſe deuotum. Ab ipſo enim Apoſtolo in mandatis accepi regem adire, vt me ſuo ſacro ſubuectum dorſo, ad Eccleſiam eius, quæ palatio vicina eſt, perferat; recepturum, ſi id fecerit, membrorum meorum integram ſanitatem. Hæc vbi nuntiata ſunt Regi, gratias agit Deo, & citatus mox æger acceſſit. Rex verò, vt ſpiritalis ille aſinus fortis, accubans in terminis, ſuppoſuit humeros ſuos ad portandum: Pendet de humero tanti Principis plenus ſordibus pauper, ſqualidis manibus brachiiſque ſquamoſis, regium illud pectus collúmque complectitur. Interea ex aſſiſtentibus ridebant nonnulli; alij à paupere regem deluſum iocabantur, alij ſimplicitatem iuſti fatuitatem iudicabant. Cùm itaque Rex paululum proceſſiſſet, ſubitò nerui extenduntur, rigantur oſſa, carnes marcidæ recaleſcunt, emergunt à carne articuli, pedes à natibus ſoluuntur. Diſtendit homo crura, poplite iam flexibili, & ſanie cum ſanguine profluente, veſtis regia ornatur potiùs quàm fœdatur. Iam tunc ſatis eſſe clamant omnes, ſanatum languidum, onus ob ſordes vlcerum deponendum. Ille verò memor præcepti quod ſuſceperat, Syrenarum cantus obturatâ aure pertranſiit, ingreſſuſque Eccleſiam, ante ſanctum altare, holocauſtum, quod detulerat, Deo ac beato Petro reſignat, incolumemque demiſit. Suſcepto autem à Rege itineris viatico, acturus gratias Deo, & Sancto Petro, Romam profectus eſt.]

Gualterus Gulielmi ſecundi Siciliæ Regis Capellanus, & Confeſſarius, cùm eum Regem licentiùs ſe gerentem, nec à ſacris manus abſtinentem, officij ſemel & iterum commonuiſſet, inſanus à rege eſt pronuntiatus. Eam calumniam ſic diluit Petrus Bleſenſis epiſt. 10. quæ eſt ad ipſum Gualterum. [Quòd inſanum te reputat, non mirare: non eſt mirum, ſi inſanus alios exiſtimet inſanire. Certè cùm quidam filius prophetarũ inunxiſſet Iehu in Regem, quæſierunt alij dicentes: *ad quid venit inſanus iſte ad te?* Sic apud eos, quorum interiores oculi ambitione, vel inuidiâ excæcantur, vileſcit ſermo Dominicus, & verba vitæ ædificatiua, veſaniæ adſcribuntur.]

S. Franciſcus, referente S. Bonauentura in eius Actis cap. 2. cùm omnia propter Chriſtum calcaſſet, à ciuibus ſuis habitus eſt inſanus; eúmque tanquam dementem & abalienatum animo, lapidibus & luto impetiuerunt, plerique petulci, inſultantes clamoſis vocibus. Patereius imprimis, pro inſano illum habuit, & idcirco vinculis mancipauit, nec ſecùs ac inſanum tractauit, cùm tamen tunc maximè ſaperet. Eadem ſorte poſtea fuit ſancti Patris alumnus beatus Iacoponus, quem ex nobili Aduocato, agnita vxoris ſanctitate, nobiliorem Dei famulum, Tudertini apud quos natus erat, & diu clarnerat, ſed nominatim qui eum neceſſitudine attingebant, habuere pro inſano; cùm aduerſis ſæculo itineribus inſiſteret,

Digitized by Google

& ſapientiſſimè de falſa mundi prudentia triumpharet.

Chriſtiana mirabilis cuius Acta Thomas Cantipratanus deſcripſit, cum ſpiritu Dei pleraque efficeret à communi hominum ſenſu aliena à ſuis furens & inſana eſt habita. Sed eius ſecundùm Deum inſignem ſapientiam Deus ipſe multis argumentis quæ idem Cantipratanus exhibet, teſtatam dedit.

CAPVT XVI.

De Blanditia & mollitudine, per iuſto auctiorem, carnis curam, & captatas deliciolas.

DIfficilè eſt, in cura carnis, & fouendi corporis ſtudio auream mediocritatem tenere. Vtrumque enim extremum eſt vitioſum, vt ſanctus Gregorius rectè notauit l. 30. moral. cap. 28. Extremum tamen vitioſum, in quod procliuius & frequentius eſt labi, illud eſt, quo nimium carni ſuæ quis abblanditur, armans ſibi hoſtem, quaſi non ſufficeret corpori malitia ſua, vt Nazianzenus orat. 44. optimè monuit; illud inſuper præclarè addens; [Quid flammæ ampliore materia opus eſt, vt belluæ copioſiore alimento, vt effrenatior reddatur ac violentior?] Differo de huius probri turpitudine, plenè l. 6. de virtut. à num. 50. Cùm autem vbiuis hæc labes ſordeat, præſertim tamen probroſa eſt in Religioſis perſonis, & Chriſtianam perfectionem profitentibus; quarum eſſet, ſancto odio atque perfecto, (vt Dauid loquitur,) maledictam hanc carnem, totius turpitudinis noſtræ cœnoſiſſimum fontem, proſequi. S Bernard. ſerm. 30. in Cant. validè conclamat aduersùs eos religioſos qui præ hac immodica ſui cura meticuloſiores iuſto ſunt circa eſcas & potiones, ac idcirco miſerè, quia medicè, viuunt: Sed & Petrus Bleſenſis in c. 1. Iobi, ad illud *conſurgens diluculo offerebat holocauſta per ſingulos,* præclarè in eandem ſententiam diſſerit, his præter cætera. [Si inuenerit Religioſus, circa ſe, aut pulſum velocem, aut vrinam intenſam, aut hebetem appetitum, conſulit Medicos, examinat ſpecies, electuaria facit, nullis vtitur *ſalſamentis* quæ non ſint condita ex cinnamomo, & caryophillo, & nuce muſcata. O quàm odioſum eſt, in homine, quòd qui ſemper de Hierarchia cœleſti debuerat loqui, de hiera picra, & hiera Logadij, diſputare diſcit! Religioſus talis, diſcipulus potiùs eſt Epicuri quàm Chriſti. Hoc capiti, (inquit,) hoc oculis, hoc ſtomacho, hoc hepati nocet. Butyrum conuertibilis eſt naturæ, cereuiſia ventos facit, caules melancholici ſunt, porri choleram accendunt, piſa guttam generant, faba conſtipat, lentes excæcant, caſeus vniuerſaliter eſt peſſimus. Diu ad orationem ſtare, neruos debilitat, ieiunare cerebrum turbat, vigilare deſiccat. Numquid inueniuntur iſtæ differentiæ in Euangelio, aut Prophetis? Certè non habet hoc inſtitutio beati Benedicti, ſed miſeris hoc reuelat caro & ſanguis.] Liquet ex iſtis, probroſum eſſe homini perfectionem profitenti, ſollicitiorem ſe præbere in fouendo corpore: & pro retinenda valetudine ſatagere cum anxietate, vel deliciolis quibuſdam capi conditionem ac ſtatum hominis dedecentibus, aut indulgere ſibi in voluptatum ad ſolam mollitudinem pertinentium conſectatione: quæ omnia effœminationem redolent, & animi eneruationem viro indignam. Notari tamen perperam ſunt per calumniam, viri inſignes, qui hac labe ſorderent: vt ex paucis exemplis quæ ſubiicio, manifeſtum erit.

S. Ioannes Euangeliſta referente Abbate Abrahamo collat. 24. cap. 21. feſſum laboribus animum, remittebat tantiſper, luſitans cum perdice, eamque manibus molliter mulcens. Scandalum in ea remiſſione ſancti Apoſtoli, paſſus eſt

iuuenis

iuuenis habitu venatorio; nec continuit ſeſe quominus hominem tantæ opinionis ac famæ, tam incongruè captantem oblectatiunculam illam, mollitudinis notaret. Sed erat calumnioſa ſugillatio. Neque enim nonnulla relaxatio animi, quæ ſuccubituram oneri & laboribus perſonam leuet, & ad diuturniorem laborum toletantiam roboret, damnanda eſt mollitudinis. Ipſe Apoſtolus inſulſitatem huius calumniæ, optimè reuicit. Conſpicatus enim in venatoris huius manu, arcum; cur (ait,) non eum ſemper circumfers? Reponente venatore, remitti abs ſe ex neceſſitate arcum, ne iugi curuamine rigoris fortitudo molleſcat atque laxata depereat, & cùm oportuerit vt fortiora in aliquam feram ſpicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ tenſionis amiſſo, violentior ictus non poſſit emitti: [Nec noſtri (inquit B. Ioannes,) animi te offendat, ô iuuenis, tam parua hæc breuiſque laxatio: quæ niſi remiſſione quadam rigorem intenſionis ſuæ, interdum releuet ac relaxet, irremiſſo vigore lenteſcens, virtuti ſpiritus, cùm res poſcit, obſecundare non poterit.] ſufficiens planè calumniæ illius depulſio, in quam rem plura l.6. de virt. ſect. 2. c. 11. & Middendorpius in Hiſtória Monaſt. c. 23.

Religioſi & quique addictiores pietati, cùm naturæ neceſſitatibus indulgent, etiamſi adhibita temperatione conueniente, ſcandalum plerunque præbent hominibus carnalibus, quaſi ſint erga ſe blandi ac molles. Vetus hæc eſt hominum cæco ſui amore tenebrarorum querela, vt notauit S. Baſilius cap. 7. Conſtit. Monaſt. Nam cùm ipſi in omnes voluptates aſſiduè mergantur, & epulentur quotidie ſplendidè; nec aliter opiparis menſis per totam vitam inhient, quàm catuli poſt diuturnam eſuriem è vinculis exempti in eſcam protuant: Tamen quòd ſerui parcam & tenuem corporis tractationem adhibeant, ferre non poſſunt, camque neceſſariam ſui curam per aliquam rigoris remiſſionem, damnant mollitudinis & blanditiei; iudicio ſanè calumnioſo, & à veritate alieniſſimo, vt D. Baſilius eo loco ſapientiſſimè proſequitur: Et præmiſerat dignum tanto Aſceticæ diſciplinæ Magiſtro monitum. Neceſſe ſcilicet eſſe, vt in admittendis extraneorum hominum congreſſionibus magna à piis adhibeatur cautio: Certi enim eſſe debent, ſi curioſis hominibus vitam ſuam inſpiciendam expoſuerint, fieri non poſſe quin prauas in ſe calumnias excitent, & ipſi ſibi ipſis ſcandala ſtatuant.

S. Daniel Stylita, cùm occaſione periclitantis Conſtantinopoli fidei Catholicæ ſub Baſilico Tyranno, inuitatu Acacij Patriarchæ, deſcendiſſet è columna, non poterat pedes incedere. Dedidicerat enim longa ſtatione, incedendi modum: & pedes habebat ea iugi inſiſtentia admodùm malè affectos. Itaque vt obiret legationem qua pro Chriſto fungebatur, adactus eſt portari, ſuccolantibus aliis, ingenti fidelis populi caterua comitante. [Cum autem ſic ſplendidè comitatus, magnus ille Daniel, (ait Metaphraſtes 11. Decemb.) ad locum in quo erat Imperator, peruenit, propè palatia Septimi, vir quidam Gotthus genere, deſuper proſpiciens per feneſtram, cùm ſanctum vidiſſet ſic deduci & portari, eius irridet mollitiem, & ironicè eloquitur; Ecce (inquit) nouus Conſul.] Calumnia erat, viro ſancto malignè impacta, quam ſufficienter reuincebat multitudo ingentium miraculorum, quæ vir Dei edebat identidem. Et vltio diuina Gotthum confeſtim corripiens, manifeſtè idem docuit. Mox enim vt B. Danielem eo felſito ioco tetigit, & mollitudinis notauit, deturbatus è feneſtra, alliſus eſt & humi mortuus iacuit. Quæ adeò ſubita & grauis vindicta tantoperè perculit ſatellites, eiuſdem fortè cum Gotthο gentis, vt dolore ſimul & ira, ac ti-

more, diuerſis omnino affectibus correpti, ſibi & Imperatori ſuo, à viri Dei acceſſu timerent, vt recitat in S. Danielis Actis Metaphraſtes.

Iordanus Saxo, alter à S. Dominico, Ordinis Prædicatorum Magiſter, vir magnus, quem Honorius III. *Magnam Eccleſiæ columnam* denominauit, vt eſt apud Cantipratanum l. 2. Apum cap. 57. num. 43. calumniam mollitudinis ſuſtinuit, & quidem ab ipſo calumniarum patre Diabolo. Rem refero verbis Leandri Alberti, ſcriptoris Actorum Beati huius viri cap. 22. [Cùm in Pedemontium aliquando vir ſanctus deueniſſet, diuturno itineris labore defatigatus, acutiſſimis febribus captus eſt. Diabolus verò non ferens ſancti viri opera inſignia, callidè ei eſt inſidiatus. Audiens vrbis in qua ægrotabat Antiſtes tanti Patris aduentum, hoſpitio eum recepit, & in cubiculum induxit, ac proprio cubili locauit, ſe ratum felicem, ſi tantum hoſpitem apud ſe haberet. Fortè cum venerando Patre, erat quidam cœnobij cuiuſdam Præſidens, quem Priorem appellant, Ordinis noſtri, vir diſcretus, ſolers, prouidus, literas callens, & moribus compoſitus, qui aliquando Medicinæ operam dederat. Is igitur Iordanis patris animum haud ignorans, & ſciens eum in ægrotatione ſibi ipſi rigidiſſimum, dixit; Pater, oportet ægrotum in omnibus Medico ſe ſubmittere, ſi priſtinam nanciſci cupiat ſoſpitatem. Quapropter licèt ſis noſtræ religionis præfectus, & caput; ægrotus præfecturæ autoritatem dimittas, mihique ſubdas & obedias neceſſe eſt. Quod ſi feceris, haud vereor quin breui incolumis hinc exeas. Annuit venerandus Pater humiliter. Præter ergo conſuetudinem Ordinis noſtri, ſuper plumas ægroto quieſcenti, (ſic enim Prior prudens iuſſerat,) nocte Diabolus formam præ ſe ferens Angelicam, apparuit, dicens veluti admirabundus, Eſtne hic Iordanes, fama & opinione apud omnes tam præclarus præfectus & pater tam inſignis Prædicatorum Ordinis? Eſſem anceps, ni antehac te diu nouiſſem. O quàm vilis & impudens factus es, qui quaſi vnus ex dominis orbis terræ, in ſtrato plumeo, & ſericis ornato quieſcis. O infelix, quale Ordini tuo ac fratribus exemplum præbes? Sed non eſt tui Deus in finem oblitus, qui ad te corrigendum, me miſit. Surge igitur è grabato, terræque protinus ſupplex inhæreas. Statimque Diabolo euaneſcente, perterritus Iordanes, in terram corruit; & ſic iacens, poſtquàm illuxit, à Priore & fratribus inuenitur. Quem Prior ſeuerè corripiens, coëgit ex merito obedientiæ, in ſtrato præparato decumbere. Sequenti nocte, iterum Diabolus priſtina forma aſſumpta aſtitit, & duriùs quàm antea redarguit, veluti ſibi inobedientem, moxque ipſum in ſolum deſilire præcepit. Quem cùm mane eius diei, Prior iteratò ſuper ſolum iacere conſpexiſſet, apprimè indignatus, dixit; Miror tuam ſimplicitatem, ne dicam inſcitiam, qui non ſolùm in corporis, ſed & animæ præiudicium, contra obedientiam, hoc facere præſumpſeris. Ego enim Deum, cœli terræque dominum teſtor, quod noluiſſem pro toto terrarum orbe, ſic grauiter contra Deum & ordinem deliquiſſe. Et hæc dicens in fletum maximum prorupit. Quod cernens Venerabilis pater, & ipſe lachrymans procidit ad pedes eius, narrans ei viſiones, ſed magis illuſiones, & qualiter conijcere poterat, Diabolum illum fuiſſe, qui in Angelum lucis fuerat transfiguratus. Prior verò captus admiratione, ac quadam commiſeratione illius, aliquantulum lenitus, iuſſit ipſum, ſtratum aſcendere. Ex hoc enim tantam membrorum debilitatem contraxerat, ſicque humores indurati fuerant, vt vix ſpiritum ad quieſcendum haberet. Tertia nocte Diabolus, vt prioribus affuit: quem

quem vt conſpexit vir ſanctus, (iam in increpationes proruperat,) ait: O nequiſſime generis humani hoſtis, ô impudice canis, ô immunda bellua, quomodò meam auſus es ſimplicitatem deludere, ceu zelum qualemcunque erga Ordinem præ te ferens? Et ego quidem niſi hoc Omnipotentis Dei diſpenſatio permiſiſſet, ſapientiùs aduertiſſem, quòd multo melior eſt obedientia quàm ſtultorum victimæ; & in eius faciem expuens eum fugauit.] Luculenta narratio vnde multa ad religioſi informationem præclara monita peti poſſint. Sed in præſentia ſatis eſt aduertere, obtruſam viro optimo calumniam à Patre calumniarum, quaſi ſibi abblandiens & mollitudine ſolutus carnem foueret immodicè, & deliciolas captaret, cùm tamen iuſta neceſſitas pium virum ad remittendum aliquid de vigore priſtino adegiſſet.

CAPVT XVII.

De Ignauia.

QVantum decus eſt fortitudinis, tantum eſt ignauiæ probrum. Adeò verò exploratum eſt fortitudinis decus, vt virtutis nomen veluti antonomaſticè aptetur fortitudini; eaque omnium prima dicta ſit virtus, vt ex Tullio obſeruat Gulielmus Pariſ. Tract. de virtut. cap. 4. Ignauia igitur quæ fortitudini per defectum aduerſatur, probrum inſigne infert, quod quiſquis erectiore eſt animo, à ſe amolitur pro viribus; tanquam indignum homine, & germanam ignobilitatis notam: ſicut è contrario fortitudo, ferè ſola eſt ad quam mortales admenſi ſemper ſunt nobilitatem, vt diſſerit Tiraquellus tract. de nobil. cap. 8. ſin minùs ex humana ſpecie procul fiunt ignaui, At in ſegniorem eius ſexum degenerare cenſentur, ita vt effœminatio idem ſit quod animi virilis deiectio. Quo pacto non nemo accepit, quod vulgò iactatum eſt de Iohanna Papiſſa Id enim tanquam ſcōma, intortum cenſuerunt in Ioannem VIII. qui Nicolai primi Pontificis ſucceſſor eneruis, tametſi ſexu mas erat, dignus potiùs viſus ſit qui *Ioanna* diceretur. Sicut è contrario S. Franciſcus, nobilem matronam Romanam cui nomen *Iacoba*, non vocabat *Dominam Iacobam*, ſed *fratrem Iacobum*, vt eſt apud Bartholomæum Piſanum l. 3. conformit. fructu 4. parte 2. erat enim generoſiſſima & ſtrenuiſſima in Dei negotio. Et eodem modo Melania & Albina, non rarò ob generoſitatem Chriſtianam dictæ leguntur *Melanius*, & *Albinus*, vt notat Roſuedius ad epiſto. 44. S. Paulini. Qui Sanctorum, per calumniam ſordidum ignauiæ titulum retulerint, paucis perſtringo.

Ioſeph, quòd dominam vltrò ad ſtuprum rapientem repuliſſet, cauſatus heri iniuriam, ignauiæ ac ſeruilis animi ac meticuloſitatis notatus eſt à quibuſdam quos ab ſe auditos refert Benedictus Fernandius in cap. 39. Geneſ. ſect. 4. num. 1. Videbatur quippè illis non niſi à ſeruilis animæ abiectione, manaſſe repudiationem copiæ ſui ipſius ab hera factæ, quam declinatio multorum malorum conſecutura erat, dum mala à Domini ira, ſi rem contingeret reſcire, inferenda extimeſcit. Sed hæc Ioſephi criminatio, eſt peſſimè materiata. Ioſeph enim tantùm abeſt vt ea heræ repulſa, ignauiam aliquam & animi deiectionem prodiderit, vt potiùs ſummam generoſitatem exprompſerit; nec tam ſeruilis ſe ingenij, quàm heram monſtrarit. Notauit hoc egregiè D. Ambroſius l. de Ioſeph cap. 5. vbi expendens quod ſcriptum eſt, *dixit vxori domini ſui*, ait rectè non eſſe vocatam *Dominam*, ſed *vxorem Domini*. [Nam quomodò Domina, quæ Dominandi non habebat affectum, quæ diſciplinam dominæ non tenebat, quæ ſeruilis

lis libidinis incentiua præſtabat? Ille Dominus, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non ſenſit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori; quàm potentiæ criminoſæ eligere conſortium. Ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre. Denique non vt meticuloſus excuſat, nec tanquam periculi timidus cauet; ſed tanquam beneficij herilis & innocentiæ ſuæ debitor, fugit crimen ingrati peccatique labem & culpæ contagium quaſi iuſtus horreſcit.] Calumnia Ioſepho impacta, reſipit dementiam eorum qui fortitudini ducunt animoſum eſſe ad patrandam iniquitatem: quaſi hæc non ſit maxima omnium abiectio, ſeruire peccato. Nec in ea duntaxat herilis nequitiæ repulſa, Ioſeph alienum à ſeruili abiectione pectus prodidit, ſed etiam alibi non ſemel; ac nominatim cum poſtea rerum in vniuerſa Ægypto potiens, non expetiit vltionem de iniuria calumniaque impacta. Et cùm fratribus, à quibus adeò malè habitus erat, inſigni animi excelſitate remiſit quæ in eum adeò atrociter deliquerant. Expendit ſuis momentis, hanc Ioſephi nobilitatem animi, Philo Iudæus l. de Ioſeph.

Chriſtus Dominus, ab Agnoitis; ſiue Temiſthianis timiditatis atque ignauiæ eſt notatus, teſte Damaſceno l. de hæreſibus V *Agnoitæ*, qui nullum profert eorum argumentum ad id probrum Chriſto inurendum. Videntur tamen reſpexiſſe ad orationem Chriſti in horto, cùm cœpit pauere, & præ timore grumos ſanguinis per vniuerſum corpus emiſit. Et idcircò eam narrationem quaſi Chriſto indecoram à pleriſque olim eraſam eſſe è ſuis Codicibus, autor eſt S. Hilarius l. 10. de Trinit. & S. Hieronymus l. 2. contra Pelag. Hæc tamen eſt blaſphema calumnia, qua ex Chriſti timore, eius ignauia, & timiditas abiecta atque probroſa colligitur. Nam verum quidem eſt Chriſtum timuiſſe, idque ſalua ſcripturæ veritate negari non poteſt vt rectè ſtatuit Maldonatus in c. 26. Matth. num. 37. Sed is timor non erat ignauiæ. Neque enim nolenti irruperat, ſed aduocatus emerſerat, abſque proſtratione *virtutis.* Tantùm quippè excitus erat, ad veritatem humanæ naturæ per motus ei conſentaneos comprobandam. Et propterea, vt benè admonuit Origenes ad eum Matthæi locum, *cœpit pauere & tædere*, Euangeliſta non dixit ſimpliciter, Chriſtum ſubiacuiſſe pauori, ſed *cœpiſſe pauere*, id eſt ſuſcepiſſe rudimentum aliquod timoris, quo anima non eſſet euertenda & proſternenda, ſicut fit per timorem immoderatum. Imò verò in hoc agone, Chriſtus tantam prodidit fortitudinem, vt Dauid conturbatos eſſe montes in hac eius fortitudine dicat, interprete ſancto Baſilio, qui ait. [Principes ſæculi huius ac Patres perditæ ſapientiæ, montes dicuntur conturbati in Chriſti fortitudine, quam ipſe in agone quo decertauit per crucem, contra eum qui poteſtatem mortis habebat, oſtendit; & veluti generoſus quiſpiam athletes exutus veſtibus, principatus ac poteſtates vicit, oſtentuique illos habuit confidenter, atque in ligno de illis triumphauit.] Hac ratione, Chriſtum inieciſſe Martyribus omnibus robur & audaciam, dixit Theophylactus; additque. [Idcirco & ſudorum grumi, mirabili prorſus ratione inſtar guttarum ſanguinis, ipſi defluxerunt, vt fontem timoris atque formidinis, ex natura quaſi aboleret & exſiccaret. Hoc enim tanquam in myſterio egit: cùm ſi vel timidiſſimus quiſque & ignauiſſimus fuiſſet, nunquam in agone aut anxietate ſanguinem ſudaſſet, ſed tantùm humorem ac ſudorem naturaliter. At ex vehementi illo conniſu, quo Chriſtus aduerſùs pauoris exortum ex cauſa excitum inſurrexit; concalefacto ſanguine & laxatis corporis poris, ſanguis effluxit, vt dixi

cùm

Digitized by Google

cùm de commotione corporea paſſiones conſequente.

Chriſtiani, ſiue ob captatas latebras & demiſſionis amorem, ſiue ob declinatam impiam militiam, quæ abſque religionis violatione obiri non poſſet; ſiue vi profeſſionis pacatæ & immemoris iniuriarum: ignauiæ notam ſæpè ſubiuerunt. Hoc poſtremum, quod ipſius Chriſtianæ religionis dedecus eſt, & ex ea veluti ex corde per omnia membra permanat; ab impio homine Nicolao Macchiauello, intortum eſt in nomen ſanctum. ſcripſit enim in diſſertationibus ad Liuium. l. 2. cap. 2. Chriſtianam religionem ſuccidiſſe neruos fortitudinis, & effœminaſſe eos à quibus recepta eſt. Hoc ſpurciloquium, iuſto Opere exteſit Thomas Boſius: & ſuffragati ſunt Ribadeneyra, Oſorius, Menochius, Boterus, & Sepulueda, quos adduxi in Apologetico pro Chriſtiana fortitudine, quem inſerui l. 5. de Virtut. ſect 2. cap. 8. vbi non indiligenter monſtraui, tantùm abeſſe vt Chriſtiana religio effœminauerit mortales à quibus admiſſa eſt, vt potiùs veriſſimum ſit, nullibi tantam fortitudinem eſſe, quanta eluxit in Chriſtianis & quidem vi inſtituti ac profeſſionis. Lex enim noſtra ſuſtollẽs hominem ſuper altitudines terræ, & remouens infixionem in cœno rerum caducarum, vilitatem vitæ mortalis proponit: vnde exiſtit generoſitas & fortitudo, ſiue ad aggrediendum, ſiue ad ſuſtinendum.

Catholicos quomodocunque declinantes martyrium, Tertullianus iam Montaniſta, vitioſæ ignauiæ arguit l. de fuga in perſecut. toto, contrarius, ſibi ipſi, libro de patient. cap. 13. Per calumniam tamen cum hæreſi coniunctam, fideles vniuersè argui ignauiæ, eò quòd fugam capeſſãnt, ratum eſſe debet. Et ita multis confirmant S. Cyprianus l. de lapſis & epiſtol. 56. Origenes homil. 9. in Iudic. S. Athanaſius in Apologia de fuga ſua, S. Auguſtinus epiſtol. 108. S. Hieronymus in cap. 26. Ierem. Climacus l. de Paſtore c. 13. Rupertus l. 8. in Matth. ad illud *cùm perſequentur, vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Ex recentionibus idem confirmant Pamelius ad Tertull. parado 10. Malderus 2. 2 q. 3. art. 2. memb. 2. Suarez diſp. 14. de fide ſect. 3. à num. 8. Eſpencæus digreſſ. in epiſtol. 1. ad Timoth. l. 3. cap. 7. & 14. 15. 16. 17. & nos plenè lib. de Martyrio p. 2. cap. 5. à num. 21. nominatim ex Chriſti exemplo, qui prudenter ceſſit, priuſquàm veniſſet hora eius. Quo argumento in hanc rem vſi ſunt Patres prædicti, & S. Auguſtinus ſerm. 8. ex 11. additis. Exemplũ Apoſtoli optimè adhibet Sanctus Gregorius l. 31. moral. cap. 24. Similiter ſancti plerique viri fugerunt perſecutionem, cùm videbant ſuam præſentiam exigi ex neceſſitate, & fore vtile Eccleſiæ ſi ſe reſeruarent in aliam occaſionem: quod feciſſe S. Gregorium Thaumaturgum, ſcribit Marcus Monachus ſcholio 4. ad cap. 13. libri Climaci de Paſtore. Factum item eſſe à SS. Cypriano & Athanaſio, infrà dicemus. Itaque quòd fideles, cùm non vrgebantur perſtandi neceſſitate, (iuxta regulas de quibus alibi) prudenter ſe ſubducerent, expers labis fuit, & per calumniam inſimulatum eſt ignauiæ. Tametſi verum eſt, inſaniſſe in altero extremo Gyraldum de Abbatis-Villa, contendentem, fugam martyrij ex ratione ſua, eſſe actum perfectionis. Quod meritò impugnat ſanctus Bonauentura in Apolog. pauper. reſponſ. 2. partic. 1. artic. 1. & 2.

Eorundem Catholicorum nonnullos, qui martyrium redimebant, (id eſt qui perſoluto certo pretio aſſequebantur libertatem non ſacrificandi, aut non moriendi pro fide,) damnat omnium maximè Tertullianus eo libro de fuga in perſecut. cap 12. vocans redemptionem, fugam nummariam, qua pedibus ſtatur,

Fugitur nummis timiditatis conſilio. Exiſtimat ibi Pamelius num. 85. hos *redemptores*, eoſdem fuiſſe cum *libellaticis*, à S. Cypriano improbatis lib. de lapſis, & epiſtol. 52. ac 25. & 13. Ait enim, redemptores quàm proximè ad libellaticos accedere; nec ſubdit in quo diſcreparent. Itaque pro iiſdem vtroſque habere. Et cum libellatici apertè à S. Cypriano improbentur, videbitur fuiſſe eiuſdem cum Tertulliano ſententiæ, quoad redemptorum ignauiam. Sed dicendum eſt, libellaticos, vel vt mauult Durantus l. 1. de ritibus cap. 9. n. 4. *libellatos*, longè alios fuiſſe ab iis martyrij redemptoribus, quos per calumniam notari ignauiæ contendimus. Iuxta Baronium anno Chriſti 253. & Iuſtinianum 1. Ioan. 5. v. 21. n. 16. & 1. Theſſalo. 2. v. 2. *in fine*, libellatici redimebant publicam fidei eiurationem, eiurabant tamen priuatim. Quantum ex variis D. Cypr. locis colligo, præſertim ex epiſtola Cleri Romani quæ apud eundẽ Cyprian. eſt 31. n. 7. libellatici, neque priuatim, neque publicè eiurabant fidem: impetrabant tamen libellum certo pretio, vt fides fieret eos ſacrificaſſe, & ſcitis Imperatorum obtemperaſſe, quod erat graue peccatum contra externam fidei profeſſionem. Sed nihil tale continet præciſè loquendo redemptio martyrij quam purgamus: quæ Actor. 17. ſub nomine *ſatiſdationis* approbatur, vt expoſuit S. Petrus Alexandrinus cano. 12 agnoſcens hanc redemptionem labe vacaſſe.

S Cyprianus ſæuiente perſecutione Decij, ad tempus ſubduxit ſeſe: quo nomine apud Clerum Romanum ex falſa delatione, notatus eſt ignauiæ. Sed calumniam fuiſſe, monſtrauit ipſe S. Cyprianus, docens è re ſuorum fuiſſe vt ſecederet, ne perſecutio per eius præſentiam acriùs ſæuiret: eò quòd Ethnici in eius perſonam efferati, ſæpiùs eum ad leonem in circo petiiſſent, & proſcriptus ac bonis ſpoliatus fuiſſet ex peculiari Gentilium in illum odio. Intelliguntur iſta partim ex eiuſdem ſancti viri epiſtol. 55. partim ex 69. itemque ex 9. Excuſans verò apud Clerum Romanum per literas ſeceſſionem ſuam, S. Cyprianus, vt monſtraret nihil per ſuam abſentiam deceſſiſſe fidelibus, tredecim ad ſuos exaratas epiſtolas tranſmiſit, quibus conſtaret, quanta ſollicitudine, etiamſi abſens corpore, curaret omnia, & in gregem Dei excubaret. Apologia quam S. Cypriano pro hac ſeceſſione texit Pontius cap. 9. digna eſt quæ hîc adſcribatur. Potenter enim euincit, S. Cyprianum per indigniſſimam calumniam eſſe ignauiæ inſimulatum, ob eam ſeceſſionem. [Potuiſſet quidem (inquit Pontius,) tunc pro velocitate qua ſemper omnia conſecutus eſt, etiam martyrij citra eum debita corona properare, maximè cùm & ſuffragiis ſæpè repetitis ad leonem poſtularetur: niſi per omnes ordines gloriarum, tranſeundum illi eſſet, & ſic ad ſumma veniendum: & niſi imminens ruina, ope tam fœcundi pectoris indigeret. Finge enim tunc illum martyrij dignatione tranſlatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis oſtenderet. Quis virgines ad congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimoniæ dignum, velut frenis quibuſdam lectionis Dominicæ coërceret? Quis doceret pœnitentiam lapſos, veritatem hæreticos, ſibi ſchiſmaticos vnitatem, filios Dei pacem, & Euangelicæ precis legem. Per quem Gentiles blaſphemi, repercuſſis in ſe iis quæ nobis ingerunt vincerentur? A quo Chriſtiani, mollioris affectus circa amiſſionem ſuorum, aut (quod magis eſt,) fidei paruioris, conſolarentur ſpe futurorum? Vnde ſic miſericordiam, vnde patientiam diſceremus? Quis liuorem, de venenata inuidiæ malignitate venientem, dulcedine remedij ſalutaris inhiberet? Quis martyres tantos exhortatione diuini ſermonis erigeret?

Quis

Quis denique tot confeſſores, frontium notatarum ſecundâ inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrij ſuperſtites reſeruatos, incentiuo turbæ cœleſtis animaret? Benè, benè tunc, & verè ſpiritualiter contigit, quòd vir tam neceſſarius, tam multis & tam bonis rebus à Martyrij conſummatione dilatus eſt. Vultis ſcire receſſum illum non fuiſſe formidinem? Vt nihil aliud excuſem, ipſe poſtmodùm paſſus eſt: quam paſſionem vtique ex more vitaret, ſi & antè vitaſſet. Fuit verò formido illa, ſed iuſta formido, quæ Dominū timeret offendere: Formido, quæ præceptis Dei mallet obſequi, quàm ſic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides diuinis admonitionibus mancipata, credidit ſe, niſi Domino latebram tunc iubenti paruiſſet, etiam in ipſa paſſione peccare. Puto denique etiam nunc aliqua de dilationis vtilitate diſſerenda, tametſi iandudùm pauca perſtrinximus. Per hæc enim, quæ videntes poſt modùm ſubſecuta, ſequitur, vt probemus, receſſum illum non hominis puſillanimitate conceptum, ſed ſicuti eſt, verè fuiſſe diuinum. Vaſtauerat Dei populum perſecutionis infeſtæ inſolens atque acerba graſſatio; & quia omnes decipere vnâ fraude non poterat artifex hoſtis, quâcunque miles incautus prodiderat latus nudum, diſpari generi ſæuitudinis ſingulos diuerſa ſtrage deiecerat: debebat eſſe, qui poſſet ſaucios homines, & varia expugnantis inimici arte iaculatos, adhibita medicinæ cœleſtis medela pro qualitate vulneris, vel ſecare interim, vel fouere. Seruatus eſt vir, ingenij præter cœtera etiam ſpiritualiter temperati, qui inter reſultantes collidentium ſchiſmatum fluctus, Eccleſiæ iter medium librato limite gubernaret: Nec hæc, oro, diuina conſilia ſunt? Hoc fieri ſine Deo non potuit. Viderint, qui putant poſſe fortuitò iſta contingere. Eccleſia illis clara voce reſpondet, dicens: Ego ſine Dei nutu, neceſſarios reſeruari non admitto.]

Conſtantinus Magnus, à ſpurciloquo Iuliano ignauiæ notatus eſt, in libello de Cæſaribus. Nam exhibitus ab eo eſt, indutus veſte muliebri, Deæ deliciarum coniunctus. Sed facta Conſtantini, abundè refellunt veſanam hanc calumniam. Quis enim fortitudine & erectione animi par Conſtantino, verè magno, verè ſummo per omnia? Quis plures Tyrannos feliciùs domuit? Cui plures nationes ſubiacuere? Et auſus eſt Scarabæus, de cœno ſuo in tantum virum effundere labem ignauiæ! ſanctus Auguſtinus 5. Ciuit. cap. 25. longè aliter de Conſtantini Magni animis pronuntiauit, quibus [vniuerſum orbem Romanum, vnus Auguſtus tenuit & defendit, & in adminiſtrandis ac gerendis bellis victorioſiſſimus fuit, & in Tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt.] Infinitas (ſic enim referunt,) Maxentij copias, quibus nequam ille omnem Italiam repleuerat, Conſtantini præcellens animus exiguo ſtipatus militum numero, tribus prælijs fudit ac euertit, Euſebio teſte l. 1. de vita Conſtantini cap. 31. Tametſi Zozimus Ethnicus, Euſebio longè poſterior, & à Conſtantino valde abiunctus, eadem cum Iuliano mente, res Conſtantini extenuare & eius fortitudinem occultè deterere fruſtra ſit molitus, iis quæ in Maxentium fortiſſimè geſſit, aliter recitatis quàm reuera acciderant, nóſque attigimus. Boſſius ſanè l. de Imperiorum dependentia à veris virtutibus cap. 10. non dubitat, Conſtantinum, & Traiano, & aliis fortiſſimis Imperatoribus quos ibi enumerat, longè anteferre, quod probat ex ſubactione Britanniæ, Sarmatiæ, Scythiæ, indomitarum ante eum Prouinciarum. Itaque faceſſat Apoſtata, nec fortitudini Imperatoris inuictiſſimi, malignè obſtrepat.

Catholici ſub Conſtantino à Donatiſtis ignaui & pigri dicti ſunt, teſte qui-

tunc viuebat Optato in fine libri ſexti contra Parmen. Sic enim ſcribit de transfugis ab Eccleſia. [Reſidentes in ſinu matris Eccleſiæ, quaſi pigros & tardos accuſant. His enim verbis loqui non erubeſcunt. Cai Sei, Caia Seia, quamdiu te tenes?] Imbelles animis & enerues Catholicos pronuntiabant Donatiſtæ, quòd non poſſent ſe vincere, depudeſcendo vanitati, vt Auguſtinus de Victorino agens loquebatur l. 8. Confeſſ. c. 2. & quòd metu ſermonum, aliquorúmve leuium incommodorum, hærerent in Catholica Eccleſia. At hæc apertiſſima erat calumnia. Neque enim fortitudo vlla cerneretur in tranſgreſſione ad impietatem, & tranſitu ad nouitates, abiecta antiquæ fidei ſoliditate.

S. Athanaſius ab Arrianis immani rabie quæſitus ad necem, ſubduxit ſeſe, & idcirco ab eis de ignauia bono Paſtore indigna, eſt infamatus. Eam verò fuiſſe calumniam & S. Auguſtinus epiſtol. 180. laudans hanc ſancti Athanaſij fugam docet, & monſtrauit accuratè è ſuis latebris ipſe ſanctus Athanaſius ea lucubratione quæ titulum præfert *Apologia de fuga*. Ibi quanta eſſet Arrianorum immanitas & in ipſum merrabies, multis confirmans; monſtrat ex Scripturarum oraculis, nequaquam dedecere vel Chriſtianum, vel Paſtoré, aliquando fugam capeſſere, prout à Chriſto & Apoſtolis, & ſanctis Patribus factum oſtendit. Cauſam porrò huius in ſe intortæ calumniæ, aliam non fuiſſe demonſtrat, quàm quòd malè haberet Arianos, Athanaſium crudelitati eorum fuiſſe ſubductum. [En tibi (inquit) impiorum audaciam, qui poſt tanta facinora, ſine pudore prioris in me tyrannidis, hoc etiam pro crimine obiiciunt, quòd me ſubduxerim eorum parricidalibus manibus, vel potiùs acerbè dolent, conqueruntúrque me è medio ſublatum non eſſe, ac proinde ita agunt, quaſi qui mihi crimen timiditatis obiicere velint, nihil ſentientes ita obganniendo, eam criminationem, in ipſorum caput recidere. Nam ſi malum eſt fugere, multò deterius eſt perſequi: ille enim ne moriatur ſe abdit; iſte perſequitur, vt occidat. Deinde de fuga quòd licita ſit, in *ſcripturis* conſtat: qui autem ideò quærit, vt interficiat, legem præuaricatur, aliiſque fugiendi neceſſitatem adfert. Si igitur fugam pro re pudenda obiiciunt, pudeat eos ſui, quod ſint perſecutores.] Et poſt aliqua, tractatis eorum in varios Antiſtites immanitatibus. [Poſt inſidias eorum, in tot tantóſque Epiſcopos, quùm nec magno Oſio confeſſori, neque Epiſcopo Romano, neque tot Hiſpanis, Gallis, Ægyptiis, Africanis, aliarúmque prouinciarum Epiſcopis pepercerint, & tanta ſceletum exempla in eos qui vel ſemel pro me contra illos auſi fuiſſent hiſcere, ediderint; qui fieri poſſet, vt non me potiùs quàm alios quos occiderunt, mactatum cupiant? Necandi enim ſtudio excubias ſeruant, ſéque vltrò occidi arbitrantur, ſi viuant quos illi viuere nolint. Quis igitur horum ſcelera non videt? cui hoc non liquet eos non virtutis ſtudio timiditatem obiectare, ſed ve ſitibundi auidique ſanguinis humani, verſutiis iſtis veluti ſagenis comprehendere poſſint, quos neci deſtinent? Quòd autem ipſi tales ſint, ipſorum opera declarant, oſtendúntque eorum animos feris efferatiores, & Babylonijs crudeliores eſſe. Iam tametſi ex ipſis ſatis liqueat, quales ſint, tamen quia ipſi ſecundùm ſuum patrem Diabolum, mollibus ſermociunculis ſe fucant, & in aliam ſpeciem vultus, quò timiditatem mihi obiiciant, transformantur, ipſi interim leporibus timidiores: Age, iam quid ſacræ Scripturæ de huiuſmodi re loquantur, inſpiciamus.]

S. Martinus, poſt aliquot annos in militia conſumptos, cùm iam Chriſtianus, renuntiare ſæculo fixum haberet, ex

voto

voto priùs concepto, cuius executionem ad preces tribuni ſui diſtulerat; eo tandem abeunte è munere, poſt biennium à ſuſceptione Baptiſmi, petiit miſſionem à Iuliano Apoſtata, ſub quo merebatur, perſonato adhuc Chriſtiano, nec apertè adhuc Idolis immolante. Is vero Martinum ignauiæ inſimulauit. Audi Sulpitium in vita ſancti Martini cap. 3. [Interea irruentibus intra Gallias barbaris, Iulianus Cæſar coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem, donatiuum cœpit erogare militibus. Et (vt eſt conſuetudinis,) ſinguli citabantur, donec ad Martinum ventum eſt. Tum verò opportunum tempus exiſtimans, quo peteret miſſionem, (neque enim integrum ſibi fore arbitrabatur, ſi donatiuum, non militaturus acciperet:) Hactenus, inquit ad Cæſarem, militaui tibi, nunc patere, vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter: Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Tum verò aduerſùs hanc vocẽ, Tyrannus infremuit, dicens eum metu pugnæ quæ poſtera die erat futura, non religionis gratia, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immò illato ſibi terrore conſtantior: Si hoc, (inquit,) ignauiæ adſcribitur, non fidei, craſtina die ante aciem inermis adſtabo, & in nomine Domini Ieſu, ſigno crucis, non clypeo, protectus aut galea, hoſtium cuneos, penetrabo ſecurus. Retrudi ergo in cuſtodiam iubetur; facturus fidem dictis, vt inermis Barbaris obiiceretur. Poſtera die hoſtes, legatos de pace miſerunt, ſua omnia ſeque dedentes. Vnde quis dubitet, hanc verè Beati viri fuiſſe victoriam, cui præſtitum ſit, ne inermis ad prælium mitteretur?]

S. Baſilius, & cum eo omnes Catholici, ob defenſam Patris & filij conſubſtantialitatem, ignauiæ & inertiæ, nec qualiſcunque, ſunt inſimulati ab impio Ennomio, cuius hunc locum refert Gregorius Nyſſenus orat. 5, (*verius 6.*). in Eunom. [Ecquid ô inertiſſimi omnium, ſerui formam habens, ſerui formam accipit?] Reſpondet ſanctus Gregorius. [Sed vos ipſi eſtis, qui vos inertiæ & ſtuporis accuſatis, quia creatum, creatorem non admittimus.] Subiicit longam diſputationem, qua euincit, magnæ planè eſſe cordis inopiæ, ſentire de Dei natura, & filij conſubſtantialitate, contrarium quàm ferat Catholica veritas. Sicut è contrario, actus fidei continet inſignem animi erectionem, quandoquidem homo connititur aduerſùs naturalem propenſionem, iis tantùm præſtandi aſſenſum quæ perſpicua ſunt, & incurrunt in viſum: id eſt quæ ex terminis, aut ex motiuo quopiam naturaliter penetrato, obiiciuntur tanquam digna quibus aſſenſus præſtetur: Cum è contrario, fides ſit argumentum non apparentium, nec ratione perſpecta, ſed diuina autoritate obſcura nitatur; vt optimè tradunt & expendunt, non abſque ſuſpectione generoſitatis quæ in eo ſe habendi modo cernitur, Eucherius homil. 1. & 2. de Symbol. Proſper. l. 2. de vocat. gent. cap. 2. Chryſoſtomus homil. 2. contra Anom. & homil. 5. in epiſtol. ad Coloſſ. ad illud, *gaudens & videns*, & hom. 11. in 1. ad Timoth.

Ioannes Iappo Arimenſium Princeps, quòd pro recepto apud eam gentem abuſu, inferendi ſibi manus violentas præciſione ventris, noluiſſet eo pacto anteoccupare carnificis operam, ignauus audiuit, ſed per calumniam. Neque enim reuera in ea ſæuitia erga ſeipſum, eſt fortitudo, ſed veriſſima ignauia, iudice Ariſtotele 3. Ethic. cap. 7. Egregiè id proſequitur Ioſephus luculenta oratione quam repræſentat Egeſippus l. 3. de excid. Hieroſol. cap. 17. & optimè quoque ſanctus Auguſtinus 1. Ciuit. cap. 23. demonſtrans, fortitudinem Catonis Vticenſis tantopere à Seneca epiſtol. 24. celebratam, fuiſſe veriſſimam ignauiam. Et

Digitized by Google

rationem præmiſerat cap. 22. [Si rationem (inquit) diligentiùs conſulas, nec ipſa quidem animi magnitudo rectè nominatur, vbi quiſque non valendo tolerare, vel quæque aſpera, vel aliena peccata, ſeipſe interemerit. Magis enim mens infima deprehenditur, quæ ferre non poteſt, vel duram ſui corporis ſeruitutem, vel ſtultam vulgi opinionem, maiorque animus merito dicendus eſt, qui vitam ærumnoſam magis poteſt ferre, quàm fugere: & humanum iudicium maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris inuoluitur, præ conſcientiæ luce ac puritate contemnere.] Contra Senecam & Stoicos, fortitudinem in huiuſmodi barbarie agnoſcentes, diſputatum eſt l. 5. de virtutib. à num. 174. & à Iouiano Pontano l. 1. de fortitud. cap. 16. & eſſe ſcelus nullis humanis iuſſis expurgabile, plenè tractatum eſt l. 3. de virtut. à num. 115.

Societas IESV, à Scriptore Caluiniano, *ignauiæ altrix* eſt dicta, addito eo elogio quòd nunquam generoſi animi exemplum nullum, ab eius hominibus ſit editum. Calumnia gemina eius qua ſpurcus Macchiauellus onerauit Religionem Chriſtianam blaterans, eam ſuccidiſſe neruos fortitudinis, & omnes qui eam profiterentur, enerues ac elimbes reddidiſſe. Sed ſicut hæc calumnia (vt iam præmiſi,) vaniſſima eſt in religionem Chriſtianam, ita Societatem IESV caſſo impetu ferit. Quid enim Ægiſtus ille ignauia marcens generoſum ac forte cenſet, ſi tot fortiſſimos athletas, ad omnia pro cauſa Dei & ſalute proximorum diſcrimina intrepidos; nulli parcentes labori, & inſilientes in quantaſuis difficultates, habet pro imbellibus & ignauis? [Contundens ac dedolans hanc hominis Caluiniſtæ Sycophantiam, Carolus Scribani, fortiſſimi ſtyli ſecuribus miſellum concîdit, & illuſtriſſima generoſitatis probatiſſimæ ſpecimina producit, Franciſcum Xauerium, Gaſparem Barzæum, Antonium Criminalem, Alphonſum à Caſtro, Conſaluum Sylueriam, Franciſcum Lopez, Rodulphum Aquauiuam, Ignatium Azebedium, Edmundum Campianum, Thomam Cottamum, Robertum Sotuellum, Henricum Valpolum, Iacobum Saleſium, quorum excelſa pectora, librat ſigillatim: & inſignia facinora quibus inclaruerunt, egregiè exhibet. Et poſſet ſimilium Chriſtianæ generoſitatis exemplorum in Societate IESV editorum, pleniſſima meſſis proferri. Sed cùm præſentia & propè calentia ſociorum per has oras facta recogito; animaduerto, non eſſe magna illuſtratione opus, ad rem ipſis Solis radiis ſcriptam, & in quantumuis luſcioſos oculos incurrentem, quaſi de ea minùs liqueret, illuſtrandam. Monachorum ſuæ ætatis generoſitatem, inde celebrabat ſanctus Chryſoſtomus homil. 17. ad popul. quòd cùm in malacia montes & auia lora incolerent, audita calamitate vrbi Antiochenæ imminente, aduolaſſent illicò in diſcrimen, ſolario ac præſidio quo poſſent, leuaturi ciuitatem. Confert hos Monachos S. Chryſoſtomus generoſis leonibus, qui adeò periculum non horruiſſent (quod Philoſophi Ethnici tunc ſuperſtites ignauè fecerant:) vt adoriri animosè ingruentem malorum molem, & intrepidè cum ea ſe committere auſi eſſent. Fecerunt hoc per virulentiſſimæ luis calamitatem, ex Societate IESV omnino multi, in mortem propè certam ruentes ſumma alacritate, vt animarum ac corporum ſaluti ſeruirent. Specimen eorum exhibui in Mantiſſa ad ſanctorum Lugdunenſium Indiculum, & in Opere de Martyrio per peſtem, vbi parte 4. c. 3. de huius fortitudinis præcellenti ſplendore, actum diligenter. Vt quid ergo muſca moriens, ignauiam, & imbelles ac degeneres animos, Societatis IESV hominibus obiicit?

N. (nomen conſultò non exprimo,) prouocatus ad duellum priuata autoritate ineundum, renuit; cauſatus legem Dei contrariam. Exinde habitus eſt ignauus, & paſſim cognominatus *le couard*. Verùm per atrocem calumniam, recuſationem prouocationis ad duellum, denominatam eſſe ignauiam, monſtratum pleniſſimè eſt lib. 5. de virtut. à num. 190. Ibi enim fuſiſſimè euictum eſt, admiſſionem illam duelli, omni labe ſordere, ac proinde recuſatio eius non poteſt non eſſe honeſta, vel dici ignaua: ſed ignauiæ potiùs notandus eſt, qui impatiens iræ, aut hominum ſannas malè metuens, priuata autoritate init duellum [Fallacia tegmina, (inquit D. Auguſtinus 3. Ciuit. cap. 14.) & deceptoriæ dealbationes auferantur à rebus, vt ſyncero inſpiciantur examine. Nemo mihi dicat, Magnus ille atque ille, quia cùm illo & illo pugnauit, & vicit. Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipſi: habet præmia laudis & illa crudelitas. Sed puto eſſe ſatius cuiuſlibet inertiæ pœnas luere, quàm illorum armorum gloriam quærere.] Optimè quoque ſanctus Bernardus ſerm. ad milites templi cap. 1. confirmat eum qui ſuperat hominem, & ſuccumbit vitio, abſurdè gloriari veluti fortem, cùm ea demum ſit vera ignauia, turpiori hoſti ſubiacere.

CAPVT XVIII.

De deſperatione, & perditione ſuſtinentiæ.

MAgna omnino ignauia eſt eius qui mali impetum non ferens deſperat, & ſuſtinentiam perdit, ſubiiciens ſeſe illi veh, quod Scriptura denuntiat ſic ſe habentibus. Diuus Chryſoſtomus priore ad Theodorum parænesi, *ſub finem*, nexum hunc ignauiæ & deſperationis, ſic attigit. [Quæ tandem eſt radix & mater deſperationis? Ignauia inquam, immo quam quis haud ineptè nominauerit non tantùm radicem, ſed viciſſim illius quoque & parentem & altricem. Quemadmodùm in cadauere, tabes gignit vermiculos, quæ ab iis iterum augetur: ita propemodùm hoc loci. Nam ignauia deſperationem parit, ab ea mutuò & illa nutricatur, adeóque dum ſeruant inter ſe execrabiles vices dandi, accipiendique, confirmantur in potentiam haud mediocrem.] Meritò igitur, calumniæ de ignauia, ſubiungitur calumnia de deſperatione, quæ ingens planè macula eſt: Cùm ob eam animi proſtrationem omnimodam qua ſordet, tum ob abiectionem tot tantorúmque mediorum, quibus ſpem firmare licuerat: ac denique ob extremum excidium rebus deſperantis illatum. Idcirco Antiochus homil. 17. ait deſperationem eſſe *extremum Diaboli gaudium*, & à Brachario ſub finem epiſtolæ ad Ianuarium optimè quoque exagitatur. Quibuſdam Sanctorum, hoc probrum inſperſum eſt per calumniam, vt ſubiecta exempla monſtrabunt. Eſt affinis vel etiam gemina eſt, calumnia qua aliqui Sancti ſunt contacti, de ſæuitia in ſeipſos; quæ quàm tetra ſit labes, tractatum eſt, exponendo obiecta dominij l. 3. de virtut. à num. 121.

Chriſtus Dominus, ſpes noſtra, (quod abſque gemitu & pectoris tunſione, nec referre nec audire par eſt.) à Dæmonibus corporatis, deſperaſſe dictus eſt, per calumniam cui nullum poſſit appingi conueniens execramentum. Vomuere id primùm Valentiniani, vt notauit Feuard. ad l. 1. D. Irenæi c. 1. n. 77. & l. 2. cap. 28. n. 3. Tametſi enim ſubobſcurè id efferebant, Chriſtum deſperantem vocantes *Achamot, Sophiam*, vel *Æonem*: tamen ea loca ſcripturæ in eam rem vſurpabant, quæ apertè in Chriſtum cadebant. Clarè, &

corũ in ægritudine. Sic enim ibi habetur; [Quantumcunque poterat, vnaquæque laborabat. Et cùm aliquam earum aliquado contigerat infirmari, non ei fomentum, aud adiutorium aliquod Medicinæ conferebatur; ſed ſi quam contigiſſet ægrotari, tanquam maximam benedictionem à Deo accipiebat, & tolerabat languorem; donec eam Medicina Dominica præueniret.] At hoc quid aliud eſſe videtur, quàm ſe occidere? Grauem certè culpam, in eo agendi modo agnoſcunt Nauar. in ſummâ cap. 11. n. 40. Sanchez l. 2. in decalo. cap. 34. num. 4. Suar. Tract 3. de relig. l. 1. cap 3. n. 1. & Leſſ. l. de Iuſtit cap. 45. num 4. Vt minimùm enim, neglectus ille pharmacorum, ſordet labe tentationis Dei.

Nihilominus ſanctas illas Virgines omni labe in eo facto vacaſſe, aſſirmandum eſt. Nec ipſæ tantùm ſic ſe geſſerunt, ſed longè anteriùs S. Agatha, vocans hunc *morem bonum ab ineunte ætate confirmatum*, vt eſt in eius Actis cum deſcribitur S. Petri ad eam apparitio. Paſſim olim in Monaſteriis, idem ſeruabatur à Monachis, vt tradit S. Chryſoſtomus hom. 14. in 1. ad Timo. *ſub finem*. Et idem ſeruaſſe S. Fulgentium, docet vitæ Auctor cap. 30. De ſancta item ſorore ſua Macrina, idem notauit Gregorius Nyſſenus in eius vita, cùm agit de ſacro illius cadauere. Id ipſum approbarunt S. Macarius hom 48. *in fine*; S. Diadocus l. de perfect. ſpirit. cap. 53. S. Ephrem tomo 1. tract. de fide, S. Eutychius ex Catholico ſiue Prouinciali Monachorum Patriarcha Conſtantin. vt habent eius Acta ad finem, S. Bernardus epiſtol. 321. Quos omnes adeò fœdè hallucinatos eſſe, vt in actum illum conſentirent, ſi adeò futuus ac teter eſſet, vt ſupponebatur, non eſt veriſimile. Vacat igitur neglectus ille pharmacorum in morbo, labe occiſionis ſui ipſius, quia nullum medium à natura inſtitutum omittitur, cuiuſmodi eſſet cibus; ſed permittitur ſibi natura, vt certet cum morbo, quem non ſemel per eam expugnari contigit. Abeſt item labes tentationis Dei, quia non expectatur ſalus à Deo per miraculum, ſed Deo eiuſque prouidentiæ committitur, vt permittat quod melius ſibi venit.

SS. Eremitæ quorum ingens fuit olim in Eccleſia numerus, deſperaſſe ſemetipſos, & homicidæ ſui ipſorum fuiſſe, dicti ſunt à Magdeburgenſibus Centur 4. & 5. cap. 6. & 10. itemque à Caluino 4. inſtitut. cap 13. num. 16. Præterquàm quòd enim Miſanthropia laboraſſe videntur, & contra Apoſtoli monitum de nobis inuicem adiuuandis, vt habetur Heb. 10 proximum planè abieciſſe tantis ſe prætetea imbonitatibus vltrò diuexabant, præſertimque adeò prolixa media, & cœli iniuriarum perpeſſione, vt non videatur dubium quin peccarint in præceptum Exodi 20. latum de non occidendo: vtique non alios duntaxat, ſed multò magis ſeipſos. Confirmant hoc prædicti Sectarij, exemplo maximè Stylitarum, vt Simeonis & Danielis, qui more auium in altiſſima columna per apertam (vt iſti volunt) à Diabolo faſcinationem & illuſionem hæſerunt, ſine tecto & lecto, inſiſtentes pedibus. Et Simeon quidem anno integro, vni tantùm pedi inſtitit: vt ſcribit in eius vita Antonius c. 7. Tanta ſine dubio in corpus ſuum auſteritate vtebatur Simeon, vt mirum videri poterit, quomodò non perbreui expirarit: Et quod teſtatur in Religioſa Hiſtoria Theodoretus qui hominem vidit, eſſent qui dubitarent verè ne homo eſſet an hominis ſtatua. Danielem quoque Styliten, Leo Imperator ex Metaphraſte XI. Decemb. tanquam ſibi ipſi mortem vltrò conſciſcentem corripuit, cùm ab eo extorqueri vix poſſet, vt columnæ ſuæ medio, (ſic vocabant locum inſiſtentiæ ſuper columnam,) imponi tectum pateretur:

retur: ne quod paulò antè contigerat, ſumma hyeme & ventis immaniter ſæuientibus, congelaſceret. Cucullo quippè vi ventorum decuſſo in ſubiectā vallem, & per triduum continuata procella, demum poſt eam exactam, diſcipuli admotis ſcalis ad eum ſubeuntes, viderunt horrendum (vt Autor Actorum nominat,) ſpectaculum; [ſanctum amictu quidem iam nudatum, glacie verò omni ex parte comprehenſum, & capite & facie, & reliquis partibus corporis: neque hoc ſolùm, ſed etiam ipſo corpore omnino concretum, & in glaciem, ſi frigus ſpectes & concretionem, conuerſum. Eum quis glacialem hominem nominauerit.] Ægrè ſanè, admotis calidis aquis, ea glacies ſoluta eſt. At quid eſt ſe occidere deſperantem ſemetipſum, ſi hoc non eſt? Ita quidem Magdeburgenſes, & eorum combibo Caluinus.

Sed Deus cordium optimus arbiter, omnino aliter de ſanctis Eremitis, ac de ſanctis Stylitis pronuntiauit; donans eos inſignibus miraculis, & ad tantam perfectionem prouehens, quantam legentes eorum Acta ſuſpicimus. Nec ſi hæc vitæ ratio noua fuit, vacauit idcirco ſanctitate, cùm Spiritus ſanctus non alligetur noſtris vſibus: & Iſaiæ 20. Hieremiæ 28. Ezechielis 5. viris ſanctiſſimis ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti, impoſita ſint aliqua in ſpeciem valdè abſona, & præter conſuetum morem: vt vr in hanc rem pro S. Simeonis Stylitæ defenſione argumentatur Theodoretus cap. 26. relig. hiſtor. Non erant igitur Sancti, ſiue Eremitæ, ſiue Stylitæ; homicidæ ſui ipſorum, nec dicendi ſunt, (niſi per atrocem calumniam,) deſperaſſe ſemetipſos, quod plenius proſequi non eſt huius inſtituti. Diligenter autem traditum eſt à Bellarmino l. de Monachis cap. 39. & ab Nicolao Harpsfeldio ſub Alani Copi nomine dialo. 2. cap. 18 Nos item multa in hanc rem protulimus, in S. Brunonis Hiſtoria.

Venefridam Britannam quòd ſtuprum per vim paſſa eſſet mortem ſibi conſciuiſſe ad eam maculam eluendam ſcribit Gulielmus Cambdenus cùm agit de Baſinvverk [Sub quo (inquit) Habyvvell id eſt fons ſacer Venefridæ Virginis memoria, quæ ſtuprum per vim oblatum ibi morte luit, & muſco gratiſſimi odoris longè eſt celeberrimus. Ex quo emanat fluuiolus ſtatim eximius, parque molæ agendæ tanto impetu prorumpit.] Candorem hic ſcriptoris Caluiniani deſidero, non vno ex capite. Inprimis verò per apertam calumniam, ſanctam Venefridam (reddo enim ei Sanctæ titulum quem hic Copronymi ſectator detraxit) exhibet nobis veluti Lucretiam quandam, quæ ſe præ impatientia erepti per vim pudoris ream fecerit horribilioris ſceleris trucidando ſeipſam: in quo facto multiplicem labem detegit S. Auguſtinus 1. Ciuit. cap. 19. Non ſic S. Venefrida quam falſum eſt vi eſſe fœdatam; atque adeò falſum eſt ſcelus alienum cæde ſui ipſius eluiſſe. Sed vt ſcribit in eius vita Robertus Abbas Salopienſis, qui floruit anno 1140. à Cadoco Alani Regis filio impetita S. Venefrida, cum pudori ſuo inſidiantem procum fortiter repuliſſet, ab eodem repulſæ impatiente reſecto capite eſt trucidata, eoque nomine, tabulis Eccleſiaſticis titulo martyris inſerta eſt 3. Nou. Atteſtantur innocentiæ ſanctæ huius Virginis, miracula in loco cædis iam olim patrata, quæ ad noſtram vſque ætatem perſeuerare Baronij annotationes ad Romanum Martyrologium ferunt, ex Thomæ Epiſcopi Aſaphenſis teſtis oculati relatione. Apparet autem hinc quoque mala fides Cambdeni, qui de his miraculis, homo Caluino addictus, planè ſiluit nec primò enatum eſſe ad cædem B. Venefridæ illic patratam, fontem vberrimum multis curationum ſupra naturam prodigiis clarum memorat. Impudentiùs verò Pouelus quidam, ex eadem

Caluini

Caluini hara, ſuis ad Gyraldum Cambrenſem in Cãbriæ Itinerario annotationibus, ad librum 2. c. 10. omnia hæc mira referens commenta ait eſſe Monachorum, illic poſt ſuppreſſos Templarios, ab Henrico II. Angliæ Rege conſtitutorum: quod probat ex Gyraldi ſilentio, cum tamen & Robertus Salopienſis Gyraldo anterior, & prioris vitæ S. Venefridæ ſcriptor Celerius Cambrius qui circa annum Chriſti 660. floruit, fontis illius, & thaumaturgiæ ad eum patrari ſolitæ, diſertè, meminerint. Vt videas impietatem Caluiniſticam in S. Venefridam, calumnia in ſeruos Dei, de confictis quæſtus gratia miraculis, eſſe cumulatam.

Agricola Virburgenſis apud Boioarios, in multum ſenium prouecta ætate vxore ac liberis pridem fato functis laboribus agreſtibus iam impar, ſolus incolebat caſam humilem, totus in Dei obſequio erat, nec aliud cogitabat quàm ad piam mortem aptare ſeſe; & quia res ei erat domi anguſtiſſima, oblatam à piis ſtipem ferialibus diebus, cum ad diuinum ſacrificium ſubibat oppidum, inde reliqua hebdomada vitam ſuſtentaturus admittebat. Suſpicati prædones duo ſenē ex corrogata ſtipe admodũ larga (vt cenſebant) auri & argenti aceruos in caſa ſua collectum habere, per tenebras & obſcura noctis ſilentia in miſerum inuolant, & dira morte intentata ad pecuniam aſſeruatam fideliter prodendam vrgent. Negantis præter paruulos nummulos ad tenuem victum in reliquam hebdomadam parandum quicquam apud ſe eſſe pecuniæ, reſponſo efferati prædones miſelli guttur laqueo ſtregerunt, & caſam vniuerſam euertentes fruſtra abs ſe patratum immane ſcelus deprehenderunt, vix paucis obolis apud ſenem repertis. Pertæſi itaque inhumanitatis deque ea erubeſcentes, conſilium ineunt quomodo cædis infamiam in ipſum ſenem retorqueant quaſi non ſatis impij fuiſſent innocentiſſimum ſenem letho dando præ cupiditate potiundi eius facultatula: niſi etiam nouo ſcelere impurent ſeſe excitata ſuſpicione vehementi quod ipſe ſibi ſenex mortem conſciuiſſet.

Id vt commodiùs aſſequerentur cadauer è trabe ſuſpendunt ac diligenter obſerata caſa profugiunt. Cum proximè ſubſecuta Dominica die non comparuiſſet ſenex, miſſi ſunt qui ad eum quem decumbere ex morbo ſuſpicabantur edulia quæpiam perferrent. Aditu autem caſæ validè occluſo, nec vllo accepto ad inclamationes reſponſo, regreſſi ſunt qui pia illa ſubſidia afferebant, rati ſenem peregrè profectum religionis gratia. Sed cum regreſſus ſenis longiùs differretur denique oppidani foribus caſæ vi effractis, horrendum ſpectaculum ſenem è tigno pendentem conſpicantur. Accurenſque Magiſtratus Voburgenſis ſepulturam miſero ſeni per carnificem ſub patibulo ad infamiam defuncti in deteſtationem patratæ ab eo cædis decernit. Actum erat de ſenis vita & fama, niſi Deus calumniæ depulſor affuiſſet. Agebantur Voburgi frequentes nundinæ, & vt ſolent ad eas cuiuſuis conditionis ac ſortis homines concurrere, contigit cæcum cùm locum in quo tumulatus fuerat ſenex calcaſſet pedibus, illico viſum recipere. Idem beneficium præter omnem ſpem aſſecutus eſt claudus itemque leproſus. Sparſo vt fit tot mirabilium rumore prædones innoxij ſenis carnifices ac dehoneſtatores alio nomine comprehenſi, vrgente conſcientia, vltro innoxium infamiæ ſuſpicione liberant, ſeque cædis & ſuſpendij autores produnt luituri tantam molem iniquitatis commenſa ſuppliciorum acerbitate. Epiſcopus Ratiſponenſis in cuius diœceſi Voburgum eſt, ad extumulandum innocentem accurrit, & ſuccollans ipſe in oppidum deportat, vbi perhonorificè conditus, multis deinceps claruit miraculis. Annus patrati

etati facinoris, nomenque patientis, omnia obſcura. Res tamen eſt teſtatiſſima & à Radero fuſiùs deſcripta Bauariæ ſanctæ volumine 4.

Cartuſiani, tanquam ſui ipſorum oſores & homicidæ, notati ſunt, ob negatum ſuis eſum carnium in ægritudine, etiamſi eam ob cauſam, iudicio Medicorum, eſſent mortem oppetituri. Hanc eſſe antiquam querelam, ait Dionyſius Rikelius l. de præconio Ordinis ſui artic. 2. referens idem articulo 6. fuiſſe qui dicerent, hanc ob cauſam Ordinem Cartuſienſem non fuiſſe approbatum, & confirmatum à Romanis Pontificibus. Meminerunt huius notæ Cartuſienſibus impactæ, Arnoldus de Villa Noua Tractatu de hoc argumento (quem Rikelius ibidem articulo 3. deflorat,) & Gerſo tract. *de non eſu carnium*, (Extat Tomo 2.) Et Autores vitæ ſancti Brunonis à Surio contracti cap. 21. Octobr. *6.* Ex recentioribus Ioannes Medina Cod. de Ieiunio quæſt. 13. ad 4. ſtatuit vt certum, Cartuſianum qui in eam incideret ægritudinem, à qua ſine carnis vſu ex peritorum Medicorum iudicio, liberari non poſſet, teneri carnes comedere, non obſtante quocunque voto, aut Religionis ſtatuto. At conſtat Cartuſianos in nullo planè euentu carnes aſſumere, etiamſi morbus ſolis carnibus adhibitis curari poſſe aſſereretur.

Nihilominùs meritò Gerſo opuſcul. de abſtinentia Cartuſienſium à carnibus, præfatus, carnales homines ſolere improbare aſperitates corporis vltrò ſuſceptas, conclamat nominatim, in allatratores (vt vocat, & calumniatores Cartuſianorum hac in parte. Iſta eſt (inquit) vitiorum palma infamis, extrema quoque & imprudentiſſima quorumdam criminoſorum peruerſitas, ſancta polluere, benè acta calumniari, & quæ imitari nequeunt, aut non volunt, vituperare, ſicque alienæ vitæ reprobationem, ſuam putant laudationem. Experimur hanc carnalium hominum inſaniam, cum in multis, tum nominatim erga venerabiles Cartuſienſes, apud quos reperitur, ſicubi in Eccleſia quicquam veſtigij reliquerit prædicanda illa priſtinorum Patrum deuotio admirabilis penè. Hos Cartuſienſes, interdum exagitant quidam, imbuti ſapientia terrena, animali, & Diabolica; aſſerentes, eos contra charitatem negare ſibi ipſis carnium eſum, præſertim tempore infirmitatis, quorum vox, eſt vox faſtidientium cœlitus datum manna, ſuſpirantiúmque ad ollas carnium Ægypti.] Itaque cum eodem Gerſone ibidem ponendum eſt tanquam indubitatum, Cartuſianos licitè & ſanctè, etiam in euentu propoſito, reſpuere carnes. Nec eſt verum, Cartuſienſi Ordini eam ob cauſam deeſſe approbationes Pontificum. Multas quippè eorum approbationes adducit Dionyſius Richelius libro allegato articulo 6. Imò cùm omnibus Ordinibus ad annum vſque 1610. libera fuit migratio ad Cartuſianos, eo ipſo Ordo Cartuſianorum approbatus à Pontificibus videri poteſt, in omnibus Ordinibus, vel etiam ſupra illos.

Vt autem liquidiùs ſit, Cartuſianos hanc ob cauſam pati calumniam; atque adeò honeſtè & ſanctè à carnibus, non obſtante quocunque à morbis diſcrimine, poſſe abſtinere; aduertendum eſt, vix vnquam poſſe eſſe certum Medicis, quod ingruente quantouis morbo, vita per ſolas carnes poſſit retineri: cùm per oua, (iuxta Arnoldum Villanouanum, aſtipulante ſupra Rikelio articul. 3.) tum etiam immiſſo Bezaartelapide, & aromatibus quibuſdam, poſſit compenſari defectus carnium. Poſito tamen eo metaphyſico euentu, laudabiliter iidem Religioſi carnibus abſtinent, & vitam periculo vtcunque obiiciunt. Imminceret enim apertum diſcrimen, ſtatuti

ſtatuti extra hunc euentum ſancti, frequenter violandi, ſi aliquis poſſit fingi articulus, in quo ob ægritudinem fas ſit ſtatutum pertumpere: eò quòd quiuis æger facile ſibi abblanditurus, & perſuaſurus ingruere extremum periculum, cùm vix graue imminebit: Vnde diſſipatio Religioſæ diſciplinæ conſequeretur. Itaque ob bonum Religioſæ communitatis, & diſciplinæ conſeruationem, fas eſt cuiuis particulari, committere ſe ei diſcrimini perdendæ per morbum vitæ, adhibitis aliis minùs quidem efficacibus, ſed tamen quantum fieri poteſt per publicum bonum, idoneis vitæ retinendæ remediis. Quod enim rectè notauit Gerſo tractat. de abſtinentia à carnibus concluſ. 3. necnon Azor. tom. 3. l. 2. cap. 3. quæſt. 14. non tenemur vitam ſeruare per quodcunque licitum medium, ſi ſubſit rationabilis cauſa eo medio abſtinendi. Nec tantùm fas eſt, diſcrimen illud vitæ ob morbum adire, ſed etiam neceſſarium; ſi vel talis abſtinentiæ votum intercedat, (quod malè negat Nidet. p. 3. conſolatorij cap. 7. cætera nobiſcum admittens;) vel conſtitutio ad id adſtringens vigeat, aut conſuetudo recepta habens vim legis. Ita Victoria Relect. de Temper. num. 10. Vaſq. 1. 2. diſt. 162. cap. 4 Salas. 1. 2. tract. 14. diſtinct. 11. num. 22. Suarez tom. 4. de relig. tract. 9. l. 2. cap. 4. à num. 3. qui rectè addit, annuentibus ipſiſmet Cartuſianis apud Gerſonem ſuprà, & annuente item Vaſque ibid. num. 27. & Sala à num. 29. (male refragante Leſſio l. de Temper. cap. 3. n. 12.) illicitum Cartuſiano fore, abſtinere à carnibus, ſi nullus alius cibus ſuppeteret, ita vt mors non morbo ſed fame eſſet oppetenda. Tunc enim abſtinentia à carnibus inhumana eſſet, nec honeſtaretur ſtudio communis boni. Medicum item, quia ſtatuto non tenetur, poſſe in diſcrimine ex quo agebamus, inſculum è carnibus clam porrigere Cartuſiano ignoranti, benè monet Vaſquez num. 35.

CAPVT XIX.

De ſui ipſius truncatione.

Dictum proximè eſt de falsò afficta ſæuitia in ſeipſum. Ei probro veluti continens eſt ſui mutilatio, per membri alicuius truncationem. Eſt enim ea membri reſectio, veluti partialis occiſio; tametſi non eſt idem planè de ea ſtatuendum, quod de ſimpliciter dicta in ſeipſum ſæuitia. Nam hæc in nullo euentu eſt licita, ſecluſo extraordinario Dei iuſſu. Membri verò reſectio, poteſt aliquando labe vacare, etiam abſque diuino illo mandato, aut inſtinctu extraordinario. Vt ſi membrum ſit putre, & inde toti corpori exitium ingruat. Sunt euentus alij annotati l. 3. de virtut. num. 132. in quibus poteſt honeſtari membri truncatio; quæ extra eos euentus aut ſimiles illicita eſt atque nefaria, quicunque honeſtus finis prætexatur, vt reſtinctionis igniculorum Veneris, quod aliqui ad ſe virilitate ſpoliandos obtenderunt: vt Origenes apud Euſebium l. 6. hiſtor. cap. 6. aliàs 7. vel declinationis diſcriminum in bello, (etiamſi iuſto,) adeundorum, niſi ea via ſe ineptos redderent qui conſcriberentur, vt feciſſe aliquos ſcribit Ammianus lib. 15. Vel quòd aliqui probatæ vitæ feciſſe dicuntur, ne in Sacerdotes aut Epiſcopos promouerentur. Ex quo fine Ammonium aure ſe multaſſe, cùm vrgeretur ad Epiſcopatum, ſcribit Palladius c. 12. Lauſ. Hoc ille ſtultè fecit atque cum ſcelere, cùm poſſet conſtanti reiectione delati honoris periculum quod extimeſcebat declinare, abſque tali in ſeipſum violentia, quam Canones improbant, vt ſcribit Innocent I.

epiſtol. 3. & communi conſenſu Doctores Canonum atque Morales Theologi, agentes de irregularitate; nominatim Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 206. Auila de Cenſ. part. 7. diſput. 5. dub. 1. Couarru. Clement. *Si furioſus* part. 3. §. 8. Suarez tom. 5. 3. part. diſt. 44. ſect. 2. Itemque Molina Tractat. 3. de Iuſtit. diſput... à quibus diligenter ac minutè exquiritur, quid ſit quod *membrum* dicitur, cuius abſciſſione homo irregularitatem contrahit. Mutaſſe ſe ad hunc modum (verbum Sangallenſis adhibeo, in vita Caroli Magni cap. 34.) inſignes aliquos in Dei Eccleſia viros, falsò & per calumniam illis affictam iactatum eſt, è quibus occurrunt quos ſubiicio.

S. Marcus Euangeliſta, cùm ad Epiſcopatum poſtularetur, adeò ab ea ſarcina abhorruiſſe dicitur, vt pollicem ſibi abſciderit. Ita Bleſenſis epiſtol. 123. Petrus Damiani ſerm. 14. Lyranus ad Prologum in Marcum, Ioannes de Fauen. ad cap. *Si quis abſciderit §. corpore* diſtinct. 55. &, ibidem Gloſſa, & paſſim Interpretes; Maiolus lib. 1 de irregularit. cap. 14. num. 14. & ſanctus Hieronymus omnibus his anterior, Prologo in Marcum, cuius dictum ita temperat Lyranus in illius Prologi commentario, vt cenſeat ſanctum Marcum non ſe truncaſſe toto pollice, (quæ truncatio enim reddidiſſet irregularem & inidoneum ad conſecrandum:) Sed tantùm præcidiſſe ſibi tantillam partem pollicis ſine qua poſſet pollex ad conſecrationem deſeruire, nec ſanctus Marcus per eius abſciſſionem irregularis efficeretur. Sed hæc Lyrani temperatio, præterquàm quod repugnat omnibus aliis, ſimpliciter aſſerentibus ſanctum Marcum ſibi pollicem præſcidiſſe, euertit narrationem cui adhibetur. Idcirco enim ſanctus Marcus dictus ſe truncaſſe pollice, quia voluit irregularitatem contrahere ne in Epiſcopum promoueretur. Temperatio autem à Lyrano adhibita, eximit ſanctum Marcum incurſu irregularitatis: atque adeò præciſio pollicis, non potuiſſet à ſancto Marco obtendi ad declinandum munus Epiſcopale.

Dicendum igitur eſt, cum Baronio anno Chriſto 45. & Maldonato in c. 1. Marci, fabulam eſſe, quòd ſanctus Marcus vel pollicem, vel pollicis partem, ad contrahendum Ordinis Epiſcopalis obicem ſibi præſciderit. Idque apud nullum probatum autorem legi affirmat Buſæus ad epiſtolam 123. Bleſenſis. Nam quòd hic ipſe Bleſenſis, & Petrus Damiani, qui inter allegatos in contrarium autores aliquo ſint loco, de ſancti Marci truncatione referunt, non ex ſenſu ſuo dicunt, nec ratum habent; ſed referunt duntaxat, quod vulgo circumfertur. Non recenſui inter autores alicuius momenti id referentes, ſanctum Hieronymum: quia quamuis prologus in Marcum adſcriptus beato Hieronymo, idipſum referr; tamen autor illius prologi longè alius eſt à ſancto Hieronymo. Explodenda itaque eſt hæc fabella, nullius idonei & antiqui teſtis qui eam ex ſua mente referat, autoritate ſubnixa, & indignè dehoneſtans Sanctum Euangeliſtam. Vt enim rectè ratiocinatur Maldonatus, macula quæ in Origene & aliis nonnullis iure reprehenditur, non eſt abſque certis teſtibus, Euangeliſtæ tam præcellenti munere in Eccleſia celeberrimo, tribuenda. Et quod Lyranus reſpondet, ſanctum Marcum diuino afflatu permotum ſe mutilaſſe, & idcirco labis expertem eſſe, nullo veriſimilitudinis colore affirmatur. Qui enim à Spiritu Sancto ad Epiſcopale munus vocabatur, quomodò potuit à Spiritu Sancto impelli, ad eam ſui ipſius truncationem, ne in Epiſcopum promoueretur? Num Spiritus Sanctus ſimul impellit ad pugnantia? Quare ratum eſto, per calumniam affingi ſancto Marco vltroneam pollicis truncationem,

Digitized by Google

cationem, vt munus Epiſcopatus declinaret.

S. Leo I. cùm ipſo die Paſchatis, pro more recepto, mulierculam ad figendum manui ſuæ oſculum admiſiſſet, humanum quippiam paſſus, manus illius abſciſſione ſe mulctauit: ſecutus illã Chriſti vocem, *ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam:* Sicut longè poſtea, vnus quiſpiam cùm matrem calce percuſſiſſet, vbi ita reſedit; recogitans illa Chriſti verba *ſi pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum,* pede ſe truncauit, vt eſt in Actis ſancti Antonij Vliſſiponenſis. Cùm tamen ſanctus Leo eam ob cauſam ſacrificare deſiiſſet, idque in populo Romano murmur non leue excitaret, impetrauit à Deo ardentiſſimis precibus, vt manus abſciſſa, ſibi reſtitueretur. Ex eo tamen tempore, abolito ſic manibus Pontificis oſcula figendi inductus eſt vſus figendi oſculum pedibus. Scribunt hac de ſancto Leone varij; ac nominatim Sabellicus lib. 5. Andreas Eborenſis tit. de Caſtitate, ac Maiolus lib. 1. de irregularit. cap. 14. n. 4. qui addit, aliquos aſſerere, contigiſſe vt ſanctus Leo manum ſibi abſcinderet, actus ſancto erga ſe odio, ob malè impoſitas alicui manus, & præcipitem indigni hominis initiationem.

Hanc eſſe calumniam craſſam in ſanctiſſimum Pontificem, debet eſſe extra dubium. Nullus enim idoneus autor, ex tot antiquis apud quos celeberrimus eſt ſanctus Leo, tale aliquid de eo prodidit, vt dico ſect. 2. ſerie 3. cap. 10. Reuincitur verò apertè fabuloſitatis hæc narratio; ex eo quòd habet, die Paſchæ admiſſos eſſe promiſcuè omnes vtriuſque ſexus fideles, ad manus Pontificiæ oſculum: mutatum autem per eam occaſionem fuiſſe oſculum manuum, in oſculum pedum. Sanè Ioſephus Stephanus l. de adorat. pedum Roman. Pontific. cap. 4. praxim illius pedum oſculi ad Apoſtolica tempora refert, eámque fuiſſe ab Eſaia prænuntiatam cenſet, verbis illis; *calcauit eam pes, pedes pauperum, greſſus egenorum:* Id enim, vt interpretatur etiam Galatinus l. 4. de arcan. cap. 27. tunc contigit, cùm Romana celſitudo deiecta eſt, ad pedes pauperum Chriſti vices gerentium, oſculis appreſſis colendos. Id quod ſtudioſè feciſſe multos magnorum qui ſunt in terra, Genebrardus Anno Chriſti 31. accuratè demonſtrat, & falsè aduersùs obſtrepentes Hæreticos Gretſerus l. 3. ad Codinum cap. 9. Quod verò ad eos attinet qui hanc narrationem referunt ad manus indigno appoſitas, videntur adducti ad hanc fabellam de ſancto Leone confingendam, ex lectione reuelationis à Moſcho deſcriptæ cap. 149. Prati ſpiritualis. Quod ſcilicet ſancto Leone pro peccatis ſuis feruenter precaro apparuerit ei B. Petrus, dicens exoraſſe ſe ei omnium erratorum veniam, ſalua diſcuſſione peccatorum, ſi quæ fuiſſent ab eo admiſſa ob indignorum ordinationem. At aliud eſt quod hac reuelatione continetur, aliud quod habet fabuloſa calumnia quam retulimus. Faceſſat ergo calumnioſum commentum, tanto Pontifici iniurium, quod aliqui, vt mendacium ſemper eſt inconſtans, falsò impingunt Leoni III.

Petrus Petronius quem Itali, *Beati* prænomine honeſtant, in ſancti Bernardini Senenſis vita, *Petronius Petronius* denominatur. Is in ea Confratrum diſciplinatorum ſodalitate nomen dederat in ſæculo, quæ veluti plantarium ſanctorum hominum ſemper fuit, vt in iiſdem ſancti Bernardini Actis dicitur. Inde enim prodiit ſanctus Ioannes Columbinus, inde Franciſcus Vicentinus, inde Andreas de Galleranis, inde ſanctus Bernardinus, inde item B. Petronius. Nemo in eum cœtum, niſi qui moribus eſſet probatiſſimis, allegebatur. In eam itaque ſæcularium religioſam vitam obeuntium ſodalitatem, allectus eſt B. Petronius Senenſis,

Digitized by Google

nenſis, indéque ad vitam ſpiritualem optimè aptatus, migrauit ad Cartuſianos, magnas totius ſanctimoniæ acceſſiones facturus in domo Dei, qui in ſæculo tam religioſè vitam exigebat, tamque perfectè Deo adhærebat. Huic Dei ſeruo, Petrus Dorlandus in Chron. Cartuſ. lib. 5. cap. 1. tribuit, quòd ne Sacerdotio initiaretur, pollicem ſibi abſciderit exemplo (vt Dorlandus ait,) ſancti Marci Euangeliſtæ. Huius narrationis argumentum vnicum, petitur ex eius pictura, cum cultello quem manu prehenſum tenet.

Sed cùm viri comperta ſanctitas, tum tanta argumenti prolati imbecillitas, perſuadere meritò debet, hanc eſſe calumniam, nullo veriſimilitudinis colore ſubnixam. Nam præterquàm quòd omnia pictoribus licere conſtat, potuitque qui primus ita exhibuit penicillo Petronium, artis ſuæ luſum in tali hominis expreſſione oſtentare, vt idoneum habitum homini induceret: præter hoc inquam, ſuppetit accommodata eiuſdem picturæ ratio, quam non reticuit Nicolaus de Moulin in Cartuſiana hiſtoria, cum de æde Cartuſiana S. Mariæ de Maggiano iuxta Senas. Nimirum quod Petronius in diuidendo pauperibus pane iugis eſſet, cultellus ei appictus eſt: ſicut nobiliſſimæ familiæ, cuius gentilis fuit ſanctus Gregorius Magnus, ex charitate maxima in frangendo eſurientibus pane, adhæſit cognomen *Frangipaniorum.* Per calumniam itaque valdè euanidam, Petronius, inſimulatus eſt, quod ſe pollice truncaſſet, ſpecie humilitatis in ſacerdotij declinatione.

CAPVT XX.

De Curioſitate.

NOn intelligo hoc nomine, artes Magicas, quæ videtur eſſe notio vocis huius Actor. 19. Sed hoc loco reſtringo curioſitatem cum Franciſco Pio lib. 8. de prænotione cap. 2. ad nimium ſciendi deſiderium, de cuius probris abundè agere memini l. 6. de virtut. à n. 57. Sordent autem hac labe abſque ſuperſtitione, qui non adhibita dæmonis opera, notitiam præſentium aut aut futurorum, ex principiis inidoneis captant. Et nominatim, qui Aſtrologiam Iudiciariam cultura ſua dignam putant; ſiue eam quæ dicitur *reuolutionum*, quia indebitè prænuntiat ex aſtris; ſiue eam quæ genituras iuſto penitiùs veſtigat; ſiue illam quæ ex Aſtris ſigillatim ac vltra ſuſpicionem cum formidine & metu falſitatis, eruit quæ hîc eligenda & reſpuenda, vnde & *electionum* dicitur; ſiue denique eam, quæ imagines, & characteres, ac figuras, per ſympathiam cum cœleſtibus imaginibus & characteribus ac figuris, haurientes indidem certas quaſdam efficacitates admirabiles, architectatur. Omnis huiuſmodi cupiditas, ſciendi prædicta per eas vias, curioſitatis damnatur: cuius notæ fœditatem & tetram faciem, diffuſè repræſentant, qui contra Aſtrologos Iudiciarios diſputant, præſertim Ioannes Picus libris 12. contra Aſtrologos, Franciſcus eius nepos in opere de Prænotione, Sirenius l. 9. de Fato, Alexander de Angelis in opere aduerſus Aſtrologos, Michaël Medina l. 2. de recta fide cap. 2. Sanchez l. 2. in decalog. cap. 38. à n. 33. Delrio 4. Magic. c. 3. quæſt. 1. & quoad imagines Aſtronomicas lib. 1. cap. 3. quæſt. 1. Torreblanca l. 1. dæmonologiæ cap. 7. & 8. & alij quos hi adducunt. Alij abſque pacto cum dæmone per ipſos inito, captarunt ſcientiam per ſomnia, quæ item eſt labes non modica. Subiuere tamen per calumniam, huiuſmodi maculas aliquot Sancti, quos recenſitum & purgatum venio.

Abraham pater fidei, Aſtrologus Iudiciarius à Iuliano Apoſtata dictus eſt, referente

referente ſancto Cyrillo l. 10. Iulianomaſtyges, ad textum penultimum, vbi refertur, Iulianum ad vaticinia ex Aſtris Abrahamo impingenda, adhibuiſſe teſtem Moſem, eò quòd Geneſ. 12. ſcribat, Deum eduxiſſe Abrahamum, & dixiſſe ei, *reſpice in cœlum, & numera ſtellas ſi potes.* [Dicite mihi hoc (ait Iulianus,) cuius gratia eduxit eum, & ſtellas oſtendit oraculum dans Angelus vel Deus. Intus enim exiſtens, non ignorabat quanta eſſet multitudo aſtrorum quæ nocte ſemper apparent & fulgent: ſed opinor oſtendiſſe ea quæ tunc noucbantur, vt verba euidentiorem fidem haberent, omnia firmante & roborante cœli ſententia.] Hanc calumniam in virum ſanctiſſimum iniuria intortam, depellit his verbis ſanctus Cyrillus. [Opinetur autem fortaſſis virum diuinatoris arte vſum, & aſtrorum curſus obſeruaſſe curioſiùs, & quà res neceſſarias interdum deſignant. At hoc crimen eſt Græcorum ſtupiditatis, puerilisque ludus, & vana dementia, nihilque aliud. Nullo enim modo ſapientiſſimus Abraham illa arte opus habebat. Viderit enim quis id quod dico, etiam ex ſimplicitate ſanctarum litterarum. Nam cùm iam ad ſenium peruenißet, lugebat ſe carere pueris, quamuis nothus ei eſſet Iſraël: ſed omnipotens Deus prolem generationis de libera fructus promiſit, qui cum aſtris de multitudine contenderent. Oſtendit enim ſtellas ei, dicens: *Sic erit ſemen tuum.* Igitur in his videre licet, illas in manifeſtum exemplum innumeræ multitudinis aſſumptas; nullo modo autem dictum eſt, quod obſeruauerit ſtellarum curſum, vel quod promiſſum curſu confirmarent, & locali motu monſtrarent aliquid Dei occultum. Quid enim etiamſi vocatus ad videndas illas, vt in tempore & opportunè dicatur ad ipſum: *Sic erit ſemen tuum?* confirmationem veritatis facere dicit: ſed opinor oſtendiſſe volens illas ſtellas currere ei, vt verba euidentiorem fidem haberent, omnia firmante & roborante cœli ſententia. Valdè ſcilicet, nihil enim nos latet futurorum, qui currentia aſtra & calculum cœli omnia firmantem didicimus. Vides illos habentes erroris officinas, & mendaciorum fora: ij admirantur ſemper aſtrorum curſus. Et pro minimis obolis interdum cœleſtia loquuntur ſacramenta, mulieres autem comprehendentes, & plebeiorum mentem demulgentes extenuant marſupia, & ſuffurantes paruos quæſtus, ſuæ frigidæ vaniloquentiæ mercedem lucrantur. Quamuis ſecundùm quod dicit veritatis impugnator, ſententiam cœli omnia firmantem, ex aſtrorum motu didicerint: ſed impoſtores & mendaces, & nihil verum ſcientes, decipiantur. *Quis enim nouit mentem Domini*, ſicut ſcriptum eſt? Factum autem ab ipſo dicimus aſtrorum chorum, non quòd Sanctorum Prophetarum dignitatem habeat, vel aliud quiddam præterquàm vt luceant hominibus, & ſint in temporum ſigna. Nam ita teſtatur ſacra Scriptura. Itaque fruſtra diuinat & muſſitat, Abraham vſum eſſe aſtrorum vaticinio. Non enim curſum aſtrorum, ſed multitudinem ei oſtenſam eſſe, didicimus.]

Iacob Patriarcha, labis aſtrologiæ iudiciariæ notatur in eo opere cui titulus *Narratio Ioſeph* allegato ab Origene, & multis olim probato in quo hæc verba leguntur. [Legite in tabulis cœli quæcunque contigerint vobis & filiis veſtris.] Hoc fabuloſum eſt, ac indignum, quod Iacobo viro ſanctiſſimo affingatur. Quin potiùs manifeſtè ex Scriptura liquet Iacobum quæ ſuis poſteris euentura prænonit, in Dei ſpiritu prænouiſſe, non autem è ſyderum vel cœlorum contemplatione hauſiſſe. Ad illum igitur ſcientiæ ſanctorum à ſe comparatæ fontem, non ad ciſternas diſſipatas Aſtrologicarum prænotionum ſuos amandaſſet

 Iacob,

Iacob, ſi de acquirenda per eos ſcientia futurorum, ſollicitus fuiſſet.

Chriſtianis impingebat Iulianus Apoſtata, quòd ad captandam abditorum cognitionem, dormirent in Martyrum ſepulchris. Ita refert S. Cyrillus l. 10. in Iulia, qui multipliciter monſtrat, hanc eſſe turpem in Chriſtianos calumniam, cuius ad veritatem notari deberent Græci. Nam apud eos nihil vulgarius, quàm diuinationem captare per ſomnia. Et idem feciſſe adhuc ſuo tempore Ethnicos, tradit ſanctus Hieronymus in c. 65. Iſaiæ, circa illa verba perperam à Iuliano in Chriſtianos intorta. *Qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres; qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt.* Addunt 70. *διὰ ἐνύπνια, propter ſomnia.* [In delubris (ait ibi D. Hieronymus,) idolorum dormiunt, vbi ſtratis pellibus hoſtiarum, incubare ſoliti erant, vt ſomniis futura cognoſcerent. Quod in fano Æſculapij, vſque hodie error celebrat Ethnicorum, multorúmque aliorum. Alia in eam rem permulta profero in Natur. Theol. diſtinct. 4. à num. 44. ad 50. Nèquiter ergo & calumniatorè Iulianus Apoſtata, labem de qua agimus, impingit Chriſtianis, qua per illudmet tempus ſordebant Ethnici; & iam olim quoque ſorduerant: vt de Pythagora prodidit Porphyrius in Pythagoræ vita, adducto Antiphontis libro de vitis virture illuſtribus; in quo captatæ à Pythagora diuinationis per inſomnia, diſertè meminit. Apud Tullium l. 1. de diuin. idem à Spartanis in templo Paſiphaës, factum refertur. Pleraque huiuſmodi Pſychomantæa (ſic enim nominabant,) annumerat Bulengerius in opere de diuinat. toto libro 5 Quanquam quòd inter ſepulchra illa in quibus Ethnici dormientes aucupabantur futurorum cognitionem per ſomnia, Porphyrius apud ſanctum Cyrillum libro illo 10. in Iulia. numerat ſepulchrum Appollinis in loco qui dicitur *Tripos*, à tribus Triopi filiabus Appollinem miſerè cæſum deflentibus; malè à quopiam acceptum eſt; cùm exiſtimauit, vulgatiſſimus Apollinis tripodem eò pertinere; nihilque aliud fuiſſe quàm Apollinis ſepulchrum *vnde* funderentur oracula. Quicquid enim ſit de eo loco *Tripos* dicto, vbi Appollo eſſet conditus, verè Pythiam è tripode fudiſſe dæmoniaca oracula, euictum ſufficienter manet ex dictis diſtinct. illa 4. à n. 62. Cæterùm mendaciter Iulianus, Chriſtianos dormitionis in Martyrum delubris ad captanda ſomnia diuinatoria inſimulabat, cùm Chriſtiani non pernoctarent in ſacris Martyrum conditoriis ad dormiendum, ſed ad ſacras vigilias ibi obeundas, iuxta antiquiſſimum in Eccleſia vſum, de quo latè Durantus l. 2. de ritibus cap. 4. & Baronius in Rom. Martyrol. ad 5. Ianuarij. Nec poterat eum ſacrarum vigiliarum vſum in Chriſtianis ſugillare Iulianus, quin vnâ ſuos Ethnicos notaret, apud quos viguiſſe ſimilem peruigiliorum vſum, liquet ex iis quæ habet Lipſius l. 1. Elector. cap. 5. leguntur item illa apud Arnobium lib. 5. [Theſmophoriis, gente ab Attica, ſancta illa peruigilia conſecrata ſunt, & pannychiſmi graues.]

S. Helena, quòd inueniendæ Cruci Dominicæ, nauarit operam à Caluino l. de reliquiis, notata eſt *ſtultæ curioſitatis*, vel *curioſæ ſtultitiæ.* Sed hæc eſt non iam ſtultitiæ, ſed calumniandi rabies Caluino digna: quæ non in vnam modò ſanctam Helenam graſſatur, ſed in alios propè innumeros, qui vel ſanctæ Helenæ veſtigandi Crucem autores fuerunt, vel ei ſunt cooperati in eadem Cruce veſtiganda, vel eius factum ac ſtudia approbarunt. Quærendi S. Crucem, autor beatæ Helenæ, imprimis fuit Spiritus Sanctus, in quem proinde peccat Caluinus, proſcindens ex hac cauſa ſanctam Helenam. Nam eam cœleſti Spiritus Sancti afflatu excitatam, & diuinis viſis admonitam,

in

in S. Crucis veſtigationem incubuiſſe, ſcribunt varij: vt ſanctus Ambroſius oratione de obitu Theodoſij Magni, Euſebius in Chronico, ann. 325. Alexander Monachus in hiſtoria Inuentionis S. Crucis, Georgius Hamartolus in Chronico, S. Paulinus epiſtola 11. Ruffinus l. 1. Eccleſ. hiſtor. cap. 7. Socrates l. 1. hiſtor. cap. 13. Sozomenus l. 2. cap. 1. & Nicephorus l. 8. c. 29. Itaque Deum ipſum, à quo ſancta Helena de tam multorum ſententia, ad veſtigandam Crucem Domini impulſa eſt, impetit Caluini calumnia. Nec minùs furioſè in Conſtantinum Magnum, quàm in eius matrem cadit eadem calumnia. Nam pleriſque tradunt S. Helenam à filio Conſtantino miſſam eſſe ad diuinæ Crucis veſtigationem. Ita Leo Imperator epiſtola ad Vmarum, Berengoſus l. 2. de Cruce cap. 5. Item Alexander Monachus, Georgius Hamartolus, locis annotatis, qui ſupra diuinum afflatum, agnoſcunt Conſtantinum Matris profectionem ad Crucem veſtigandam, vel indixiſſe, vel approbaſſe. Ferit quoque ea Caluini calumnia, Macarium Hieroſolymitanum, & collectos ab eo totius Prouinciæ Epiſcopos, vt Reginæ Crucem veſtiganti præſto eſſent: quod & fecerunt collaudantes ſanctæ Helenæ ſtudium, eique (vt poterant) cooperantes. Denique ſancta Helena quam Caluinus impiè mordet ob veſtigandam Crucem Domini, Patres grauiſſimi, è contrario, magnis exornant præconijs, eam ob cauſam: vt ſanctus Ambroſius in Theodoſij Monodia, ſanctus Paulinus epiſtola illa 11. & ſplendidè Theodoretus 1. hiſtor. cap. 18. ac Ruffinus l. 1. hiſtor. cap. 7. Ipſa Eccleſia, quotannis Inuentionem S. Crucis peculiari feſto recolit 3. Maij, de cuius feſti antiquitate & ſolemnitate Suarez l. de feſtis cap. 8. num. 1. Et idem in Oriente fiebat, tertia die à reſurrectione Domini; Illa etenim die celebrabant Reſurrectionem Crucis, emerſionem eius ſurſum, vt habetur ex Oratione Sophronij in S. Crucem. Quanta ergo fuit Caluini impudentia, qua ſanctæ Helenæ in Cruce veſtiganda pium ſtudium, ab vniuerſa Eccleſia celebratum, à Patribus ſummopere commendatum, diuinis miraculis in ea inuentione interpoſitis (vt prædicti Auctores referunt,) comprobatum; auſus eſt calumnia *ſtultæ curioſitatis*, vel *ſtultitia curioſa*, onerare?

Theologos Scholaſticos ſugillat Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatibus, & Eraſmus in proœmio ad ſanctum Hilarium, quòd in abditis quæſtionibus ſcrutandis, inutili curioſitate ducantur. Sed iſte vberrimè, & admodùm minutè id proſecutus eſt in Annotationibus ad caput 1. epiſtolæ prioris ad Timoth. vbi Apoſtolus reprehendit quoſdam, infinitis & interminatis quæſtionibus operam dantes, conuerſos in vaniloquium εἰς ματαιολογίαν; quam Eraſmus eſſe Theologiam ſcholaſticam pronuntiat, ſubiectis exemplis friuolarum & nugacium quæſtionum, quibus eam diſtineri expoſtulat. Nec ſolus Eraſmus, Theologos ſcholaſticos hac ex cauſa reprehendit, & damnatæ curioſitatis incuſauit; ſed alij quoque, quibus non videtur ferendum, quòd myſteria noſtra quæ quantumcunque fatigemur ſemper erunt myſteria, ab homunculis in terra repentibus veſtigentur. Non ferebat Lactantius l. 3. institut. cap. 20. eos qui naturam rerum putantes ingenio poſſe comprehendi, in conceſſa ſcrutabantur; & hoc cœleſte templum profanare impiis diſputationibus aggreſſi de cœlo ipſo quærebant quæ nec inuenire vnquam poſſent, nec vt inueniſſent, poſſent defendere. Multò autem magis peccare videntur ſcholaſtici qui de profundiſſimis myſteriis tanto ſtudio contendunt, nec ſapiunt ad ſobrietatem: parum memores moniti à ſapiente infixi c. 3. Eccleſiaſtici. *Altiora*

Digitized by Google

te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non enim eſt tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multoſque ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum. Suſpicionem eorum vocat ſapiens, tenuiſſimam & coniectione inferiorem notitiam ſupernorum; quæ in vanitate & inani ſpiritus diſcruciatione tenet defixos, qui illas ſubtilitates conſectantur, iactantes cerni in eis exercendi ingenij materiam, & prodi acumen quo quis polleat: cùm tamen, vt de ſimilibus tricis aiebat Seneca, nihil ſit acutius ariſta. Quædam inutilia & inefficacia, ipſa ſubtilitas reddit. Legeſis eundem epiſtol. 88. in hoc argumento exſpatiantem. Vel potiùs Baſilium orat. in ſanctum Mamantem & Nazianzenum orat. 26. quæ eſt de moderatione in diſputationibus de Deo ſeruanda. Ibi tantus Theologus, præoptat curioſitati in tam abditis rebus, ignauiam. Sobrietatem item inquiſitionis de certis diuinis myſteriis ſæpè commendant Patres, improbata de eis curioſitate penitiùs ſcrutandi. Vt de Trinitate ſanctus Athanaſius Epiſtola ad Serapionem, & ſæpè ſanctus Hilarius in Opere de Trinit. De prædeſtinationis myſterio ſanctus Chryſoſtomus homil. 8. in 2. ad Timoth & ſanctus Fulgentius l. de prædeſtinat. & gratia cap. 16. De Incarnatione benè multi quos profero l. 1. de Chriſto ſect. 1. cap. 3. cautione 3. De Euchariſtia item varij adducti in prologo ad Candelabrum ſanctum ſeptiluſtre. [Nobis igitur (vt cum Tertulliano dicam l. de præſcript. cap. 8. curioſitate opus non eſt, poſt Chriſtum I e s v m. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti, nihil ſcire, omnia ſcire eſt.]

[Hanc Theologorum Scholaſticorum ſugillationem, eſſe meram calumniam; nec eorum de myſteriis noſtris ſobriè ſcrutandis ſollicitudinem, inſimulandam eſſe curioſitatis, ſed commendandam tanquam diligentiam ſtudioſam iis argumentis dignam, graues DD. demonſtrarunt, &benè Canus l. 8. de locis c. 2. Franciſcus Horantius lib. 5. locorum Catholicorum cap. 3. Tannetus 1. part. diſputat. 1. quæſt. 1. dub. 2. Gillius l. 1. tractat. 1. cap. 4. Hieronymus Vielmius libr. 1. pro S. Thoma pag. 409. Dionyſius Petauius in Prolegomenis ad Theologica dogmata cap. 3. 4. 5. & 6. Sanè & pulchrè ratiocinatus eſt Gulielmus Pariſ. l. de Virtutibus *in ipſo fine*, ſunt qui accuratam & diligentem argumenti alicuius ſacri ſcrutationem, curioſitatis & ſuperfluitatis inſimulent, [quia ſicut dicit Ariſtoteles, tanquam imperiti res tam magnas, támque ſublimes, de longè ſpeculantur, non attendentes, quàm pia ſit, quámque ſalutaris in talibus curioſitas: neque quantum temporis ipſimet rebus inutilibus, ac à pietate aridis, vaniſſima curioſitate, inceſſanter impendunt.] verè profectò ac ſapienter. Quem enim latet, quanta accuratione Philologi, literis humanioribus nauantes operam, rimentur omnia ſpectantia ad negotium quo diſtinentur: quanta ſollicitudine antiquarij, mores ac vſus & ritus antiquos refodiant, marmora, nummos, veteres picturas conſulant. Hiſtoriarum profanarum merèque humanarum contextores, fibras omnes rerum de quibus differunt, perueſtigent, plerunque inani & caſſo labore nec vtilitate adeò magna. Et tamen exerceri iis ſcrutandis ingenium, nemo improbat, dummodo temperatio debita adhibeatur. Quomodo ergo improbari poteſt, ſobria Scholaſticorum diligentia in ſcrutandis Chriſtianis myſteriis, & inſimulari curioſitatis vanæ,

aut.

Digitized by Google

aut etiam noxiæ;cùm in argumentis inanibus reprehenſione careat? Imò verò vel ipſeconatus in difficilibus quæſtionibus de verbis ſacris, indigniſſimus eſt commendatione; etiamſi deeſſet ea illuſtratio quæ deſiderabatur, vt præclarè tradit creditus Proſper in prologo ad librum 1. de vita contempl. & notaui in Theologia ſupplice libello inſtructa§.11.

Purgaui tamen ab impacta curioſitatis calumnia, ſolam ſobriam diſquiſitionem. Nam iuſto profundior ſcrutatio, oppreſſionem à gloria reportat, vt dicitur Prou. 25. & ipſe ApoſtolusRoman. 12. monuit ad ſobrietatem ſapere. Quod Apoſtoli monitum auidè amplexans ſanctus Auguſtinus l. 12. Ciuit. cap. 15. *in fine* rationem ſubiicit. [Si enim pro viribus ſuis alatur infans, fiet vt creſcendo plus capiat. Si autem vires ſuæ capacitatis excedat, deficiet antequàm creſcat.] Ad eum locum Ludouicus Viues aliam ex Quintiliano ſimilitudinem adhibet, non contemnendam. [Vaſcula (inquit) oris anguſti, ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt: ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillantibus complentur.] Itaque adhibeatur ſanè diligentia & ſcrutatio, ſed temperata: nec præceps, ſed lenta & matura. Et cùm ſcintilla quæpiam veritatis emicuerit, Deo gratiæ agantur: ſi penetratio per intellectum negetur, prudens ſcrutator non immittat cornua ad ventilandum,ſed ſubmittat caput ad venerandum. Verba ſunt ſancti Anſelmi, hanc ipſam cautionem quam tradimus, proponentis, lib. de Incarnat. Verbi cap. 2. Eadem monet Gillebertus in Altercat. cap. 4. ſub initium.

Confeſſarios, non ſemel audire memini, notatos curioſitatis, quòd aliqua expiſcari vellent à pœnitente, quæ ipſe explicata nollet; ſiue pudore victus, ſiue quod alij non ſolerent interrogare de talibus. Cui Confeſſariorum ſugillationi, mirum quantum ſauet noua doctrina, quod Confeſſarij munus non ſit interrogare; ſed audire, & de auditis à pœnitente ferre ſententiam. Officium porrò Confeſſarij non eſſe interrogare, ſed audire pœnitentem,tradit Soto in 4. diſt.18. quæſt. 2. artic.4. §.*quando verò.* Et idem videtur habere additio ad ſummam Roſellam V. *Confeſſor* 2. num. 3. Saltem ſi agatur de Confeſſario non ſe ingerente, ſed requiſito; quæ eſt inutilis diſtinctio, vt liquebit ex dicendis. Iuxta eam itaque doctrinam, Confeſſarius interrogans de iis quæ pœnitens non exponit, haud abs re videtur notari curioſitatis, plerunque illecebroſæ, nec periculo vacantis in quibuſdam materiis:Adde etiam coniunctæ cum graui onere pœnitentis, quod non ita pridem accidit, non abſque ſtomacho in Confeſſarium: qui audito flagitio, percunctari auſus eſt an tunc primùm contigiſſet ea prolapſio, quod pœnitentem abalienauit, curioſitati id tribuentem.

Non licet tamen dubitare, quin hæc ſit calumnia Confeſſariis impacta, ſi modò prudenter interrogationes adhibeant; nec niſi cùm eas exigit vel pœnitentis ignorantia, vel verecundia, per quas fieret vt neceſſaria quæpiam materia reticeretur. Ad hæc enim duo capita, iuſtas Confeſſarij interrogationes, arctant Sylueſter V. *Confeſſio* 1. q. 17. & Graffis l. 1. deciſ. cap 25. n. 4. eoque reducuntur quæ Nauarrus in cap. 1. de pœnit. diſt. 6. §. *diligenter*, & Reginaldus de Prud. Confeſſ. cap 2 & 3. proferunt ad monſtrandum, quanta debeat eſſe Confeſſarij temperatio in inquirendo.]

Abſolutè tamen loquendo, teneri Confeſſariũ interrogare prudenter pœnitentẽ, cùm cenſet id eſſe neceſſarium ad plenam peccatorum mortalium expreſſionẽ; adde etiam ad pernoſcendum ſtatum pœnitentis, vt fructuoſa ſit confeſſio, & præcaueatur recidiuum, non puto eſſe dubitandum. Quia quamuis per ſe, munus

Confeſſarij non ſit interrogare, ſed audire, vt Soto aiebat: tamen vt idem fatetur, ad hoc vt Confeſſarius plenè audiat, ſicut neceſſe eſt ad ſanandum & debitè iuuandum pœnitentem; oportet in euentibus prætactis, Confeſſarium adhibere interrogationes, idque illi præſcribunt ſacri Canones, cap. *Omnis vtriuſque ſexus* de pœnit. & remiſſ. & cap. 1. diſt. 6. de pœnit. §. diligenter: quibus locis Confeſſarius iubetur diligenter inquirere, & ſubtiliter inueſtigare, conſcientiam pœnitentis. Et vt ſilerent Canones, Confeſſarius planè ad id tenetur vi ſuſcepti muneris, quomodocunque illud ſuſceperit: id eſt ſiue rogatus, ſiue vltrò ſe ingerens. Ex quo enim illud ſuſcepit debet præſtare quæ neceſſaria ſunt, vt munus illud obeat fideliter. Quis enim ferat Medicum corporalem, qui ægrum non niſi prout tulerit notitia quam ex eius ore comparauerit, curare velit, cùm tamen plerumque æger præ ignorantia, aut perturbatione, reticeat aliqua, de quibus niſi Medicus interroget ex notitia ab ægro ſolo nihil diſcuſſo ſubminiſtrata præſcribat pharmaca, peribit æger. Idem eſt de Iudice temporali, quem conſtat malè functurum ſuo munere, ſi præciſè de auditis pronuntiare ſemper vellet; nec vnquam reum de re vlla interrogaret. Auditor item rationum dati & accepti, qui nollet aliud referre in tabulas, quàm quod ab aliis vltrò referentibus audiret, infideliter erga dominum ſe gereret, cuius pleraque damna non auerteret, gerens ſe ad eum modum.

Confeſſarius ergo cùm in domo Dei gerat perſonā Medici erga ſpirituales ægrotos, Iudicis erga reos corā Deo, & rationē ponētis cum villicis & ſeruis Domini ſui; quando res fert, & probabiliter iudicat ita eſſe neceſſarium, vt plena ſit quoad materiam neceſſariam Confeſſio, & vt ritè proſpiciat deuitationi recidiui in pœnitente, (ſicut verè ſæpè eſt neceſſarium in certis peccatis quæ ſi inolita ſint aliter curanda ſunt, quàm ſi tunc primùm ſint admiſſa;) tantùm abeſt vt interrogando debeat dici curioſus, vt potiùs niſi ita ſe gerat peccet, non modò contra charitatem pœnitenti debitam, ſed etiam contra religionem, obſtringentem ad curandam Sacramenti indemnitatem. Eſtque ea obligatio tanta, vt poſſit ad mortalem culpam ſufficere, ſi videtur; vt tradunt Angelus V. *Interrogationes*, & Nauarrus ad dictum § diligenter num. 7. ac Reginaldus cap. illo 2. n. 2. Quanquam non niſi de culpis, vt plurimùm in eo ſtatu admitti ſolitis, interrogandus quis eſt; nec niſi qui ſcientiæ eſt inops, aut pudore vinci præſumitur: cauendaque eſt diligentia nimia vt S. Thomas admonet in 4. d. 16. q. 3. præſertim (vt ait) circa venerea: de quibus præter numerum & ſpeciem, nihil eſt inquirendum, vel audiendum. Hac temperatione ſeruata, intolerabilis Confeſſarij grauatio, quam aliqui noſtræ ſententiæ impingunt, ita ſubleuabitur, vt ferri non difficile poſſit ac debeat.

CAPVT XXI.

De Ignorantia.

Mater curioſitatis eſt ignorantia, cuius idcirco probrum nunc annectam. Non ago porrò de ea ignorantia quæ dicitur *praua diſputationis*, eſtque idipſum quod error, ſed de ea ignorantia quæ dicitur *pura negationis*, nec aliud eſt quàm inſcientia & defectus cognitionis, etiamſi homo poſitiuo errore vacet. Hæc ignorantia, præ veritatis difficili peruaſione, tam humanitatis propria eſt, quàm diuinitatis ſcientia, iuxta Lactantium l. de ira Dei cap. 1. vbi de veri latebris & operoſa penetratione perbellè agit, ſicut & Philo initio libri de ſomniis. Qui item libro de Gigantibus, fundamentum-

damentum craſſiſſimæ ignorãtiæ qua grauamur, ſtatuit eſſe carnes, quarum ſarcina nos propè ad terram affigit; & pronos ceruice demiſſa à ſole veritatis conſpiciendo auertit; vnde tanta apud nos ſcientiæ penuria & ignorantiæ vbertas, in quam rem egregiè Arnobius initio libri ſecundi. Deplorat quoque S. Auguſtinus 22. Ciuit. cap. 22. horrendam (vt vocat) profunditatem ignorantiæ, omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipientem. Eſt enim ignorantia, vnum-è vulneribus mentis humanæ, eiuſque veluti exoculatio. Nam tametſi intellectus eſt oculus animæ iuxta Philonem; tamen oculus ille abſque ſcientia eſt quid emortuum, & videndi facultatem niſi ſciendo non exerit. At interuentu peccati multipliciter impedita eſt ſcientiæ comparatio per intellectum non vna plaga ſauciatum, vt Bellarminus l. 6. de ſtatu peccati c. 9. eleganter proſequitur: quia quamuis omnia naturalia manſerint nobis integra poſt peccatum, tamen ſubtractione multorum donorum indebitorum, & multiplicis prouidentiæ, extrinſecæ per peccatũ primi hominis in pœnam ſubſecutam nobis permiſſi; frequenter & multipliciter impingimus: & ſaltem (quod ad hunc potiùs locum ſpectat, quia de ſola puræ negationis ignorantia eſt hic ſermo,) non comparamus ſcientiam multarum rerum quam ad prædictum modum adiuti comparare potuiſſemus, longè expeditiùs, atque ſecuriùs. Hoc igitur eſt ignorantiæ probrum, cui magna pars generis humani infeliciter ſubiacet, etiam iis non excluſis, qui aliquid ſe ſcire putant, qui eo ipſo ignorantes ſunt habendi. Quod enim rectè dixit Naz. orat. 2. de Theol. ignorare quàm pauca ſciamus, eſt ipſam ignorantiam ignorare. Tunc tamen peculiariter ignorantia probris accenſetur, & alicui falsò impacta eſt vera calumniæ materia, cùm deeſt ſcientia eorum quæ quis ſcire tenetur, aut quorum profitetur cognitionem. Et hac ratione aliquos Sanctos, calumnia ignorantiæ grauatos, hic producemus, atque purgabimus.

Moyſes à Iuliano Apoſtata deriſus eſt, & ignorans rudiſque literarum, vt habetur ex S. Cyrillo l. 1. & 2. Iulianomaſtygis. Nec aliter cum Moſe egit Galenus lib. 2. de vſu partium, & alij quibus ſimplex & abſque demonſtrationibus Moſis narratio viſa eſt inſulſa, & ruſticum potiùs ac idiotam redolens, quàm peritum. Audaciùs etiam Celſus apud Origenem l. 4. Moſem omnium mortalium fatuiſſimum & imperitiſſimum dixit. Hæc tamen mendaciſſima fuit calumnia Nam Moyſem fuiſſe eruditiſſimum, & omnis ſapientiæ, non diuinæ tantùm, ſed etiam humanæ refertiſſimum, conſtans eſt omnium peritorum aſſertio. Ago de Græcis & Latinis, præter Hebræos, quorum teſtimonia poſſent fortaſſis haberi ſuſpecta; Philonem inquam, Ioſephum, & ſupra omnes Rabbi Moyſem Ægyptium l. de ſymbolo fidei Iudæorum artic. 7. Genebrardo Interprete. E noſtris Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. præfatur ex Numenio Pythagoræo illud protritum, quo Moſis ſapientia ſimul & elegantia inſinuatur; Quid eſt Plato, niſi Moſes qui loquitur atticè? Tum addit.

[Cùm ætate eſſet grandior, Arithmeticam & Geometriam, Rhythmicam, & Harmonicam, & præterea Medicinam ſimul & Muſicam doctus eſt, ab iis qui erant inſignes inter Ægyptios: & præterea eam quæ traditur per ſymbola ſeu ſigna philoſophiam, quam in literis oſtendunt hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem, tanquam puerum Regium, Græci eum docuere in Ægypto, vt dicit Philo in vita Moſis. Didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum cœleſtium ſcientiam à Chaldæis, & ab Ægyptiis. Vnde in eius rebus geſtis dicitur, *doctus fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum,*

Confeſſarij non ſit interrogare, ſed audire, vt Soto aiebat: tamen vt idem fatetur, ad hoc vt Confeſſarius plenè audiat, ſicut neceſſe eſt ad ſanandum & debitè iuuandum pœnitentem; oportet in euentibus præractis, Confeſſarium adhibere interrogationes, idque illi præſcribunt ſacri Canones, cap. *Omnis vtriuſque ſexus* de pœnit. & remiſſ. & cap. 1. diſt. 6. de pœnit. §. diligenter: quibus locis Confeſſarius iubetur diligenter inquirere, & ſubtiliter inueſtigare, conſcientiam pœnitentis. Et vt ſilerent Canones, Confeſſarius planè ad id tenetur vi ſuſcepti muneris, quomodocunque illud ſuſceperit: id eſt ſiue rogatus, ſiue vltrò ſe ingerens. Ex quo enim illud ſuſcepit debet præſtare quæ neceſſaria ſunt, vt munus illud obeat fideliter. Quis enim ferat Medicum corporalem, qui ægrum non niſi prout tulerit notitia quam ex eius ore comparauerit, curare velit, cùm tamen plerumque æger præ ignorantia, aut perturbatione, reticeat aliqua, de quibus niſi Medicus interroget ex notitia ab ægro ſolo nihil diſcuſſo ſubminiſtrata præſcribat pharmaca, peribit æger. Idem eſt de Iudice temporali, quem conſtat malè functurum ſuo munere, ſi præciſè de auditis pronuntiare ſemper vellet; nec vnquam reum de re vlla interrogaret. Auditor item rationum dati & accepti, qui nollet aliud referre in tabulas, quàm quod ab aliis vltrò referentibus audiret, infideliter erga dominum ſe gereret, cuius pleraque damna non auerteret, gerens ſe ad eum modum.

Confeſſarius ergo cùm in domo Dei gerat perſonã Medici erga ſpirituales ægrotos, Iudicis erga reos corãDeo, & rationẽ ponẽtis cum villicis & ſeruis Domini ſui; quando res fert, & probabiliter iudicat ita eſſe neceſſarium, vt plena ſit quoad materiam neceſſariam Confeſſio, & vt ritè proſpiciat deuitationi recidiui in pœnitente, (ſicut verè ſæpè eſt neceſſarium in certis peccatis quæ ſi inolita ſint aliter curanda ſunt, quàm ſi tunc primùm ſint admiſſa;) tantùm abeſt vt interrogando debeat dici curioſus, vt potiùs niſi ita ſe gerat peccet, non modò contra charitatem pœnitenti debitam, ſed etiam contra religionem, obſtringentem ad curandam Sacramenti indemnitatem. Eſtque ea obligatio tanta, vt poſſit ad mortalem culpam ſufficere, ſi videtur; vt tradunt Angelus V. *Interrogationes*, & Nauarrus ad dictum § diligenter num. 7. ac Reginaldus cap. illo 2. n. 1. Quanquam non niſi de culpis, vt plurimùm in eo ſtatu admitti ſolitis, interrogandus quis eſt; nec niſi qui ſcientiæ eſt inops, aut pudore vinci præſumitur: cauendaque eſt diligentia nimia vt S. Thomas admonet in 4. d. 16. q. 3. præſertim (vt ait) circa venerea: de quibus præter numerum & ſpeciem, nihil eſt inquirendum, vel audiendum. Hac temperatione ſeruata, intolerabilis Confeſſarij grauatio, quam aliqui noſtræ ſententiæ impingunt, ita ſubleuabitur, vt ferri non difficile poſſit ac debeat.

CAPVT XXI.

De Ignorantia.

Mater curioſitatis eſt ignorantia, cuius idcirco probrum nunc annectam. Non ago porrò de ea ignorantia quæ dicitur *praua diſputationis*, eſtque idipſum quod error, ſed de ea ignorantia quæ dicitur *pura negationis*, nec aliud eſt quàm inſcientia & defectus cognitionis, etiamſi homo poſitiuo errore vacet. Hæc ignorantia, præ veritatis difficili peruaſione, tam humanitatis propria eſt, quàm diuinitatis ſcientia, iuxta Lactantium l. de ira Dei cap. 1. vbi de veri latebris & operoſa penetratione perbellè agit, ſicut & Philo initio libri de ſomniis. Qui item libro de Gigantibus, fun

damentum-

damentum craſſiſſimæ ignorãtiæ qua grauamur, ſtatuit eſſe carnes, quarum ſarcina nos propè ad terram affigit; & pronos ceruice demiſſa à ſole veritatis conſpiciendo auertit; vnde tanta apud nos ſcientiæ penuria & ignorantiæ vbertas, in quam rem egregiè Arnobius initio libri ſecundi. Deplorat quoque S. Auguſtinus 22. Ciuit. cap. 22. horrendam (vt vocat) profunditatem ignorantiæ, omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipientem. Eſt enim ignorantia, vnum è vulneribus mentis humanæ, eiuſque veluti exoculatio. Nam tametſi intellectus eſt oculus animæ iuxta Philonem; tamen oculus ille abſque ſcientia eſt quid emortuum, & videndi facultatem niſi ſciendo non exerit. At interuentu peccati multipliciter impedita eſt ſcientiæ comparatio per intellectum non vna plaga ſauciatum, vt Bellarminus l. 6. de ſtatu peccati c. 9. eleganter proſequitur: quia quamuis omnia naturalia manſerunt nobis integra poſt peccatum, tamen ſubtractione multorum donorum indebitorum, & multiplicis prouidentiæ, extrinſecæ per peccatū primi hominis in pœnam ſubſecutam nobis permiſſi; frequenter & multipliciter impingimus: & ſaltem (quod ad hunc potiùs locum ſpectat, quia de ſola puræ negationis ignorantia eſt hic ſermo,) non comparamus ſcientiam multarum rerum quam ad prædictum modum adiuti comparare potuiſſemus, longè expeditiùs, atque ſecuriùs. Hoc igitur eſt ignorantiæ probrum, cui magna pars generis humani infeliciter ſubiacet, etiam iis non excluſis, qui aliquid ſe ſcire putant, qui eo ipſo ignorantes ſunt habendi. Quod enim rectè dixit Naz. orat. 2. de Theol. ignorare quàm pauca ſciamus, eſt ipſam ignorantiam ignorare. Tunc tamen peculiariter ignorantia probris accenſetur, & alicui falsò impacta eſt vera calumniæ materia, cùm deeſt ſcientia eorum quæ quis ſcire tenetur, aut quorum profitetur cognitionem. Et hac ratione aliquos Sanctos, calumnia ignorantiæ grauatos, hic producemus, atque purgabimus.

Moyſes à Iuliano Apoſtata deriſus eſt, & ignorans rudiſque literarum, vt habetur ex S. Cyrillo l. 1. & 2. Iulianomaſtygis. Nec aliter cum Moſe egit Galenus lib. 2. de vſu partium, & alij quibus ſimplex & abſque demonſtrationibus Moſis narratio viſa eſt inſulſa, & ruſticum potiùs ac idiotam redolens, quàm peritum. Audaciùs etiam Celſus apud Origenem l. 4. Moſem omnium mortalium fatuiſſimum & imperitiſſimum dixit. Hæc tamen mendaciſſima fuit calumnia Nam Moyſem fuiſſe eruditiſſimum, & omnis ſapientiæ, non diuinæ tantùm, ſed etiam humanæ refertiſſimum, conſtans eſt omnium peritorum aſſertio. Ago de Græcis & Latinis, præter Hebræos, quorum teſtimonia poſſent fortaſſis haberi ſuſpecta; Philonem inquam, Ioſephum, & ſupra omnes Rabbi Moyſem Ægyptium l. de ſymbolo fidei Iudæorum artic. 7. Genebrardo Interprete. E noſtris Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. præfatur ex Numenio Pythagoræo illud protritum, quo Moſis ſapientia ſimul & elegantia inſinuatur; Quid eſt Plato, niſi Moſes qui loquitur atticè? Tum addit.

[Cùm ætate eſſet grandior, Arithmeticam & Geometriam, Rhythmicam, & &. Harmonicam, & præterea Medicinam ſimul & Muſicam doctus eſt, ab iis qui erant inſignes inter Ægyptios: & præterea eam quæ traditur per ſymbola ſeu ſigna philoſophiam, quam in literis oſtendunt hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem, tanquam puerum Regium, Græci eum docuere in Ægypto, vt dicit Philo in vita Moſis. Didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum cœleſtium ſcientiam à Chaldæis, & ab Ægyptiis. Vnde in eius rebus geſtis dicitur, *doctus fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum,*

Digitized by Google

rum. Eupolemus autem in libro de Iudææ Regibus, dicit Moyſem primum fuiſſe ſapientem; & Grammaticam primùm tradidiſſe Iudæis,& Phœnices accepiſſe à Iudæis, Græcos autem à Phœnicibus.] Habet Clemẽs alia de Moſe illuſtria. Prædicat quoque eius ſapientiã Conſtantinus Magnus orat. ad ſanctorum cœtum cap. 17. vbi primùm de eo ſic habet. [At quid de Moſe pro dignitate ſatis dici poteſt?] Addit, eum tanta præcelluiſſe ſapientia, vt ſapientes & Philoſophi à gentilibus plurimùm prædicati, eius ſapientiæ æmuli & imitatores exiſterent. Id quod de Anaxagora, Pythagora, Socrate, Platone, aliiſque dixit Theodoretus l. 2. contra Græcos, vocans Moſem eam ob cauſam, *ſapientiæ ac Theologiæ Oceanum, à quo omnia ſapientiæ maria, & flumina profluxerunt.* Copioſus eſt in Moſis ſapientia illuſtrãda inter Neotericos, Poſſeuinus in Apparatu ſacro V. *Moyſes*, & l. 2. Biblioth. ſelectæ c. 3. 4. & 5. Sed mitto alia proferre, quòd ex paucis adductis, calumnia Iuliani de Moſis ruditate & ignorantia, ſatis ſuperque diſiecta & euerſa videatur.

IESVS Chriſtus Dominus noſter, ignorantiæ multiplicis inſimulatus eſt ab impiis Hæreticis Themiſtio quodam parente editis: vnde etiam pro more Hæreticorum omnium, nomenclationem ab authore ſumendi, denominati ſunt *Themiſtiani:* quos itẽ Chriſtum ignaniæ & timiditatis arguiſſe, refert Damaſcenus in hæreſeon ſyllabo. Agnoitæ autem dicti ſunt, ob affictam Chriſto ignorantiam, ex ipſiuſmet Chriſti aſſertione, dicentis ſe diem Iudicij ignorare. Itaque cùm Chriſtus per omnia nobis ſimilis eſſet abſque peccato, ignorantiæ paſſionem ita Chriſto inhæſiſſe aſſerebant hi Hæretici, vt non plùs ſciret quàm ferret humanæ naturæ capacitas, atque adeò omnino multa ignoraret. Verſant iſta diffuſiùs Leontius l. de ſectis actio. 5. & 10. Euthymius tit. 16. & 17. Panopliæ, Nicephorus leg. 18. cap. 50. & paſſim Hæreſeologi. Ignorantiam item Chriſto affictam eſſe à Luthero, Caluino, Beza, paſſimque à nouis Hæreticis tradit Bellarminus lib. 4. de Chriſto cap. 1.

Verum hæc calumnia adeò malè materiata eſt, vt non confutatione, ſed execratione egeat. Confutauit eam iam olim S. Eulogius teſte S. Gregorio l. 8. epiſt. 42. qui S. Eulogij laborem commendat, & refellit ipſe quoque breuiter hanc propudioſam calumniam, qua ſecundus Adam deiicitur infra primum: qui in primo ortu ſuo plenus fuit ſapientia: contra quam Chriſtus iuxta hos impios, & infans & grandis natu ſapientiam habuit ignoratione dehoneſtatam. Scripturas & Patres variaque argumenta contra hoc dedecus Chriſto affictum adducunt Scholaſtici 3. part. & Bellarminus l. 4. de Chriſto cap. 2. 3. 4. 5. Valeat verò Leontius qui l. de ſectis actio. 10. ait, propemodùm vniuerſos Patres ignorantiam Chriſti agnoſcere, & Scripturam aſtipulari, agnoſcentem, profectum Chriſti in ſapientia; diſcentis id ſcilicet, quod ignorabat. Nos è contrario teſtimoniis Patrum & Scripturarum obrui poſſe Leontium dicimus, & in Opere de Chriſto, abundè monſtrauimus. Hic obiter tantùm attingenda ſunt contrarij erroris fundamenta, quæ ſunt planè nulla. Ex eo enim quòd Chriſtus ab Apoſtolo dictus ſit nobis aſſimilatus per omnia, & ab Euangeliſta dictus eſt profeciſſe ſapientia, & ex eo quòd ipſemet dixerit ſe neſcire diem iudicij, calumnioſè grauatus eſt probro ignorantiæ. At hoc poſtremum malè vrgeri, & ſenſum dicti illius cum Chriſti ſcientia & ignorantiæ excluſione rectè cohærere, dictum eſt in Opere de Æquiuoc. cap. 10. n. 8. & cap. 12. n. 1. & 2. Itaque ex eo loco, perperam infertur ignorantia in intellectu Chriſti humano, etiam ſi S. Euſtathius Antiochenus l. 6.

Digitized by Google

aduerſus Arrianos, loco quem profert Facundus l. 11. pro tribus capitulis c. 1. videtur dare manus, & alij pauci Patres adducti numero illo 8. parum aptè eum nodum expediuerint. Chriſti tamen ignorantia prorſus excluſa; Profectus in ſapientia, non fuit niſi quoad opera auctiorem ſapientiam prodentia. Quòd verò Paulus dicitur ſtatuiſſe Chriſtum nobis per omnia aſſimilatum, præterquàm in peccato, non ex fide allegatur, vt Bellarminus rectè monuit l. 4. de Chriſto cap. 5. Apoſtolus enim tantùm dixit, Chriſtum nobis eſſe per omnia aſſimilatum, quoad naturam; & alibi dixit, Chriſtum tentatum eſſe per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: quod longè aliud eſt quàm tribuere Chriſto ignorantiam. Quæ item à Chriſto depelli poteſt, quatenus eſt conſectarium peccati, quod prorſus à Chriſto exulauit; & fuiſſet potiùs redemptionis noſtræ impedimentum, vt benè perſpexit Cornelius Hebr. 4. n. 219.

S. Paulus à quodam Ethnico quem S. Chryſoſtomus homil. 3. in 1. ad Cor. ſe audiuiſſe teſtatur, rudis & indoctus eſt habitus. Item à Nerone ignorantiæ eſt notatus, vt quidem refert Petrus Cluniacenſis ad artic. 1. Petrobruſianorum. Prælocutus enim D. Pauli Epiſtolas ab omnibus hæreticis fuiſſe ſuſceptas ſummo cum honore, addit. [Sed quid de hæreticis loquor? Nonne & ipſos Paganos, imò & eos qui inter illos magis ſtudere ſapientiæ videbantur Philoſophos, hæc Apoſtolicarum epiſtolarum (vt legitur) lectio præcellebat? Nonne ipſi Paulo, famoſus ille Philoſophus Seneca dixit, nullas ſe credere ſuffecturas ætates ad literarum illarum altitudinem capiendam? Nonne & illa crudelis beſtia Nero, his eodem Philoſopho recitante auditis, mirari ſe dixit, vnde homini, (vt dicebat,) indocto, tanta ſcientia ineſſe potuit?] Hæc de Paulo à Nerone dicta eſſe, vnde habuerit Petrus Cluniacenſis, me latet. Cuiuſcunque tamen ſint, certum eſt falſiſſima eſſe, & calumnia ſordere. Nam tantùm abeſt vt S. Paulus indoctus, fuerit & ignorantia laborauerit, vt è contrario, Feſtus homo Ethnicus, ſapientiæ humanæ minimè vacuus, Paulum præ exuberantia doctrinæ, inſanire diceret. Et vt magis ſobria referam, Chriſtianus cum Ethnico certans ex ſancto Chryſoſtomo homil. 3. in 1. ad Corinth. non dubitauit, quin quoad doctrinam, S. Paulus Platoni, cuidam veluti Deo ſapientiæ Ethnicæ, eſſet anteferendus. Neminem fugit, quantus B. Pauli laudum buccinator fuerit S. Chryſoſtomus. At in Paulinæ ſapientiæ exornatione perpetuus eſt, & copioſus. Nominatim verò homilia 4. de laud. Pauli eum appellat, *mare ſapientiæ puriſſimum ac profundiſſimum.* S. Hieronymus q. 11. ad Hedibiam, non dubitauit pronuntiare, S. Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, quippè eruditum ad pedes Gamalielis; Et Epiſtol. 151. ait quod Apoſtolus negauit, ſe imperitum ſcientia eſſe, crebro ſe verum agnouiſſe, & tunc etiam id ſe approbare fatetur. Quanquam autem nolim negare, Apoſtolum humana diligentia paraſſe ſibi eximiam ſapientiam ad pedes Gamalielis; ac ex allegatione Poëtarum Græcorum, conſtet eum externæ quoque eruditionis fuiſſe participem, quam in patria Tarſo, literarum humaniorum & philoſophiæ inſigni altrice, vt Strabo l. 4. memorat, potuit ante vocationem ad Chriſtum combibiſſe: Tamen nihil hæc præ ſapientia diuinitùs communicata B. Paulo, ad totius orbis eruditionem: à qua Sapientia B. Petrus epiſtolæ 2. cap. 3. celebrabat B. Paulum. Et præ hac cœleſti eius Sapientia, Patres interdum humanam B. Pauli eruditionem depretiant; quaſi pro nihilo habentes, quicquid humanæ literaturæ, aut etiam ſacræ parare potuerat, præ indita ipſi diuinitus

Ggg Sapientiæ

Sapientia. Quo pacto accipiendus eſt D. Chryſoſtomus, Paulum imperitum & illiteratum fuiſſe agnoſcens hom. 3. & 6. in 1. Corinth. & homil. 4. in 2. ad Timoth. Agunt de præcellenti B. Pauli Sapientia, aptè ad calumniam de qua agimus euertendam, Iuſtinianus diſput. 3. proëm. cap. 2. & Cornelius Proëmio in Paulum cap. 3.

Chriſtiani, à Celſo ex ſenſu Ethnicorum, imperiti ac ignorantes pronuntiantur, apud Origenem libro contra eum tertio, vbi etiam refertur illud Chriſtianis affictum. [Nemo ad nos eruditus accedat, & ſapiens nemo. Hæc quippè ſunt apud nos lege ſancita. Si quis verò ineruditus, ſi quis inſipiens, aut infans, fidem non adeat.] Falſos Chriſtianos, tales ſolos Deo ſuo eſſe dignos, addit ibidem Celſus, indeque rudibus tantùm & ſtultis, (cuiuſmodi ſunt ſeruiles perſonæ & ignobiles, aut fœminæ, & pueri;) potuiſſe & voluiſſe Chriſtianos Doctores, committere doctrinam ſuam. Nec abnuit Origenes, potuiſſe fucum aliquibus hac in parte facere locum Apoſtoli 1. Corinth. 1. affirmantis vocationem Chriſtianorum non multos tuliſſe ſapientes ſecundum carnem, non multos nobiles: ſed Deus ſtulta huius mundi elegiſſe, vt confundat Sapientes.

Has Celſi calumnias, diffuſè eo loco proterit Origenes; negátque inprimis voces illas excludentes à fide Chriſtiana peritos & doctos, vlli qui res noſtras calleret, excidiſſe. Quinimo ſicut in veteri Teſtamento probatur ſapientiæ ſtudium & eruditio, ita & in noua lege contingere. Ad Paulum verò reſpondet Origenes, eum non improbaſſe eruditionem & ſapientiam quæ vera eſſet & ſolida; neque dixiſſe; nullum eſſe inter nos ſapientem ac eruditum; ſed tantùm dixiſſe, multos tunc tales non fuiſſe, quia docti & ſapientes, inflati vento terrenæ doctrinæ, ægriùs adducebantur vt humilem Chriſti doctrinam admitterent, vt ſanctus Chryſoſtomus ad citatum Apoſtoli locum admonuit. Cæterùm tantùm abeſt, vt Apoſtolus repellendos à fide ceuſuerit doctos ac eruditos; vt potiùs Epiſcopum velit doctrina præcellere, & ſcientia valere, vt obſiſtere aduerſariis poſſit, eoſque retundere. Neque verò initia illa prædicationis Chriſtianæ planè excluſerunt eruditos, vt ex ſancti Dionyſij Areopagitæ acceſſu ad fidem liquet: Tametſi haud ita multò pòſt, longè plures & inſignes in Eccleſiam confluxerunt: è quorum lucubrationibus ſanctus Hieronymus Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum confecit, ea mente vt hanc calumniam repelleret, vt liquet ex hac præfationis clauſula. [Diſcant ergo Celſus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduerſùs Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant Eccleſiam nullos Philoſophos & eloquentes, nullos habuiſſe Doctores; quanti & quales viri eam fundauerint; & deſinant fidem noſtram, ruſticæ tantùm ſimplicitatis arguere, ſuamque potiùs imperitiam agnoſcant.]

Catholici, à primis Hæreticis, ignorantiæ ſunt notati: cùm ipſi è contrario à præcellentia ſcientiæ, *Gnoſticos*, id eſt, *ſcientes* ſe dicerent, vt Michaël Medina 5. paræn. cap. 2. pluribus tradit. Eorum parentem ſanctus Hieronymus, Baſilidem ſtatuit in Opere de Scriptoribus, Philaſtrius verò & Auguſtinus à Nicolao Diacono eos deriuant, quibus adſcribitur Lindanus Dialog. 2. Dubitantij. At ſanctus Irenæus qui eorum tempora attigit l. 1. cap. 24. Carpocratem facit Gnoſticorum parentem. Vt vt ſit, Gnoſticos damnaſſe Catholicos imperitiæ, ac pro rudibus literarum & idiotis habuiſſe ſanctus Irenæus teſtatur l. 1. contra hær. cap. 1. Et reuera Catholici erant expertes illius falſi nominis ſcientiæ, qua iſti turgebant: quamuis falsò & calumnioſè idcirco dicerentur indocti. Non enim

enim qui deliramenta & exploratas nugas ignorat, idcirco indoctus habetur. At quæ Gnoſtici iactabant,& pro magnis myſteriis obtrudebant, meræ nugæ erant & fabulæ,quibus perperam nomen *ſcientia* tribuebatur. Apoſtolus 1. Timoth.6. *falſi nominis ſcientiam* nominauit, ad hos ipſos Gnoſticos iam tunc naſcentes reſpiciens, vt ibi obſeruarunt ſanctus Chryſoſtomus & Theodoretus.Quanquam Vincentius Lyrin. cap. 26. Commonitorij, quod ab Apoſtolo de primis Gnoſticis dictum eo loco eſt, transfert ad eorum poſteros: à quibus æquè notari Catholicos imperitiæ, ſuam autem ſcientiam iactari, affirmat. Et tamen inquit Vincentius, approbans Apoſtolum falſi nominis ſcientiam iis ſuo ipſorum præconio doctiſſimis tribuentem. [Verè falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, vt ignorantia ſcientiæ,& caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione fucentur.] Non puduit tamen illos, nouam neſcio quam ignoratámque doctrinam venditantes, his ipſis verbis compellare doctos à Domino. [Venite ô inſipientes & miſeri qui vulgo Catholici vocitamini; & diſcite fidem veram quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper verò reuelata & oſtenſa eſt.] Diceres Vincentium, noſtri temporis Gnoſticos deſcribere, qui & ipſi ſapientes ſunt in oculis ſuis, Catholicos autem in tenebris eſſe & ignorantia opprimi, præfidenter confirmant. Nec malè Vincentius, ad ſui temporis hæreticos tranſlatum voluit dictum Apoſtoli de primis Gnoſticis, quos item in æui noſtri Sectariis reuiuiſcentes, tranſfudiſſe ad iſtos probra quibus à Patribus ſunt dehoneſtati, nemo iure dubitarit. Vnus enim atque idem Spiritus erroris ac tenebrarum, in omnibus operatur,qui æquè omnes ignorantia imbuit; ita vt omnes *falſi nominis Gnoſtici*, iure ſint dicendi. Eoque nomine ſanctus Irenæus

l.1. c.s incolentes, negarentur ſati ab pleniſſimo homine, à quo nos derirum verò .vt negauit Agatanhides apud mirari ſe prod. 250. quem nondum vadag. cap. 6. in rij. Videſis Torniellum lippenſ. 3. neget. à num. 46. Lipſium ctum, quales ſe ipſiſephum à Coſta lib.

Patres omnes & Dq. & lib. 4. cap. per primos annos quadcap.8. Geneſeos à Chriſto ad Neſtorium vſq; nuper, deignorantiæ notati ſunt à Ntinuitate, triarcha Conſtantinopolitano num. 8. eius dictum ex Concilio Epheſinoſitiohis verbis Chriſtophorus Gillius item tractat.7.c.13.num.10. [Inuecti ſumſi in Neſtorij ſceleratam præſumptionem, quòd ſacram Scripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe iactaret, quicunque ante ſe Magiſterij munere præditi, diuina eloquia tractauiſſent. Totam etiam Eccleſiam nunc errare, quæ (vt ipſi videbatur,) ignaros Doctores ſequeretur.]Refert iſta ex Concilio Epheſio Gillius; quæ ego neque in antiqua illius Concilij editione, neque in pleniſſima emiſſa à Peltano, neque in nupera Romana deprehendere potui:nec abs te, cùm non ſint reuera Concilij verba, ſed Vincentij Lyrinenſis in aureo Commonitorio cap. 42. qui in breuem ſummam redigens quæ diffuſiùs tractauerat in ſecundo commonitorio quod intercidit, memorat damnatum eſſe Neſtorium, præ faſtu & ſuperbia, qua omnes ante ſe Eccleſiæ Antiſtites & Doctores, tanquam ignorantes deſpneret;& in eam præſumptionem, inuectum ſe eſſe prodit Vincentius. Quanquam autem præſumptio illa Neſtorij, omnes retrò Patres atque Doctores contemnentis,damnantiſque ignorantiæ, non referatur in Concilio Epheſino, illiſmet verbis quæ tanquam Concilij allegabantur; res tamen ipſa,non ſemel in prædicto Concilio exprimitur. Nec ſic ſolus aut primus inter Hæreticos deſipuit Neſtorius: cùm

Iacob, ſi de acquirenda per eos ſcientia futurorum, ſollicitus fuiſſet.

Chriſtianis impingebat Iulianus Apoſtata, quòd ad captandam abditorum cognitionem, dormirent in Martyrum ſepulchris. Ita refert S. Cyrillus l. 10. in Iulia, qui multipliciter monſtrat, hanc eſſe turpem in Chriſtianos calumniam, cuius ad veritatem notari deberent Græci. Nam apud eos nihil vulgatius, quàm diuinationem captare per ſomnia. Et idem feciſſe adhuc ſuo tempore Ethnicos, tradit ſanctus Hieronymus in c. 65. Iſaiæ, circa illa verba perperam à Iuliano in Chriſtianos intorta. *Qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres; qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt.* Addunt 70. *διὰ ἐνύπνια, propter ſomnia.* [In delubris (ait ibi D. Hieronymus,) idolorum dormiunt, vbi ſtratis pellibus hoſtiarum, incubare ſoliti erant, vt ſomniis futura cognoſcerent. Quod in fano Æſculapij, vſque hodie error celebrat Ethnicorum, multorúmque aliorum. Alia in eam rem permulta profero in Natur. Theol. diſtinct. 4. à num. 44. ad 50. Nèquiter ergo & calumniatoriè Iulianus Apoſtata, labem de qua agimus, impingit Chriſtianis, qua per illudmet tempus ſordebant Ethnici; & iam olim quoque ſorduerant: vt de Pythagora prodidit Porphyrius in Pythagoræ vita, adducto Antiphontis libro de viris virtute illuſtribus; in quo captatæ à Pythagora diuinationis per inſomnia, diſertè meminit. Apud Tullium l. 1. de diuin. idem à Spartanis in templo Paſiphaës, factum refertur. Pleraque huiuſmodi Pſychomantæa (ſic enim nominabant,) annumerat Bulengerius in opere de diuinat. toto libro 5. Quanquam quòd inter ſepulchra illa in quibus Ethnici dormientes aucupabantur futurorum cognitionem per ſomnia, Porphyrius apud ſanctum Cyrillum libro illo 10. in Iulia. numerat ſepulchrum Appollinis in loco qui dicitur *Tripos*, à tribus Triopi filiabus Appollinem miſerè cæſum deflentibus; malè à quopiam acceptum eſt; cùm exiſtimauit, vulgatiſſimus Apollinis tripodem eò pertinere; nihilque aliud fuiſſe quàm Apollinis ſepulchrum vnde funderentur oracula. Quicquid enim ſit de eo loco *Tripos* dicto, vbi Appollo eſſet conditus, verè Pythiam è tripode fudiſſe dæmoniaca oracula, euictum ſufficienter manet ex dictis diſtinct. illa 4. à n. 62. Cæterùm mendaciter Iulianus, Chriſtianos dormitionis in Martyrum delubris ad captanda ſomnia diuinatoria inſimulabat, cùm Chriſtiani non pernoctarent in ſacris Martyrum conditoriis ad dormiendum, ſed ad ſacras vigilias ibi obeundas, iuxta antiquiſſimum iu Eccleſia vſum, de quo latè Durantus l. 1. de ritibus cap. 4. & Baronius in Rom. Martyrol. ad 5. Ianuarij. Nec poterat eum ſacratum vigiliarum vſum in Chriſtianis ſugillare Iulianus, quin vnà ſuos Ethnicos notaret, apud quos viguiſſe ſimilem peruigiliorum vſum, liquet ex iis quæ habet Lipſius l. 1. Elector. cap. 5. leguntur item illa apud Arnobium lib. 5. [Theſmophoriis, gente ab Attica, ſancta illa peruigilia conſecrata ſunt, & pannychiſmi graues.]

S. Helena, quòd inueniendæ Cruci Dominicæ, nauarit operam à Caluino l. de reliquiis, notata eſt *ſtultæ curioſitatis*, vel *curioſæ ſtultitiæ*. Sed hæc eſt non iam ſtultitiæ, ſed calumniandi rabies Caluino digna: quæ non in vnam modò ſanctam Helenam graſſatur, ſed in alios propè innumeros, qui vel ſanctæ Helenæ veſtigandi Crucem autores fuerunt, vel ei ſunt cooperati in eadem Cruce veſtiganda, vel eius factum ac ſtudia approbarunt. Quærendi S. Crucem, autor beatæ Helenæ, imprimis fuit Spiritus Sanctus, in quem proinde peccat Caluinus, proſcindens ex hac cauſa ſanctam Helenam. Nam eam cœleſti Spiritus Sancti afflatu excitatam, & diuinis viſis admonitam,

in

in S. Crucis veſtigationem incubuiſſe, ſcribunt varij: vt ſanctus Ambroſius oratione de obitu Theodoſij Magni, Euſebius in Chronico, ann. 325. Alexander Monachus in hiſtoria Inuẽtionis S. Crucis, Georgius Hamartolus in Chronico, S. Paulinus epiſtola 11. Ruffinus l. 1. Eccleſ. hiſtor. cap. 7. Socrates l. 1. hiſtor. cap. 13. Sozomenus l. 2. cap. 1. & Nicephorus l. 8. c. 29. Itaque Deum ipſum, à quo ſancta Helena de tam multorum ſententia, ad veſtigandam Crucem Domini impulſa eſt, impetit Caluini calumnia. Nec minùs furioſè in Conſtantinum Magnum, quàm in eius matrem cadit eadem calumnia. Nam pleriſque tradunt S. Helenam à filio Conſtantino miſſam eſſe ad diuinæ Crucis veſtigationem. Ita Leo Imperator epiſtola ad Vmarum, Berengoſus l. 2. de Cruce cap. 5. Item Alexander Monachus, Georgius Hamartolus, locis annotatis, qui ſupra diuinum afflatum, agnoſcunt Conſtantinum Matris profectionem ad Crucem veſtigandam, vel indixiſſe, vel approbaſſe. Ferit quoque ea Caluini calumnia, Macarium Hieroſolymitanum, & collectos ab eo totius Prouinciæ Epiſcopos, vt Reginæ Crucem veſtiganti præſto eſſent: quod & fecerunt collaudantes ſanctæ Helenæ ſtudium, eique (vt poterant) cooperantes. Denique ſancta Helena quam Caluinus impiè mordet ob veſtigandam Crucem Domini, Patres grauiſſimi, è contrario, magnis exornant præconijs, eam ob cauſam: vt ſanctus Ambroſius in Theodoſij Monodia, ſanctus Paulinus epiſtola illa 11. & ſplendidè Theodoretus 1. hiſtor. cap. 18. ac Ruffinus l. 1. hiſtor. cap. 7. Ipſa Eccleſia, quotannis Inuentionem S. Crucis peculiari feſto recolit 3. Maij, de cuius feſti antiquitate & ſolemnitate Suarez l. de feſtis cap. 8. num. 1. Et idem in Oriente fiebat, tertia die à reſurrectione Domini; Illa etenim die celebrabant Reſurrectionem Crucis, emerſionem eius ſurſum, vt habetur ex Oratione Sophronij in S. Crucem. Quanta ergo fuit Caluini impudentia, qua ſanctæ Helenæ in Cruce veſtiganda pium ſtudium, ab vniuerſa Eccleſia celebratum, à Patribus ſummopere commendatum, diuinis miraculis in ea inuentione interpoſitis (vt prædicti Auctores referunt,) comprobatum; auſus eſt calumnia *ſtultæ curioſitatis*, vel *ſtultitiæ curioſæ*, onerare?

Theologos Scholaſticos ſugillat Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatibus, & Eraſmus in proœmio ad ſanctum Hilarium, quòd in abditis quæſtionibus ſcrutandis, inutili curioſitate ducantur. Sed iſte vberrimè, & admodùm minutè id proſecutus eſt in Annotationibus ad caput 1. epiſtolæ prioris ad Timoth. vbi Apoſtolus reprehendit quoſdam, infinitis & interminatis quæſtionibus operam dantes, conuerſos in vaniloquium εἰς ματαιολογίαν; quam Eraſmus eſſe Theologiam ſcholaſticam pronuntiat, ſubiectis exemplis friuolarum & nugacium quæſtionum, quibus eam diſtineri expoſtulat. Nec ſolus Eraſmus, Theologos ſcholaſticos hac ex cauſa reprehendit, & damnatæ curioſitatis incuſauit; ſed alij quoque, quibus non videtur ferendum, quòd myſteria noſtra quæ quantumcunque fatigemur ſemper erunt myſteria, ab homunculis in terra repentibus veſtigentur. Non ferebat Lactantius l. 3. inſtitut. cap. 20. eos qui naturam rerum putantes ingenio poſſe comprehendi, in conceſſa ſcrutabantur; & hoc cœleſte templum profanare impijs diſputationibus aggreſſi de cœlo ipſo quærebant quæ nec inuenire vnquam poſſent, nec vt inueniſſent, poſſent defendere. Multò autem magis peccare videntur ſcholaſtici qui de profundiſſimis myſteriis tanto ſtudio contendunt, nec ſapiunt ad ſobrietatem: parum memores moniti à ſapiente inſixi c. 3. Eccleſiaſtici. *Altiora*

Digitized by Google

te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non enim eſt tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multoſque ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum. Suſpicionem eorum vocat ſapiens, tenuiſſimam & coniectione inferiorem notitiam ſupernorum; quæ in vanitate & inani ſpiritus diſcruciatione tenet defixos, qui illas ſubtilitates conſectantur, iactantes cerni in eis exercendi ingenij materiam, & prodi acumen quo quis polleat: cùm tamen, vt de ſimilibus tricis aiebat Seneca, nihil ſit acutius ariſta. Quædam inutilia & inefficacia, ipſa ſubtilitas reddit. Legeſis eundem epiſtol. 88. in hoc argumento exſpatiantem. Vel potiùs Baſilium orat. in ſanctum Mamantem & Nazianzenum orat. 26. quæ eſt de moderatione in diſputationibus de Deo ſeruanda. Ibi tantus Theologus, præoptat curioſitati in tam abditis rebus, ignauiam. Sobrietatem item inquiſitionis de certis diuinis myſteriis ſæpè commendant Patres, improbata de eis curioſitate penitiùs ſcrutandi. Vt de Trinitate ſanctus Athanaſius Epiſtola ad Serapionem, & ſæpè ſanctus Hilarius in Opere de Trinit. De prædeſtinationis myſterio ſanctus Chryſoſtomus homil. 8. in 2. ad Timoth & ſanctus Fulgentius l. de prædeſtinat. & gratia cap. 16. De Incarnatione benè multi quos profero l. 1. de Chriſto ſect. 1. cap. 3. cautione 3. De Euchariſtia item varij adducti in prologo ad Candelabrum ſanctum ſeptiluſtre. [Nobis igitur (vt cum Tertulliano dicam l. de præſcript. cap. 8. curioſitate opus non eſt, poſt Chriſtum IESVM. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti, nihil ſcire, omnia ſcire eſt.]

[Hanc Theologorum Scholaſticorum ſugillationem, eſſe meram calumniam; nec eorum de myſteriis noſtris ſobriè ſcrutandis ſollicitudinem, inſimulandam eſſe curioſitatis, ſed commendandam tanquam diligentiam ſtudioſam iis argumentis dignam, graues DD. demonſtrarunt, & benè Canus l. 8. de locis c. 2. Franciſcus Horantius lib. 5. locorum Catholicorum cap. 3. Tannerus 1. part. diſputat. 1. quæſt. 1. dub. 2. Gillius l. 1. tractat. 1. cap. 4. Hieronymus Vielmius libr. 1. pro S. Thoma pag. 409. Dionyſius Petauius in Prolegomenis ad Theologica dogmata cap. 3. 4. 5. & 6. Sanè & pulchrè ratiocinatus eſt Gulielmus Pariſ. l. de Virtutibus *in ipſo fine*, ſunt qui accuratam & diligentem argumenti alicuius ſacri ſcrutationem, curioſitatis & ſuperfluitatis inſimulent, [quia ſicut dicit Ariſtoteles, tanquam impetiti res tam magnas, támque ſublimes, de longè ſpeculantur, non attendentes, quàm pia ſit, quámque ſalutaris in talibus curioſitas: neque quantum temporis ipſimet rebus inutilibus, ac à pietate aridis, vaniſſima curioſitate, inceſſanter impendunt.] verè profectò ac ſapienter. Quem enim latet, quanta accuratione Philologi, literis humanioribus nauantes operam, rimentur omnia ſpectantia ad negotium quo diſtinentur: quanta ſollicitudine antiquatij, mores ac vſus & ritus antiquos refodiant, marmora, nummos, veteres picturas conſulant. Hiſtoriarum profanarum meréque humanarum contextores, fibras omnes rerum de quibus diſſerunt, peruestigent, plerunque inani & caſſo labore nec vtilitate adeò magna. Et tamen exerceri iis ſcrutandis ingenium, nemo improbat, dummodo temperatio debita adhibeatur. Quomodo ergo improbari poteſt, ſobria Scholaſticorum diligentia in ſcrutandis Chriſtianis myſteriis, & inſimulari curioſitatis vanæ,

aut

aut etiam noxiæ; cùm in argumentis inanibus reprehenſione careat? Imò verò vel ipſeconatus in difficilibus quæſtionibus de verbis ſacris, indigniſſimus eſt commendatione; etiamſi deeſſet ea illuſtratio quæ deſiderabatur, vt præclarè tradit creditus Proſper in prologo ad librum 1. de vita contempl. & notaui in Theologia ſupplice libello inſtructa§.11.

Purgaui tamen ab impacta curioſitatis calumnia, ſolam ſobriam diſquiſitionem. Nam iuſto profundior ſcrutatio, oppreſſionem à gloria reportat, vt dicitur Prou. 25. & ipſe ApoſtolusRoman. 12. monuit ad ſobrietatem ſapere. Quod Apoſtoli monitum auidè amplexans ſanctus Auguſtinus l. 12. Ciuit. cap. 15. *in fine* rationem ſubiicit. [Si enim pro viribus ſuis alatur infans, fiet vt creſcendo plus capiat. Si autem vires ſuæ capacitatis excedat, deficiet antequàm creſcat.] Ad eum locum Ludouicus Viues aliam ex Quintiliano ſimilitudinem adhibet, non contemnendam. [Vaſcula (inquit) oris anguſti, ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt: ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillantibus complentur.] Itaque adhibeatur ſanè diligentia & ſcrutatio, ſed temperata: nec præceps, ſed lenta & matura. Et cùm ſcintilla quæpiam veritatis emicuerit, Deo gratiæ agantur: ſi penetratio per intellectum negetur, prudens ſcrutator non immittat cornua ad ventilandum, ſed ſubmittat caput ad venerandum. Verba ſunt ſancti Anſelmi, hanc ipſam cautionem quam tradimus, proponentis, lib. de Incarnat. Verbi cap. 2. Eadem monet Gillebertus in Altercat. cap. 4. ſub initium.

Confeſſarios, non ſemel audire memini, notatos curioſitatis, quòd aliqua expiſcari vellent à pœnitente, quæ ipſe explicata nollet; ſiue pudore victus, ſiue quod alij non ſolerent interrogare de talibus. Cui Confeſſariorum ſugillationi, mirum quantum fauet noua doctrina, quod Confeſſarij munus non ſit interrogare; ſed audire, & de auditis à pœnitente ferre ſententiam. Officium porrò Confeſſarij non eſſe interrogare, ſed audire pœnitentem, tradit Soto in 4. diſt.18. quæſt. 2. artic.4. §.*quando verò*. Et idem videtur habere additio ad ſummam Roſellam V. *Confeſſor* 2. num. 3. Saltem ſi agatur de Confeſſario non ſe ingerente, ſed requiſito; quæ eſt inutilis diſtinctio, vt liquebit ex dicendis. Iuxta eam itaque doctrinam, Confeſſarius interrogans de iis quæ pœnitens non exponit, haud abs re videtur notari curioſitatis, plerunque illecebroſæ, nec periculo vacantis in quibuſdam materiis: Adde etiam coniunctæ cum graui onere pœnitentis, quod non ita pridem accidit, non abſque ſtomacho in Confeſſarium: qui audito flagitio, percunctari auſus eſt an tunc primùm contigiſſet ea prolapſio, quod pœnitentem abalienauit, curioſitati id tribuentem.

Non licet tamen dubitare, quin hæc ſit calumnia Confeſſariis impacta, ſi modò prudenter interrogationes adhibeant; nec niſi cùm eas exigit vel pœnitentis ignorantia, vel verecundia, per quas fieret vt neceſſaria quæpiam materia reticeretur. Ad hæc enim duo capita, iuſtas Confeſſarij interrogationes, arctant Sylueſter V. *Confeſſio* 1. q. 17. & Graffis l. 1. deciſ. cap 25. n. 4. eoque reducuntur quæ Nauarrus in cap. 1. de pœnit. diſt. 6. §. *diligenter*, & Reginaldus de Prud. Confeſſ. cap 2 & 3. proferunt ad monſtrandum, quanta debeat eſſe Confeſſarij temperatio in inquirendo.]

Abſolutè tamen loquendo, teneri Confeſſariũ interrogare prudenter pœnitentẽ, cùm cenſet id eſſe neceſſarium ad plenam peccatorum mortalium expreſſionẽ; adde etiam ad pernoſcendum ſtatum pœnitentis, vt fructuoſa ſit confeſſio, & præcaueatur recidiuum, non puto eſſe dubitandum. Quia quamuis per ſe, munus

Confeſſarij non ſit interrogare, ſed audire, vt Soto aiebat: tamen vt idem fatetur, ad hoc vt Confeſſarius plenè audiat, ſicut neceſſe eſt ad ſanandum & debitè iuuandum pœnitentem; oportet in euentibus præfractis, Confeſſarium adhibere interrogationes, idque illi præſcribunt ſacri Canones, cap. *Omnis vtriuſque ſexus* de pœnit. & remiſſ. & cap. 1. diſt. 6. de pœnit. §. diligenter: quibus locis Confeſſarius iubetur diligenter inquirere, & ſubtiliter inueſtigare, conſcientiam pœnitentis. Et vt ſilerent Canones, Confeſſarius planè ad id tenetur vi ſuſcepti muneris, quomodocunque illud ſuſceperit: id eſt ſiue rogatus, ſiue vltrò ſe ingerens. Ex quo enim illud ſuſcepit debet præſtare quæ neceſſaria ſunt, vt munus illud obeat fideliter. Quis enim ferat Medicum corporalem, qui ægrum non niſi prout tulerit notitia quam ex eius ore comparauerit, curare velit, cùm tamen plerumque æger præ ignorantia, aut perturbatione, reticeat aliqua, de quibus niſi Medicus interroget ex notitia ab ægro ſolo nihil diſcuſſo ſubminiſtrata præſcribat pharmaca, peribit æger. Idem eſt de Iudice temporali, quem conſtat malè functurum ſuo munere, ſi præcisè de auditis pronuntiare ſemper vellet; nec vnquam reum de re vlla interrogaret. Auditor item rationum dati & accepti, qui nollet aliud referre in tabulas, quàm quod ab aliis vltrò referentibus audiret, infideliter erga dominum ſe gereret, cuius pleraque damna non aueiteret, gerens ſe ad eum modum.

Confeſſarius ergo cùm in domo Dei gerat perſonã Medici erga ſpirituales ægrotos, Iudicis erga reos corãDeo, & rationẽ poneris cum villicis & ſeruis Domini ſui; quando res fert, & probabiliter iudicat ita eſſe neceſſarium, vt plena ſit quoad materiam neceſſariam Confeſſio, & vt ritè proſpiciat deuitationi recidiui in pœnitente, (ſicut verè ſæpè eſt neceſſarium in certis peccatis quæ ſi inolita ſint aliter curanda ſunt, quàm ſi tunc primùm ſint admiſſa;) tantùm abeſt vt interrogando debeat dici curioſus, vt potiùs niſi ita ſe gerat peccet, non modò contra charitatem pœnitenti debitam, ſed etiam contra religionem, obſtringentem ad curandam Sacramenti indemnitatem. Eſtque ea obligatio tanta, vt poſſit ad mortalem culpam ſufficere, ſi videtur; vt tradunt Angelus V. *Interrogationes*, & Nauarrus ad dictum § diligenter num. 7. ac Reginaldus cap. illo 2. n. 2. Quanquam non niſi de culpis, vt plurimùm in eo ſtatu admitti ſolitis, interrogandus quis eſt; nec niſi qui ſcientiæ eſt inops, aut pudore vinci præſumitur: cauendaque eſt diligentia nimia vt S. Thomas admonet in 4. d. 16. q. 3. præſertim (vt ait) circa venerea: de quibus præter numerum & ſpeciem, nihil eſt inquirendum, vel audiendum. Hac temperatione ſeruata, intolerabilis Confeſſarij grauatio, quam aliqui noſtræ ſententiæ impingunt, ita ſubleuabitur, vt ferri non difficile poſſit ac debeat.

CAPVT XXI.

De Ignorantia.

MAter curioſitatis eſt ignorantia, cuius idcirco probrum nunc annectam. Non ago porrò de ea ignorantia quæ dicitur *praua diſputationis*, eſtque idipſum quod error, ſed de ea ignorantia quæ dicitur *puræ negationis*, nec aliud eſt quàm inſcientia & defectus cognitionis, etiamſi homo poſitiuo errore vacet. Hæc ignorantia, præ veritatis difficili peruaſione, tam humanitatis propria eſt, quàm diuinitatis ſcientia, iuxta Lactantium l. de ira Dei cap. 1. vbi de veri latebris & operoſa penetratione perbellè agit, ſicut & Philo initio libri de ſomniis. Qui item libro de Gigantibus, fun-

dmentum-

ſamentum craſſiſſimæ ignorātiæ qua grauamur, ſtatuit eſſe carnes, quarum ſarcina nos propè ad terram affigit; & pronos ceruice demiſſa à ſole veritatis conſpiciendo auertit; vnde tanta apud nos ſcientiæ penuria & ignorantiæ vbertas, in quam rem egregiè Arnobius initio libri ſecundi. Deplorat quoque S. Auguſtinus 22. Ciuit. cap. 22. horrendam (vt vocat) profunditatem ignorantiæ, omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipientem. Eſt enim ignorantia, vnum è vulneribus mentis humanæ, eiuſque veluti exoculatio. Nam tametſi intellectus eſt oculus animæ iuxta Philonem; tamen oculus ille abſque ſcientia eſt quid emortuum, & videndi facultatem niſi ſciendo non exerit. At interuentu peccati multipliciter impedita eſt ſcientiæ comparatio per intellectum non vna plaga ſauciatum, vt Bellarminus l. 6. de ſtatu peccati c. 9. eleganter proſequitur: quia quamuis omnia naturalia manſerint nobis integra poſt peccatum, tamen ſubtractione multorum donorum indebitorum, & multiplicis prouidentiæ, extrinſecæ per peccatū primi hominis in pœnam ſubſecutam nobis permiſſi; frequenter & multipliciter impingimus: & ſaltem (quod ad hunc potiùs locum ſpectat, quia de ſola puræ negationis ignorantia eſt hic ſermo,) non comparamus ſcientiam multarum rerum quam ad prædictum modum adiuti comparare potuiſſemus, longè expeditiùs, atque ſecuriùs. Hoc igitur eſt ignorantiæ probrum, cui magna pars generis humani infeliciter ſubiacet, etiam iis non excluſis, qui aliquid ſe ſcire putant, qui eo ipſo ignorantes ſunt habendi. Quod enim rectè dixit Naz. orat. 2. de Theol. ignorare quàm pauca ſciamus, eſt ipſam ignorantiam ignorare. Tunc tamen peculiariter ignorantia probris accenſetur, & alicui falsò impacta eſt vera calumniæ materia, cùm deeſt ſcientia eorum quæ quis ſcire tenetur, aut quorum profitetur cognitionem. Et hac ratione aliquos Sanctos, calumnia ignorantiæ grauatos, hic producemus, atque purgabimus.

Moyſes à Iuliano Apoſtata deriſus eſt, & ignorans rudiſque literarum, vt habetur ex S. Cyrillo l. 1. & 2. Iulianomaſtygis. Nec aliter cum Moſe egit Galenus lib. 2. de vſu partium, & alij quibus ſimplex & abſque demonſtrationibus Moſis narratio viſa eſt inſulſa, & ruſticum potiùs ac idiotam redolens, quàm peritum. Audaciùs etiam Celſus apud Origenem l. 4. Moſem omnium mortalium fatuiſſimum & imperitiſſimum dixit. Hæc tamen mendaciſſima fuit calumnia Nam Moyſem fuiſſe eruditiſſimum, & omnis ſapientiæ, non diuinæ tantùm, ſed etiam humanæ refertiſſimum, conſtans eſt omnium peritorum aſſertio. Ago de Græcis & Latinis, præter Hebræos, quorum teſtimonia poſſent fortaſſis haberi ſuſpecta; Philonem inquam, Ioſephum, & ſupra omnes Rabbi Moyſem Ægyptium l. de ſymbolo fidei Iudæorum artic. 7. Genebrardo Interprete. E noſtris Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. præfatur ex Numenio Pythagoræo illud protritum, quo Moſis ſapientia ſimul & elegantia inſinuatur; Quid eſt Plato, niſi Moſes qui loquitur atticè? Tum addit.

[Cùm ætate eſſet grandior, Arithmeticam & Geometriam, Rhythmicam, & & Harmonicam, & præterea Medicinam ſimul & Muſicam doctus eſt, ab iis qui erant inſignes inter Ægyptios: & præterea eam quæ traditur per ſymbola ſeu ſigna philoſophiam, quam in literis oſtendunt hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem, tanquam puerum Regium, Græci eum docuere in Ægypto, vt dicit Philo in vita Moſis. Didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum cœleſtium ſcientiam à Chaldæis, & ab Ægyptiis. Vnde in eius rebus geſtis dicitur, *doctus fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum,*

rum. Eupolemus autem in libro de Iudææ Regibus, dicit Moyſem primum fuiſſe ſapientem; & Grammaticam primùm tradidiſſe Iudæis,&Phœnices accepiſſe à Iudæis,Græcos autem à Phœnicibus.]HabetClemẽs alia de Moſe illuſtria. Prædicat quoque eius ſapientiã Conſtantinus Magnus orat. ad ſanctorum cœtum cap. 17. vbi primùm de eo ſic habet. [At quid de Moſe pro dignitate ſatis dici poteſt?] Addit, cum tanta præcelluiſſe ſapientia, vt ſapientes & Philoſophi à gentilibus plurimùm prædicari, eius ſapientiæ æmuli & imitatores exiſterent. Id quod de Anaxagora, Pythagora, Socrate, Platone, aliiſque dixit Theodoretus l. 2. contra Græcos, vocans Moſem eam ob cauſam, *ſapientiæ ac Theologiæ Oceanum, à quo omnia ſapientiæ maria, & flumina profluxerunt.* Copioſus eſt in Moſis ſapientia illuſtrãda inter Neotericos, Poſſeuinus in Apparatu ſacro V. *Moyſes*, & l. 2. Biblioth. ſelectæ c. 3. 4. & 5. Sed mitto alia proferre, quòd ex paucis adductis, calumnia Iuliani de Moſis ruditate & ignorantia, ſatis ſuperque diſiecta & euerſa videatur.

Iesvs Chriſtus Dominus noſter, ignorantiæ multiplicis inſimulatus eſt ab impiis Hæreticis Themiſtio quodam parente editis: vnde etiam pro more Hæreticorum omnium, nomenclationem ab authore ſumendi, denominati ſunt *Themiſtiani:* quos item Chriſtum ignauiæ & timiditatis arguiſſe, refert Damaſcenus in hæreſeon ſyllabo. Agnoitæ autem dicti ſunt, ob affictam Chriſto ignorantiam, ex ipſiuſmet Chriſti aſſertione, dicentis ſe diem Iudicij ignorare. Itaque cùm Chriſtus per omnia nobis ſimilis eſſet abſque peccato, ignorantiæ paſſionem ita Chriſto inhæſiſſe aſſerebant hi Hæretici, vt non plùs ſciret quàm ferret humanæ naturæ capacitas, atque adeò omnino multa ignoraret. Verſant iſta diffuſiùs Leontius l. de ſectis actio. 5. & 10. Euthymius tit. 16. & 17. Panopliæ, Nicephorus leg. 18. cap. 50. & paſſim Hæreſeologi. Ignorantiam item Chriſto affictam eſſe à Luthero, Caluino, Beza, paſſimque à nouis Hæreticis tradit Bellarminus lib. 4. de Chriſto cap. 1.

Verum hæc calumnia adeò malè materiata eſt, vt non confutatione, ſed execratione egeat. Confutauit eam iam olim S. Eulogius teſte S. Gregorio l. 8. epiſt. 42. qui S. Eulogij laborem commendat, & refellit ipſe quoque breuiter hanc propudioſam calumniam, qua ſecundus Adam deiicitur infra primum: qui in primo ortu ſuo plenus fuit ſapientia: contra quam Chriſtus iuxta hos impios, & infans & grandis natu ſapientiam habuit ignoratione dehoneſtatam. Scripturas & Patres variaque argumenta contra hoc dedecus Chriſto affictum adducunt Scholaſtici 3. part. & Bellarminus l. 4. de Chriſto cap. 2. 3. 4. 5. Valeat verò Leontius qui l. de ſectis actio. 10. ait, propemodùm vniuerſos Patres ignorantiam Chriſti agnoſcere, & Scripturam aſtipulari, agnoſcentem, profectum Chriſti in ſapientia; diſcentis id ſcilicet, quod ignorabat. Nos è contrario teſtimoniis Patrum & Scripturarum obrui poſſe Leontium dicimus, & in Opere de Chriſto, abundè monſtrauimus. Hic obiter tantùm attingenda ſunt contrarij erroris fundamenta, quæ ſunt planè nulla. Ex eo enim quòd Chriſtus ab Apoſtolo dictus ſit nobis aſſimilatus per omnia, & ab Euangeliſta dictus eſt profeciſſe ſapientia, & ex eo quòd ipſemet dixerit ſe neſcire diem iudicij, calumnioſè grauatus eſt probro ignorantiæ. At hoc poſtremum malè vrgeri, & ſenſum dicti illius cum Chriſti ſcientia & ignorantiæ excluſione rectè cohærere, dictum eſt in Opere de Æquiuoc. cap. 10. n. 8. & cap. 12. n. 1. & 2. Itaque ex eo loco, perperam infertur ignorantia in intellectu Chriſti humano, etiam ſi S. Euſtathius Antiochenus l. 6. aduerſùs

Digitized by Google

aduerſus Arrianos, loco quem profert Facundus l. 11. pro tribus capitulis c. 1. videtur dare manus, & alij pauci Patres adducti numero illo 8. parum aptè eum nodum expediuerint. Christi tamen ignorantia prorſus excluſa; Profectus in ſapientia, non fuit niſi quoad opera auctiorem ſapientiam prodentia. Quòd verò Paulus dicitur ſtatuiſſe Christum nobis per omnia aſſimilatum, præterquàm in peccato, non ex fide allegatur, vt Bellarminus rectè monuit l. 4. de Christo cap. 5. Apoſtolus enim tantùm dixit, Chriſtum nobis eſſe per omnia aſſimilatum, quoad naturam; & alibi dixit, Chriſtum tentatum eſſe per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: quod longè aliud eſt quàm tribuere Chriſto ignorantiam. Quæ item à Chriſto depelli poteſt, quatenus eſt conſectarium peccati, quod prorſus à Chriſto exulauit; & fuiſſet potiùs redemptionis noſtræ impedimentum, vt benè perſpexit Cornelius Hebr. 4. n. 119.

S. Paulus à quodam Ethnico quem S. Chryſoſtomus homil. 3. in 1. ad Cor. ſe audiuiſſe teſtatur, rudis & indoctus eſt habitus. Item à Nerone ignorantiæ eſt notatus, vt quidem refert Petrus Cluniacenſis ad artic. 1. Petrobruſianorum. Prælocutus enim D. Pauli Epiſtolas ab omnibus hæreticis fuiſſe ſuſceptas ſummo cum honore, addit. [Sed quid de hæreticis loquor? Nonne & ipſos Paganos, imò & eos qui inter illos magis ſtudere ſapientiæ videbantur Philoſophos, hæc Apoſtolicarum epiſtolarum (vt legitur) lectio præcellebat? Nonne ipſi Paulo, famoſus ille Philoſophus Seneca dixit, nullas ſe credere ſuffecturas ætates ad literarum illarum altitudinem capiendam? Nonne & illa crudelis beſtia Nero, his eodem Philoſopho recitante auditis, mirari ſe dixit, vnde homini, (vt dicebat,) indocto, tanta ſcientia ineſſe potuit?] Hæc de Paulo à Nerone dicta eſſe, vnde habuerit Petrus Cluniacenſis, me latet. Cuiuſcunque tamen ſint, certum eſt falſiſſima eſſe, & calumnia ſordere. Nam tantùm abeſt vt S. Paulus indoctus, fuerit & ignorantia laborauerit, vt è contrario, Feſtus homo Ethnicus, ſapientiæ humanæ minimè vacuus, Paulum præ exuberantia doctrinæ, inſanire diceret. Et vt magis ſobria referam, Chriſtianus cum Ethnico certans ex ſancto Chryſoſtomo homil. 3. in 1. ad Corinth. non dubitauit, quin quoad doctrinam, S. Paulus Platoni, cuidam veluti Deo ſapientiæ Ethnicæ, eſſet anteferendus. Neminem fugit, quantus B. Pauli laudum buccinator fuerit S. Chryſoſtomus. At in Paulinæ ſapientiæ exornatione perpetuus eſt, & copioſus. Nominatim verò homilia 4. de laud. Pauli cum appellat, *mare ſapientiæ puriſſimum ac profundiſſimum.* S. Hieronymus q. 11. ad Hedibiam, non dubitauit pronuntiare, S. Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, quippè eruditum ad pedes Gamalielis; Et Epiſtol. 151. ait quod Apoſtolus negauit, ſe imperitum ſcientia eſſe, crebro ſe verum agnoniſſe, & tunc etiam id ſe approbare fatetur. Quanquam autem nolim negare, Apoſtolum humana diligentia paraſſe ſibi eximiam ſapientiam ad pedes Gamalielis; ac ex allegatione Poëtarum Græcorum, conſtet eum externæ quoque eruditionis fuiſſe participem, quam in patria Tarſo, literarum humaniorum & philoſophiæ inſigni altrice, vt Strabo l. 4. memorat, potuit ante vocationem ad Chriſtum combibiſſe: Tamen nihil hæc præ ſapientia diuinitùs communicata B. Paulo, ad totius orbis eruditionem: à qua Sapientia B. Petrus epiſtolæ 2. cap. 3. celebrabat B. Paulum. Et præ hac cœleſti eius Sapientia, Patres interdum humanam B. Pauli eruditionem depretiant; quaſi pro nihilo habentes, quicquid humanæ literaturæ, aut etiam ſacræ parare potuerat, præ indita ipſi diuinitus

Sapientia. Quo pacto accipiendus eſt D. Chryſoſtomus, Paulum imperitum & illiteratum fuiſſe agnoſcens hom. 3. & 6. in 1. Corinth. & homil. 4. in 2. ad Timoth. Agunt de præcellenti B. Pauli Sapientia, aptè ad calumniam de qua agimus euertendam, Iuſtinianus diſput. 3. proœm. cap. 2. & Cornelius Proœmio in Paulum cap. 3.

Chriſtiani, à Celſo ex ſenſu Ethnicorum, imperiti ac ignorantes pronuntiantur, apud Origenem libro contra eum tertio, vbi etiam refertur illud Chriſtianis affictum. [Nemo ad nos eruditus accedat, & ſapiens nemo. Hæc quippè ſunt apud nos lege ſancita. Si quis verò ineruditus, ſi quis inſipiens, aut infans, fidem non adeat.] Faſſos Chriſtianos, tales ſolos Deo ſuo eſſe dignos, addit ibidem Celſus, indeque rudibus tantùm & ſtultis, (cuiuſmodi ſunt ſeruiles perſonæ & ignobiles, aut fœminæ, & pueri;) potuiſſe & voluiſſe Chriſtianos Doctores, committere doctrinam ſuam. Nec abnuit Origenes, potuiſſe fucum aliquibus hac in parte facere locum Apoſtoli 1. Corinth. 1. affirmantis vocationem Chriſtianorum non multos tuliſſe ſapientes ſecundum carnem, non multos nobiles: ſed Deus ſtulta huius mundi elegiſſe, vt confundat Sapientes.

Has Celſi calumnias, diffusè eo loco proterit Origenes; negátque inprimis voces illas excludentes à fide Chriſtiana peritos & doctos, vlli qui res noſtras calleret, excidiſſe. Quinimo ſicut in veteri Teſtamento probatur ſapientiæ ſtudium & eruditio, ita & in noua lege contingere. Ad Paulum verò reſpondet Origenes, eum non improbaſſe eruditionem & ſapientiam quæ vera eſſet & ſolida; neque dixiſſe, nullum eſſe inter nos ſapientem ac eruditum; ſed tantùm dixiſſe, multos tunc tales non fuiſſe, quia docti & ſapientes, inflati vento terrenæ doctrinæ, ægriùs adducebantur vt humilem Chriſti doctrinam admitterent, vt ſanctus Chryſoſtomus ad citatum Apoſtoli locum admonuit. Cæterùm tantùm abeſt, vt Apoſtolus repellendos à fide cenſuerit doctos ac eruditos; vt potiùs Epiſcopum velit doctrina præcellere, & ſcientia valere, vt obſiſtere aduerſariis poſſit, eoſque retundere. Neque verò initia illa prædicationis Chriſtianæ planè excluſerunt eruditos, vt ex ſancti Dionyſij Areopagitæ acceſſu ad fidem liquet: Tametſi haud ita multò pòſt, longè plures & inſignes in Eccleſiam confluxerunt: è quorum lucubrationibus ſanctus Hieronymus Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum confecit, ea mente vt hanc calumniam repelleret, vt liquet ex hac præfationis clauſula. [Diſcant ergo Celſus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduerſùs Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant Eccleſiam nullos Philoſophos & eloquentes, nullos habuiſſe Doctores; quanti & quales viri eam fundauerint; & deſinant fidem noſtram, ruſticæ tantùm ſimplicitatis arguere, ſuamque potiùs imperitiam agnoſcant.]

Catholici, à primis Hæreticis, ignorantiæ ſunt notati: cùm ipſi è contrario à præcellentia ſcientiæ, *Gnoſticos*, id eſt, *ſcientes* ſe dicerent, vt Michaël Medina 5. paræn. cap. 2. pluribus tradit. Eorum parentem ſanctus Hieronymus, Baſilidem ſtatuit in Opere de Scriptoribus, Philaſtrius verò & Auguſtinus à Nicolao Diacono eos deriuant, quibus adſcribitur Lindanus Dialog. 2. Dubitantij. At ſanctus Irenæus qui eorum tempora attigit l. 1. cap. 24. Carpocratem facit Gnoſticorum parentem. Vt vt ſit, Gnoſticos damnaſſe Catholicos imperitiæ, ac pro rudibus literarum & idiotis habuiſſe ſanctus Irenæus teſtatur l. 1. contra hær. cap. 1. Et reuera Catholici erant expertes illius falſi nominis ſcientiæ, qua iſti turgebant: quamuis falsò & calumnioſè idcirco dicerentur indocti. Non

enim

Digitized by Google

enim qui deliramenta & exploratas nugas ignorat, idcirco indoctus habetur. At quæ Gnoſtici iactabant,& pro magnis myſteriis obtrudebant, meræ nugæ erant & fabulæ,quibus perperam nomen *ſcientiæ* tribuebatur. Apoſtolus 1. Timoth.6. *falſi nominis ſcientiam* nominauit, ad hos ipſos Gnoſticos iam tunc naſcentes reſpiciens, vt ibi obſeruarunt ſanctus Chryſoſtomus & Theodoretus.Quanquam Vincentius Lyrin. cap. 26. Commonitorij, quod ab Apoſtolo de primis Gnoſticis dictum eo loco eſt, transfert ad eorum poſteros: à quibus æquè notari Catholicos imperitiæ, ſuam autem ſcientiam iactari, affirmat. Et tamen inquit Vincentius, approbans Apoſtolum falſi nominis ſcientiam iis ſuo ipſorum præconio doctiſſimis tribuentem. [Verè falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, vt ignorantia ſcientiæ,& caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione fucentur.] Non puduit tamen illos, nouam neſcio quam ignoratámque doctrinam venditantes, his ipſis verbis compellare doctos à Domino. [Venite ô inſipientes & miſeri qui vulgo Catholici vocitamini; & diſcite fidem veram quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper verò reuelata & oſtenſa eſt.] Diceres Vincentium, noſtri temporis Gnoſticos deſcribere, qui & ipſi ſapientes ſunt in oculis ſuis, Catholicos autem in tenebris eſſe & ignorantia opprimi, præfidenter confirmant. Nec malè Vincentius, ad ſui temporis hæreticos tranſlatum voluit dictum Apoſtoli de primis Gnoſticis, quos item in æui noſtri Sectariis reuiuiſcentes, transfudiſſe ad iſtos probra quibus à Patribus ſunt dehoneſtati, nemo iure dubitarit. Vnus enim atque idem Spiritus erroris ac tenebrarum, in omnibus operatur,qui æquè omnes ignorantia imbuit; ita vt omnes *falſi nominis Gnoſtici*, iure ſint dicendi. Eóque nomine ſanctus Irenæus l.1. cap.5. donat primos illos hæreticos, pleniſſimam ſuam ſcientiam, Catholicorum verò imperitiam iactantes: de quo mirari ſe profitetur Clemens Alex. 1.pædag. cap. 6. *in fine*, cùm Apoſtolus Philippenſ. 3. neget ſe cognitione perfectum, quales ſe ipſi ſtultè celebrabant.

Patres omnes & Doctores Catholici, per primos annos quadringentos, quot à Chriſto ad Neſtorium vſque fluxerunt, ignorantiæ notati ſunt à Neſtorio Patriarcha Conſtantinopolitano: Quod eius dictum ex Concilio Epheſino refert his verbis Chriſtophorus Gillius l. 1. tractat.7.c.13.num.10. [Inuecti ſumus in Neſtorij ſceleratam præſumptionem, quòd ſaciam Scripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe iactaret, quicunque ante ſe Magiſterij munere præditi, diuina eloquia tractauiſſent. Totam etiam Eccleſiam nunc errare, quæ (vt ipſi videbatur,) ignaros Doctores ſequeretur.]Refert iſta ex Concilio Epheſio Gillius: quæ ego neque in antiqua illius Concilij editione, neque in pleniſſima emiſſa à Peltano, neque in nupera Romana deprehendere potui:nec abs re, cùm non ſint reuera Concilij verba, ſed Vincentij Lyrinenſis in aureo Commonitorio cap. 42. qui in breuem ſummam redigens quæ diffuſiùs tractauerat in ſecundo commonitorio quod intercidit, memorat damnatum eſſe Neſtorium, præ faſtu & ſuperbia, qua omnes ante ſe Eccleſiæ Antiſtites & Doctores, tanquam ignorantes deſpuerat;& in eam præſumptionem, inuectum ſe eſſe prodit Vincentius. Quanquam autem præſumptio illa Neſtorij, omnes retrò Patres atque Doctores contemnentis,damnantiſque ignorantiæ, non referatur in Concilio Epheſino, illiſmet verbis quæ tanquam Concilij allegabantur; res tamen ipſa,non ſemel in prædicto Concilio exprimitur. Nec ſic ſolus aut primus inter Hæreticos deſipuit Neſtorius: cùm

conſtet, omnes Hæreticos ea ſemper ſcabie laboraſſe, & præ ſe deſpexiſſe ſanctos Patres, veluti ignorantes, nec aſſecutos ſcientiam & veritatem, quam ſibi illuxiſſe tenebriones caliginoſiſſimi profitentur. Videſis Anaſtaſium cap. 7. Ducis viæ, & de nuperis Hæreticis Florimundum l. 3. cap. 11. hiſtoriæ hæreſ. ac Feuardentium ad l. 2. Irenæi c. 29. n. 2. & optimè Cochlæum de Scriptis & Actis Lutheri anno 1522. vbi Theologos Doctores, à fæce Lutheranæ plebis ſpiritu Lutheri imbutæ, ac etiam à mulierculis, notatos ignorantiæ præ ipſis teſtatur, dictoſque *Sophiolas*, *aſinos*, *porcos*, *animalia ventris & inutilia terræ pondera*, *ignaros* imo *hoſtes veritatis* confirmat.

Iuſtinianus Imperator, tamerſi non is fuit, cui inter Sanctos & Deo probatos de quibus ferè actum hoc opere, locus ſit tribuendus; quippe qui prurigine omnia etiam ſacra regendi, turbauerit Eccleſiam, & in ipſos Chriſti Vicarios atrociter iniurius fuerit, ac denique à ſuo Treboniano dementatus, in hæreſi ſit defunctus: tamen quòd inter multa mala bona etiam nonnulla ſuperſtes fecerit, & niſi Herodiadem Theodoram, & Græcorum Patriarcharum aliquos audiuiſſet, inter Magnos Imperatores numerari potuiſſet, purgandus hoc loco eſt, à calumnia qua eum grauauit Suidas his verbis. [Iuſtinianus Romanorum Imperator, imprimis Orthodoxus, litterarum omnino expers fuit, atque etiam (quod aiunt,) analphabetus.] Quod eum *imprimis Orthodoxum* vocat, eſt apertum mendum. Nam quamuis nolim dicere fuiſſe Neſtorianum, & Eutychianum, vt ei tribuit Nicetius Treuerenſis epiſtola 7. (inter Francicas tom. 1. Miſcellæ Quercetani,) quod in tanta vtriuſque illius hæreſeos pugna; conſtat eſſe falſum; Tamen certum eſt; Iuſtinianum aliis hæreſibus ſorduiſſe, eúmque fruſtra dealbat Fernandius in didaſcalia multipl. cap. 14. Eſſe autem hæreſibus immortuum, eſt veriſimilius. Itaque Suidæ hallucinatio ex hac parte, non eſt obſcura. Inſuper verò impegit Suidas, Iuſtinianum faciens analphabetum: qui impoſuit benè multis, etiam Iuriſperitis, ſummæ imperitiæ damnantibus Iuſtinianum, ita vt ne legere quidem ſciret; Id quippe eſt *eſſe analphabetum*. Ita Floridus Sabinus l. de Iuris Interpretibus, Aymarus Riuallius l. 4. hiſtor. iuris ciuilis num. 58. Sebaſtianus Monticulus ad l. *Scimus tam duas* Cod. de iure de liber. n. 5. aliíque plurimi. Neque allegari pro Iuſtiniano poteſt, quòd ab Iſidoro l. de Scriptor. dicitur ſcripſiſſe aliquos libros de Incarnatione. Pleroſque enim libros nomine Iuſtiniani falsò fuiſſe inſcriptos, Facundus Hermianenſis libro ad ipſum Iuſtinianum II. *initio*, liquidò tradit. Nihilominus fuiſſe Iuſtinianum analphabetum, vt Suidas eſt calumniatus, planè falſum eſt. Nam Vigilius Papa epiſtola 7. diſertè meminit Iuſtinianum nouiſſe literas; cùm dicat, eum potuiſſe ſua manu literas exaraſſe. Et eum perlegiſſe ſcriptum quoddam Eutychij Patriarchæ docet in huius Actis Euſtachius. Sollicitiùs pro Iuſtiniani literatura agunt Alciatus l. 5. parerg. c. 2. & Fernandius in didaſc. multiplici cap. 14.

S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, ab Auentino l. 3. Annalium Boiorum damnatus eſt inſcitiæ; ex qua accuſauerit S. Vigilium apud Zachariam Papam, eò quòd inficiaretur dari Antipodes; cùm tamen certum ſit, non niſi per ignorantiam negari poſſe dari Antipodas: id quod à duobus circiter ſæculis adeò exploratum eſt, vt nemo quantumuis duræ ceruicis poſſit refragari: Verùm hæc ſancti Bonifacij criminatio, iniqua eſt & calumnioſa. Nam ſanctus Bonifacius, Vigilium tunc Presbyterum, poſtea Epiſcopum, virum planè Apoſtolicum, non accuſauit ob aſſertionem Antipodum; ſed quia

quia acceperat, eum aſſerere dari plures mundos, & alios homines: id eſt ſatos aliunde quàm nos, atque adeò non ab Adamo propagatos: Item alium Solem ac Lunam, quæ conſtat meritò fuiſſe referenda ad caput fidei Romanum Pontificem, cùm ſint errores explorati, & pugnantes cum ſana doctrina. Deus enim fecit ex vno omne genus hominum, vt S. Paulus dixit, neque plures mundos, aut ſoles, & Lunas, eſt fabricatus: quod fide ſanctum eſſe rectè ſtatuit Valentia 1. p. diſt. 3. quæſt. 4. part. 3. Hæc igitur cùm eſſent ad ſanctum Bonifacium perlata, meritò ſanctus Bonifacius, ad fidei Cynoſuram, Romanum inquàm Pontificem, rem totam detulit, quamuis euentus docuit ſancti Vigilij criminationem fuiſſe vanam, vt Baronius anno 148. rectè annotauit. Non itaque ſancto Bonifacio (quod habent Natales SS. Belgij & Iunij) ob aſſertionem Antipodum diſplicuit S. Vigilius, vt ſuæ regionis Apoſtolo imponit Auentinus, qui item malè eum notat ignorantiæ, eò quod non agnoſceret dari Antipodas. Etiam ſi enim daremus, S. Bonifacium non detectis tunc oris illis, quas Antipodes incolunt, non cenſuiſſe dari vllos homines aduerſa nobis veſtigia vrgentes: hoc tamen eo tempore non erat ignorantiæ probroſæ damnandum, cuius nunc meritò inſimularetur, qui Antipodas inficiaretur. Alioqui non modò Lactantius qui 3. inſtitut. cap. 24. ex friuolis argumentis à Plinio lib. 2. cap. 62. exploſis & à Macrobio lib. 2. in ſomn. cap. 5. Ioſepho à Coſta 1. hiſt. cap. 7. Maurolyco dial. 1. Antipodas reiecerat, ſed etiam alij viri doctiſſimi, qui ſuperioribus ætatibus, ob rationes haudquaquam ineptas ſuſtulerunt Antipodas, eſſent ignorantiæ petulanter notandi, vt ſanctus Auguſtinus lib. 16. Ciuit. cap. 9. & ſanctus Thomas 2 Meteor. lect. 9. veriti ne homines terras adeò à nobis diſiunctas incolentes, negarentur ſati ab eodem primo homine, à quo nos deriuati ſumus, vt negauit Agatanhides apud Photium Cod. 250. quem nondum variè expediunt varij. Videſis Torniellum anno mundi 1931. à num. 46. Lipſium Phyſiol. diſſert. 9. Ioſephum à Coſta lib. 1. hiſtor. cap. 20. & ſeqq. & lib. 4. cap. 34. & 35. Cornelium in cap. 8. Geneſeos ad verſ. 17. Quæ difficultas nuper, deprehenſa vtriuſque orbis continuitate, euanuit. Durandus in 4. d. 44. num. 8. ob circularem illic aquæ circumpoſitionem ad terram (quam circumpoſitionem gratis ſibi fingit,) negauit Antipodas; ſicut Abulenſis in cap. 1. Geneſ. quæſt. 20. idcirco quòd illuc non peruaſerint Apoſtoli, quorum ſonus in omnem terram habitatam exiuit. In quam rem legendus à Coſta lib. 1. de nouiſſ. tempor. c. 17. & multos citans Lorinus Act. 1. ad v. 8. Num omnes hi, ob rationes tunc non idoneas inficiari dari Antipodes, ignorantiæ & imperitiæ notandi? Non exiſtimo, ſaltem de ignorantia probroſa agendo: qualem iis impingere licet, qui citra idoneam vllam rationem, notitia rerum doctis viris non incompertarum, deſtituuntur. Itaque non ob hanc cauſam, quòd ex aliquo idoneo motiuo negaſſet dari Antipodes, ignorantiæ probroſæ dãnari ſanctum Bonifacium, lubens audirem. Etiam ſi non inficior, probabilius mihi eſſe orbem alterum quem Antipodes incolunt, innotuiſſe antiquis, vt videtur haberi ex 2. cœli tom. 111. & latè tradit Lipſius 2. phyſiol. diſſertat. 9. & Arias initio ſui Phaleg. præiuerantque ſanctus Baſilius homil. 3. Hexaëm, & S. Clemens Romanus Epiſtola ad Corinthios, adductus à ſancto Hieronymo in cap. 2. ad Epheſios, malè verò intellectus à Photio Cod. 126. Itaque non ſubſcribo ſententiæ traditæ à Pancirolo lib. 2. tit. 1. & ad eum ab Henrico Salmuth, qui orbem noſtro aduerſum, antiquis

Digitized by Google

innotuiſſe diffitentur. Sed de his aliàs.

S. Bernardus, ob impugnatum Petrum Abelardum, ignorantiæ bonarum literarum notatus eſt à Fulcone ipſius Abelardi partiario, & ab aliis eiuſdem aſſeclis. Qui ſi defuiſſe ſancto Bernardo genus aliquod ſolidæ & probatæ literaturæ hominem ſacrum decentis criminantur, repellendi ſunt tanquam calumniatores. Verè enim ſanctus Bernardus, inſigni probatæ doctrinæ peritia claruit, ita vt humaniores quoque literas calluerit: quod non modò ex ſtyli amœnitate & Scriptionis floſculentia deprehenditur, ſed etiam ex allegatis non rarò ab eo hemiſtichiis Poëtarum, & Oratorum profanorum ac Philoſophorum ſententiis Quæ plagulæ ſatis inſinuant, vulgatam de eo exiſtimationem, quod alios non habuerit Magiſtros quàm quercus & fagos, & quod nullam vnquam nauauerit operam litteris humanioribus, abſolutè & ſimpliciter loquendo, nutare. In Sacris verò diſciplinis, ea fuit ſancti Bernardi peritia quæ ſtuporem meritò moueat, vt pleniùs proſequor ea de hoc Homine Dei tractatione, cui titulus eſt *Apis Gallica*. Et citra cuiuſcunque expenſionem, vel perfunctoria lectio quarundam S. Bernardi ſcriptionum de abditiſſimis quibuſdam myſteriis, id perſpicuè euincit. Quàm enim ſubtiliter de diuinis perfectionibus agit in opere de cōſideratione? Quàm accuratè de Trinitate contra Gilbertum Porretanum & Abelardum diſſeruit ad Eugenium & Innocentium? Quàm præclarè de gratia & libero arbitrio, & vtriuſque fœderatione tractauit? Negant ſapientiſſimi Doctores qui in verſandis illis difficultatibus conſenuerunt, extra terminos ſcholaſticos, quicquam alibi extare apud poſteriores, explicatius, atque ſubtilius. Itaque præpoſtero Magiſtri zelo, Auditores Petri Abelardi, ſancto Bernardo ignorantiam impegerunt: quem vniuerſa Eccleſia, cùm aliis nominibus, tum etiam ſapientiæ titulo, habet celeberrimum.

Theologos ſimul ac Iuriſperitos, ignorantiæ damnauit Eraſmus in cap. 3. Epiſtolæ ad Titum, quod illi quidem hæreticos vita priuandos eſſe fundarint in verbis illis Apoſtoli; *hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita* exiſtimantes *deuitare* ibi idem eſſe quod *vita priuare*. Sicut *decapitare* idem eſt quod *capite minuere*. Hi verò, ſin minùs omnes, at ſaltem Galli, furem adicant ſuſpendio, nixi lege mandante, latronem capite plecti: vocem Gallis vernaculam *laron*, qua *fur* denotatur, ſtolidè accommodantes furi, qui non eſt plectẽdus pœna latronis longè atrociùs peccantis, atque adeò longè ſeueriùs plectendi. Ex quo concludit Eraſmus, grauem eſſe præ ſupinitate & inſcitia notionis vocum, errorem Theologorum & Iuriſperitorum in re propoſita. *Sic Medici* (inquit,) *inſcitia vocabulorum, ſubinde venenum dant pro remedio.*

Verùm hæc non eſt ignorantia ſiue Theologorum ſiue Iuriſperitorum, ſed Eraſmi Lucianum agentis & jocos vndecunque captantis, dicacitas atque malignitas. Theologi enim, quod Hæretici obdurati vita ſint priuandi, non fundant in illa inepta Grammaticatione quam Eraſmus vt ridiculos faceret Theologos, commentus eſt; Sed in ſcripturis & traditione, vt late proſequuntur Bellarminus l. de laicis cap. 21. & 22. Roffenſis artic. 33. Conradus Brunus lib. 3. de hæreticis cap. 3. Caſtro de iuſta punit. hæret. lib. 2. cap. 3. 4. 12. 13. Couarr. 2. var. cap. 10. Pamelius Opuſc. de diuerſ. religion. ferè toto & nominatim à cap. 16. Maucler. de Monarch. p. 3. lib. 3. cap. 9. 10. 11. Coccius tom. 1. lib. 7. artic. 23. Roſuedius de fide hæreticis ſeruanda cap. 11. vbi antiquam hæreticorum pœnam eſſe pœnam ignis multis confirmat. Ab his & aliis quos ipſi proferunt

Digitized by Google

ferunt multæ cum Scripturæ tum Patrum auroritates & rationes adducuntur quibus ſolidè euincitur hæreſim eſſe culpam morte dignam; nullus autem inuentus eſt vnquam qui ſic ineptiret vt ea obſida argumentatione vteretur quam Theologis affingit Eraſmus.

Pro Iuriſconſultis verò, non eſt quod ſatagamus. Neque enim fures paribulo addicunt, deluſi cortice vocis Gallicanæ vernaculæ, vt Eraſmus finxit. Quos enim preſsè ac propriè *latrones* vocant & Gallicè *voleurs* dicuntur addicunt atrociori ſupplicio: nimirum vel noxalis rotæ, vel alterius cruciatus durioris quàm ſit ſuſpendium. Fures autem quicquid Eraſmus pro furibus ſollicitus contendat in contrarium, mortis ſupplicio addici iure poſſunt, ſi vel quantitas rei furto ablatæ iuncta præſertim iteratione delicti, vel finis iuſti & grauis interuentus ſuaſerit eam grauem pœnam eſſe furto non extracto è ſpecie furti ſimplicis decernendam lege lata, pro cuius honeſtate pugnat Couarruuias 2. var. cap. 9. num. 7. & Molina tom. 2. de Iuſt. diſp. 695. num. 1. & 48. tametſi Alenſis & Scotus quos ipſi adducunt vt furtum pœna mortis plecti poſſit, velint illud conneſtiti aliqua circunſtantia per quam extrahatur è ſpecie furti ſimplicis.

Monachi vniuersè, immanis ignorantiæ notati ſunt à ſpurco Sectario Gilberto Cognato, quem non puduit in ſuam Adagiornm farraginem illud intrudere tanquam prouerbium; *Monacho indoctior*, addito eo modeſtiæ Chriſtianæ referto gloſſemate. [Monachi noſtri omnes, tam ſunt barbari, vt non ſolùm non intelligant Miſſam quam miſſant, ſed & in prouerbium abierint. Cùm enim inſignem alicuius inſcitiam exprimere volumus, dicimus, eum Monacho indoctiorem ſeu imperitiorem; hoc eſt ab imis vnguibus ad verticem ſummum, totum ex ignorantia eſſe concretum. Nolo reliquam putentiſſimam cacochymiam, quã impurus hic transfuga profudit in Monachos, repræſentare; ne iuſtam lectoris offenſionem moueam: intentus duntaxat in notam ignorantiæ, ob quam ait, eos vulgo dici *inſcitia & cacologia Doctores*, Huius calumniæ Ordini Monaſtico impactæ, abſterſio in promptu eſt. Hominem enim hæreticum, (cuiuſmodi Cognatus fuit,) in Monachos furere, & quæ rabies arma ſuggeſſerit intorquere, neque mirum videri debet, neque nouum. At propudioſa veritatis conculcatio eſt, Monachos ignorantiæ ſpecimina vniuersè ſtatuere; præſertim eo ſenſu quo hic ſycophanta nomen Monachorum vſurpat, diffundens illud ad Religioſos quoſcunque, etiam eos qui preſsè ac ſtrictè non dicuntur Monachi; ſed vel Religioſi Mendicantes, vel Clerici Regulares. Hos omnes damnare ignorantiæ inſania eſt, quam reuincunt manifeſtè Indices Scriptorum cuiuſuis Religioſi Ordinis; qui tot ſunt numero, vt ſi aceruentur, poſſent Cognatum calumniatorem obruere. Scripta eruditorum Benedictinorum Trithemius annumerauit iuſto opere de eo argumento. Bibliothecam Cartuſianam è nudis nominibus Scriptorum illius Ordinis cõfecit Theodorus Petreius, Carmelitanam complures, Domincanam Antonius Senenſis, Minimorum Lanouius; Pitſæi Scriptores Anglicani, magna ex parte ſunt Religioſi. Opus ſpiſſum Antonij Poſſeuini cui titulum fecit *Apparatus ſacer*, magnam partem è lucubrationibus Monachorum ac Religioſornm contexitur. Inſignis Scriptor Hieronymus Platus lib. 2. aurei operis de bono ſtatus Religioſi cap. 32. per magnam ſeculornm Chriſtianorum partem diſcurrens, monſtrat quæ & quãta Eccleſiæ lumina, inter Monachos & Religioſos effulſerint ſingulis ſæculis. Et addit ſequenti cap. 33. rationes varias, cur in Religioſis cœtibus tantoperè efflorucrit

ruerit ſcientia atque peritia. Quare valeat ineptus blatero, & pecus ignorantiſſimum, ſimulque maledicentiſſimum, Cognatus; cui nihil accidit gratius, quàm data vel oblata occaſione, in Sacri Ordinis quoſcunque, ſed maximè in Religioſos furere.

Societas IESV ab aliquot fori tabulis Arnaldo, Paſchaſio, Marione, Seruino, ignorantiæ eſt notata. Refert horum coruorum crocitatus Carolus Scribani, in Honoris Amphitheatro, libro ſecundo toto, monſtrans quàm huiuſmodi calumnia digna ſit eruditorum omnium ſibilis. Et verò Catalogus Scriptorum Societatis IESV à Petro Ribadeneira confectus, & plenior ac locupletior eorundem Scriptorum Index, editus à Philippo Allegambe, ſatis ſuperque eſſe poſſunt, ad obſtruendum os loquentium iniqua. Attigi ipſe quoque hoc argumentum non prorſus ieiunè, exornans ſanctum Ignatium, ſub analogia animæ Mundi. Ibi enim puncto 11. quos & quàm præcellentes in omni doctrinæ genere contulerit Deus Societati, & enumeratione primariorum quorundam Scriptorum, & iudiciis grauiſſimorum hominum nulli exceptioni patentium, teſtatum dedi. Sed quod dicebat, agens nominatim de hac calumnia Henricus IV. Rex iudicij eminentiſſimi & prudentiæ omnino eximiæ, præſtat inuidiam quàm commiſerationem mouere. Quo porrò loco habuerint Lutherus, & Caluinus, & huiuſmodi puſillorum gregum arietes, ſapientiam atque doctrinam grauiſſimorum Patrum, quos aliam coluiſſe fidem quam ipſi nunc de nouo tradant, eſt in confeſſo. Eodem igitur loco pari proportione de cauſa, haberi ab hominibus nullius fidei, Societatem IESV, cur miremur.

* * *

CAPVT XXII.

De obfirmitatione & peruicacia.

HOc probrum fortitudini per alterum extremum opponitur, eſtque defectus ruſticorum proprius, vt notauit Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 9. Pectus certè expolitum, & ab agreſti vſu alienum abhorret à pertinacia & obfirmatione in ſententia, nec illibenter retractat quod per errorem combiberat, vt de ſe profitetur Antonius lib. 6. de vita ſua num. 20. aiens id abs ſe factum, quia veritatem amabat, quæ nemini vnquam damno fuit. Tertullianus quoque lib. de pudic. cap. 1. depoſitam abs ſe pertinacem ſententiæ adhæſionem confirmans, idem aliis verbis tradit, tametſi malæ ibi cauſæ patrocinatus. Partus is eſt humilitatis atque modeſtiæ; ſicut obfirmatio in ſententia & conſequens eam voluntatis durities in propoſito ſemel ſuſcepto, partus eſt arrogantiæ atque tumoris animi, in quam rem benè diſſerit Facundus lib. 10. pro tribus Capitulis cap. 2. Eſt igitur graue probrum contumacia, & rigor in ſententiam ſemel ſuſceptam; ac proinde calumnia quòd quis ſit pertinax & obduratus in ſenſu ſuo, non poteſt leuis cenſeri. Ei tamen per malignitatem aliorum, ſubiacuerunt aliquando Sancti Dei homines, vt ex ſubiectis exemplis liquebit.

Chriſtiani quod conſtanter fidei adhærerent, nec paterentur vllis ſe ſuppliciis aut minis ab ea amoueri, peruicaces & inflexibiliter rigidi, ac ceruicoſi, ſæpè leguntur nominati. Sic enim Plinius lib. 10. epiſtol. 97. quæ eſt ad Traianum ſcribit, iuſſiſſe ſe ad ſupplicium duci quoſdam Chriſtianos, *propter peruicaciam & inflexibilem obſtinationem.* Æquè Celſus apud Origenem lib. 7. obiicit Chriſtianis, *contumacem contra mortem peruicaciam*

pertinaciam, in profeſſione nominis Chriſti, miſeros vocans qui parati ſint ad omnia tormenta, & mille mortes pro ea profeſſione retinenda. Galenus quoque l. 3. de differ. pulſuum, capiroſitatis inſimulat Chriſtianos, eoſdem confert cum Medicorum & Philoſophorum aſſeclis, pertinaciter tuentibus dicta Magiſtrorum. Ab Apolline, (id eſt, Satana per fatidicam loquente,) obſtinatio Chriſtianis æquè impingitur, vt ex Porphyrio refert D. Auguſtinus 19. ciuit. cap. 23. Eadem criminatio habetur c. 27. & 50. Apolog. ac diſertè in edictis quæ recitat Euſebius lib. 8. hiſtor. cap. 29. & lib. 9. cap. 1. Chriſtiani inflexibilis pertinaciæ inſimulantur. Sed erat calumnia maligniſſimè impacta, cùm Chriſtiani habendi fuiſſent laude digniſſimi, ob tenacitatem fidei veræ, & conſtantem ac labare neſcium ab errore & impietate receſſum. In Satanam autorem, refert hanc calumniam Tertullianus cap. 27. Apolog. verbis illis [Sed quidam dementiam exiſtimant; quòd cùm poſſimus & ſacrificare in præſenti, & illæſi abire manente apud animum propoſito, obſtinationem ſaluti præferemus. Datis ſcilicet conſilium, quo vobis abutamur. Sed agnoſcimus, vnde talia ſuggerantur quis totum hoc agitet, & quomodò nunc aſtutia ſuadendi nunc duritia ſæuiẽdi, ad conſtantiam noſtram deiiciendam operetur. Ille ſcilicet ſpiritus dæmoniacæ & angelicæ paraturæ, qui noſter ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus, de mentibus veſtris aduerſus nos præliatur.]

S. Hormiſdas Papa, ab impio Anaſtaſio Imperatore Orientis, pertinaciæ & obfirmationis nimiæ in ſententia propria eſt inſimulatus. Quod enim Pontifex, **fidei Catholicæ per omnia & ante omnia conſultum vellet, nec vlla ratione à ſe extorqueri pateretur, vt communionem Romanæ Eccleſiæ concederet Conſtan**tinopolitanis, niſi eraſo è dyptichis nomine Acacij (in anathemate defuncti, & cõmunicatione cum Hæreticis inquinati, ac cæterorum eadem labe ſordentium, quorum tamen nomina Græci in ſacris dyptichis pertinaciter retinebant, idcirco Anaſtaſius poſt tentatam variis artibus Pontificis conſtantiam, vbi eum infractum vidit, duritiei nimiæ illum incuſauit; & obdurationem molliri ac derigeſcere neſciam, acriter eſt criminatus, ea præſenti amarulenta & Pharaonica Epiſtolæ clauſula, his verbis concepta. [Poſtulationem noſtram à præſenti tempore, taciturnitate comprimimus, irrationabile iudicantes, illis precum adhibere bonitatem, qui rogari ſe nolint, contumaciter reſpuentes. Iniuriari enim & annullari ſuſtinere poſſumus, iuberi non poſſumus.] Hæc Anaſtaſij Epiſtola, extat inter Hormiſdæ Epiſtolas, poſt vigeſimũ ſecũdam. Non eſt autem quòd laborem, in demonſtranda inanitate calumniæ Pontifici impactæ ab Anaſtaſio. Neque enim contumacia eſt vel capitoſitas, qua Pontifex recti tenax, nullis ſe precibus aut minis flangi, vel à puritate fidei quoquomodo abduci ſinit: tametſi Anaſtaſius pro more eorum qui dicunt bonum malum, conſtantiam & fortitudinem Pontificis, malignè interpretatus ſit pertinaciam, & obdurationem; cuius ipſe potiùs cum Orientibus damnandus erat.

S. Thomas Cantuarienſis, totius Philoſophiæ (vt cum Iſidoro Peluſiota loquar,) **viuum exemplar**, & germana Paſtoralis **conſtantiæ** idea, infracto animo aduerſus Henrici Angli cupiditatem ſtetit. Neque tamen per tempus procellæ, diuinis vllis ſupra naturam operibus eſt illuſtratus. Ex quo factum eſſe ſcribit Cæſarius, illius æui Scriptor lib. 8. cap. 69. vt poſt eius cædem, haud exigua inter Doctores fuerit controuerſia, cuiuſmodi habendus eſſet eius interitus.

[Eadem quæſtio (inquit Cæſarius,) Pariſiis inter Magiſtros, ventilata eſt. Nam Magiſter Rogerus, iurauit illum dignum fuiſſe morte, & ſi non tali: Beati viri conſtantiam, iudicans contumaciam. E contra, Magiſter Petrus Cantor, iurauit eſſe martyrem Deo dignum, vt potè pro libertate Eccleſiæ trucidatum: Quorum quæſtionem, Chriſtus ſoluit; cùm multis & magnis illum ſignis glorificauit.] Vides quàm diſcrepent à diuinis humana iudicia. Doctor Cacabarius, ad humani, imò inhumani iudicij trutinam appendens ſanctiſſimi Antiſtitis cædem, interpoſito iuramento firmat, non modò ad martyrium ſuffeciſſe, ſed ne ad meritum: Et tamen Deus mox, ſubſecuto imbre miraculorum, ſanctitati & martyrio legitimo ſerui ſui eſt atteſtatus, mendaces oſtendens qui maculauerunt eum.

CAPVT XXIII.

De animi leuitate & inconſtantia.

HOc probrum eſt oppoſitum obſtinationi de qua proximè, nec plerunque minùs nocet quàm peruicacia & nimia propoſiti tenacia. Qui hac labe maculantur verè ſunt arundines vento agitatæ, quam proportionem concinnè expreſſit Eucher. hom. de illo Chriſti dicto, *arundinem vento agitatam?* Arcuit Deus à ſacrificiis quæ accepta habuit animantis cor & cerebrum, quæ videbantur inter totius victimæ partes potiùs offerendæ Deo. Sed vt egregiè perſpexit Philo ad calcem libri de ſacrificio Abelis & Caïni tanta mutabilitas & inconſtantia ab vtraque illa parte proueniens homini fecit, eas partes apud Deum profanas & indignas quæ altari inferrentur. Cæleſtium item veluti charactęrica eſt conſtãs tenor & rata immutabilitas ex qua item maximè celebratur Deus. De eo quippè non tantùm quoad eſſe, ſed etiam quoad ſententias atque decreta dictum eſt: Ego Deus & non mutor. Et cùm hominis quippè entis potentialis atque mutabilis perpetua labes ſit deficere poſſe à ſemel ſuſcepta voluntate & iudiciũ mutare, de Deo contrarium habemus oraculum Num. 23. *non eſt Deus vt filius hominis vt mutetur.* Et 1. Reg. 15. non flectendus pœnitudine. Neque enim homo eſt vt agat pœnitentiam. Id eſt vt mutet mentem & leuitate ductus retractet quæ priùs ſanxerat & agenda ſuſceperat. Eſt ergo nota à Deo abhorrens leuitas & inconſtantia, & idcirco in Chriſto I E S V non habet locum *eſt & non.* Sed *eſt* duntaxat. Quod Gregorius Naz. orat. 40. eo Pilati reſponſo inſinuatum cuique docet *quod ſcripſi ſcripſi.* Leuitatis & non tenacis propoſiti inſimulati ſunt quidam SS.

Deus noſter totius perfectionis idea abſolutiſſima, per Voluſianum, ex ſenſu cæterorum Ethnicorum teſte Marcellino epiſtola ad ſanctum Auguſtinum (eſt 4. inter Auguſtinianas) calumniam ſuſtinuit inconſtantiæ quod legem veterem noua commutaſſet abrogatis ritibus, quos primùm probauerat. Depellit potenter eam calumniam Deo ipſi irrogatam S. Auguſtin. epiſt. 5. & 12. de Ciuit. Dei c. 4. & 5. demonſtrans Dei mutantis opere non diſpoſitione mutata contigiſſe variationem temporibus congruentem & hominibus vtilem. Non eſt huius loci in huiuſmodi calumniam excurrere. Sufficiunt quæ dicta ſunt in Natur. Theol. diſt. 7. à num. 62. vbi euidenter oſtenſum eſt ac ipſorum quoque Ethnicorum Philoſophorum ſuffragatione firmatum non cadere in Deum inconſtantiam vllam vel leuitatem, quia omnia ei vt in luce puriſſima iam ab initio ſunt perſpicua vt optimè monuit S. Auguſtinus in Pſal. 109. ad illud *& non pœnitebit*

eum. Nobis autem radix inconſtantiæ ac leuitatis eſt cognitionis mutatio. Porrò vt Maximus Tyrius diſſert. 30. philoſophatur, Deus ſi inconſtans eſſet & à malo ad bonum abiret, malum conſilium iniret: ſi à bono ad malum, malè conſilium mutaret: quorum neutrum cadit in Deum. Itaque procul abeſt ab eo omnis leuitas & inconſtantia.

Chriſtus Dominus virtutum omnium exemplar perfectiſſimum ab impio Porphytio inconſtantiæ ac leuitatis in ſuſcepto conſilio notatus eſt, teſte S. Hieronymo lib. 2. contra Pelag. quia Ioannis VII. vrgentibus iis quos habebat carne propinquos vt aſcenderet ad diem feſtum ſeque mundo manifeſtaret, reſpondit. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc. Ego non aſcendo ad diem feſtum iſtum.* Et tamen poſtea aſcendit. Itaque intulit inde Porphytius vel Chriſtum contra mentem locutum eſſe cùm dixit ſe nolle ire, qua ratione Chriſtus mendacij reuinceretur: vel certè ſi tunc ſyncerè locutus eſt poſtea præ animi leuitate mutaſſe conſilium & aſcendiſſe Hieroſolymam quo priùs aſſeuerat, ſe nolle aſcendere.

Reuera tamen Chriſtus neutri calumniæ patet. Quod enim eius locutio vacauerit mendacio ſanctus Auguſtinus ſermone octauo ex vndecim additis in calce Tomi 10. fusè confirmat: eoque tandem reuoluitur vt neget Chriſtum eſſe mendacio inquinatum, quia dixit ſe non iturum cum ſuis, & eo ipſo die quo loquebatur, quamuis poſtea alia die ſolus iuerit & quaſi in occulto ad diem feſtum acceſſerit. Multi ſanè Græci Codices legunt οὔπω ἀναβαίνω. *Nondum aſcendo.* Et quamuis hæteamus in lectione Codicibus Græcis receptiore & cum Latina vulgata reſpondente, facilè declinatur labes mendacij per aliquam ſubintellectionem ex variis quas Patres adhibent vt ad eum Ioannis locum refert Maldonatus ac Toletus annot. 10. & Adamus Gontzen ad verſ. 8. q. vnica. Eiuſmodi ſubintellectio eſt, *non aſcendo vobiſcum.* Vel *non aſcendo ad primum diem feſtum.* Aut *non aſcendo manifeſtè, vt vos vultis, ſed quaſi in occulto.* Quæcunque autem ex his ſubintellectionibus adhibeatur, depellitur ſufficienter calumnia mendacij Chriſto impacta. Suppono enim reſtrictiones locutionum mente conceptas ad mendacium amoliendum ſatis eſſe, vt latè confirmatum eſt in Opere contra Barneſium. Eadem porò opera qua calumnia mendacij à Chriſto abſterſa ex dictis manet, eluitur quoque altera calumnia qua Chriſtus notabatur inconſtantiæ & leuitatis. Non enim inconſtans & leuis fuit abiiciendo voluntatem non aſcendendi, ſi reuera eam voluntatem non conceperat abſolutè, ſed tantùm iis adhibitis temperamentis quæ ſubintellectione quam interueniſſe volo inſinuantur. verbi gratia *nolo aſcendere niſi quaſi in occulto* quo pacto aſcendit.

S. Antonius Vlyſſiponenſis, antea Ferdinandus, quod relicto priore inſtituto Canonicorum regularium quibus per aliquot annos inhæſerat adiunxiſſet ſe ad Franciſcanos nonnullius leuitatis ac inconſtantiæ labecula decoloratæ viſus eſt nitorem eximiæ ſanctimoniæ. Propterea nonnulli rationes conquirunt quibus eam mutationem vtcunque fulciant partim ex diuino afflatu peculiari cui lex non eſt poſita: partim ex bona fide ſancti viri qui ſtudio maioris perfectionis ductus eam mutationem ſuſcepit, quamuis rem ipſam ex natura ſua attendendo ſordeat leuitate ea mutatio quam ſibi in eo negotio ſuſpectam eſſe, diſertè tradit S. Bernardus l. de præcepto & diſpenſat, Planéque idem pronuntiat S. Anſelmus lib. 1. Epiſtol. 29. quæ eſt ad Lanzonem monachum, ad quam Epiſtolam Ioannes Picardus multa coaceruat ex variis

Patribus & Aſceticæ vitæ peritis Magiſtris, vnanimiter confirmantibus vnicuique perſtandum eſſe in valle lacrymarum in loco quem ei Deus poſuit, niſi ſi eiuſmodi eſſet locus vt inuitus ad peccandum abriperetur; aut in quo exoluere vota quæ diſtinxerunt labia eius, omnino ſubtraheretur facultas, tellure fructifera in ſalſuginem facta à malitia inhabitantium in ea, quos euentus excipiunt S. Anſelmus & S. Bernardus mutationem de qua agimus cæteroqui improbantes & leuitatis ſuſpectam vel reuictam habentes.

Quicquid ſit de variis præ inconſtantia locum mutantibus nota S. Antonio Vlyſſiponenſi impacta, eſt apertè calumnioſa neque vllo modo ferri debet. Fas namque eſſe ſtudio maioris perfectionis inſtitutum nobilius atque ad Deo perfectè ſeruiendum opportunius capeſſere debet eſſe extra dubium per ſe loquendo ac ſpectando ſolum probrum leuitatis quod malè inuritur, cum non ſit leuitas progredi ad altiora & ad perfectiora aſpirare. Patres vero qui huiuſmodi mutationes inſtitutorum damnant excludere tantùm volunt prætextus gyrouagorum atque faſtidia nauſeantium in loco in quo primùm à Deo erant conſtituti nec cogitantium niſi de faſtidij ſui leuatione, abſque ſyncero aſpirandi ad perfectiora deſiderio quali permotus eſt S. Antonius iniens mutationem propoſitam. Perſpiciet mentem Patrum in hac re fuiſſe quã dico quiſquis expenderit quæ in hanc rem producit nec ſatis diſcuſſit Ioannes Picardus loco annotato, & quæ prætere habent Guerricus ſerm. 1. de S. Benedicto, Petrus Cellenſis l. vltimo epiſtola vltima & S. Anſelmus lib. 2. epiſtol 23. ac in iudicio de ſtabilitate Monachi in loco quem poſuit. Scripriuncula eſt parti ſecundæ Opuſculorum ex Sancti viri Schediaſmatis inſerta. Ad rigorem Scholaſticum hoc negotium expendit Suarez tract. 8. de relig. lib. 3. c. 8. & aliquot ſequentibus.

CAPVT XXIV.

De malo pœna repenſo peccatis.

POEnam hîc non voco eam quæ pro noxa infertur, vt ſonat extimus vocis cortex: ſic enim non eſſet calumnia, impingere alicui quòd in vltionem iuſtam peccati malum aliquod quod ſubiuiſſet; nam eo ipſo quòd verè pœna eſſe ſupponeretur, vacaret calumnia, eius impoſitio. Sumo igitur pœnam hoc loco, materialiter, iuxta catachreſim ſatis familiarem, pro malo & incommodo quod quis ſubeat, etiamſi innoxius; & tamen per calumniam adſcribatur culpæ, & pro ea repoſitum dicatur. Quæ calumnia à Chriſto ſuccisa videtur, cùm rogantibus Apoſtolis quis peccaſſet, cœcúſne an parentes eius, reſpondit; falsò ab eis ſupponi, eam cœcitatem pro peccato eſſe inflictam, cùm ob ſolam Dei gloriam in eo manifeſtandam, eſſet illata. Sanctus Hieronymus epiſtol. 33. ex eo loco colligit, imbecillitatum ſuſtinentiam perpersè ſemper adſcribi peccato, ſolatúrque Caſtrutium, cui cœcitas obuenerat; negans exiſtimandum eſſe, tale incommodum ei prouenniſſe de peccato. Et addenſat exempla multa variorum ſanctorum, peſſimè in hac vita habitorum citra culpam ſuam; quod maximè conſpicuum eſt in ſancto Sanctorum. Egregiè item in hanc rem diſſerit ſanctus Ambroſius, toto propè lib. 2. de Interpellat. Per calumniam ergo nonnulli ſancti quos ſubiiciam, ex eo quòd affligerentur & anguſtiarentur, exiſtimati ſunt eſſe rei, & deliquiſſe coram Deo: quod diſertè negatur in S. Tobiæ hiſtoria, cùm agitur de eius cœcitate, non quia peccaſſet, ſed vt poſteris daretur exemplum patientiæ.

Iob

Digitized by Google

Iob vir ſimplex & rectus, ac iudice Deo, inſtante procella quæ in eum ſæuiſſimè detonuit, adhuc retinens innocentiam, per calumniam quam poſtea Deus ipſe confutauit, dictus eſt quæcunque perpetiebatur, ſubire ob peccata quæ admiſerat; cùm tamen, vt in libro Tobiæ cap. 2. habetur, id tantùm ſpectaſſet Deus, vt poſteris daretur exemplum patientiæ. Exprobrant ſæpè ei amici, quòd ob iniquitates in eum ſtatum deueniſſet; alioqui enim rarum eſſe, quod nemo innocens pereat, vel rectus deleatur. Itaque admonebat Eliphas cap. 4. eos qui operantur iniquitates, ſeminare dolores quos poſtmodùm metant, flante Deo, & ſpiritu iræ eius conſumptos. Quæ confirmat cap. 15. ac 22. Æquè Baldad c. 8. & 18. & 25. in Iobum concitatur, quod ſe pronuntiaſſet innoxium; & citra culpam perpeti dixiſſet quæ patiebatur; quaſi Deus ſupplantaret iudicium, aut ſubuerteret quod iuſtum eſt, id eſt, rependeret mala ei qui mala non commeruiſſet. Non diſſimiliter Sophar cap. 11. & 20. Tandem Eliu cap. 32. & 34 ac ſequentibus, multa in Iobum eadem ex cauſa effundit, & illos alios quòd molliùs in Iobum egiſſe viderentur, nec ſatis ſeuerè coarguiſſent, negantem repenſam eſſe peccatis ſuis calamitatem. Hæc omnia per calumniam fuiſſe in Iobum iactata, Deus ipſe cap. 42. manifeſtum fecit, indicens mulctæ nomine increpatoribus & calumniatoribus Iobi, ſacrificia ad expiationem culpæ qua Iobum dehoneſtarant. Nimirum ſicut non omnis qui hîc abit impunitus, eſt reuera apud Deum innocens; ita non omnis qui affligitur, eſt reuera nocens: alioqui ſi ſic narraremus, nationē filiorum Dei reprobaremus. Itaque rectè Suarez prologo 6. de grat. cap. 2. n. 16. negat omnes vitæ huius afflictiones eſſe pœnas peccati, etiam originalis, cùm multi pij ad meritum virtutis exercitium affligantur, vt etiam declarauere Pius V. & Gregorius XIII. aduersùs Baium.

Anna mater Samuëlis mulier ſanctiſſima à Phenenna, altera Elcanæ coniuge inſimulata eſt ob ſterilitatem à Deo illatam in pœnam culparum. Verum eſt quod legimus 1. Reg. 1. *Affligebat quoque eam* (Annam) *æmula eius, & vehementer angebat, in tantum vt exprobraret quod Dominus concluſiſſet vuluam eius, ſicque faciebat per ſingulos annos cum redeunte tempore aſcenderent ad templum Domini, & ſic prouocabat eam.* Fuiſſe probroſam apud Hebræos ſterilitatem coniugij eo quod Rex Virginum Chriſtus necdum extuliſſet Euangelicorum conſiliorum labarum, ex pleriſque Scripturis intelligitur: Vulgus enim Iſraëlitarum vt erat carneum totum nec niſi terrenis benedictionibus addictum, quas inter eminet benedictio vberum & vuluæ, (prout vocatur Geneſ. 49.) pro magna fœlicitate ducebat fœcunditatem & è contrario pro magna calamitate ſterilitatem, aut orbitatem. Et cum viderent, Deum inter illecebras terrenas bonorum operum, proponere non ratò, filiorum propagines & fructum ventris ex vxore in lateribus domus abundante ad modum vitis, alibi autem pro magna Dei maledictione recenſeri infœcunditatem & vuluas abſque liberis ac vbera arentia, quoties coniuges fructu primario coniugij qui prole continetur, fraudari videbant, id peccatis coniugum adſcribebant, ita vt non tantùm probroſa haberetur infœcunditas coniugij, ſed etiam repenſa peccatis. Et ex hac perſuaſione Phenenna obiectabat Annæ concluſionem vuluæ à Domino, eamque prouocabat pungens verbis aculeatis per huius pœnæ exprobrationem.

Erat tamen manifeſta calumnia quoad Annam quod eius ſterilitas eſſet repenſa peccatis. Sicut vniuersè quoque, ſterilia coniugia fieri in peccatorum pœnam falſum

ſum eſt, & calumnioſum, non nunc tantùm ſublato ſterilitatis opprobrio, ſed etiam in lege veteri, quod doceo adſcripra graui diſputatione ſancti Chryſoſtomi homil. 49. in Geneſim & plenius ſermone 57. Tomi 5. Græcolatini, vbi ſic ſcribit. [Non poſſumus carpere ſanctorum vitam & dicere peccatorum effectum eſſe ſterilitatem. Nec iſta, ſterilis fuit ſola, ſed & mater ipſius Sara quæ illum peperit. Neque verò mater eius tantùm ſterilis fuit, neque vxor, ſed & nurus, Iacobi vxor Rachel. Quid ſibi vult hæc verba ſterilium? Omnes iuſti, omnes virtute præditi, omnes Dei teſtimonio approbati erant. De illis enim dixerat, *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* De iiſdem etiam ſic loquitur Paulus. *Quam ob cauſam non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Multa illorum præconia in nouo, multæ illorum laudes in veteri Teſtamento. Omni ex ex parte clari & illuſtres, & omnes ſteriles habebant vxores, ac ſine liberis multo tempore vixerunt. Cum igitur virum & vxorem videris ex virtutis præſcripto vitam degentes, cum religioſos, pietatis ſtudioſos & liberis deſtitutos, ne peccatorum retributionem omnino eſſe liberorum exiſtimes orbitatem. Multæ quippè ſunt rationes prouidentiæ diuinæ, ac nobis occultæ, & pro omnibus agendæ ſunt gratiæ, ſoliique illi miſeri cenſendi, qui vitiis contaminati viuunt, non qui liberis carent. Sæpenumero Deus, vtiliter id agit, nos autem eorum quæ ſunt, cauſam ignoramus. Idcirco ſapientiam eius vbique laudari par eſt; & benignitati eius gloriam deferri.] Subiungit longam diſputationem qua monſtrat hac ſterilium aliquandiu fœminarum poſtea ſubſecuta fœcunditate ſupra naturam, ſtratum eſſe iter fœcunditati multo magis ſupra naturam, nimirum Virginis Deiparæ. Manuducimur enim vt credamus potuiſſe Virginem concipere illæſa Virginitate ſic iubente Deo, cum ex eiuſdem benignitate ſteriles pleræque etiam ſenectute confectæ duplici impedimento ſuperato conceperint atque pepererint. Itaque calumnia ſterilitatis Annæ, peccato repenſæ euaneſcit.

Chriſtus Dominus innocentiæ ſpeculum, crucis ſupplicio affectus propter ſcelera, creditus eſt. Id enim & paſſim Iudæi ac Gentiles Chriſtianis exprobraſſe leguntur: & narratio Euangelica apertè præfert; qua continetur Chriſtum malefactorem & reum mortis pronuntiatum eſſe, eóque nomine Cruci addictum. Sed hæc calumnia fuit atrociſſima. Nam Chriſtus non pro ſuis vllis delictis, ſed pro noſtris in crucem eſt actus. Nec quòd tam acerbam mortem innocentiſſimus obierit; vel ipſe, vel conſtituta ab eo religio, criminationi iure patuit. In quam rem, innumera apud Patres Ethnicis & Iudæis reſpondentes, leguntur; & benè apud Arnobium lib. 1. vbi ſingulatim excutit quæ Chriſto ab Ethnicis opponebantur, venienſque ad hoc caput ſic ſcribit. [Sed patibulo affixus interiit. Quid iſtud ad cauſam? Neque enim qualitas & deformitas mortis, dicta eius immutat aut facta: aut eo minor videbitur diſciplinarum eius autoritas, quia vinculis corporis non naturali diſſolutione digreſſus eſt, ſed vi illata deceſſit. Pythagoras Samius, ſuſpicione dominationis iniuſtæ, viuus concrematus in fano eſt: Nunquid ea quæ docuit vim propriam perdiderunt, quia non ſpiritum ſponte, ſed crudelitate apperitus effudit? Similiter Socrates, ciuitatis ſuæ iudicio damnatus, capitali affectus eſt pœna. Numquid irrita facta ſunt, quæ ſunt ab eo de moribus, virtutibus, & officiis diſputata, quia iniuria expulſus è vita eſt? Innumerabiles alij gloria & virtute & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarum mortium experti ſunt formas; vt Aquilius,

lius, Trebonius, Regulus? Nunquid idcirco poſt vitam iudicati ſunt turpes, quia non publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacerati, excruciatique perierunt? Nemo vnquam innocens, malè interemptus, infamis eſt; nec turpitudinis alicuius commaculatur nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatem. Et tamen, ô iſti qui hominem nos colere morte functum ignominioſa ridetis, nónne Liberum, & vos patrem, membratim ab Titanis diſſipatum, fanorum conſecrationi aptatis? Nónne Æſculapium medicaminum repertorem, poſt pœnas & ſupplicia fulminis, cuſtodem nuncupauiſtis & præſidem ſanitatis, valetudinis, & ſalutis? Nónne ipſum Herculem magnum, ſacrificiis, hoſtiis, & thure inuitatis incenſo? quem ipſi vos, fertis viuum arſiſſe poſt pœnas, & concrematum in funebribus buſticetis. Nónne illum Atyn Phrygen, abſciſſum & ſpoliatum virum, magnæ matris in adytis Deum propitium, Deum Sanctum, Gallorum conclamatione teſtamini? Nónne ipſum Romulum patrem, Senatorum manibus dilaceratum centum, & Quirinum eſſe Martium dicitis; & ſacerdotibus, & puluinaribus honoratis, & in ædibus adoratis ampliſſimis, & poſt hæc omnia, cœlum aſcendiſſe iuratis? Aut igitur ridendi & vos eſtis, qui homines grauiſſimis cruciatibus interemptos, Deos putatis & colitis: aut ſi certa eſt ratio, cur id vobis faciendum putetis, & nobis permittite ſcire, quibus iſtud cauſis rationibúſque faciamus.] Liquet, quàm præpoſterè pœna (quanquam non verè pœna,) illatæ Chriſto crucifixionis, repenſa Chriſti peccatis, ſtatueretur ab impiis, ſiue Iudæis, ſiue Ethnicis.

Cæcus Chriſti aduocatus, qui vna fidei gutta, nubem infidelium Chriſto aduerſantium diſſipauit, vt ſanctus Chryſoſtomus orat. de eo ſcitè dixit, creditus eſt ſuo aut parentum peccato incurriſſe cæcitatem. Ita viſum diſcipulis, Ioannis IX. Idcirco enim ſciſcitati de Chriſto ſunt, *quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* [Debilitates corporum (vt ait ſanctus Ambroſius epiſtol. 45. quæ eſt ad Bellicium,) referentes ad merita delictorum.] Et idem ſignificarunt Phariſæi cæcum increpantes, cùm dixerunt, *in peccatis natus es totus:* referentes ad culpam eius aut parentum, calamitatem cæcitatis qua premebatur. Nam quamuis iuxta ſanam doctrinam, cæcus non potuerat peccare antequàm cæcitatem incurreret, hoc eſt, ante natiuitatem ex matris vtero; incurrerat tamen peccatum originale, cui diſcipuli & Phariſæi eam calamitatem adſcribere poterant; vel certè eam adſcribebant peccato alicui poſt vſum rationis per eum admittendo: quod cenſet Leontius Euthalius illos exiſtimaſſe: vel denique adſcribebant cæcitatem prolis, alicui parentum culpæ; cùm non rarò parentes non puniantur in filiis, iuxta doctrinam ſancti Gregorij XV. Moral. cap. 31. & Saluiani lib. 8 de Prouid. Chryſoſtomi hom. 29. in Geneſ. Id quod latè quoque illuſtrat Petrus Faber lib. 3. ſemeſtr. cap. 8.

Diſertè tamen Chriſtus Dominus, repulit labem falsò aut cæco aut parentibus eius impactam, negans eum contra errorem Phariſæorum & ſtolidam (vt ſanctus Ambroſius vocauit,) interrogationem diſcipulorum, incurriſſe cæcitatem propter peccatum, ſiue ſuum, ſiue alienum, tanquam vt cauſam per ſe ac propriam, de quali cauſa calamitatis cæci nati, interrogabant diſcipuli. *Neque hic peccauit* (inquit Chriſtus,) *neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Non quòd non habuiſſet peccatum originis, ſed quòd non ob id peccatum multatus eſſet cæcitate, niſi remotè & vt in generali cauſa omnium noſtrorum malorum. Præterquàm quòd propriè loquendo

quændo, habere peccatum originis, non eſt peccare; quod ſonat propriam operationem vel omiſſionem eius qui peccare dicitur: niſi cum indicato fonte illius peccati, pronuntiatur quis peccaſſe in Adamo; quod non eſt per propriam delinquentis culpam impingere, ſed contrahenti peccati obligationem incurrere ob originem ex Adami ſtirpe vitiata. Agendo igitur de culpa operantis propria & actuali, de qua diſcipuli ſciſcitabantur, cœcus natus non peccauerat: neque ob culpam aliquando admittendam mulctatus fuerat: quia Deus non infert pœnam actu & de facto, priuſquàm actu & de facto culpa præceſſerit, vt ſæpè contra Pelagianos vrget D. Auguſtinus. Neque item culpæ alicui parentum repenſa eſt ea filij calamitas, vt Chriſtus cauſæ illius calamitatis probè conſcius, aſſeuerauit. Fuit itaque cœcitas inflicta cœco pro gloria Dei; vt ſcilicet diuina in eo curando virtus eluceret. Atque ita iudicium de eius calamitate repenſa actualibus aliquibus eius aut ſuorum peccatis, fuit calumnioſum.

SS. Martyres, ab Ethnicis & aliis impiis ſupplicia ſuſtinuiſſe dicti ſunt ob flagitia, ita vt quæ patiebantur, non ad gloriam eis cederent ex confeſſione nominis Chriſti, ſed in pœnam ſcelerum exciperentur. Audi Maximum Madaurenſem, Ethnicum Grammaticum apud Auguſtinum epiſt. 43. [Quis ferat Ioui fulmina vibranti præferri Mygdonem? Iunoni, Mineruæ, Veneri, Veſtæque, Sanaëm; & cunctis (proh nefas!) Diis immortalibus Archimartyrem Namphanionem, inter quos Lucitas etiam haud minore cultu ſuſcipitur, atque aliis interminato numero, (Diis hominibúſque odioſa nomina, qui conſcientia nefandorum facinorum, ſpecie glorioſæ mortis, ſcelera ſua ſceleribus cumulantes dignum moribus factiſque ſuis exitum, maculari repererunt. Horum buſta ſi memoratu dignum eſt, reiectis templis, neglectis maiorum piorum manibus, ſtulti frequentant, ita vt præſagium vatis illius indignè fetentis emineat:

Inque Deum templis, iurauit Roma per vmbras.

Hæc vt Diuus Auguſtinus epiſtol. 44. rectè vocauit *ſacrilega conuicia* in ſanctos Africanos, eodem calumniatorio ſtylo ab Eunapio propoſita & intorta ſunt in ſanctos Martyres Alexandrinos. Sic enim ille in Ædeſio. [Illi ipſi, Monachos Canobi quoque collocarunt, vt pro Diis qui animo cernunrur, ſeruos & quidem flagitioſos diuinis honoribus percolerent, hominum mentibus ad cultum cæremoniaſque obligatis. Ij namque condita & ſalita eorum capita, qui ob ſcelerum multitudinem à Iudicibus extremo ſupplicio fuerant affecti, pro diuis oſtentabant; iis genua ſubmittebant, eos in Deorum numerū receptabant, ad illorum ſepulchra puluere ſordibúſque conſpurcati. In his nonnulli Martyres, Diaconi alij, & legati arbitrique precum petitionúmque apud Deos nominabantur, cùm fuerint ſeruitia infida, & flagris peſſimè ſubacta, & quæ cicatrices ſcelerum ac nequitiæ veſtigia corporibus circumferrent: Eiuſmodi tamen Deos fert tellus.] Quot verba, tot calumniæ, totque horrenda mendacia, quæ tamen nouo miraculo, vt Theodoretus alia occaſione ſcitè dixit libro 3. contra Græcos, fructificant veritati Catholicæ, quandoquidem inde liquidò habemus, antiquum vſum ſacra martyrum pignora religiosè aſſeruandi atque colendi.

In particulari huiuſmodi calumniam variis ſanctis affricuerunt plerique Tyranni, refugientes audire perſecutores Chriſtianorum, & idcirco quærentes prætextus, vt ſancti quos letho dabant, alitérve vexabant, alia de cauſa vexati viderentur. Factum id à Monothelitis, vt ſcribitur in Hypomneſtico de Anaſtaſio Apocriſiario,

Digitized by Google

Apocriſiario, ſic enim ibi præter cætera [Infinita multitudo eorum qui in prædicta non ferenda & intolerabili perſecutione, diuerſis verberibus & tribulationibus palam & occultè martyrium inferebant, aſtuto ac verſuto molimine has illius aliter atque aliter quaſi non pro fide,ſed ſub prætextu aliarum ingerebant occaſionum atque damnorum: adeò vt hæc ſimplicioribus quibuſque qui facilè decipiuntur, ignorantibus, ſoli Deo qui occultorum eſt cognitor & his qui ſtudioſiores erant, hos & quanobrem paſſi ſint, procul dubio deferentes.] Eodem veteratorio artificio vſos antiquiores,& nuperos fidei perſecutores, Conſtantinum, Iulianum Apoſtatam, Vandalos, Britannos ſub Elizabetha & Iacobo,oſtendo in Opere de martyrio parte 2. c.1.n. 14.&.15.

Sed habuit circa hos omnes locum, quod circa SS.Iuuentinum & Maximum valuiſſe dictum eſt à ſancto Chryſoſtomo in eorum Encomio. Dixerat de Iuliano Apoſtata SS. illorum trucidatore ſanctus Chryſoſtomus; [Fingebat (Iulianus,) varias cauſas, ita vt piè viuentium nemo non lugeret. Agebat autem hæc, vt obſcuraretur contemptaque eſſet martyrij corona, & nihilominus & cædes & ſtrages fierent.] Subdit de hac Iuliani malitioſa arte S. Chryſoſtomus. [Nihil arte hac proficiebat. Nam qui ita affligebantur, non ad illius calculum & malignitatem ſpectabant, ſed ad incorruptum Iudicem, à quo & cœleſtem coronam accepturos ſeſe confidebant.] Et inferiùs poſt recitatum Sanctorum illorum robuſtum propoſitum. [Nunciata ſunt & hæc atque ſimilia Regi, qui nec ſic deſtitit, ſed illecebrarum eſcis iterum atque iterum illos rentauit. Ita autem mundauit, quòd ſi cederent victi,ſub omnium oculos producerentur; Sin fortes perſeuerarent vti perduellionis rei educerentur & occiderentur,neque vlla Chriſtianæ profeſſionis, ob quam tenebantur, mentio fieret. At qui reuelat profunda, & abdita, non permiſit,vt machinationes illæ occultæ manerent, & ignotæ inſidiæ. Nam quemadmodùm olim mulier Ægyptia Ioſephum in lecto apprehendens, licet ſperaret factum ſuum, clam fore omnibus hominibus,non fuit tamen occulta, vel oculo illi ſoporis neſcio, vel poſteritati; (quippè quòd abſque arbitro illa Ioſepho dixit, id nunc toto vbique mundo canitur:) Ita & ea quæ per ſubornatos illos conſiliarios doloſus Rex agebat, ſperans occulta fore, nequaquam manſerunt occulta. Didicerunt enim poſteri omnes,& inſidias doloſas, & triumphantium victorias.] Hæc de omnibus ſanctis falsò prætextu per calumniam diuexatis,reipſa autem propter Deum malè habitis, eodem iure dici poſſunt.

S. Gregorius Magnus, in pœnam peccati quod admiſerat fuſa pro Traiano oratione,dicitur mulctatus continuo pedum ac ſtomachi dolore. Ita Abulenſis ad librum 4.Reg. quæſt.57.qui cenſet S.Gregorium in ea oratione pro Traiano quem ſciebat damnatum, peccaſſe mortaliter. Sed eſt atrox calumnia in Pontificem ſanctiſſimum, qui & tam grauis culpæ notatur, & ob eius noxæ pœnam, ſubiacuiſſe corporeis illis ærumnis dicitur, ex inani prorſus fundamento. Nam S. Gregorium oraſſe pro Traiano, & eum ab inferis iam damnatum eripuiſſe figmentum eſt, pro quo fruſtra pugnauit Alfonſus Ciaconus Opuſculo de ea hiſtoria, ſubſcribitque Rutilius Benzonius l. 1. ſpeculi Epiſcoporum diſput. 1. quæſt. 8. ad 8. *pag. mihi* 154. *&* 155. Sed eſſe fabulam, rectè coniectarant Canus l. 12. de locis cap. 2. & Soto in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. artic. 2. & diſertè tradit eumcirque Baronius anno Chriſti 604. ac Bellarminus lib. 2. de Purgator cap. 8. Suarez tom.2. 3.part. diſp.43. ſect. 3. & paſſim recentiores.Hoc ſanè fundamento

euerſo, quod planè ruinoſum eſt, & nullo idoneo fulcro ſubnixum, concidit calumniæ moles ſancto Gregorio perperam impoſitæ, præciduntúrque tricæ variæ ab antiquis Theologis Scholaſticis excogitatæ, ad exponendum quomodò ſalua decretorum diuinorum veritate de abyſſo nunquaam ſeneſcente, (id eſt, vt ipſe D. Gregorius XXXIV. mor. c. 13. expoſuit, de nulla vnquam in inferno redemptione,) potuerit vir ſanctus, exorare Traiani à Tartaro ereptionem: quibuſdam dicentibus, Traianum precibus ſancti Gregorij ad vitam reuocatum egiſſe pœnitentiam; quod habet S. Thomas in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. art. 5. ad 5. Aliis aſſerentibus, ſuſpenſam fuiſſe Traiani condemnationem, & D. Gregorij oratione impeditam, vt videre eſt apud D. Thomam in 1. diſtinct. 43. quæſt. 2. artic. 2. ad quintum, & quæſt. 6. de veritat. artic. 6. ad quartum. Nihil horum neceſſarium eſt, ſuppoſita narrationis prædictæ falſitate: qua item reuicta, concidit quod ait Ioannes Diaconus, ægritudines de quibus diximus, immiſſas eſſe ſancto Gregorio, ne ob eam Traiani ereptionem exoratam, tumeret animo.

CAPVT XXV.

De morbis & paſſionibus probroſis.

PAſſim quidem morbi non ſunt probro, ſed potiùs commiſerationem mouent; quia nec à voluntate libera patientis ortum habent, neque plerumque à Deo vltore, liberas hominis exertationes plectente infliguntur; ſed adueniunt naturaliter, atque adeò reprehenſioni non patent. Sunt tamen quidam morbi qui ita miſerationem mouent, vt ſimul horrorem incutiant; ſiue quia timetur contagium, ſiue quia fœditatem inferunt meritò refugiendam; aut quia ominoſi ſunt & fontici; ſaltem iuxta corruptum vulgi iudicium. Eiuſmodi ſunt elephantiaſis ſiue lepra, epilepſia, plena omnium obliuio, bilis atræ affectus, ſyphillis etiamſi abſque culpa contrahatur, vt interdum accidit. Huc item referendus eſt energumeniſmus, qui tametſi peccatum neceſſariò non ſupponat, & viris ſanctiſſimis aliquando obtigerit, (vt docent exempla apud Thyræum in Opere de Dæmoniacis cap. 29. 30. 31. ac 32. Videndus item Caſſianus collat. 7. cap. 27. & 28.) tamen paſſim habetur probroſus & ominoſus. Itaque ſi contingat tale quid alicui falsò affingi, non eſt dubium, quin hæc poſſit eſſe calumniæ materia. Tales aliquas maculas viris ſanctis fruſtra & falsò impoſitas, relatum ac deterſum venio.

Moyſes, referente apud Photium Codic. 279. Helladio Beſantinoo in Chreſtomachia, ἄλφα denominatus eſt, quia corpus habebat ἄλφοις, id eſt, vitiligine diſtinctum, cuius narrationis autorem, laudat Helladius Philonem. Idem de Moſe, nec abſque auctario dixere Manethon & Chæremon atque Lyſimachus apud Ioſephum lib. 1. contra Appionem: qui referunt, Moyſem & lepra ſorduiſſe, & cum multitudine leproſorum Hebræorum, ab Ægyptiis quòd eſſent lepra, ſcabie, & ſimilibus morbis infecti, pulſos ex Ægypto fuiſſe. Hæc omnia manifeſtæ calumniæ reuincuntur ex Scriptura, cauſam receſſus Iudæorum ex Ægypto, Duce Moyſe, longè aliam prodente, quàm referant hi fabulones. Vt vix ſit, cur cum eodem Ioſepho ibidem, & lib. 3. Antiq. cap 10. vrgeam leges à Moyſe latas de ſegregatione leproſorum; quas nunquam laturus videretur, ſi ei calamitati ſubiacuiſſet, præſertim cùm apud pleraſque gentes (vt Ioſephus ait,) leproſi ſint in pretio, & in expeditionibus, militares dignitates; & in adminiſtratione Reipublicæ ciuiles obeant, ac ne à templis quidem

quidem & fanis arceantur. In tanta luce veritatis, falſiloquium calumnioſum propoſitum eliminantis, nihil attinuit hæc veritatis præſidia conquirere.

Eliſæus Scriptura teſte, caluus, (idcirco enim pueri inclamaſſe illi referuntur *Aſcende calue,*) de Ariſtotelis ſententia ex Hippocrate deprompta, purum & nitentem virginitatis florem, extra coniugium quod nunquam iniuit, triuiſſe & calcaſſe ſuillum in morem venereis ſpurcitiis dicendus eſſet, ſi vera dicerent hi duo Medicæ & Phyſicæ doctrinæ arietes, agentes de caluitij origine: Hippocrates quidem l. de natura pueri, Ariſtoteles verò l. 5. de gener. anim. cap. 3. Ille enim videns Eunuchos nunquam caluéſcere, opinatus eſt caluitij cauſam eſſe certum temperamentum, ſimul cum effluxu ſeminis. Ariſtoteles autem ex eo quòd cerebrum inſito ſibi temperamento ſit frigidum, magíſque refrigeretur excretione ſynceri & naturalis caloris per vſum venereorum; colligit, caluitiem non niſi in iis cerni, qui venereis paſſionibus dedere locum. Ex quo etiam infert, mulieres quæ natura pueros referunt, & ſicut illi ſemen non excernunt, caluitio non ſubiacere. Id quod Syneſius firmat in Caluitij encomio. Itaque excidit Virginitatis decore Eliſæus caluus, contrà quàm de eo his verbis ſtatuit Aldelmus l. de Virginit. [Eliſæus, Eliæ duplo ditatus ſpiritu, & gemina præditus gratia, in cuius exortu aurea quadrupes in Galgalis bomboſæ vocis mugitum roboraſſe deſcribitur; ſignificans idololatriæ lapſum, & ſimulachrorum ceremonias explodendas; nónne propter pudicitiæ virginalis infulam, Magiſtri fretus melote, enormem Iordanis gurgitem diremit, impuberes petulanter naturæ ludibrio vati inſultantes, tabidis vrſinæ ferocitatis rictibus tradidit, cadaueri gelidæ mortis faucibus ſuffocato, etiam ipſe letho ſopitus vitalem reddidit ſpiritum?]. Similiter Eliſæum inter Virgines recenſet ſanctus Hieronymus l. 1. in Iouin. damnatque ſtultitiæ illum Epicuri de grege porcum, qui ſecùs ſentiebat.

His Patribus ſubſcribentes, Eliſæum tametſi caluum, virginem fuiſſe profitemur, reiecta origine caluitij ab Hippocrate & Ariſtotele aſſignata. Neque enim caluitium, eam vnam habet originem, quam ipſi protulerunt. Eſto qui Venereis nimis ſunt addicti, caluéſcant; non tamen viceuerſa omnes qui caluitio ſubiacent, venereorum vſu ſunt contaminati: cùm caluities, vt benè aduertit Tardinus l. de pilis cap. 33. extra vſum venereorum induci poſſit, ex variis cutis affectibus, ex defectu alimenti, & ſucci vitioſi permiſtione. Falſus præterea eſt Ariſtoteles circa mulieres, cum eis & effluxum ſeminis (etiam fœcundi,) ademptum voluit, & eas caluéſcere negauit: quod Magnus Albertus l. 19. de animal. cap. 6. exemplo viſarum abs ſe binarum mulierum caluitio laborantium, reprehendit. Nec non Argenter. comm. 2. in artem Medicam Galeni, qui allegat vetulas capillo aſcititio glabra capita tegere adactas: id quod etiam in pleriſque iuuenibus mulieribus abs ſe notatum, tradit Tardinus. Potuerunt ergo mulieres, ſicut olim præ temperantia expertes podagræ, ſed poſtea præ intemperantia podagricæ, nouo euentu de quo Seneca epiſtol. 95. ſtupebat, ita caluéſcere, cùm deſierunt à priſtina moderatione atque virtute. Quare ſaluum ſit Eliſæo, virginitatis decus & immunitas ab vſu venereorum, etiamſi caluus fuit. Quod item de pleriſque caluis, viris à venere abhorrentiſſimis rectè ſtatuit loco allegato Tardinus; & nominatim de ſancto Paulo; quem caluum fuiſſe, Critiam catechumenum informans Lucianicus Triephon in Philop. extra dubium facit; & tamen S. Paulum non modò vxore caruiſſe, (de quo vix vllus præter Alexandrinum Clemen-

tem dubitauit,) ſed etiam fuiſſe prorſus labis venereæ expertem, graues Patres tradiderunt; Tertullianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Theodoretus, Beda, OEcumenius, Theophylactus, adducti à Benedicto Iuſtiniano diſput. 3. procem. in Paulum cap. 3. Sed nominatim S. Hilarius in Pſalm. 127. qui Paulum inter Virginitatis exempla præcipuè numerat. Aſtipulantur paſſim recentiores, vt Iuſtinianus ſuprà, Serarius diſput. de Paulo num. 13. 14. & 15. Marſutius l. 1. de vita Pauli cap. 9. qui obſeruat, contrarium de Paulo ſponſo ſenſum, quamuis ad nuptias non peruenerit, fuiſſe figmentum Ebionis, perperam ab Ambroſio Catharino in cap. 4. ad Philipp. ſuſceptum, & malè S. Brigittæ reuelatione firmatum; cùm apud eam diſertè legatur, Pauli à nuptiis auerſio l. 2. reuelat. cap. 7. Fuit igitur ſanctus Paulus virgo, etiamſi caluus: atque adeò euertitur fundamentum affricandi calumnioſè illouiem Veneream omnibus caluis poſitum ab Hippocrate & Ariſtotele.

S. Angadriſina à Volaterrano l. 24. Antropol. ita leproſis annumeratur vt videatur fuiſſe probro locus; Simpliciter enim refert, ſuperuenientem ei lepram, pacti connubij diſſoluendi cauſam præbuiſſe: quòd ita ſimpliciter ac crudè dictum, in piæ Virginis dehoneſtationem redundat, & calumniæ fundamentum præbere poteſt, quaſi morbo probroſo, (qualis reuera eſt lepra, vt conſtat, latéque proſequitur Francaſt. l. 2. de morbis contagioſis cap. 13. & 14.) inuita, aut per humorum corruptionem, naturaliter ſubiacuerit. At res longè aliter habuit. Nam vt eſt in Actis ſancti Anſberti per Angradum, cum Angadriſina ſpecie & opibus præcellēs puella, Anſberto qui poſtea Rothomagenſium Epiſcopus omni ſanctitate præfulgens fuit, à Roberto patre annuli Regis Clotarij gerulæ, contrà quàm ferebat votum addictæ Deo Virginitatis, eſſet deſponſata, precibus à Deo euicit, vt ſpecioſitas qua omnibus erat admirabilis, deformaretur; id quod illico perfectum eſt, exortu immundiſſimæ ac teterrimæ lepræ, quæ faciem tot vlceribus dehoneſtauit, pertinaci aduersùs omnes Medicorum conatus & induſtrias adhæſione, vt quò plus adhibebatur in ea curanda ſtudij, eò terior & horridior euaderet. Diſſolutis ad eum modum ſponſalibus, pia Virgo ad ſanctum Audoënum deducta, vt ſacro velamine operiretur, Chriſto non homini nuptura, extemplo ac in ipſa ſacri veli ſuſceptione fuit, priſtinæ pulchritudini, abſque arte, eſt reſtituta. Itaque ea lepra, qua ad tempus forduit vt ſemper virginitate niteret, non potuit ad probrum piæ Virginis pertinere. Vt neque illa, qua pia mulier apud Cantipratanum l. 2. Apum. cap. 30. num. 29. ad horam ſordere precibus obtinuit, ne ſpecie ſua quemquam perderet.

S. Acepſimas, (vt referunt Theodoretus in Relig. hiſtor. cap. 15. & lib. 4. hiſtor. Eccleſ. cap. 26. ac Nicephorus l. 11. c. 41. & Menæa Græcorum, itemque Menologium 3. Nouemb.) per annos ſexaginta continuos, tanquam mutus ac cœcus in paruo gurguſtio per mæandros & ſinus inſtar incuruæ lineæ effoſſo, incluſus delituit, neminem toto eo tempore, aut conſpicatus aut allocutus. Hoc & ſimilia alia Sanctorum Eremitarum facta, Magdeburgenſes Centur. 4. & 5 cap. 6. & 10. itemque Caluinus 4. inſtit. cap. 13. §. 16. & apud Alanum Copum alij, partim ſugillant & damnant grauiter, partim derident, & Diabolicæ paſſioni tribuunt, qua miſerè affecti ac deluſi, Chriſtianam perfectionem in fatuitatibus & abſurdis obſeruationibus collocauerint. Sed hæc omnia immani calumnia ſordere benè demonſtrat Bellarminus lib. de Monachis cap. 39.

cap. 39. Tantùm enim abeſt, vt Sanctæ obſeruationes Anachoretarum & Eremitarum, ad Diabolicam paſſionem & ludificationem ſint referendæ; vt potiùs ſuſpicienda in eis ſit ſublimitas diuinæ operationis qua agebantur, vt tam ſtupendum in modum, res humanas & ſua commoda faſtidirent, in ſolas cœli delicias quibus affluebant ſemper intenti. Nos iuxta ſententiam à Nidero traditam lib. 2. Formicarij cap. 10. de Angelis bonis aliquos pios poſſidentibus, non minùs quàm mali dæmones aliquos impios aut alios ex Dei permiſſu poſſident dicere liceat Energumenos deſiderabiles.

S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus, inter Sanctos quos Deus energumenos eſſe, altiſſimo ſed iuſtiſſimo iudicio ſanxerit, eſt recenſitus à pleriſque: qui eo videntur adducti, quòd in illius rebus geſtis, autore Guigone Cartuſiano eius æquali, conſcriptis; legatur datum ei fuiſſe Angelum Satanæ, à quo fere vſque ad obitum, ſit colaphizatus, & impulſus vrgentiſſimè ad blaſphemandum. Habet id præter cæteros Dorlandus in Chronico Cartuſienſi.lib.1.cap.1.ex cuius fide in ſyllabo Sanctorum cuiuſuis conditionis & ſtatus, in Heteroclitis ſpirit. parte 1. ſect. 2. part. 10. inſinuaui ego quoque, aliquid huiuſmodi de S. Hugone. Eum tamen fuiſſe huius labis expertem, nunc pono extra dubium. Nam Dorlandus non eſt tanti. Guigo autem qui & S. Hugonem nouit, & iuſſu Innocentij II. Romani Pontificis, S. Hugonis res geſtas accuratè conſcripſit; nihil reuera habet, vnde erui poſſit S. Hugonis energumeniſmus. Tantùm enim ait, cum is Romæ operiretur inaugurationis ſuæ beneficium, grauiſſima Satanæ impugnatione eſſe appetitum; [quæ Sanctam ipſius animam, vſque ad illam ægritudinem qua & decubuit moriturus, diu noctuque, nunc acriùs, nunc mitiùs, non deſtitit excruciare. Quia enim ſanctæ conuerſationis, & illuſtrium operum inſignibus meritis, magnam in populo Dei famam, magnam fuerat habiturus & gloriam, ne forſitan extolleretur, Angelum Satanæ, (ſicut & B. Apoſtolus,) qui ſe colaphizaret accepit.] Ex his Guigonis de S. Hugone verbis, nego inferri, eum fuiſſe Energumenum: alioqui idem dicendum erit de ſancto Paulo, cuius ab Angelo Satanæ colaphizationem, Guigo cum hac S. Hugonis vexatione componit. Adducit item Guigo, Angelum malum ſtantem à dextris IESV ſacerdotis magni, Zach. 3. necnon Diabolum Matth. 4. auſum Chriſto ipſi tentatorem adeſſe. Quis verò idcirco dicat, Ioſedecum talia paſſum, qualia hic de S. Hugone iactata dicimus, vel Chriſtum; Hæreo ne chartam polluam tanta atrocitate blaſphemiæ. Ipſe ſummus Põtifex, audita per S. Hugonem hac eius vexatione, ſolatus mœrentem, nihilominus conſecrauit in Epiſcopum: quod nunquam contra Canones, & praxim Eccleſiæ perpetuam tentaſſet, ſi eum habuiſſet pro energumeno. Sub finem Actorum; Guigo duos Angelos Satanæ colaphizaſſe B. Hugonem tradit: hanc ſcilicet paſſionem, & dolorem capitis ad annos 40. productum. Num idcirco, alterius dæmonis caput grauantis, occupationem comminiſcemur? Itaque vexatio S. Hugonis, fuit mera tentatio de blaſphemia vehemens ac pertinax; quali lectiſſimæ animæ, aliquando ſunt exagitatæ, vt patet ex remediis quæ aduerſùs huiuſmodi faſtidioſiſſimam tentationem præſcribit Gerſo Tract. de remediis contra puſillanimit. & tractatu de meditatione, ac tract. de diuerſis Diaboli tentationibus, & tract. de diſcretis exercitiis deuotorum; ex quo profecere Corduba. l. 1. quæſt. 14. Valerius de prud. Confeſſarij cap. 11. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 17. num. 13.

Albertus Magnus, referente in eius vita Petro de Pruſſia cap. 44. & aliis non paucis cùm adoleſcens cooptatus eſſet in B. Dominici familiam, fertur præ ingenij tarditate & hebetudine, vix aliquid potuiſſe in literis proficere: indeque fractum animo de ordine deſerendo cogitaſſe, ſcalis iam ad clanculariam fugam comparatis; ſed à Beata Virgine, benignè prohibitum eſſe abſceſſione; data optione, ſubitò obtinendæ in Philoſophicis vel Theologicis ſtudiis præcellentiæ: inconſultiùs autem adamata Philoſophica ſapientia, Albertum compotem quidem voti factum. Sed monitum fore vt in extrema ætate exutus collato diuinitus munere, in primam hebetudinem relaberetur. Et ita factum narrant triennio antequàm Albertus è vita excederet, omni eius ſcientia ſubitò dilapſa; cùm inter publicè docendum, ſtupentibus ad inſolitum ſpectaculum omnibus, hæſiſſet attonitus; omnium deinceps immemor, niſi quod nulli parti religioſi inſtituti deerat, in ea duntaxat parte, conſtante illi memoria. Itaque iuxta hanc narrationem Albertus obliuioſis illis accenſetur, qui omnia dedidicerunt, vt eſt apud Plinium.

Et ita obtigiſſe ſpurco & impio Doctori Simoni Tornacenſi, diuinitus perculſo, qui ſolius Dalilæ ſuæ nomen retinuit, memorat Thomas Cantipratanus. Affine item eſt quod Simoni Thuruaio Anglo Cornubienſi accidiſſe tradit Matthæus Pariſ. lib. 7. hiſtor, & Polydorus lib. 15. Non video autem cur Delrio 2. Mag. quæſt. 24. vtrumque illum Simeonem conflet in vnum, cùm narrationum adiuncta ſint planè diuerſa.

S. Hugoni Gratianopolitano, poſt annos 40. continuati doloris acerrimi in capite, obliuionem rerum omnium obtigiſſe, ſcribit Guigo Carthuſianus. De Bernardo quodam in ſanctum Patricium minùs reuerente, idem produnt huius Sancti Antiſtitis Acta. Et quanquam hæc plaga, poſſit (vt vidiſti,) etiam naturaliter infligi; habetur tamen inter perpeſſiones dehoneſtantes, ſaltem apud vulgus profanum. Itaque liberandus ab ea videtur Magnus Albertus, cùm non ſuppetat idoneum huius maculæ illi affricandæ fundamentum. Eſto enim, acceperit diuinitus inſignem ſapientiam interuentu B. Virginis, id quod æquè Hermanno Contracto & Ruperto Tuitienſi obtigiſſe volunt: nec aliter de Ioachimo Abbate ex illiterato Ianitore, in ſubtilem diſputatorem ſubitò per Angelum transformato, Calchondylas lib. 6. de rebus Turcicis. Vt tamen ſub extremam vitam diuino illo munere ſit priuatus, nemo antiquorum prodidit: nec eſt adeo veriſimile, cùm dona Dei ſint abſque pœnitentia. Quod autem ad eum modum multatus ſit ob prælectam humanam ſapientiam, pugnat cum ea præcellentia ſacræ litteraturæ in Alberto, quæ nihil cedit doctrinæ eius Philoſophicæ ac humanæ, vt ex inſignibus eius in Magiſtrum, & in Scripturam vniuerſam lucubrationibus, liquet. Tametſi propter cauſas à Petro de Pruſſia in Alberti vita c. 8. expreſſus incumbere in res Philoſophicas diligentiùs quàm tunc fieri ſoleret adactus eſt Albertus. Ex eo igitur quòd proditum primùm ſit ab aliquo, præmonitum fuiſſe Albertum imminentis è vita diſceſſus; cùm in lectione publica contingeret illum fallente memoria; hærere, extitiſſe videtur reliqua ſubſtructio facta à poſterioribus Scriptoribus ad eam narrationem; tanta adiunctorum diuerſitate à diuerſis exaratam, vt facilè moueatur falſitatis quoad immemoriam illam à pleriſque præteritam ſuſpicio.

Albertus Dux Brunſuuicenſis & Bremenſis Archiepiſcopus probri notatus eſt ad hanc ſeriem pertinentis, Dictus quippè eſt *Androgynus*, aut vt Liuius

&

& Lucanus appellant, *ſeminas.* Corporis conſtitutio, peccato quidem vacans in eo cui obtigit, ſed tamen monſtroſa atque probroſa, & vt paſſim creditur, ominoſa, vt variis exemplis quæ addenſat Gaſpar Bahuinus in opere de Hermaphroditis à cap. 30. (& nominatim ex ſenſu veterum de quo cap. 37.) fit manifeſtum. Alberto ergo viro Principi, & inſignem Eccleſiam nacto, cuius fructu carendum erat ob irregularitatem & incapacitatem adeundi Eccleſiaſticum beneficium, iuxta veriſimilem ſancti Antonini ac Sylueſtri ſententiam de qua alibi; durum omnino fuit, notari ad eum modum, id quod ei obiecit Ioannes Bremenſis Eccleſiæ Diaconus, vt ſcribit Krantzius in Metropoli lib. 10. cap. 20. ſed fuiſſe calumniam, monſtratum eſt per multiplicem inſpectionem cui ſe ſubiecit Archiepiſcopus. Nam primùm, in balneis conſpiciendum ſe præbuit Bremenſibus pleriſque ciuibus, conſularibus ac militantibus. Deinde cum nec ſic euanuiſſet calumnia, connocatis Hamburgum ſuis Coëpiſcopis & Eccleſiarum Prælatis, viſendum ſe præbuit pluſquàm quingentis perſonis quibus grande apparauit conuiuium, Prælatos omnes ac nobiles ternis ferculis tricies multiplicatis excipiens: Militaribus autem viris alio loco exceptis, binis ferculis tricies multiplicatis conuiuium inſtruxit. Reliquos ciues ſingulis per vicenas vices ferculis honorauit. Sed ne hac quidem tam ſolemni oſtenſione, depulſo probro; cum ſupereſſent qui iactarent, delectos inſpectores pretio fuiſſe corruptos, tertium in Sudenſi ciuitate ad propudioſam illam ſui publicationem eſt adactus.

Hoc ipſo probro calumnioſè Adamum protoplaſtum dehoneſtarunt malè feriati Rabbini eo Geneſ. loco nixi, *maſculum & fœminam creauit eos.* Refert latè hæc nugamenta Bahuinus lib. 1. de Hermaphroditis cap. 34. Sed non eſt quod refellantur, cùm apertum delirium ſit cum multis longeque grauiſſimis probris & incommodis quæ nihil attinet exponere inſeparabiliter coniunctum, quod Deus adeò imperfectum & monſtroſum opus ediderit. Et quod Moyſes ait *maſculum & fœminam creauit eos* diuiſim accipiendum eſt vt per ſe liquet, ita ſcilicet vt Adam mas tantum, Eua verò fœmina tantùm ſit procreata. Eum verò Scripturæ locum de gemino vtriuſque protoplaſti ſexu accipere, non eſt interpretari ſed rudere.

Ioannas Duns Scotus, laboraſſe morbo comitiali dicitur, qui, contagioſus morbus eſt, ita vt cum homine ea ægritudine grauato, nemo audeat ex eodem catino cœnare, aut ex eodem poculo bibere; vt ait Apuleius, de Thallo Epileptico agens, Apologia priore. Romani eum morbum ominoſum duxerunt, ideoque dictus apud eos eſt morbus comitialis. Non quod vt Ioannes Gorreus cenſuit maximè inuadat in Comitiis, & hominum frequentia; (ſic enim æquè dicendus fuiſſet morbus concionalis;) ſed quòd ſi aliquem inter ineundum comitia eo ſontico morbo corripi contingeret, ſoluerentur comitia, & in diem alterum eſſent differenda, iuxta illud Sereni Sammonici.

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſet.
Sæpè etenim membris atro languore caducis.
Concilium populi, labes horrenda diremit.

Morbum ſacrum atque diuinum, vocauit Hippocrates lib. de hoc affectu, & Plato in Timæo, nec non Galenus lib. 6. de morb. vulg. comm. 6. aphoriſ. 7. Cuius nomenclationis rationem, inde petit Alexand. Trallianus lib. 1. cap. 15.

de-

de hoc affectu agens (conſentitque Apol. apol. 1. & Manardus lib. 6. epiſtol. Medic. Epiſtola 6) quòd cerebrum maximè afficiat, partem corporis maximè ſacram, & quoddam quaſi ſacellum & lararium in quo noſtri portio maximè ſacra ſedem habet. Vel certè vt Ariſtoteles ſect. 30. probl. quæſt. 7. cenſuit, idcirco hic morbus ſacer & diuinus eſt denominatus, quòd eo Hercules corriperetur; vel quòd periuris in lunam, inferri diuinitus crederetur, vt tradit Arenæus lib. 7. cap. 4. vt vt, eſt morbus, quem Romani autore Tertulliano c. 9. Apol. & Minutio in Octauio, poſt Plinium lib. 28. cap. 1. epoto humano ſanguine ferinum in modum depellere non grauabantur. Hoc ergo ſontico & contagioſo morbo laboraſſe Scotum, & ex eorum fuiſſe numero quos S. Auguſtinus lib. de vita beata in calce diſputationis primæ diei; vocat *caducarios*, illubens audio: quia eſt mera eorum qui gratis tantum virum traduxerunt, imaginatio Nec lenit hunc dolorem, quòd vt obſeruauit Ioannes Taxil. Tract. de Epilepſia cap 15. hic morbus ferè tantùm corripit magnas mentes, ex Ariſtotele ſect. 31. prol. 1. qui in exemplum profert Aiacem, Herculem, Bellerophontem, Socratem, Platonem, Empedoclem, Meracum Syracuſium, atque Sibyllas. Addit Taxil. Iulium Cæſarem, Liuium Druſum, Petrarcham, Carolum V. & quos magnis ingeniis annumeratos ab eo doleo, Caïum Caligulam, & Mahumetem. Hoc inquam non eluit maculam Scoto impoſitam, etiam ſi verè aſſumeretur; nec (quod hic autor fecit) atrabiliaria affectio qua ij de quibus Ariſtoteles agit laborabant, cum epilepſia cerebrum vexante & luxante, confunderetur. Hoc enim tam nobilis partis vitium, adiuncta habens alia grauiſſima mala tacta à Seneca lib. 3. de Ira cap. 10. Expreſſa verò à Tralliano ſuperiùs allegato, & paſſim à Medicis de hoc affectu diſputantibus; non redditur commendabile, ex eo quòd oblædat magnos viros. Quem enim latet vulgatum illud, *Optimi corruptio peſſima.*

Itali, Galli, Germani, Hiſpani, circa affectum teterrimum & probroſiſſimum, calumniis ſe proſcindunt, iudice Scaligero Exercit. 181. num. 20. *Syphillidem* vocauit Fracaſtorius, perelegantі poëmate de eo affectu. In eius nominis cauſa veſtiganda, multus eſt Lælius Biſciola tom. 1. ſubſec. lib. 9. cap. 2. & qui ex eo illaudato apertè profecit, Zacutus lib. 6. de Medicor. Princip. hiſt. in 3. Hiſtoria quæſt. 6. *Pudendagram* nominat Gaſpar Correlia Tract. de hac lue quia ferè affectus huius ſemina, in iis partibus produntur, quibus vterque ſexus conſtituitur; & vt pudori conſulatur obteguntur. Quanquam reuera totius mali fons primus, eſt hepar: vt Gabriel Fallopius inſigni tractatione de hoc fœdo argumento, demonſtrauit. Exteriùs autem, non primùm ſemper in naturalibus partibus; vt malè ſupponunt; ſed plerunque in ore ſe primùm prodit; aliàs in mammis; vt obſeruauit Antonius Muſa, contendens propterea contra nonnullos, non eſſe hanc paſſionem eandem cum menragra Pliniana de qua l. 2. c. 1. Immanes & horridos morbi huius effectus Hiſpanico vel Indico *paturſa* nomine turpem affectum ſonante, vel Malabarico Purpurorem præferente, iuxta Scaligerum comprehenſos, pereleganter expreſſit Fracaſtorius dicto poëmate & lib. 2. de morbis contag. cap. 11. ac breuiter Fernelius lib 6. pathologiæ cap. 20. Plenius qui iuſtis tractationibus de eo egerunt, idem Fernelius, Fallopius, Beniuenius, Bernardinus Tomitanus, Nicolaus Marſa, Alexander Traicanus, Alphonſus Ferrus, Vlricus de Hutten, Ioannes Almenar, Gaſpar Torralla, Hieronymus Capiuaccius, Antonius Muſa Braſſauolus

Digitized by Google

Braſſauolus, Nicolaus Leonicenus. Et in Medicis Epiſtolis Ioannes Langius lib. 1. epiſtol. 42. & lib. 2. epiſtol. 14.

Circa hunc igitur infamem morbum, calumnias ſibi nectunt, vt Scaliger admonebat, primariæ Orbis nationes. Itali namque hunc morbum primò experti anno 1493. cùm Neapolis Carolo VIII. Regi Francorum ceſſit; hunc *morbum* dixere *Gallicum*, quod à Gallis hauſtus, & paſſim vulgatus eſſet. Galli è contrario, quod primùm Neapoli ea peſte eſſent contacti, dixere *Morbum Neapolitanum*. Germani ad quos per Hiſpanos ex Indiis occiduis reduces, ea merx eſt aduecta, *Hiſpanicum* morbum nominauerunt. Omnes malè, & in aliam gentem calumnioſè; cum is morbus debuerit *Indicus* dici, quippè in Indiis à ſequacibus Chriſtophori Columbi contractus: vt libr. 1. canit Fracaſtor:

Illic namque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare vrbes, paſſimque vagari
Perpetuo cœli vitio, atque ignoſcere paucis.

Præſertim verò in inſula ſancti Dominici adeò familiaris & frequens eſt iſta lues, quàm apud nos papulæ. Aduectam ergo ex oris illis reduce Colombo tetram hanc mercem, vagæ libidinis homines, vitiatis abs ſe mulieribus, hæ ſiue viris ſuis, ſiue aliis ſpecie earum captis, præſertim Gallis (malè hac in parte victoria vſis, quicquid iocetur Renodæus lib. 2. Antidotarij c. 20.) communicarunt. Et potuit etiam recens exortum malum, vt in aliis quibuſdam morbis deprehenſum eſt facto inde initio abſque contagio, per reliquum orbem propè momento ſerpere, vt diſſerit Fracaſtorius lib. 2. de morb. contag. cap. 12. Vt quid ergo ſe lacerant gentes & populi meditantes inania, probrum ſibi inuicem affingentes, quod vel nullius eſt gentis, ſi is morbus citra contagium primò erupit, vel ſaltem nullius eſt gentis Europeæ, ſed Indicæ, vnde per contagium is morbus manauit, natus inibi ab aſtris iuxta Scalig.

Nolo præteritam ſingularem obſeruationem circa hoc probrum, à docto Scriptore annotatam. Hanc ergo de qua agimus calamitatem, quam Galli *Neapolitanam*, Itali *Gallicanam* luem appellant eſſe flagellum à Deo immediatè immiſſum ſententia eſt Alberti Heronis lib. 5. de prouidentia Dei cap. 2. cum de ſexto decalogi præcepto. Sic enim ibi habet. [Nonnulli graues autores, luem illam Veneream, quæ quia veteribus incognita erat, nouo nomine *Scabies Gallica* vulgò dicitur, plagam Dei eſſe exiſtimant. Quorum ſententiam admodùm probabilem facit, quod nunquam ille morbus quemquam niſi vagæ veneri deditum, aut qui illorum contagione fœdantur, inuadant. Atqui ſi vllæ iſtius morbi in natura cauſæ extarent, ſiue eæ ſint intraneæ, ſiue extraneæ, hanc luem aliquando in aliis hominibus inueniri neceſſe eſſet. Non enim cauſæ naturales vllum certum genus hominum ſibi vexandum deligere poſſunt.]

CAPVT XXVI.

De horrenda morte.

TAmetſi ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & parum refert quo quiſque modo moriatur, dummodò nitente anima hinc excedat: Tamen ad infamiam inter homines pertinet, quòd quis extraordinario & inconſueto mortis genere defungatur. Videtur enim id eſſe indicium ſuccenſentis Dei. Et cùm poſt mortem non ſit retractioni aut

reſipiſcentiæ locus, & vbicunque cecidit arbos in morte, ibi ſit in perpetuum infauſta mors, hoc eſt extraordinario & inſolito modo obita, cenſetur omen malum, & quaſi prognoſticon æterni exitij, quod alicui tribuere, eſt eum onerare infamia cui nulla poteſt fieri acceſſio. Itaque impingere alicui per calumniam, quod horrendo quopiam mortis genere obierit, eſt eum falsò & iniuriâ ſuſpectum reddere damnationis æternæ,& ruinæ nunquam inſtaurandæ. Solent ſanè Patres, ex morte Arrij adeò horrenda,inferre quo loco is ſit apud Deum, iuſtum vltorem. Idem fert communis ſenſus de aliis quos adenſat Bellarminus lib.de Notis Eccleſ. cap. 17. Non diſſimile ergo quodpiam mortis genus de aliquo iactare falsò, calumnia eſt non leuis, attento hominum iudicio, & communi ſenſu, etiam prudentum. Nonnullis tamen viris ſanctitudine aut celſo in Eccleſia gradu illuſtribus, afflictus interdum eſt per calumniam modus inſolitus mortis, nec expers horroris, vt ſubiecta exempla docebunt.

Oſius Cordubenſis Epiſcopus, iuxta Iſidorum lib.de viris Illuſtr. *in Oſio*, ad preces Gregorij Eliberitani,communicare cum eo tanquam Arianorum fauore recuſantis, in ipſo procinctu iaciendæ in eundem Gregorium ſententiæ.repentè ore verſo, & ceruice diſtorta, de ſella eliſus in terram, efflauit animam. Ita quidem legitur apud Iſidorum. Cæterùm dicendum eſt commentum eſſe calumnioſum, à Marcellino Presbytero Luciferiano primùm iactatum, & apud Patres qui tempore obitus Oſij, ſuperſtites erant, omnino incompertum. Negari non poteſt,quin nonnulla titubatio Hoſij, Valenti & Vrſacio factioſiſſimis Arianis communicantis, adigente Conſtantio, aliquatenus famam eius ob anteriora facta illuſtriſſimam, infuſcauit. Eius enim priora decora, ſic deſcribentem lego idoneum teſtem S. Athanaſium Apologia de fuga ſua. [De magno & grauiſſimæ ætatis viro, eodemque confeſſore Oſio, qui verè oſius eſt, id eſt, ſanctus ſuperfluum arbitror mentionem facere, cum nullus fortaſsè ſit qui incognitum habeat eum ab iſtis quoque in exilium miſſum eſſe. Non enim quicquam latere poteſt in viro illo tantæ claritudinis. In qua enim Synodo ille non dux & anteſignanus fuit? quem non ille rectâ tuẽdo in ſententiam ſuam perraxit? Quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumẽta retinet? quis illum mœſtus adiit, vt non lætus abierit? quis indigus ab eo poſtulauit, quin poſtulatum obtinuerit? Atque contra hunc quoque ſe audaces, improboſque oſtendere, eò quòd certus ille earum calumniarum, quas pro tuenda impietate contra me ſtruerent,ipſorum inſidiis ſubſcribere noluit.] Et in Epiſtola ad Solitar. vitam agentes, ſic inducit agentes cum Conſtantio Ariano. [Tantis ac talibus ſceleribus factis, nihil omnino ſe adhuc feciſſe arbitrabantur, quàmdiu magnus ille Oſius eorum malitiam expertus non eſſet. Nam in eum talem, tantumque virum, ſuam rabiem protendere ſtuduerunt: neque quòd pater eſſet Epiſcoporum reueriti ſunt,neque quòd Confeſſor erat, pudore moti ſunt: neque quòd ſexageſimum annum & eo amplius à confeſſione agebat, reſpexerunt; ſed omnia ſimul vilipendentes, ad ſolam ſuam hæreſim oculos intentos habuere, homines reuerà neque Deum timentes,neque hominem verentes Adorti igitur Conſtantium talibus verbis alloquuntur. Omnia quidem à nobis facta ſunt,profligauimus in exilium Romanorum Pontificem, & iam ante eum extorres fecimus quamplurimos Epiſcopos, omnia loca terroribus impleuimus, ſed tamen pro nihilo ſunt tanta tua opera, neque quicquam profecimus,quamdiu reliquus eſt Hoſius

Quamdiu

Quamdiu enim ille in ſuis agit omnes in ſuis Eccleſiis agere videntur : poteſt ille & authoritate fidei ſuæ, omnes contra nos inducere. Hic princeps eſt Synodorum, & ſi quid ſcribit, vbique auditur, hic formulam Dei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos vbique pro hæreticis traduxit. Quod ſi ille igitur in ſuo ſtatu manet, ſuperuacuum eſt cæterorum exilium, hæreſis enim noſtra, cedere cogitur.]

Tantus ergo vir, tametſi ad perbreue tempus inflexus eſt, vt Vrſacio & Valenti impiiſſimis Epiſcopis communicaret, quod ad eius grauiſſimam ætatem refert idem Athanaſius Apolog 2. tamen neque vnquam hæreſi ſubſcripſit, neque Catholicos eſt perſecutus; ſed aliquandiu poſtea ſuperſtes, exoſam ſemper habuit Arianam perfidiam; & moriens Teſtamento proteſtatus vim ſibi in communicatione illa iniectam; impietati Arianæ nigrum theta infixit, & vt ab omnibus damnaretur, fategit. Quod voluit ſanctus Hilarius lib. de Synodis, cùm dixit; idcirco Oſium poſt eam ſuccuriunculam eſſe reſeruatum, ne humano iudicio ignotaretur, qualis antea vixiſſet. Hoc eſt ne falſis de eo rumoribus crederetur; & conſtaret eum vixiſſe & obiiſſe Catholicum; etiamſi ad aliquod tempus pollutum communione hæreticorum Epiſcopoũ Vrſacij atque Valentis, quod vnum ei tribuit S. Athanaſius, & excuſat allegatione violentiæ à Conſtantio illatæ, homini ad extremam ætatem prouecto. Iactatam ergo à poſterioribus eius apoſtaſiam, ad rumores tunc vulgatos refero: ad quos etiam reuocandum eſt, quod de eo tanquam Ariano ſub aliqua dubitatione ſcripſit illius æui ſcriptor Phœbadius, in ipſo fine libri contra Arianos Vel ſi dare placeat Oſium aliquando, ſaltem exteriùs, fuiſſe Arianum tamen certum eſt quòd mox reſipuerit & per pœnitentiam eluerit eam maculam, obieritque Catholicus. Euerſo autem eo fundamento mortis Oſij in Arianiſmo, per ſe concidit calumnia de eius horrenda morte inter excommunicandum Gregorium Elibertitanum Catholici dogmatis tenacem, excogitata ab homine Luciferiano; reſtitutionem Oſij per communicationem cum impiis lapſi, & per pœnitentiam reconciliati, æquè ferentem.

5. Felix II. Papa, olim Liberij Diaconus, Liberio autem in exilium pulſo, ſubrogatus eidem, primùm quidem illegitimè, poſteà verò canonicè, & debito ad ritè ineundum Pontificatum modo, turpi morte obiiſſe dicitur in vita ſancti Athanaſij, & ex ea apud Photium Cod. 258. vbi habetur; cum primùm Felix admiſit ſuffectionem in locum Liberij, diuinitus priuatum eſſe oculis, moxque periiſſe, peſtilenti morbo conſumptum. Sed hæc calumnioſa commenta ſunt, ab iis excogitata qui Felicis Pontificatum non habuerunt pro legitimo; eò quòd totó tempore quo Felix ſedit, ſuperfuerit Liberius; qui tametſi ignauè ceſſerat malis à Conſtantio illatis, vt ab eo extorqueretur ſubſcriptio damnationis ſancti Athanaſij; tamen teipſa ſemper manſit Catholicus. Hoc tamen non obſtat, vero & legitimo Felicis Pontificatui per aliquod tempus, vt pleniùs diſſerunt Baronius anno 357. & Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9. Felix ergo verè inito Pontificatu, non obiit ea morte quæ illi impingitur, ſed morte cruenta irrogata iuſſu Conſtantij Arriani quem excommunicauerat; vt refertur in tabulis Eccleſiaſticis 29. Iulij. Nec ante mortem diuinitùs cœcatus eſt, niſi ea myſtica cœcitate, qua ſanctus Paulus, vt reſipiſceret & Deum verum agnoſceret, cœcatus dicitur.

Anaſtaſius II. Romanus Pontifex, mala morte proſtratus dicitur, ob tentatam Acacij à prædeceſſore ſuo damnati reſti-

tutionem in integrum. Sed genus horrendæ mortis, variè narratur. Liber de Romanis Pontificibus, ait eum nutu diuino percuſſum interiiſſe. Hoc Gloſſa ad cap. *Anaſtaſius* diſtinct. 19. accipit de immiſſione lepræ ex qua obierit. Selua verò in Opere de benefic. 3. part. q. 8. ait, Anaſtaſium, iuxta Gloſſam cui ip.e adſcribitur, emiſiſſe inteſtina, & ſimili cum Artio morte extinctum eſſe. Non nemo eum de cœlo percuſſum, & vibrato fulmine obtritum credidit. Videndus Turrecr. l. 2. ſummæ de Eccleſ. cap. 106. & Platina in Anaſtaſio. Cæterùm hæc omnia, mera ſunt commenta quantumuis peruulgata, præſertim apud Sectarios, Tilmannum Heſuſſium l. 1. de Eccleſ. cap. 9. Magdeburgenſes centur. 6. c. 10. & alios quos adducit & meritò caſtigat Gretſerus in defenſione libri quarti de Pontifice à Bellarmino conſcripti c. 10. Et falſum ſanè eſt, Anaſtaſium prætenſam illam cauſam diuinæ in ſe iræ & percuſſionis tribuiſſe. Neque enim vel cum hæreticis communicauit, vel vllo ſorduit errore; ſed ex Schiſmaticorum Laurentianorum de illo fabulis, irrepſit in librum de Romanis Pontificibus, narratio de labe illa Anaſtaſij. Quòd autem inde inferebatur, eum diuinitus fuiſſe percuſſum, concidit illo fundamento euerſo. Sed nominatim ridiculum eſt, & falsò Gloſſæ adſcriptum, quòd Anaſtaſius Arrij obitum exceperit. Vibratio denique fulminis in eundem, fœda hallucinatione detorta eſt, ab Anaſtaſio impio Imperatore fulgurito, ad Anaſtaſium Papam eius æqualem.

Simeon Stylites, (non quidem ille magnus ſub Theodoſio iuniore, primus columnarius; ſed alius è tribus Simeonibus columnarum inſeſſoribus, in Triodio Græcanico memoratis vnus;) quadraginta ferè milliaribus ab Ægis ciuitate Ciliciæ degens fulgure percuſſus interiit, vt habet Moſchus in Limon. cap. 57. quæres vulgo ſcandalum excitauit non exiguum: quaſi huiuſmodi mors, argumentum eſſet irati numinis, & vitæ à Stylita impiè exactæ. Sed eam teterrimam calumniam ſi cuiuſquam animum ſubiit, reuincit malignitatis factum Abbatis Iuliani, de quo ſic ibidem Moſchus. [Abbas Iulianus Stylites, Presbyter, præter conſuetudinem ſuam, inſolito tempore dixit diſcipulis ſuis: Mittite thymiama in thuribulum. Qui dixerunt ei; dic nobis cauſam Pater; orabantque vt diceret eis, Senex autem dixit, quia modò frater meus Simeon à fulgure deiectus interiit, & ecce tranſit anima eius cum tripudio & exultatione. Diſtabant autem ab inuicem milliaribus ferè viginti quatuor.] Sanctè itaque, atque adeò feliciter, Simeon; non autem horrenda morte defunctus eſt. Et meminiſſe oportuerat eos qui ſcandalum inde ſunt paſſi, diuinam prouidentiam in huiuſmodi ſuorum ſanctorum cladibus ſplendere inſigniter, vt demonſtrat ſanctus Chryſoſtomus tract. ad ſcandalum paſſos. Vtitur enim Deus naturali efficientia cauſarum corpori noxiarum, (cuiuſmodi in re propoſita eſt fulgur;) ad animæ bonum quod eſt multo optabilius: puta ad exterſionem labecularum, ſi quæ erant quas extergi oporteret; vel certè ad virtutis exercitium & meritorum incrementum.

Hæc eo lubentiùs aduersùs hanc calumniam annotaui, quòd anno 1632. cœnobita ex Ordine ſanctiſſimo, ſermonum materiam vberem præbuit Maſani Canatum, ictus de cœlo in ipſa Eccleſia, die Aſſumptæ Deiparæ ſacro, cùm de pulpito ad populum ageret. Et icti cum eo ſunt ex vtroque ſexu complures; duodeuiginti tamen citra mortem. Multi in eum Concionatorem, multa & temerè & iniquè iactarunt, vt exemplum Simeonis fulguriti demonſtrauit. Niſi ſi cum Atheo illo, profanas dicimus & religionis euanidæ, ſacras ædes, quarum tur-

res ob altitudinem frequentiùs feriuntur, Deo non impediente naturalem actiuitatem fulminis. Non nego quin interdum hæ ſint Dei vltoris ſagittæ, vel immiſſiones per Angelos, vt impio Imperatori Anaſtaſio accidit. Dæmonem quoque non raro, in ſtrage per fulmen edita operam conferre, monſtrant exempla apud Leloyerium lib. 4. de Spectris cap. 14. & apud Launeum in Admirandis cap. 8. ſæpè tamen fulmen merè naturaliter in quæuis obuia ſæuire, etiam in ſacra, debet eſſe extra controuerſiam. Idque perſpectum habens Pericles apud Frontinum l. 1. cap. 11. dedocuit milites, cadentes animis ob fulmen excuſſum in aciem. Aſſumptis enim illicò duobus ſilicibus & igne ex colliſione excitato monſtrauit haud aliter ex nubis conſtrictione & colliſione excitari ignem; qui rupta nube, pertæſus carceris illius ſui, foras erumpens, fulmen nuncupatur. Hæc phyſici vberiùs: quæ recolenda obiter fuerunt, vt obſtrueretur os loquentium iniqua tam aduersùs S. Simeonem iuniorem, quàm aduersùs hunc Concionatorem, de quo meminimus.

Otho Magnus, à Petro Damiani opuſcul. 34 cap. 7. morte diuinitùs ſubitò illata, cecidiſſe ſcribitur, his verbis. [Otto Rex Teutonicorum, qui poſtmodùm Imperator creatus eſt Romanorum, Adalaidem Italiæ reginam, quæ ſibi commater extiterat, ſuſcepit in coniugem. Quem filius eius Almificus, qui Moguntinæ præſidebat Paſtor Eccleſiæ, cœpit conſtanter arguere, & ſceleſtum, luridúmque coniugium publicè condemnare. Pater autem vehementer iratus, eum comprehendi præcepit, & carcerali mox cuſtodiæ mancipauit; quem per annale circiter ſpatium carcer incluſit, ſed à correctione linguam terroris vinculum non ligauit. Cùm verò pater eum quadrageſimale decurrente ieiunio, de cuſtodia decreuiſſet educere, tanquàm Pſalterium expleret, quod aureis exarabat apicibus, recuſauit exire. Verumtamen cùm exiuit, zelo ſacerdotalis accenſus authoritatis, non quieuit, ſed mox in patrem iaculum publicæ excommunicationis intorſit. O verè dignum Regio genere Sacerdotem, qui in cauſa Dei, non imperiale faſtigium, non paternum recognouit affectum, ſed dum paternam ac regiam authoritatem in ſolo Deo conſtituit, hunc hominem eius legibus reſiſtentem, à ſe prorſus extraneum deputauit. Dixit autem Patri: Tu arbitraris me aduersùm te inſolenter agere, te verò præiudicium ſuſtinere: Scito prænoſcens, quia die Sancto Pentecoſtes vterque ſimul aſtabimus ante Deum, ibique ventilabitur inter nos, librata iuſtitiæ lance, litigium. Ibi luce clariùs apparebit, quis noſtrum æquitatis lineam teneat, quis Dei legibus contradicat. Factúmque eſt, ipſo, qui dictus eſt, ſacroſanctæ ſolemnitatis die, vt dum præfatus Auguſtus Imperialibus infulis redimitus, multorúmque Pontificum choris, ſiue procerum vallatus agminibus Miſſarum ſolemniis intereſſet repentino ſuper eum veniente iudicio, repertus ſit mortuus. Epiſcopus autem in Domino iam quieuerat. Sic ſic qui de inceſto coniugio contempſit inter homines iudicari, ad tribunal æterni Iudicis coactus eſt pertrahi: & qui ſubiectum ſibi dedignatus eſt audire Pontificem, terribilem ſuper non potuit euadere maieſtatem.]

Hanc narrationem allegare memini in Opere de Monitor. part. 2. cap. 11. n. 9. ſubindicans tamen (quod nunc videtur longè verius,) Cardinali Baronio haberi calumniam, falsò in Ottonem iactatam, & à Petro Damiani bona fide relatam. Sanè graues Scriptores res illius æui deſcribentes, Vitichindus & Ditmarus, omnia alia de Othone habent. Nec eſt vllo modo veriſimile, VVillemum Viennia pòſt patri obieciſſe impedimentum po-

ſterioris coniugij, nomini Scriptorum competitum: prætertim cum ipſemet VVilhelmus, Othonem iuniorem ex eo poſteriore Othonis primi coniugio ſuſceptum, amantiſſimè educauerit ac fouerit; non autem vt ex inceſta copulatione ſuſceptum, tractauerit. Itaque fundamentum diſſidij inter Filium Archiepiſcopum, & Patrem Imperatorem; ac mortis patri à filio conditæ & diuino iudicio ſubſecutæ, eſt planè ruinoſum, vnáque concidit ei ſuperſtincta calumnia.

Syluester II. olim *Gerbertus*, dictus eſt obiiſſe obtorto per Satanam collo, & extracta violenter anima, ex pacto inito de ſummi Pontificatus adeptione, ſub ea mercede. Sed hæc eſt potentiſſima calumnia, vt iam ſuprà monſtraui cùm de calumnia Magiæ. Benno ſiquidem Pſeudo-Cardinalis, aut quiſquis demum ſub nomine Bennonis, cloacam mendaciorum contra Gregorium VII. aceruauit, hoc præter cætera de Syluestro eſt commentus. At illius æui Scriptores, vt Helgaldus Floriacenſis, Roberti Francorum Regis Gerberti quondam diſcipuli, geſta deſcribens, & Ditmarus in Saxonia Epiſcopus, Gerberti meminere ſumma cum laude. Sergius item eius ſucceſſor in Romana ſede, tumulo illius qui eſt in Lateranenſi Baſilica, epitaphium appoſuit, refertum laudum & præconiorum Gerberti; quod ſine dubio nunquam appoſuiſſet; ſi eius exitum contigiſſet paulò antè ibidem Romæ eſſe, qualem mentitus eſt Benno. Itaque per atrocem calumniam afflicta eſt Gerberto adeò probroſa mors, ſicut & Magia; tantum quia eo rudiſſimo ſæculo, bonis literis imbutus, & nominatim ſcientia Aſtrologiæ clarus fuit; ac etiam quia ex humili Monacho, ad primarias quaſque Eccleſiaſticas ſedes, ac denique ad ſupremam eſt euectus. Sed hoc ille qua pollebat induſtria, & Imperatorum ac principum gratia ſuis item inſignibus dotibus non agente Satana eſt aſſecutus. In his calumniis depellendis, copioſus eſt Abrahamus Bzacius Gerberti vitam deſcribens, in quem his pridem conſcriptis incidi.

S. Bruno Colonienſis, ex Canonico Rhemenſi & Magiſtro in Theologia apud Lutetiam, iactatus eſt horrenda morte defunctus. Nam ſi mors peccatorum peſſima, & horrendum eſt præſertim in morte, incidere in manus Dei viuentis, non potuit non cenſeri horrendus Brunonis obitus, ſi is ipſe fuit qualis à nonnullis eſt deſcriptus. Scribit itaque Surius 6. Octobr. in Actis S. Brunonis cap. 28. fuiſſe qui ſibi perſuaſiſſent, & aliis perſuadere conati eſſent, Brunonem iſtum Cartuſianorum parentem, illum ipſum eſſe Theologiæ Doctorem, qui mortuus in peccatis ſuis, caput è feretro extulit, vt ſe accuſatum, iudicatum, damnatum publicè renuntiaret. Hæc calumnia rabiei & blaſphemiæ plena eſt, cùm virum ſanctum & cœlitem vindicatum transformet in hominem, ob ſua ſcelera inexpiata, detruſum ad inferos. Itaque ex hoc capite, & calumnia non meretur confutationem, ſed fuſtuarium, aut etiam viuicomburium. Aliunde verò, eſt ineptiſſimi & infeciſſimi cerebri abortio. Quem enim latet, ſanctum Brunonem obiectu horrifici ſpectaculi quod Doctor damnatus exhibuit, adductum eſſe ad illidendas ſæculo calces, ſi omnibus antiquis credimus? poſthabita recentiorum paucorum licentia, qui ei narrationi fidem abrogantes, ſanctum Brunonem indemnem ſtatuunt ab ea calumnia, exciſo eius fundamento. Sed nos veritate narrationis iam olim vulgatiſſimæ admiſſa, tantùm diſtare contendimus, Brunonem Cartuſianorum parentem ab infelici illo Doctore damnato, quantùm cœlum diſtat ab inferno. Cœlo quippè illatum ſanctum Brunonem, veneramur. Raymundum Diocrem (id Doctori nomen,) detruſum

trusum

Digitized by Google

truſum ad inferos, deteſtamur cum Diabolo & Angelis eius, quibus eſt annumeratus.

Bonifacius VIII. in phreneſi, ſeu mauis rabie mortuus, diſtracto per validam in muro alliſionem capite, & demorſis digitis dicitur. Sed hæc eſt mera calumnia, à Scriptoribus illius æui, partim Bonifacij odio, partim amore Philippi Pulchri Regis Gallorum, conficta. Quòd enim Bonifacius genio eſſet ſeueriore, & pleraque laxata in Eccleſiaſtica diſciplina, fortiùs quàm dexteriùs componere ſatageret, in multorum incurrit odia. Cùm Philippo item Pulchro ſimultates ei interceſſere non leues, dum libertatem Eccleſiaſticam animosè ac intrepidè tuetur. Itaque iactata ſunt de Bonifacio pleraque, nominatim quoad genus mortis, planè aliena à veritate. Nec ita pridem Deus, mendaces oſtendit qui maculauerunt eum. Dirutis enim muris quibus eius corpus tumulatum continebatur, repertum eſt Bonifacij cadauer, capite nequaquam diſtracto, & digitis non commorſis. Ita ſcribit Spondanus anno 1303. num. 16. Vel ex hoc vno exemplo liquere poteſt, quàm vacillare debeat fides Hiſtoricorum, ad gratiam gentis ſuæ, vel Principis ſcribentium. Dum enim omnia corrogant, quibus partem cui ſtudent honeſtare, aduerſarios verò fœdare poſſint; ea chartis committunt, quibus & aliorum famam mendaciter violant, & ſuam apud Deum, cordatos quoſque, immaniter ſauciant.

Sex Monachi Cartuſiani, & vnus Nouitius, Præfecto Cartuſiæ Guiguone, viro ſanctiſſimo, & ſancti Bernardi Claræuallenſis peramico, oppreſſi ſunt horrenda ſtrage. Nam niues, & ſaxa, & humus copioſa, ab altiſſimis montibus delapſa, cellas omnes (vna dempta,) & omnes propè Cartuſiæ incolas obtriuerunt, vt habent Acta ſancti Anſelmi Bellicenſis Epiſcopi, & Petrus Sutoris. l. 2. de vita Cartuſ. tractat. 3. cap. 5. ac Petrus Dorlandus l. 4. Chron. Cartuſ. c. 3. Hìc multi, de more ſcandalum paſſi ſunt, & adeò horrendam mortem pro argumento mali ſtatus habuerunt. Sicut idem Dorlandus l. 4. cap. 16. agens de oppreſſione quinque millium hominum, per abruptum ſubitò mõtem obtritorum, iuxta Camberium Sabaudiæ Metropolim, ait id miſeris illis contigiſſe ab irato Iudice Deo. Nec quoad pleroſque iniuria id ait, ſi vera ſunt quæ de ea tot mortalium obtritione ſcribuntur in Commentario de Cœnobio Myanenſi Ordinis ſancti Franciſci, qui in loco cladis illatæ viſitur, & magna per eas oras religione frequentatur. Idem ergo quoad Cartuſianos obtritos, venit pleriſque in mentem.

Sed ea cogitatio plena iniquitatis & calumniæ fuit, quoad prædictos Cartuſianos: quos eximiæ religionis laude omnes commendant. Valdè, præter cæteros, celebrat eorum pium finem, Petrus Venerabilis l. 4. epiſtol. 12. ad Guigonem Præfectum Cartuſiæ, & cæteros fratres, quibus conſolationem afferre tentat, ne nimia tam inſoliti caſus triſtitia abſorberentur. Comparat autem hoſce oppreſſos, cum filiis Iobi, quos Satanas obtriuit euerſa per turbinem vehementiſſimũ domo; perperam autem grauarentur calumnia grauis alicuius ſceleris, ob vitam tali morte concluſam. Idem ergo eſt de Cartuſianis. Petrus Dorlandus cap. illo 3. non dubitat eos cenſere martyres, quippè trucidatos à Satana, in odium virtutis quam exactiſſimè profitebantur. Et reuera hanc oppreſſionem, conſecuta ad tempus eſt in Cartuſia, diſciplinæ laxatio, cui fortiter proſpexit ſanctus Anſelmus vt habent eius Acta. Addit Dorlandus, vnum ex oppreſſis, gente Lotharingum, poſt duodecimum ab oppreſſione diem, eductum eſſe è ruinis mente & memoria valentem; nec prius

Digitized by Google

prius ſanctè obiiſſe, quàm Chriſtianis myſteriis omnibus muniretur. *Auduinum* vocant Petrus Sutoris loco annotato, ac Codex M. S. Monaſterij S. Remigij Remenſis de initio Cartuſiæ, & virtutem heroicam in eo euentu prodidiſſe teſtantur. Sed quamuis & hunc, & ſocios, ſanctiſſimè exceſſiſſe vt certum ſupponam, nec ad calumniam atrocem pertinere dubitem, ſuſpicionem malam apud aliquos improuidos ſcandalum paſſos excitatam; tamen non videtur ſuppetere, vnde decus martyrij eis attogetur. Quid ſi enim naturali impetu ruentes niues, hos ſeruos Dei, corporibus perdiderunt? Sicut alij multi, quotannis intra Alpes, deuolutis excitato turbine niuibus copioſis, opprimuntur ac pereunt, nõ Diabolo ex virtutis odio excitante clades huiuſmodi, ſed ſuborta naturaliter tempeſtate.

Iordanus Saxo, primus à ſancto Dominico Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, vir ſanctus, cuius vita ſcatet miraculis, & fragrantiam Euangelicæ perfectionis eximiam ſpirat, exitum ſortitus eſt luctuoſum, & in quo multi graue ſcandalum ſunt paſſi. Anno ſiquidem Chriſti 1236. Hieroſolymam ad viſenda loca Chriſti veſtigiis impreſſa petens, cùm propè Acon perueniſſet, ingenti oborta tempeſtate, cum duobus ſociis aliiſque vectoribus, ad nouem & triginta, vel vt alij Codices habent, nonaginta fluctibus hauſtus eſt. Hoc non nemo ad Iordanis probrum vertit, quaſi non fuiſſet quòd videbatur, bonus ſcilicet & nauus Dei ſeruus qui adeò miſerè periiſſet. Nec defuit infirmus quidam ex Ordine Carmelitarum, qui audita tali morte, de abiiciendo religioſo inſtituto cogitaret quaſi ſtultum iudicans, vltrò abdicare à ſe vitæ commoda, ſi ad extremum ſic excedunt qui Deo nauarunt ſtrenuam operam, inter quos non dubitabat annumerandum eſſe Iordanum, tam fœdam vitæ clauſulam nactum.

Non cogitabat iſte, verè dictum eſſe à Sapiente *Iuſtus quacunque morte præoccupatus fuerit; in refrigerio erit.* Itaque Beatus hic vir, tametſi eo triſti mortis genere occubuerat, hauſtus fluctibus non erat tamen abſorptus à Tartaro, quæ eſt mors peccatorum peſſima; qualem beato Iordano obtigiſſe inſipienter coniectabat ille modicæ fidei Carmelita, vt propterea meruerit ab eodem Iordano cœlitus obiecto corripi. Cùm enim poſtera die ſtatuiſſet iugum religioſæ vitæ excutere, obuerſatus ei per viſum eſt vir inſignis, luce immenſa circumfuſus, circum illum oberrans. Attonito autem ac trementi, Deúmque ne ſe in errorem abduci ſineret, enixè precanti, in hæc verba locutus eſt. [Ne turberis frater, quia ſum Iordanes ille, de quo hæſitabas. Hoc firmiter teneas nec dubites, quia ſaluus erit omnis qui vſque in finem Domino noſtro IESV Chriſto ſeruierit.] Dedocuit his paucis verbis, falſam de ſe exiſtimationem: quaſi cum corporis clade, animæ quoque exitium ſubiiſſet, quæ verè fuiſſet mors horrenda. At apud Deum viuere, tametſi fluctibus abſorptum Iordanem, lumina de cœlo ſuper cadauer littori appulſum, quamdiu illic iacuit, per noctem viſa; nec non cœleſtis fragrantia indidem inhalata, teſtabantur. Inſignémque eius mox ab obitu in cœlo gloriam ſibi demonſtratam, B. Lutgardes enunciauit, vt eſt in eius Actis 16. Iunij præter teſtes domeſticos vtriuſque ſexus, quos & diuinis viſis, & operibus ſupra naturam ad B. Iordanis inuocationem editis, eius gloriam comperiſſe, ſcribit Leander vitæ eius cap. 45. & 48. Thomas Cantipratanus l. 2. cap. 57. à num. 51. de huius Iordanis ſanctitate, & prodigiis mortem conſecutis multa habet rythmo ad Iordanis laudes poſt eius mortem confecto. Ad quem locum Coluenerius alia item habet ad Iordanis decus pertinentia. Ex quibus patet, eam mortem

mortem, nihil neque apud Deum neque apud homines, Iordanis gloriam detriuiſſe.

Ioannes Duns Scotus, Ordinis Minorum, fertur viuus ſepultus & implorata fruſtra ope magnis è tumuli fornice clamoribus alliſiſſe caput, ac præ rabie manus ſuas voraſſe, vt poſtea reprehenſum dicunt, reſerato tumulo. Refert iſta Genebrardus in Chronol. ad annum 1308. & idem ex Iouio habet Bzouius quem irreuerentiùs de Ioanne Scoto locutum, non nemo Minoritarum expoſtulauit. Sunt ſanè hæc omnia quæ de Magni illius viri horrendo obitu narrantur, gratis conficta. Nec grauatur Scotus autoritate Iouij, quem Scriptorem, ſæpè nugiuendum, ſæpè impoſtorem, multi ſunt queſti; quos inter Lipſius 1. Polit. cap. 9. Poſſeuinus l. 16. bibl. c. 4. Oſorius lib. 6. de geſtis Emman. Regis Luſit. Ioſephus Scaliger in Iulij patris vita, & paſſim alij. Iouius ergo ſiue innata fingendi libidine, ſiue implanatus ab aliquo cuius intererat Scotum denigrare, ea de Scoto chartis illiuit, quæ nulli retrò Scriptori comperta fuerant; imò quæ planè pugnant cum iis quæ probatiſſimi illius æui Scriptores prodiderunt, atque etiam quæ manifeſte veritaté collidunt. Nam quod aiunt, eum in crypta Eccleſiæ Minorū Coloniæ conditum, magnis clamoribus opem implorantem, à nullo auditum, inibi mortuum præ rabie eſſe; mirum eſt quomodò iactari potuerit. Non enim ſurdi omnes fuerunt, ſi opem implorans magnis clamoribus, eſt auditus, vt habet fabula. Quanta verò fuit Patrum Minorum in illum ingeniorum Phœnicem inhumanitas, ſi de tumulo magnos clamores cientem, abiecerunt, negata opitulatione? Ariadna quidem Imperatrix, Zenonem coniugem, ſiue comitiali morbo affectum, vt ait Euagrius l. 3. cap. 29. ſiue quod Zonaras tom. 3. Annalog. ſcribit, nimia crapula ſopitum, & pro mortuo habitum, viuumque ſepultum, cùm è tumulo opem domeſticorum diu eſſet apprecatus, iuuari vetuit, & inibi miſerè perire voluit: ſuiſmet lacertis & caligis vt poſtea compertum eſſe Cedrenus narrat, infeliciter aliquandiu cibatum. Sed hoc fecit Ariadna, faſtidiens maritum, ſpurciſſimum & rapaciſſimum hominem, & aliis vt magna ſuſpicio fuit iam implicita amoribus, nempè Anaſtaſij qui Zenoni ſucceſſit. De Patribus verò Minoribus, quorum adeò intererat Dunſium viuere, ne fingi quidem poteſt, quod negatam voluerint inclamanti, (vt habet fabula,) de tumulo opem. Fabulam eſſe, præter ſilentium omnium antiquorum, confirmat vſus perpetuus Franciſcanorum Colonienſium, apud quos tumulatum eſſe Scotum in confeſſo eſt. In illorum namque Patrum Eccleſia, nunquam fuere ſepulchra concamerata; ſed ſi quis intra eam tumulandus eſt, effoſſæ humi mandatur. Vt autem homo obrutus humo, vel clamorem edat ingentem, etiam reſpiratione prohibitus, vel quantumcunque clamorem tollat, exaudiatur; fieri non poteſt, niſi ex loci poſitura quidam quaſi naturalis fornix ſub terra reperiatur, vt contigit in exemplo de quo Petrus Cluniacenſis l. 2. mirac. cap. 2. & ſimile quid Lugduni ſuo tempore in colle ſancti Sebaſtiani accidiſſe, Gilbertus cognatus notauit.

Itaque narratio de morte Scoti in rabie, ſeipſam euertit, eſtque admodùm malè materiata. Eum verò parietem inclinatum validiſſimè ſubruit fama quæ de eodem Scoto poſt eius obitum increbuit, à viro in rabie defuncto maximè abhorrens. Antonius Andræas eius æqualis, in calce 12. Metaph. allegans Scotum iam vita functum, ait, *cuius fama & memoria in benedictione eſt*. Gulielmus Vorrilongus in Epilogo 4. S. longum ei pangit elogium: qui etiam inſigne exemplum obedientiæ Scoti, omnibus

Religioſis meritò imitandum deſcribit in 2. diſtinct. vltima quæſt. 1. Vitam eius magnis aliis virtutum inſignibus periluſtrem, varij contexuerunt, vt Cratepolius in Opere de SS. Germaniæ, Gulielmus Ruys, Hugo Cauellus Archiepiſcopus Armachanus, aliique nonnulli ac nupertimè F. Artutus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcanorum ad 8. Nouembr. Nec deſunt, qui operum ſupra naturam à Scoto exaratorum, indices exhibeant. Quæ omnia longè aliena ſunt à morte per rabiem obita, & ſui ipſius voratione partiali, quam Fabulones Scoto affingunt. Videndi qui hoc cœnum fortiùs euertunt, & Scotum diligentiùs emaculant, Matthæus Ferchius in Correptione Scotica ſiue libello de hoc argumento, VVadinghus anno 1308. & alij quorum pro Scoto aduerſus Iouium & Bzouium Apologiæ, poſtremæ Scoti operum editioni ſunt præfixæ. Aliud genus mortis admodùm luctuoſæ Ioanni Scoto Franciſcano affixit Volaterranus l. 21. Antropol. dicens eum Pariſiis diſcipulorum ſtylis confoſſum obiiſſe, nec ſatis de ipſius fine compertam veritatem. Sed hæc craſſa eſt hallucinatio qua Ioannes Friugena Scotus, cum Ioanne Dunſio item Scoto confunditur.

Iam dixi, parum referre quo quis mortis genere moriatur, dummodò benè & coram Deo nitens excedat. Idque benè expendit Arnobius lib. 1. contra Gent. reſpondens calumniæ Ethnicorum, criminantium Chriſtum ob infame & ignominioſum lethi genus. Monſtrat enim Arnobius, nec Pythagoræ quod viuicomburio exceſſerit, nec Socrati quod cicuta hauſta ſit trucidatus, nec acerbiſſimas mortes Aquilij Trebonij Reguli ac ſimilium, quicquam imminuiſſe de eorum autoritate, qua[nemo vnquam innocens malè interemptus, infamis eſt, nec turpitudinis alicuius commaculatur nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatem.] Per proportionem ergo, idem de quacunque horrenda morte dicere liceat. Eam ſcilicet dummodò innoxio obtingat, nihil illi reuera apud æquos æſtimatores *labis illaturam*. Conſtat ſanè inſignes pleroſque Sanctos, eo mortis modo defunctos qui nonnullum terrorem excitet. Simeon Stylites fulmine ictus interiit, & eodem momento viſus eſt cœlum ſubire, vt eſt apud Moſcum in Limon. cap. 57. ſanctus Agatonius à Leonibus diſcerptus eſt. Sanctus Bellinus Epiſcopus Patauienſis, à canibus eſt diſcerptus. Sanctum Geronem Colonienſem Antiſtitem in extaſi, habitum pro mortuo viuum eſſe tumulatum, prodit Gaſpar Bruſchius. Suppetunt vbiuis exempla mortis inſolitæ, & humano iudicio non vacantis horrore, à viris ſanctiſſimis obitæ. Itaque ſi non eſſet alia via monſtrandi, Scotum quocunque demum mortis genere occubuerit, calumniæ tamen ſubduci, hæc planè ſufficeret. Tamen non eſt nobis neceſſarium, in eum communem locum venire tuendi Scoti gratia; cùm manifeſtum videatur, quæ de eius ante mortem tumulatione, ab vno & altero, binis poſt Scotum ſæculis primùm ſcripta ſunt, omnino commentitia eſſe: fruſtràque proinde obniti, qui Scoti famam detritam vellent, his anilibus fabulamentis diſſeminandis, aut ſcripto committendis.

Ioannes Piſtorius Nidanus, hæreſeos quam abiecerat hoſtis indefeſſus, horrenda morte periiſſe dictus eſt, perculſus horrenda deſperatione, ex qua in Deum ac cœlites, tetra quæque vomuerit, & Tartareos ſatellites ad ſe abripiendum, & in Tartara detrudendum vltrò aduocarit. Cadauer cùm efferretur, violentiſſimo turbine in deuia abductum, tandem horribiliter fœtens, à terra tanti monſtri impatiente reiectum, & ſemel & iterum, ad extremum per carnificem in barathrum quoddam auectum eſſe, tribus ab vrbe leucis

leuis ſermonum. Ad barathri oſtium auerſo ſitu collocatum cadauer, introrſum à Stygio Spiritu quàm celerrimè abſtractum, non abſque metu, ne currus, equus, & auriga, eodem impetu abriperentur. Ita quidem de horrenda morte Doctoris Piſtorij fabulones Lutherani, quos Iacobus Gretſerus ea lucubratione cui titulum fecit, *Fanatici dormitorij demolitio*, immaniter calumniatos eſſe demonſtrat, pia & placida optimi viri morte deſcripta, operis eiuſdem cap. 3.

SECTIO III. Didactica.

Quomodo exemplo Sanctorum gerere ſe poſſit aut debeat, paſſus calumniam.

PROTVLIMVS omnis generis calumnias, & quantum cuiuſque ſit probrum, ſigillatim expendimus. Nunc videndum eſt, quo pacto ſe habere quiſque debeat, cùm calumnia grauatur, exponendo non tantùm quod conſultius & perfectius foret, ſed etiam quod poteſt honeſtè & citra noxam fieri, tametſi fortè imperfectiùs, & minori cum laude. Multa enim ſunt in quibus poſſet quis perfectiùs & ad eximiæ virtutis regulas accommodatiùs ſe gerere, & tamen abſque numinis offenſa poteſt aliter ſe habere V. G. priuatus homo cuius vita impetitur, poteſt ſine culpa ſuæ indemnitati proſpicere, necando iniuſtum aggreſſorem. Et tamen, per ſe loquendo, eximium valdéque ſublimem charitatis actu elicier, ſi malit obtruncari, quàm in Tartarum trudere aggreſſorem mortali peccato ſordentem, ac æterna calamitate inuoluendum, ſi in eo ſtatu excedat. Item fas eſt cuique ſoluto votis omnibus, inire coniugium: & tamen ſanctius Deóque acceptius eſt, cœlibem degere. Immenſa exemplorum ſeges facilè occurreret, vel perfunctoriè hæc cogitanti. Similiter ergo in præſenti negotio, multa poteſt ſine peccato præſtare qui calumniam patitur, à quibus tamen perfectiùs abſtinebit. Quare per varias quæſtiunculas, quid præcisè neceſſarium eſſe in variis euentibus, quídve maiori cum perfectione præſtari poſſet, diſcutiendum ſequitur.

CAPVT I.

Quæſtiunculæ de modo quo ſe habere debet, aut poteſt grauatus calumnia.

I. Num fas ſit calumnia grauatum, obmuteſcere & ſilere à bonis, nihil excuſando, nihil in ſui defenſionem allegando.

RESpond. videntur Patres in hoc puncto diſſentientia tradere. Quidam enim valdè commendant læſi taciturnitatem. Appendo nonnullos.

S. Paulinus epiſt. 29. qua ſolatur Aprum in ſua conuerſione multorum calumniis grauatum, allegato Moſe qui Exodi 14. dixerat, *vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis*, ſubdit: [Igitur qui confidunt in virtute aut ſapientia ſua, quique in abundantia diuitiarum ſuarum gloriantur, exacuant, vt volunt aduersùs nos arma dentium, & verborum ſagittas, venena theſauri mali vipereis vomant linguis; habent pro nobis reſpondentem ſibi Dominum; *Tacui, nunquid ſemper tacebo?* Nos aures noſtras ſpinis (vt

ſcriptum eſt,) ſepiamus; id eſt Dei verbo & fide verbi; quæ viræ noſtræ ſegetem firmiſſima innocentiæ atque patientiæ ſæpe defendunt, & Diabolo dolis ſuis aditus in præcordia noſtra captanti, quaſi furibus ſpinæ reſiſtunt; & viſcera inimicorum Regis, id eſt amatores hoſtium Chriſti, hos videlicet Chriſtianorum obtrectatores, vitæ noſtræ atque conſtantiæ cõtemplatione compungunt. Nos igitur taceamus iſtis, loquentes ad Dominum ſilentio humilitatis & voce patientiæ; & tunc ipſe qui inuictus eſt, pugnabit pro nobis, & vincet in nobis.]

S. Chryſoſtomus homil. 32. in 1. ad Corinth. illuſtrans Ioſephi charitatem erga heram calumniatricem, eo ipſo quòd Ioſephi erga eam ſilentium celebrat, ſatis ſignificat quid in cauſa pari, ſit cuique faciendum. [Sed ex his etiam (inquit) quæ ſequuntur, monſtrare Ioſephi charitatem licet, qui ne tum quidem, cùm in neceſſitate conſtitutus eſſet, vt vinculorum & vitæ ſuperioris rationem reddere cogeretur, fabulam patefecit. Sed quid inquit? Nihil ego commiſi, furto ex Hebræorum terra abreptus ſum, adulteræ ne meminit quidem. Neque ob eam rem magna de ſe iactat, quòd quilibet ſanè feciſſet, ſi non oſtentationis gratia, at certè ne ſuo merito in illam neceſſitatem coniectus videretur. Nam ſi rei, & obnoxij homines nunquam intermittunt, quin accuſent in quibus ſunt deprehenſi, & ſibi prætexant in re etiam turpi: quomodò non ſit admiratione dignus, qui purus & innocens, mulieris amorem non prodit?]

S. Ambroſius l. de Ioſeph cap. 5. ex proximè propoſito Ioſephi ad calumniam ſilentis exemplo, quid aliis in cauſa pari ſit præſtandum, admonet, his præter cætera. [Reliquit igitur veſtimenta Ioſeph, & nudauit adulteræ inuerecundiam, quæ poſtea latere non potuit. Denique exiuit foras, & ipſa adulterij ſui tentamenta vulgauit, exaltans vocem ſuam, eo quòd relictis veſtibus Hebræus aufugerat. Ipſa igitur quod celare debuerat, prodebat, vt compoſito crimine læderet innocentem. Iuſtus autem accuſare non nouit, ideò impunè hoc impudica faciebat. Illam igitur verè exutam dixerim, etiam aliena veſtimenta ſeruantem, quæ omnia amiſerat velamina caſtitatis: illum ſatis ornatum, ſatis defenſum, cuius vox non audiebatur, & innocentia loquebatur. Sic Suſanna poſteaquàm tacet, in iudicio meliùs locuta eſt oraculo, & ideò Prophetæ meruit defenſionem, quæ propriè auxilium non quæſiuit. Illum ergo beatiorem dixerim, cùm in carcerem mitteretur, quia ſubibat pro caſtitate martyrium. Bonum enim munus pudicitia, ſed minoris meriti cum periculum abeſt: vbi verò etiam ſalutis periculo defenditur, ibi pleniùs coronatur. Inaudita cauſa, inexplorata fide veri, tanquam reus criminis in carcerem Ioſeph mittitur. Sed eum Dominus nec in carcere deſerebat. Non turbentur innocentes cùm falſis criminibus appetuntur, cum oppreſſa iuſtitia traduntur in carcerem. Viſitat Deus & in carcere ſuos, & ideò ibi eſt plus auxilij, vbi eſt plus periculi.] Æquè l. 1. de Offic. cap. 3. Suſannæ ſilentium vocat *magnum & negotioſum*. [quo plus egit tacens quàm ſi eſſet locuta. Tacendo enim apud homines, locuta eſt Deo, nec vllum maius indicium caſtitatis ſuæ inuenit, quàm ſilentium. Conſcientia loquebatur, vbi vox non audiebatur.]

Rurſus l. 2. de Interpellat. c. 3. monſtrans cuiuſmodi fuerit Iob in certamine calumniæ, quod ait fuiſſe illi tertium certamen poſt patrimonium cum filiis amiſſum. [Non mediocre certamen (inquit,) ſermone deceptus eſt Adam, verbo victus Sampſon. Nihil enim ſic penetrat animam, ſicut ſermo fucatus: nihil itecum ſic mordet, vt durior ſermo. Multi cùm

cùm vicerint adhibita tormenta, ſermonum duritiam non ſuſtinuerunt. Laborabat Iob, ſed ſuſtinebat, & verborum ictus iuxta vulnerum onera portabat. Vidit eum Agonotheta ſuus, de nube & turbine, manum laboranti dedit, & obluctantes graui lapſu cecidiſſe pronunciauit, victorem aſſeruit, coronam detulit. Quid autem pulchrius quàm ridere cùm maledicitur nobis? Gaudere enim debemus ſi aliena dicantur. Primùm quidem, quia volens inimicus aliquid dicere aduerſum nos quo crimen affligeret, non inuenit quod verum eſt, ſed falſa pro veris compoſuit. Deinde quia dixit ipſe Dominus in Euangelio, de huiuſmodi criminatione quæ innocentibus falsò irrogaretur propter iuſtitiam: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlo.* Tacere ergo debet qui recognoſcit obiectum, ne vulnus exaſperet, & ſcindatur cicatrix. Tacere & qui non recognoſcit. Audit enim alterius, non ſuum crimen. Quod ſi referat, ſuum facit. Si tacet, retorquet, & conuiciantem vulnerat. Tacere debet etiam ille qui de memorata mercede præſumit. Non enim patitur præiudicium, cui non eſt iudicium. Et ſi fuerit præiudicium in ſæculo, non erit in iudicio Dei. Deinde vt cognoſcas quia non præiudicat contumelia bonæ conſcientiæ, audi Sanctum Iob dicentem, locupletiorem vtique teſtem quàm ſi imperio vrbis Romanæ potitus eſſet: *Nunc obmuteſcam & derelinquam: Si nunc mihi præiudiciū eſt, tunc à facie tua non abſcondar.*] Idem in Pſal. 118. ſer. 17. ad illud *Redime me à calumniis hominum*, poſt calumniæ grauitatem amplificatam, ait, Chriſtum calumniis appetitum, ſilentium triumphale detuliſſe. Rurſus verò optimè de eo Chriſti ſilentio his verbis l. 10. in Lucam ad cap. 23. *initio.* [Sequitur admirabilis locus, quo ſubeundæ æquanimiter iniuriæ, moralis infunditur patientia pectoribus humanis. Accuſatur Dominus, & tacet. Et benè tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo. Quid enim timeret, qui non ambiret ſalutem? Salus omnium ſuam prodit, vt acquireret omnium. Sed quid de Deo loquor? Suſanna tacuit, & vicit. Melior enim cauſa, quæ non defenditur, & probatur. Et hic Pilatus abſoluit, ſed abſoluit iudicio, crucifixit myſterio. Verùm hoc ſpeciale Chriſti, illud humanum, vt apud iniquos iudices magis videatur noluiſſe, quàm non potuiſſe defendi.]

S. Auguſtinus ſerm. 24. de verb. Apoſtol. & homil. 10. ex 50. adducto veteri prouerbio Punico, *Peſtilentia ante oſtium venit & nummum quærit, duos illi da, & ducat ſe*; Peſtilentiam interpretatus calumniatorem, ait reliquo prouerbio ſignificari, dimittendum eſſe calumnioſum hominem, eíque cedendum: Deum quippè in tempore retributurum cuique quod iuſtum eſt.

Pelagius II. epiſtola 2. *ſub finem*, omnino idem monitum infigit, agens cum Præſulibus, quibus graue erat rectè munus ſuum implendo, pati calumnias. Eum enim eſſe Epiſtolæ illius ſcopum, rectè aduertit Cardin. Baronius. Quàm porrò vtile ſe ſit Deo permittere, & ab eius prouidentia pendere, quicquid reflans fortuna ferat, & quantæcunque ſint oblocutiones ac calumniæ iniquorum, piget ex Iuliano Apoſtata diſcere epiſtol. ad Athenienſes. Petrus Damiani l. 1. epiſtol. 4. eò recurrit cùm apud ſanctum Leonem IX. grauatus eſſet. Ex dictis ergo patet, de multorum Sanctorum ſenſu, ſilendum eſſe cùm calumnia infertur, ne quod in tempeſtate contingit, niſi antennæ deponantur ad venti vehementiam, nauis mergatur. Comparatio eſt Petri Damiani opuſcul. 13. cap. 22.

E contrario plerique Sanctorum &

Digitized by Google

Patrum, autores ſunt, vt obſiſtamus calumniæ. Signo nonnullos Arnobius l. 1. *initio.* [Statui pro captu, ac mediocritate ſermonis, contrariæ inuidiæ, & calumnioſas diſſoluere criminationes : ne aut illi ſibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere; aut ſi nos talibus continuerimus à litibus, obtinuiſſe ſe cauſam putent, victam ſui vitio, non aſſertorum ſilentio deſtitutam.]

S. Baſilius epiſt. 63. [Quoniam ad calumnias tacendum non eſt, non vt cõtradicendo nos ipſos vlciſcamur, ſe ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus, aut eos qui ſeducti ſunt, damno quo afficiuntur inhærere ſinamus; neceſſarium mihi viſum eſt, & hoc omnibus proponere.]

Nyſſenus orat. in dictum Pauli *Omne peccatum*, &c. tractans diſcrimen fornicationis, in qua fugiendum eſt, & aliorum peccatorum quibus obſiſti poteſt, numerat inter hæc alia peccata, calumniæ impoſitionem. [Tenditur arcus calumniæ, vtile eſt auerſo fonte congredi cum mendacio.]

S. Chryſoſtomus homil. de fide Annæ, tractans illud Annæ pro ſe reſponſum, *ne des ancillam tuam in faciem, in filiam peſtilentem.* [Ancillam (inquit) appellans ſeipſam, multam adhibens curam, ne à Sacerdote malam teferat opinionem: Nec apud ſe dixit, quid mihi curæ eſt iſtius calumnia? Ignoranter ac temerè accuſat, ſuſpicatur vbi nihil erat opus. Mea conſcientia pura eſto, & omnes me traducant, ſed Apoſtolicam illam impleuit legem, quæ iubet, vt prouideamus bona, non tantùm coram Domino, ſed etiam coram hominibus. Atque omni modo ſuſpicionem depulit, cùm ait, *ne des ancillam tuam in faciem, in finem peſtilentem.*]

Hincmarus ex perſona Caroli Calui ad Adrianum II. cùm retuliſſet quædam ipſi Carolo apud Pontificem impoſita, vt monſtret fas ſibi eſſe ea repellere, adducit exemplum Chriſti, qui dictus Samaritanus & dæmonium habens, hoc ſecundum reiecit, primum, quia *ſecundùm* ſubiectam notionem verum erat, admiſit. [Quod recognouit, tacendo conſenſit; & patienter repulit, quod dictum fallaciter audiuit, dicens, *Ego dæmonio non habeo.* Cuius pro modulo noſtro in hoc exemplum ſecuti, qui non dedignatus eſt ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare; de his quæ in nobis non recognouimus, humiliter & patienter apud paternitatem veſtram nos excuſabimus : ne ſi penitus taceremus; tales quales denotabamur, tacendo & conſentiendo eſſe nos fateremur, & quaſi confeſſi, & noſtra confeſſione conuicti iudicaremur.] Idem Hincmarus in Opuſculo ſanctorum Capitulorum, præfatus multa ſe ab Hincmaro iuniore perpeſſum. [Mox (inquit,) telum falſitatis, ſcuto veritatis reſpondendo reieci: quæ animi dolore compunctus, non amaritudinis liuore ſtimulatus dico, ſciens capiti ac ſalutari noſtro, mendaciter multa fuiſſe obiecta : ſed & productos aduersùs eum falſos teſtes fuiſſe. Nam & Romanæ Sedis Pontificibus, Damaſo, Sixto, & Leoni III. verùm & aliarum inſignium Eccleſiarum Præſulibus, Athanaſio ſcilicet Alexandrino, Ioanni Conſtantinopolitano, Cæcilio Cathaginenſi, ſanctitate fidei & operationis, atque ſcientiæ doctrina præclaris, necnon & quàmplurimis aliis venerandis Epiſcopis, ab hominibus inuidis, & eorum locum, ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus, ſed non habere meritum illorum ſtudentibus, mortalia & nefaria crimina falsò impacta & vſque ad Eccleſiaſtica iudicia & cognitionem publicam fuiſſe perducta, legimus. Sunt enim huiuſmodi viperæ nequitiæ homines

Digitized by Google

mines qui licet priùs eorum mentes propria rodat inuidia in hoc tamen ſuas tegere poſſe iniquitates putant, ſi alios infamia modo quolibet maculare curauerint, quorum criminationes iidem viri Sancti patientiſſimè tolerauerunt, & conſtantiſſimè, adiuuante Domino reuicerunt. Et horum (ſicut Scriptum eſt,) intuens exitum conuerſationis, fidem mihi neceſſe eſt imitari,]

Petrus Cellenſis l. 5. epiſt. 13. [Vterque peccat, & qui mentitur in ſui accuſatione, & qui dedignatur falſa obiecta, vera relatione diluere. Reproba humilitas eſt, plus quàm in corde tuo ſentias, vanè te deiicere: deteſtanda præſumptio, famam ſuam negligere & ſuſpicionis næuum non abolere.] Video alios quoſdam, & ex iis ipſis, qui iam adducti ſunt, non neminem, ita probaſſe ſeruatum aliquandiu ſilentium, vt tamen ſi peruicacia calumniatoris non frangatur, reſponderi velint; & dilui eius calumnias. In his eſt ſanctus Cyprianus cuius illa ſunt initio libri ad Demetrianum. [Oblatrantem te & aduerſum Deum, qui vnus & verus eſt, ore ſacrilego & verbis impiis obſtrepentem frequenter Demetriane contempſeram, verecundias ac melius exiſtimans errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quàm loquendo dementis inſaniam prouocare. Nec hoc ſine magiſterij diuini auctoritate faciebam, cùm ſcriptum ſit: *In aures imprudentis, noli quicquam dicere, ne cùm audierit, irrideat ſenſatos ſermones tuos:* & iterum: *Noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne ſimilis fias illi:* & ſanctum quoque iubeamur intra conſcientiam noſtram tenere, nec conculcandum porcis & canibus exponere, loquente Domino & dicente: *Ne dederitis ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos, ne conculcarent ea pedibus, & conuerſi elidant vos.* Nam cùm ad me ſæpè ſtudio magis contradicendi, quàm voto diſcendi venires; & clamoſis vocibus perſonans malles tua imprudenter ingerere quàm noſtra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecum, cùm facilius eſſet & leuius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quàm tuam rabiem tractatibus coërcere. Certè & labor irritus, & nullus effectus, offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto: cùm nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire. Hæc conſiderans, ſæpè conticui, & impatientem patientiâ vici, cùm nec docere indocilem poſſem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed enim cùm dicas, plurimos conqueri, quòd bella crebriùs ſurgant, quòd lues, quòd fames ſæuiant, quódque imbres, & pluuias ſerena longa ſuſpendant nobis imputari, vltra tacere non oportet, ne iam verecundiæ, ſed diffidentiæ eſſe incipiat, quòd tacemus, & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere.]

Aſtipulatur ſanctus Baſilius Epiſtol. 79. quæ eſt ad Euſtachium Epiſcopum Sebaſtenum. [Tempus (inquit) eſſe tacendi & tempus loquendi, ſermo eſt Eccleſiaſtæ. Et nunc igitur quoniam abunde ſat ſilentij hactenus præceſſit; opportunum deinceps erit, vt ad patefactionem eorum quæ ignorantur, os noſtrum aperiamus. Quandoquidem & magnus ille Iob, multo quidem tempore calamitates ſuas cum ſilentio tulit, hoc ipſo animi fortitudinem declarans; quòd in moleſtiſſimis afflictionibus conſtans perdurauit: Iam quãdo ſufficienti cum ſilentio agonẽ illum admirabilem pertulerat, inque imo pectore dolorem perſeueranter preſſerat; tum tandem ore aperto ea locutus eſt, quæ omnibus nota ſunt. Et nobis igitur iam in tertium vſque ſilentij annum imitabilis viſa eſt Prophetæ gloriatio illa, quâ dicit *Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in*

ore

ore ſuo redargutiones. Quocirca in profundo pectoris noſtri ; dolorem quem nobis incuſſit calumnia, incluſum tenuimus. Verè namque calumnia virum humiliat, calumnia pauperem conturbat. Si ergo tantum eſt calumniæ malum, vt & perfectum iam, (perfectum enim appellatione veri ſignificat iſta parœmia;) è ſublimi deiicier, conturbetque pauperem; hoc eſt, qui magnorum adhuc dogmatum indigus eſt, quemadmodum & Prophetæ videtur dicenti, *forſan pauperes ſunt, & propterea non audiunt. Ibo ad optimates* vbi *pauperes* vocat intelligentia carentes : (vnde liquet quod eos qui iuxta internum hominem nondum abſoluti nec perfectam ætatis menſuram aſſecuti ſunt, conturbari & iactari parœmia dicat) Attamen ſilentio res triſtes ferendas eſſe putaui, fore ratus, vt ipſis aliquando operibus veritatem edocentibus, nonnihil corrigantur. Neque enim ex malitia aliqua, ſed per ignorantiam talia contra nos dici arbitrabar. Quoniam verò inimicitiam vnà cum ipſo tempore magis inualeſcere video, & aduerſarios meos ab iis quæ initio ſparſerunt, nihil immutari; nec aliquam impendere curam quo præteritis medeatur, ſed magis illa repetendo obfirmare, & ad ſcopum quem ſibi ipſis initió præfixerunt, compoſito greſſu contendere, vt & vitam noſtram affligant, & nominis noſtri opinionem apud fratres callido commento polluant; iam mihi non videtur tutum, vt ſilentio me cohibeam ampliùs : ſed ſubit animum meum illud Eſaiæ dicentis, *ſilui, nũ ſemper ſilebo & feram?* Patiens fui, vt parturiens loquar. Vtinam autem & mercedem ſilentij aſſequamur, & potentiam quandam redarguendi recipiamus ; vt dũ eos qui nos vituperãt redarguimus, acerbum illum adobruentis nos mendacij torrentem exiremus, quo & nobis dicere liceat, *Torrentem pertranſiuit anima noſtra*, & illud. *Niſi Dominus fuiſſet in nobis, cùm inſurgerent homines in nos, vtique viuos abſorbuiſſent nos.*] Adeundus item ſanctus Baſilius Orat. de Inuidia.

Ruffinus lib. 1. Inuectiu. in ſanctum Hieronymum *ipſo initio*, commendat ſilentium ad cœteras calumnias, præterquàm circa fidem : Nam in hac negat tacendum, quia ſilentium, maximum ſcandalum generat. Et videtur annuere ſanctus Hieronymus Epiſtol. *61.* quæ eſt ad Pammachium contra Ioannem Hieroſolymitanum, & ſtultitiæ damnans patientiam in calumnia de hæreſi. De ea quippè calũnia duntaxat agit, verbis illis quæ initio videntur vniuerſalia. [Stultum eſt fruſtra infamiam ſuſtinere. Obiicitur ei crimen, cuius non habet conſcientiam. Ergo crimen quod totum pendet in verbo, neget confidenter, ac liberè faciat inuidiam aduerſario ſuo. Eadem audacia qua ille inſimulat, hic defendat: cúmque omnia dixerit quæ voluerit, quæ propoſuerit, quæ ſuſpicionibus carent, ſi perſeuerat calumnia, cõferta manu in ius trahat. Nolo in ſuſpicione hæreſeos, quẽquam eſſe patientẽ, ne apud eos qui ignorant innocentiam eius diſſimulatio conſcientia iudicetur, ſi taceat.] Hæc poſtrema manifeſtè monſtrant, quæ anteceſſerunt de vitioſitate ſilentij in calumnia, pertinere ad ſolam calumniam hæreſeos, in qua proinde ſanctus Hieronymus æquè ac Ruffinus, improbat præteritionem repulſæ aduerſarij.

Prolata hactenus ſunt varia Patrum dicta circa quæſtiunculam propoſitam. Reſolutio vno verbo eſt, fas cuique eſſe, propellere irrogatam ſibi calumniam, nec in ea propulſione eſſe peccatum. Imò aliquando poſſe iniici obligationem propellendi. Aliquando tamen ſilentium poſſe continere inſignem perfectionem, quæ ſub conſilium cadat, non ſub præceptum. Quod primum ſtatuo, propulſionem

nem calumniæ vacare culpa, perſpicuum eſt. Nemo enim peccat, faciendo quod iuſtum eſt. Atqui tueri famam ſuam, eſt actio commenſa iuri quod quiſque in famam ſuam habet, atque adeò eſt iuſta actio. Igitur qui eam exequitur, non peccat. Et ita paſſim DD. qui fruſtra ſigillatim proferrentur, cùm nemo diſſentiat, ob perſpicuum cuiuſque ius in famam ſuam, & bonum nomen quod curandum monet Sapiens. Et id apertiè ferunt, quæ ex Patribus ſecundo loco ſunt prolata. Hanc verò famæ propriæ curam per calumniæ depulſionem, poſſe aliquando ſub obligationem cadere, nemo dubitarit, ſi attendat, interdum vel ex iuſtitia ratione muneris, aut vi corporis cui aliquis conſeritur, vel ex charitate proximi cuius ſubleuatio per infamationem calumniatoris præpeditur, vel ex charitate propria ſi ita aliquando ferat bonum proprium, teneri hominem non abiicere famam ſuam, ſed eam ſeruare à calumnia indemnem. Sententia eſt inter DD. recepta, vt videre eſt apud Laymannum lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 3. *in fine*, & Tolerum lib. 5. inſtruct. ſacerd. c. 66. ac Binſteldium in c. 1. de iniuria & damno dato quæſt. 12. concluſ. 3. Annuunt Patres qui tertio loco ſunt producti, & plerique ex iis qui ſecundo. Quod denique ſilentium poſſit aliquando in hoc negotio micare inſigni perfectione, patet ex Patribus primo loco productis. Et confirmatur ex eo, quòd interdum nulla lex aut virtus obligat ad calumniæ propulſionem. Tunc igitur exercitium patientiæ Chriſtianæ, perfectionem continet eo maiorem, quò eſt illud ſilentium operoſius.

Et quia Religioſi obligantur tendere ad perfectionem, idcirco aliqui cenſuerunt Religioſos obligari non reſiſtere iis à quibus calumnias excipiunt. Rectè tamen Richardus quod lib. 2. q. 27. docet, fas eſſe religioſis, reſiſtere iis à quibus calumnia grauantur, dummodo non zelo vindictæ, ſed amore tuendi famam ſuam, aut amore iuſtitiæ, illis obſiſtant. Fama enim cuiuſuis, atque adeò etiam Religioſorum, eſt ingens bonum & diuitiis melius, vt habetur Prouerb. 22. & melius fragrantiſſimis vnguentis, vt dicitur Eccleſ. 7. Tanti eſt hoc bonum, vt ſiue nos ipſos ſpectemus, nullum ſit potentius frœnum humanum ad reuocandum hominem à peccato; ſiue attendamus alios, nihil ſit quod hominem reddat accommodatiorem ad proficiendum aliis; vt propterea ſanctus Gregorius conteſtetur, cuius vita deſpicitur, neceſſe eſſe vt eius prædicatio contemnatur; Et ſanctus Auguſtinus affirmet, neceſſariam nobis eſſe vitam noſtram, aliis famam noſtram. Hæc ſi vniuersè valent, quantò magis pro fama Religioſorum, qui poſiti ſunt velut luminaria in mundo, cenſenda ſunt habere locum? Itaque omnino poſſunt pro tuenda fama obſiſtere calumniatoribus ſuis; & ſæpiùs continger vt teneantur obſiſtere, quàm teneretur homo ſæculis priuatus, cuius fama neque eſt tam neceſſaria ad Dei gloriam, neque tam opportuna ad commune bonum, ſaltem vt plurimùm. Poſſunt prætereà Religioſi, amore Iuſtitiæ repellere calumniatores, quia amor iuris ſui moderatus, nunquam poteſt vitio verti & ſordere. Cùm igitur Religioſi, eo ipſo quòd Religioſi ſunt, non excidant iure famæ ſuæ, meritò abſque culpa poterunt illius indemnitati proſpicere, propulſis calumniatoribus, vt ius noſtrum ſaluum ſit. Adde etiam ne calumniatores pergant eſſe in nos iniurij, dum non abſtergunt calumnias impactas, ſicut teneri tenentur. Quo reduci videtur ratio adhibita à ſancto Chryſoſtomo lib. 1. contra Vituper, vitæ Monaſt. vt monſtraret retundendos eſſe vitæ monaſticæ calumniatores? quia ipſi met calumniatoribus apprimè damnoſum eſt, Religioſos calum-

 niari.

niari. Vnde ſicut mater puello à quo percutitur arridet, quamdiu abſque damno ipſius puelli vibrat ictus: cum verò puſio inducit ſe in acum maternæ zonæ affixam, aut gladiolum materno pectori appenſum, improuidè arripit ac ſtringit, pauens mater & pro filij periculo ſollicita, cohibet eius licentiam: Eodem modo iuxta ſanctum Chryſoſtomum, idcirco coërcendi ſunt Religioſorum calumniatores, quia ipſiſmet calumniatoribus noxium eſt, ita graſſari in famam innoxiorum atque piorum.

Nulli ergo fidelium, (per ſe loquendo) illic tum eſt calumniam propulſare. Quamuis ſi nulla proprij aut alieni boni ratio vrgeat ad repellendum, fas ſit repulſione abſtinere; & poſſit in eo ſilentio cerni eximia perfectio, per maiorem cum Chriſto conformitatem, & imitationem plurimorum inſignium Sanctorum, qui ad illuſtriorem de ſe ipſis victoriam calumniis grauati tacuerunt. Poteſtque non malè huc transferri circa diſpendium famæ, quod de diſpendio bonorum fortunæ per calumniam prouerbio iactatum Punico ſupra retigimus: [Peſtilentia ante oſtium venit & nummum quærit. Duos illi da & ducat ſe] Refert hoc Adagium D. Auguſtinus homil. 10. ex 50. Et exponit de fructuoſe ſilendo, cum quis calumniam infert circa fortunas.

QVÆSTIVNCVLA II.

An licitum ſit calumniam admittere, & probrum falsò impactum, vt verum agnoſcere.

SIlentium ad calumniam impoſitam, (de quo hactenus,) eſt minùs expeditu operoſum, quam admiſſio probri falſi impacti. Ex vna enim parte, multi viri Sancti calumniam paſſi, pro reis ſe habuerunt, vt ſanctus Romualdus de quo in eius Actis Petrus Damiani cap. 49. & Paphnutius apud Caſſianum collat. 18. cap. 15. Macarius lib. 3. vitæ Patrum num. 99. & alij. Ex altera verò parte, mendacium eſt intrinſecè & inexpurgabiliter malum. At qui annuit ſe feciſſe quod reuerà non fecit, admittit mendacium. Nec refert quòd annuat prætextu humilitatis. Humilitas enim (quæ quidem vera eſt humilitas,) non pugnat cum veritate, in quam rem latè diſputatum eſt in opere de Æquiuoc. cap. 2. num. 5. & 6. tractando qua ratione, varij Sancti profeſſi ſint ſe eſſe maximos peccatores. De quo etiam ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 161. artic. 3. & 6. & Gerſo lib. 4. de conſol. Theolog proſa 2. *in fine*. Quomodo igitur Sancti, ſalua veritate, ac proinde abſque culpa, agnoſcere potuerunt ſe eſſe reos calumniæ qua grauabantur.

Dicendum eſt, aliud eſſe, præcisè & rotundè admittere ſe eſſe reum culpæ cuius falsò inſimulatur, & hoc nemo Sanctorum fecit, aliud verò eſſe, perinde ſe habere, ac ſi reuera eſſet reus, puta nihil excuſare, aut poſcere pœnitentiam ſeu mulctam peccato cuius arguitur cōmentam, vel impoſitam non petenti humiliter excipere; veniam rogare dirigendo petitionem veniæ ad alia in quibus deliquerit. Hoc modo ſe habuerunt plerique Sanctorum, perperam rei facti alicuius noxæ. Nam præ deſiderio patiendi, non defugerunt oblatam deiectionis occaſionem: rati ſi aliquid paterentur ex impoſtura, commeritos ſe eſſe tantumdem, vel etiam grauius quippiam, ob alia verè admiſſa. In hoc autem agendi modo nullum interuenit mendacium, aliave labes dehoneſtans.

Haud grauatè in hanc doctrinam conſentient Soto l. 5. de Iuſt. q. 1. artic. 6. Leſſius l. de Iuſt. cap. 11. num. 41. quibus viſum eſt, fas alicui eſſe ad euadenda grauia tormenta, imponere ſibi falſum crimen ob quod mors certò ſit inferenda.

Digitized by Google

renda. Quod colligunt ex licito neglectu truncationis membri putridi mortem certo illaturi, ſi truncatio non poſſit mandari executioni abſque ingenti horrore vel immanibus cruciatibus. Is quippè neglectus ſectionis membri in eo euentu, nulli virtuti repugnat. Nam neque charitas propria, neque fortitudo, obligant ad vitam cum tantis cruciatibus, quantos ſectiones illæ inferunt, retinendam; vt rectè ſtatuunt Bannes 2.2. quæſt. T5. art. 1. & ibid. Salon. controu. 2. Corres tom. 2. in 2. 2. diſp. 29. dubit. 2. num. 13. ac Leſſius cap. 9. de Iuſt. n. 96. Inde ergo inferunt Soto & alij quidam, fas ſimiliter eſſe ad euadendam immanem excarnificationem alioqui imminentem, crimen falſum ſibi imponere ob quod mors certò ſit inferenda, vt factum eſt ab illo iuuene qui memoratur in Hiſtoria mulieris ſepties ictæ apud S. Hieronymum qui falsò ſe grauauit crimine adulterij. [Cum enim liuidas carnes vngula cruenta pulſaret, & ſulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infeliciſſimus iuuenis volens compendio mortis longos cruciatus vitare, in ſuum mentitus eſt ſanguinem.] Hæc illi mortis confeſtim irrogandæ cauſa. Rectè tamen Molina Tract. 4. de Iuſt. diſp. 37. num. 18. affirmat eam ſuiipſius grauationem per crimen falſum ob quod mors certò ſit inferenda, eſſe illicitam: quia ſic ſe gerere, eſt præbere obiectiuam cauſam ſuæ mortis, atque adeò qui id facit; non poteſt excuſari à graui ſcelere. Aliud verò eſt, permittere duntaxat mortem ſubſequi, aliunde quam à nobis ipſis, ad euitanda per mortis ſuperuentum immania tormenta. Ea enim euitatio, honeſtare poteſt permiſſionem illam longè differentem à præbitione cauſæ obiectiuæ ſui interitus. Sicut etiam ad compendium dolorum captandum, licitè poſſet quis cedere iuri tacendi crimen verum aliàs admiſſum, illudque propalare, quia neque hic præbetur ab ipſomet reo cauſa obiectiua ſuæ mortis ſed tantùm aliàs data, non premitur, ſicut premi poſſet.

QVÆSTIVNCVLA III.

Fáſne ſit calumniam verum dedecus inferentem, repellere

CONtingit aliquando, imponi homini quod reuera admiſit, etiamſi is qui imponit, neſciat verè noxam fuiſſe admiſſam, ſed ex ſua malignitate illam imponat homini quem apud ſe cenſet innoxium. Et tunc quamuis materialiter vera ſit imponentis oratio; tamen formaliter eſt impoſtura. Sicut cum quis putat, rem quam enuntiat aliter de facto ſe habere, mendax eſt formaliter, quamuis materialiter verum proferat, iuxta doctrinam S. Auguſtini lib. de mendacio cap. 22. & ſancti Thomæ in 3. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. *in corpore*. In eo igitur euentu dubium eſſe poteſt, an is qui formaliter falsò impetitur, poſſit repellere aduerſarium tanquam calumniatorem: Vel inficiari probrum cuius malè inſimulatur, tametſi reuera illud contraxit. Idem quæri poteſt de eo cui infertur verum probrum, ſed latens, nec iuridicè verum, eo quòd deſint iudicia & probationes. Cuiuſmodi probrum inferendo alteri extra neceſſitatem auertendi alicuius mali quod meritò præferatur infamationi peccatoris, contrahitur culpa ab inferente. Et denique idem quæri poteſt de probro vero, ſed per pœnitentiam deterſo.

Dicendum eſt, cùm probrum verum, ſed falſum iuxta conſcientiam inferentis alicui impingitur, fas eſſe illud repellere non ſecùs ac ſi materialiter eſſet calumnia; ſicut reuera eſt calumnia; quod attinet ad conſcientiam impoſtoris. Poteſt itaque is qui calumnia illa grauatur, negare ſe tale quid admiſiſſe; nimirum ita

vt teneatur id admittere, aut ita vt accuſatio ſit vera, iuxta conſcientiam accuſatoris, quem conſtet mentiri formaliter. Item in eo euentu, accuſator quia probare nequiuit quod impoſuit, mulctetur à iudice, non erit cur reus ab illo malè grauatus, ſollicitus ſit de mulcta pecuniaria ex legum præſcripto inflicta accuſatori, vt rectè notat Vaſquez 1. 2. diſt. 175. cap. 2. Cùm enim per eam ſui defenſionem non violauerit iuſtitiam, non poteſt ad faciendam reſtitutionem aſtringi.

Idem dicendum eſt de impoſitione probri veri, facta illicite: quia videlicet non erat publicum, nec qui illud euulgauit, ius aut neceſſitatem habuit euulgandi. Tunc enim fas eſt grauato, repellere grauantem tanquam calumniatorem, & negare ſe tale quippiam admiſiſſe, quamdiu priuatim res agitur. Nam ſi res deducatur ad forum contentioſum, & iudex iuridicè interroget, tunc quid ſit ſtatuendum, & quanta cum ſynceritate reus teneatur reſpondere, dictum eſt abundè in opere de Æquiuocat. c.4 à n. 6.

Ad extremum, de eo cui obiicitur antequam probrum iam expiatum per pœnitentiam, idem prorſus quod de prioribus euentibus ſtatuit Petrus Cellenſis Epiſtola 103. ſiue lib. 6. epiſtol. 14 quem audire iuuerit, tametſi longiuſculè tamen concinnè iſta agitantem Sic igitur ille ad Priorem Vallis ſancti Petri. [De quæſtione veſtra, vtrum ſcilicet ſaluâ conſcientiâ, verè pœnitens poſſit reſpondere antiqua crimina ſibi obiicienti, *nihil eſt*, aut *neſcio quid dicis*, vtinam tempus & licentiam largiorem ſcribendi obtinerem! Tamen quod in tranſcurſu animo occurrit, reſpondeo. Vera confeſſio & plena ſatisfactio, omnes Ægyptios, tanquam plumbum, in aquis vehementibus indifferenter à Deo conceſſa euadat, & Ægyptij, id eſt peccati opprobrium, tollatur à conſcientia, & ab infamiæ nota. Sicut enim in baptiſmo tam originalium quàm actualium nullæ ſupernatant reliquiæ; ſic in confeſſione illuſtrantur tenebræ, & nox vertitur in diem, vt veraciter conuerſo & confitenti dicatur, *fuiſti aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et ſicut idem Apoſtolus ait de Chriſto *Etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus*: ſic & de iſto dicatur, etſi noueramus peccatorem, mendacem, homicidam, adulterum, iniuſtum & impium, liquefactis iniquitatibus omnibus in fornace confeſſionis, reformetur ad ſanctitatis imaginem, & dicatur bonus, verax, innocens, caſtus, iuſtus, & pius. *Verte*, inquit Scriptura, *impios & non erunt*, vtique impij. Vt enim tollitur nigredo ſuperueniente albedine, ſic malitia ſuperueniente bonitate. Neminem IESVS ſemiplenè curauit, nemini gratiam ſuam modio iniuſto menſurauit, vt totum ſe Deo exponentem non totis vlnis miſericordiæ exciperet *Sine pœnitentia*, ait Apoſtolus *ſunt dona & vocatio Dei*, quia niſi ab ingratis ſemel à Deo conceſſa gratia non reuocatur. Eſt namque in illo eſt, nec eſt in illo eſt & non. Sed eſt tantùm in illo eſt. Cùm ergò verè confitens & verè pœnitens his ditetur priuilegiis, quis nequam oculus audebit dicere, iudicia Dei non eſſe iuſta, & opera reprehenſibilia? *An*, inquit Dominus in Euangelio, *oculus tuus nequam eſt*, *quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſſimi*, id eſt grauiſſimis occupati peccatis, per corruptionem *primi* & primi qui ſe iuſtos arbitrantur, ſuam iuſtitiam conſtituentes, *nouiſſimi*, id eſt, gratia Dei vacui. His auctoritatibus non improbè aſſerere poſſumus, veraciter poſſe reſpondere, verè pœnitentem, exprobranti ſibi antiquas & exterminatas abominationes, immò per confeſſionem antiquatas & deletas, *neſcio*

Digitized by Google

neſcio ita eſſe vt dicis, vel, *nihil eſt quod dicis.* De præſenti enim ſtatu vnumquemque iudicat Deus, nec alicui, ad confeſſionem priores cicatrices peccatorum à Deo opponuntur, cuius vt aquilæ iuuentus per innouationem vitæ renouata eſt. Quicquid autem iudex ignoſcit, aduerſarius imputare non poteſt. Vnde Apoſtolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Non enim ſolùm cum pœnitente, immò etiam pro pœnitente ſtat Deus, dicens pro ea quæ in adulterio deprehenſa, ei damnanda oblata fuerat: *Si quis veſtrum ſine peccato eſt, prior in illam lapidem mittat.* Qua ſententiâ illa liberata, cùm ei diceretur, *nemo te condemnauit mulier?* & illa reſponderet. *Nemo domine, nec ego*, inquit, *te condemnabo.* Nonne rectè dicere poſſet ſalua conſcientia, non ſum quæ fueram, non ſum adultera? Tamen, regulariùs & modeſtiùs improperanti & calumniatori reſpondendum eſt taliter, *Meliùs poſſes dicere*, vel, *Deus tibi ignoſcat hoc peccatum*, vel ſi qua talia ſunt: ad exemplum IESV cui cùm dictum eſſet, *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* alterum ſimpliciter negauit dicens: *Ego dæmonium non habeo*, de alio prorſus tacens.] Hæc poſtrema, videntur ſolidiùs & veriùs prolata. Quomodò enim v. g. latro Sanctus, poſt dimiſſa à Chriſto peccata potuiſſet verè diffiteri ſe vnquam admiſiſſe peccata cõdonata, equidem non video. Idem ergo eſt de quouis alio pœnitente; cuius peccatum iam dimiſſum, fuerit publicum, & vigeat in omnium memoria. Illuſtre miraculum in homine pœnitente editum,

qui ad ſuæ innocentiæ fidem faciendam prehendit ferrum candens ſine damno (quamuis peccaſſet.) habet Cæſar. lib. 10. cap. 35.

* * *

QVÆSTIVNCVLA IV.

Sitne licitum calumniatorem proſcindere.

NOn eſt plerunque conſultum, & erecto magnoque animo dignum, proſcindere calumniatorem: ſi tamen proſcindatur ſub moderamine inculpatæ tutelæ, proſciſſio illa labis expers & nitens erit. Quod primum affirmo, pendet ex perfectionis Chriſtianæ doctrina, quæ fert, excipienda eſſe mala patienter imitatione Chriſti, qui cùm pateretur non comminabatur, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. Tertullianus ad Chriſti de patientia doctrinam prouocabat lib. de patient. cap. 8. [Si linguæ (inquit) amaritudo, maledicto ſibi conuicio eruperit reſpice dictum: *Quum vos maledixerint, gaudete.* Dominus ipſe maledictus in lege eſt, & tamen ſolus eſt benedictus. Igitur Dominum ſerui conſequamur & maledicamur patienter, vt benedicti eſſe poſſimus. Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me proteruũ aut nequam, reddam & ipſe amaritudinis vicem neceſſe eſt, aut cruciabor impatientiâ mutâ. Quum ergo percuſſero maledicto, quomodo ſecutus inueniar doctrinam Domini, quâ traditum eſt, non vaſculorum inquinamentis, ſed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari. Item; Manere nos omnis vani & ſuperuacui dicti reatum? Sequitur ergo, vt à quo nos Dominus arcet, idem ab alio æquanimiter pati admoneat.] Eodem recurrit in hoc negotio ſanctus Ambroſius, lib. 2. de Interpel. cap. 2. [Quid opus (inquit,) clamare ante iudicium? Bonum eſt tacere, dum expectatur qui iudicat. Bonum eſt conuicium conuicio non referre, ne & nos inter detrahentes annumeremur. Imite-

Digitized by Google

mut ergo hunc virum, qui ſilentio ſuo redarguebat conuiciantes. Oſtendebat enim virtutem animi ſui, quem contumeliæ nõ mouerent: & conſcientiæ innocentiam manifeſtabat, qua obiecta non recognoſceret, ſed quaſi aliena rideret. At verò ſi nobis aliquid obiiciatur, dum nos purgare volumus, acerbamus: dum vlciſci cupimus, confitemur: cùm dicat Scriptura, *Vt auertas dedecoris ſermonem & auferas veſtimentum tuum: Præterit enim iniurioſus.* Taceamus ergo, vt prætereat, ne veſtimentum noſtrum prouocatus exuat. Scriptum eſt enim, *Noli incendere carbones peccatoris, ne fortè exuraris in igne flãma eius.* Propterea ergo ſãctus, tacet: & ſi ſeruus proteruit, & ſi pauper conuiciatur, tacet iuſtus: & ſi peccator opprobria iacit, iuſtus ridet, & ſi infimus maledicit, iuſtus benedicit. Tacebat Dauid, cùm Gera filius Semei malediceret, Iob ridebat, Paulus benedicebat ſicut ipſe ait: *Maledicimur & benedicimus.* Magiſterio quippè diuino proceſſus humanæ virtutis excreuit; quia iam venerat qui ex infirmis faceret fortiores, & audierat dicentem: *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Quod verbo dixit, exemplo probauit. Denique & in cruce poſitus, de perſecutoribus ſuis conuiciantibus ſibi ait: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Vt oraret pro calumniantibus, quibus poterat ipſe dimittere.]

Origenes homil. 16. in Matth. *ſub finem* hoc eſſe; ait, quod Chriſtus à ficu fructus quæſiuit; cùm tempus ficuum non eſſet, vt diſertè notat Matthæus. Sic ergo diſſerit Origenes. [Dicet aliquis. Si non erat tempus ficuum, quomodò venit Ieſus, quaſi inuenturus aliquid in ea? Et quomodò iuſtè dixit ad eam; *nunquam ex te quiſquam fructum manducet?* Contra hæc reſpondemus; quod numerati ab Apoſtolo fructus Spiritus Sancti, hi ſunt. Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia. Hi omnes aliquando in tempore ſuo redduntur. Meliùs autem eſt quando circunſtantibus aduerſariis, & prouocantibus ad non fructificandum, potuerit aliquis propterea quod ſatis eſt prolificatus in verbo, nihilominus proferre fructus Spiritus Sancti. Quod autem dico tale eſt. Vnus de fructibus Spiritus Sancti, charitas eſt. Huius tempus eſt, quando non eſt difficile fructum reddere charitatis, & diligere diligentem: & eſt quidem fructus ille Spiritus ſancti, tamen in tempore ſuo. Si autem aliquis exciterur ad odium fidelis conſtitutus, & circunueniatur, & inſidias patiatur, & diligat inſidiantem ſibi: aut certè ſi fuerit aliquis malè moratus, & odio dignus, ille iuſtus nec hunc talem odiat, ſed quaſi filius eius qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, etiam tunc eum diligat, vt puta non in tempore ficuum fructum dans charitatis, beatus eſt.] Rationem optimam huius rei mox ſubiungit Origenes, quia [vult Chriſtus fideles ſuos meliores eſſe humana omni natura, & exigit eos ſupra naturam, & vt ita dicam, opera Dei magis quàm hominum. Propter quod hominibus dicit quoſcunque ad beatitudinem vocat, *Ego dixi Dij eſtis.*] Hoc non exequitur, qui calumnianti reponit calumniam.

Non eſt hæc ratio idonea vincendi aduerſarium calumniantem. Qui enim in hoc conuiciandi & calumniandi certamine vincit, vincitur: & victor fit victo deterior, vt dixit antiquus quiſpiam laudatus à Philone l. de Agricult. cùm de Dano colubro in via. Plenè & optimè idem verſat S. Chryſoſtomus homil. 22. in ad Rom. circa illud *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* [Pugnans (inquit,) tum potiſſimùm vincit, non quando ſuum ipſius corpus pugnæ exponit, vt plagas excipiat: ſed quando ſeipſum eruens, efficit vt omnam ſuam potentiam

aduerſatius

aduerſarius in aëra fruſtra & inaniter offendat. Sic enim nec ipſe plagas excipit, & omnes aduerſarij vires diſſoluit: id quod & in conuinciis fit. Nam quando viciſſim conuicia regeris, vinceris; non ab homine, ſed quod turpius eſt, ab illiberto illo iræ affectu permotus exuperaris. Si vero tacueris; & vincis, & trophæum figis, & innumeros acquiris, qui te coronent, quique conuicium ipſum mendacij condemnent. Qui enim contradicit, vt qui conuicij morſum ſenſerit, cōtraluctari videtur. Morſum vero ſentiens, ſuſpicionem de ſe præbet, dictorum te conſcium eſſe. Si vero deriſeris, riſu ſtatim ſententiam, & iudicium quod qui audierant contra te latum erant, exoluiſti. Etſi volueris, apertum dictorum argumentum accipere, ipſum tuum inimicum interroga, quando magis doleat, an cum prorſus accenſus, viciſſim conuiciaris, an cum appetitus conuicio, conuiciantem derides. Atque hoc poſtremum magis audies. Neque enim tantùm iuuat conuiciis non imperi, quantùm mordet, quòd te ad iram permouere & accēdere nequit. Non vides ita percitorum ingenium, quomodo plagarum ſuarum non adeò multam rationem habentes, magno impetu irruant, proximíque vulnera peius quàm ſoleant agreſtes ſuos, quærant, & ad hoc vnum reſpiciant, inque eo magis fuit, quàm vt quid patiantur, obſeruent. Quando ergo eum qui huiuſmodi eſt, ea potiſſimum re priuas, quam ipſe potiſſimùm concupiſcit; omni iam illum propoſito euacuaſti, ſpoliaſti, contemptibilemque puerum magis, quàm virum, oſtendiſti. Et tu quidem interea Philoſophi calculum adeptus es, illum verò malæ beſtiæ infamia & opinione induiſti.] Contrario autem niſu & repoſitione pro ciſſionis, magis vtrinque exardeſcere iras, & perdi omnia, eleganti comparatione illuſtrat hom. 11. in 1. ad Theſſalo tractans extinctionem Spiritus in lychno cordis, ob non occluſum foramen vnde flatus vehemens malitiæ erupit [Quemadmodum (inquit) in lychno habet, ita & in nobis; foramina ſunt oculi & aures. Ne ſinas iſtis occurrere validum malitiæ flatum, alioqui lychnum extinguet, ſed obtura foramina timore Dei. Ianua os eſt. Claude. Ita ſcilicet occlude, vt & lucem exhibeat, & externum impulſum repellat, vt pote conuiciatus eſt? Vituperauit? Tu claude os tuum. Si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus quando è regione ac directè duæ ianuæ oppoſitæ ſunt, & flatus vehemens irruerit, ſi alteram clauſeris, & reſpiratio prohibita fuerit, quomodò nihil valeat efficere flatus, ſed plurimum de robore illius præcidatur? Ita & hîc. Duæ ſunt ianuæ. Os tuum, & os illius qui te vituperat & probro afficit. Si tuum occluſeris, & ſpirationem non dederis, omnem flatum iſtum extingues. Si verò aperueris, effrenis reddetur. Ne extinguamus igitur ſpiritum.]

Inſignia ſunt quæ ex eodem S. Chryſoſtomo in hanc rem ſunt conſarcinata homil. 31. ad popul. vbi etiam præcludit excuſationes quod ea ratione is qui contumeliam patitur, fiat inutilis; qui verò infert, dum videt ſibi non obſiſti, neque eſſe qui repercutiat & referiat, euadat peior. Quæ eſſe friuola imperfectionis tegmina, & falſa ad explendum vlciſcendi appetitum obtendicula, valide conficit. Sanè tantum abeſt, vt homo patienti calumniæ exceptione fiat inutilis, futurumque ſit vt deinceps magis ac magis pateat iniuriæ ab extrinſeco, vt potius ipſe ſibi fiat carnifex, præſertim ſi intortam ſagittam magis ac magis infigat recordando, dum regerendi opportunitatem præſtolatur. In quam ſententiam perpulchrè diſſerit Gulielmus Pariſ. l. de clauſtro animæ minori per Clyctonæum ſeorſum edito cap. 20. Eamque eſſe ingenij puſillitatem & animi abie-

ctionem,

Digitized by Google

ctionem, docet Græca vox, quæ memoriam iniuriarum inſigniunt. Dicitur enim μνησικακία, vt videre eſt apud Nazianzenum in ſancti Baſilij Monodia; & Orat. de moderatione in diſputatione, itemque Actione 9. Concilij Chalced. cùm de Ibæ reſtitutione. Notauit iſta Iacobus Billius l. 1. obſeru. Sacr. c. vltimo.

Rectè igitur primo loco ſtatueram, plerunque, ac etiam vt plurimùm, non eſſe conſultum & magno animo dignum, proſcindere calumniatorem. Non dixi nunquam eſſe proſcindendum quia ſi aliquando contingeret proſciſſionem eſſe neceſſariam ad indemnitatem à calumnia, & circunſtantiæ eſſent eiuſmodi vt iniiceretur obligatio calumniam repellendi, tunc non eſſet conſultum abſtinere proſciſſione calumniatoris. Et idem ſtatuendum eſſet, ſi ad frœnandam petulantiam effrenem calumniatoris ne peiora attentet, conueniens videretur eius proſciſſio, iudicio piorum atque prudentum; cui potiùs ſtandum eſt in hoc negotio, quàm ſenſui proprio qui plerunque læſum falleret. Nihil enim procliuius, quàm vt quiſque in ſua cauſa parum æquus Iudex ſit, & recti terminos per animi exacerbati impotentiam tranſgrediatur. Vel certè reputet, conuenientem eſſe aut etiam neceſſariam repoſitionem proſciſſionis, cum reuera neque neceſſaria eſt neque conueniens. Quòd ſi caro & ſanguis in huiuſmodi cauſis malè & infeliciter adhibentur in conſilium, id eſt qui carnis neceſſitudine nos contingunt; quòd vt plurimùm abrepti torrente moris humani, præbituri ſint conſilia non ſatis directa ad Chriſtianæ perfectionis amuſſim & regulas Euangelicas; quantò minùs ſenſui noſtro ac conſilio in propria cauſa eſt innitendum, cùm amor noſtri tantoperè nobis conuiſceratus, facilè offundat iudicio caliginem, & ſyncera recti ac veri contuitione prohibeat?

Addideram ſecundo loco; tametſi valdè conſultum ſit, & Chriſtianæ perfectioni conforme, non proſcindere calumniatorem, tamen ſi proſciſſio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, abeſſe labem. Adhibetur moderamen tutelæ inculpatæ, cùm præcisè adhibetur proſciſſio calumniatoris, quantùm poſtulat indemnitas propria V. G. reponendo aliquid verum, & non adeò latens quin euulgari poſſit ex cuius repoſitione autoritas contumelioſi minuenda ſit coram audientibus, vnde fiat vt quod de nobis falsò iactauit, abeat in fumum: Imò poteſt etiam detegi aliquod occultum eius probrum, ex cuius retectione res noſtræ ſint in tuto locandæ, & auertenda calumnia. Nam calumniator ratione iniuriæ, amittit ius quòd habet ne crimen eius occultum euulgetur. Ita cum Soto & paſſim aliis Leſſius l. de Iuſtir. cap. 11. num. 131.

Qvæstivncvla V.

An liceat ſtructa calumnia, calumniam trudere.

RESpondendum eſt, nullo modo fas eſſe calumniam impingere ei qui calumniam impegit. Nam ea reciproca calumniæ repoſitio, inuoluit mendacium, quod nulla ratione eſt licitum. Tunc planè victum ſe debet agnoſcere, qui calumniam paſſus prorupit ad calumniæ repenſionem. Benè in hanc rem Petrus Cellenſis epiſt. 9. cum impetitus eſſet quadam calumnia viro religioſo probroſa. [Vicem quidem mentiendo, & certe vera dicendo reddere poſſem: ſed infrænat linguam meam ſanctiſſimæ reuerentiæ veſtra autoritas, & conſcientiæ meæ, profeſſioniſque non rumpenda integritas. Victorioſiſſimo enim triumpho tripudiat aduerſarius, ſi de caſtris patientiæ

patientiæ & humilitatis, ad cuneum me prouocat impatientiæ & falſitatis. Tunc certè ſolummodò me ſuperatum æſtimo, cùm irritatione quacumque, terminos religionis tranſgredior.] Qui ſic affectus eſt debet recitatione pſalterij abſtinere: ne fortè deuocet in ſe molem malorum, quam ſibi apprecatur Dauid ſi reddidit mala iis à quibus malo affectus erat.

Monitum luculentum eſt à ſancto Dorotheo his verbis conceptum doctr. 8. num. 5. [Non peregrina vobiſcum aut incognita vtar voce. Neque certè ſcimus, nec animaaduertimus, quid pſallamus. Quotidie enim pſallimus, & nos confundimus, atque execramur. Neque tamen aduertimus, aut intelligimus. An fortaſſe non intelligere debemus quod pſallimus, *Si reddidi tribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Quid eſt *decidam?* Donec ſtat quiſpiam, vim habet reſiſtendi aduerſario, & potens eſt cum eo luctari. Cædit, cæditur. Vincit, vincitur. Adhuc autem ſtat. Quòd ſi labi & cadere contingat, quomodò proſtratus in terram, inire cum aduerſario pugnam, & colluctari poterit? Et contra noſipſos oramus, precamúrque non ſolùm, vt cadamus ab inimicis noſtris, ſed etiam vt cadamus inanes. Quid autem eſt cadere quemquam ab inimicis ſuis inanes? Diximus iam, cadere nihil aliud eſſe, quàm nullam amplius habere vim reſiſtendi, cùm ſit proſtratus in terram: Inanis verò eſt, qui nec quicquam in ſe boni habet, quo tandem valeat erigere ſe & aſſurgere. Nam qui erigitur, & ſtat, denuò reficere ſeſe poteſt, & curare, & tunc rurſus ad congreſſum, & certamen venire. Deinde dicimus. *Perſequatur* igitur *animam meam, & comprehendat.* Non ſolùm perſequatur, ſed etiam comprehendat, inquit, vt ſubditi fiamus illi, & mancipia, vt victi prorſus illi cedamus in omnibus. Vt in quacunque re demoliatur nos penitus & deiiciat, ſi reddimus retribuentibus nobis mala. Nec tantùm hoc nobis imprecamur, verùm etiam, vt *conculcet in terram vitam noſtram.* Quid eſt *vita noſtra?* Vita noſtra ſunt virtutes quibus anima rectè viuit, & precamur, vt conculcetur, & deiiciatur in terram vita noſtra, nempè, vt toti efficiamur terreni. Vt omnis noſtra prudentia. ſapientia, & intellectualis cognitio ad hæc inferiora & terrena deprimatur. *Et gloriam,* inquit, *meam in puluerem deducat.* Quid eſt autem gloria noſtra, niſi animæ noſtræ cognitio facta ex obſeruatione præceptorum Dei? Hoc igitur dicimus vt gloriam noſtram, (ceu dicit Apoſtolus,) in confuſionem redigat, & in puluerem eam deducat. Vt vitam noſtram, & gloriam noſtram, terrenam efficiat. Vt ſecundùm Deum nihil ſapiamus, nihil cogitemus: Sed omnia corporalia, omnia materialia, demum omnia noſtra ſint terrena. Quemadmodùm erat illis de quibus dicebat Deus, *non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt.* En igitur, vt iſthæc omnia nobis ipſis imprecamur, cùm pſallimus, ſi malum pro malo rependimus.]

Poſt factum tamen, ſeu poſt repoſitam calumniatori calumniam, locum habet compenſatio. Id eſt, quamdiu calumniator primus non ſarcit iniuriam quam irrogauit; qui calumniam æqualem repoſuit, etiamſi peccauit referendo, quandoquidem & falſum probrum intulit, & ſe vltus eſt priuata autoritate; tamen non tenetur ſatisfacere pro iniuſta violatione æqualis vt rectè ſtatuunt Toletus l. 5. cap. 70. Rebellus 1. part. l. 4. q. 13. num. 5. Leſſius l. de Iuſt. cap. 11 n. 133. adducens Adrianum, Sotum, & Angles, quibus malè aduerſantur Caietanus 2. 2. quæſt. 62. artic. 2. Nauarr. in ſumma cap. 18. num. 47. Petrus à Nauarra c. 4. de reſtit. num. 395. Valent. 2. 2. diſt. 5. quæſt. 6. p. 5. §. 1. aſſert. 5. & Torrès 2. 2.

tomo 2. diſput. 52. dub. 5. num. 7. Cur autem hæc compenſatio, ſeruata æqualitate habeat locum, ratio eſt, quia quando iura ſunt paria, in rebus temporalibus cuiuſmodi eſt fama, nihil vetat non ſatisfacere iuri alterius, ſi ipſe nolit meo ſatisfacere. Si enim debeo alicui quippiam, ille viciſſim mihi debet aliquid æquale, non teneor ſoluere quod ei debeo, quouſque ipſe mihi perſoluat quod debet. Ita igitur res habet in hoc negotio. Suppoſito tamen quod alter qui primò calumniam intulit, abſtergeret poſtea eam maculam, & famam malè violatam reſtitueret; tunc alter teneretur ad reſtitutionem, quia compenſatio quam facere intendat, non erat iuſta, niſi ſub ea conditione ſaltem tacita, quamdiu alter non reſtituet. Quare eo adhibente reſtitutionem, neceſſaria eſſet reſtitutio mutua ex parte alterius. Sicut qui compenſaſſet occultè furtum quod paſſus eſſet, ſi fur reſtitueret, teneretur ad reſtitutionem ſummæ qua ſe compenſauit. Quòd ſi ex mutuo conſenſu de ea compẽſatione, deſtitum vtrinque eſſet à famæ reſtitutione, & poſtea vnus reſtitueret; alter non aſtringeretur ex iuſtitia idem præſtare, quia vi conſenſus & ceſſionis ab altero factæ, exolueretur ea obligatione. Eſto ſæpè ex charitate poſſit interuenire obligatio reſtituendi infamiam calumnioſè illatam, non obſtante compenſatione, aut ceſſione iuris per mutuam debiti laxationem.

QVÆSTIVNCVLA VI.

An præuenire calumniam qua opprimendus ſis, calumniatorem infamando, eúmve necando, ſit licitum.

SVpponitur infamationem calumnioſam, eſſe planè grauem. Et nunc anteoccupationem calumniæ per infamationem iuſtam & veram, non poteſt vitio verti, quia eſt potiùs defenſio ſui ipſius, quàm impetitio alterius, à cuius malignitate non patet vlterius effugium. Quoad anteoccupationem verò calumniæ per cædem calumniatoris, variant ſententiæ. Nam ſi per falſas calumnias homo ſit in iudicio opprimendus abſque vlla euadendi ſpe, ſunt qui negent fas eſſe præuenire calumniam inferendo necem calumniatori. Ita Leſſius l. de Iuſtit. cap. 9. num. 47. cauſatus incommoda quæ ex contraria ſententia ſequi poſſent. Nihil quippè procliuius eſt, quàm vt homo ſibi perſuadeat ſe per calumniam appeti, nec ſupereſſe aliud effugium quàm ſi letho det calumniatorem. Vnde in omni benè conſtituta Republica, quiſquis ad eum modum anteoccupaſſet calumniæ irrogationem, morte plecteretur, vt verus homicida, nec haberetur ratio propriæ defenſionis quam obtenderet. Subſcrit Ægidius Coninck diſput. 32. de charit. num. 11. & Diana 3 part. tract. 5. reſolut. 97. qui recurrit ad ius poſitiuum humanum, quod interdictum ſit huiuſmodi præuentione. Hæc tamen ratio eſt admodùm infirma. Nã neque vlla huiuſmodi lex interdicens profertur, nec ſi proferretur vrgeret: quia lex humana, non poteſt eripere homini ius quod ei à natura conceſſum eſt ad ſui defenſionem. Quis enim iuſtam cenſuerit & validam legem, qua homo vetetur tueri ſeipſum cùm inuaditur? At hæc eſt vera inuaſio, ſin minùs per telum ſicarij, at per telum linguæ criminatricis, ac per gladium carnificis, cui Iudex à calumniatore deceptus dedet innocentem. Fruſtra itaque recurritur ad ius poſitiuum humanum, ſed hærendum eſt in iure naturali, & videndum an eo ſpectato licita ſit hæc anteoccupatio.

Speculatiuè igitur ac Metaphyſicè inter ſolos eruditos id verſando, viſum eſt

quibuſdam

quibuſdam Doctoribus contra alios ante adductos, ius naturale non obſtare, quominùs fas ſit præoccupare calumniam qua quis ſit opprimendus, inferendo necem calumniatori, dummodò eò res deducta ſit, vt non pateat vltrà effugium, immineátque innocenti mors, non ex ſuſpicione vel ex inanibus indicijs, ſed ex certitudine ſaltem morali. Tunc enim occiſio calumniatoris, eſt defenſio vitæ propriæ, contra iniuſtum inuaſorem. Et ita aſſerunt Bannes 2. 2. quæſt. 64. articul. 7. dub. 4. concluſ. 2. Petrus à Nauarra l. 2. de reſtitut. num. 289. & 290. Sanchez l. 2. in Decalog. cap. 39. n. 7. & fauet Caietanus 2. 2. quæſt. 95. art. 8. ad 3. qui it idem, & in ſumma V. *Duellum*, admittit, in eo euentu fas fore acceptare duellum, ſi alia ratione declinari nequeat iniuria. Bannes verò id etiam extendit ad prouocationem calumniatoris ad duellum. Quod ſi condicto duello fas ſit interficere calumniatorem à quo certò opprimendus ſis, quidni extra duellum idem liceat? Duello ſiquidem nullum ius confertur ad occidendum; ſed duntaxat eo inito vel condito, ſuppetit honeſtior modus tuendi ſeſe, qui faciliùs apud homines referat approbationem, & minùs pateat cauillis oblocutorum.

Quicquid autem ſit de his ſententiis, rem ſpeculatiuè ac Metaphyſicè ſpectando, tamen in praxi, omnino difficile, vel etiam prorſus impoſſibile eſt, ita concurrere omnia quæ ad honeſtatem illius cædis exigi diximus, vt coram Deo niteat: Coram hominibus autem, vix ac ne vix quidem habitura vnquam eſt locum talis excuſatio; quia nunquam planè conſtare poterit de eo concurſu tam multorum quæ aduerſarij ipſi fatentur debere interuenire, vt hæc anteoccupatio calumniæ per cædem calumniatoris ſit licita. Itaque eſt prorſus reprobanda.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Fáſne ſit apprecari calumniatoribus mala.

Est quidem huiuſmodi imprecatio, contra Chriſti conſilium, admonentis vt oremus pro perſequentibus & calumniantibus nos: id quod etiam ferè habet vſus Sanctorum, cum intorquentur in eos calumniæ. Tamen abſolutè loquendo, poteſt illa imprecatio malorum vacare labe, ſi vel fiat ſub ratione boni vtilis, nimirum vt calumniator reſipiſcat, vexatione intellectum dante; vel certè fiat ſub ratione boni iuſti, deſiderando ſcilicet impio iuſtum ſalarium impietatis ſuæ. Hæc doctrina vniuerſaliter traditur de maledictione non ex odio vibrata, tam à Scholaſticis quàm à Moralibus Theologis, quos longo agmine congerit Ioannes Sancius diſput. 2. ſelecta num. 6. Ita enim diſertè S. Thomas 2. 2. quæſt. 76. art. 1. & quæſt. 83. art 8. ad 3. Soto l. 5. de Iuſt. quæſt. 12. artic. 1. Vaſquez 1. 2. diſt. 115. cap. 3. Suarez diſput. 5. de charit. ſect. 5. n. 1. Syluester V. *charitas* qu. 3. & V. *odium* in fine. Nauarrus in ſumma c. 15. n. 10. & cap. 16. num. 7. Scripturas in hanc rem benè multas addenſant Gretſerus l. de maledict. cap. 2. & Magalianus in cap. 5. Iudic. ſect. 2. verſ. 23. annot. 18. Luculentus eſt in hanc rem Pſalm. 108. quo diræ olim dictæ *Schariothica* continentur. Et cap. 28. Deuteron. quo longus ſyllabus maledictionum impiis decretarum recenſetur. Nec eſſe cur ea loca habeant tantùm rationem propheticæ prænuntiationis, vel tantùm ſonent deſtructionem peccati citra damnum peccatoris, monſtratum eſt in tract. de monitor. part. 2. cap 7. num. 9. Optimè verò rem attigit S. Gregorius l. 4. moral. c. 6. tractans maledictiones à Iobo in-

tortas, non liuore vindictæ, ſed iudicio iuſtitiæ; vbi præfatus Deum ipſum examine & virtute iuſtitiæ maledicere, ſubdit. [Cùm ergo Sancti viri maledictionis ſententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionem, ſed ex iuſtitia examinis erumpunt. Intus enim ſubtile Dei iudicium aſpiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debeant ferire, agnoſcunt: & eo in maledicto non peccant, quæ ab interno iudicio non diſcordant. Hinc eſt quòd Petrus in offerentem ſibi pecunias Simonem, ſententiam maledictionis intorſit, dicens; *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Qui enim non ait, *eſt*, ſed *ſit*, non indicatiuo ſed optatiuo modo ſe ſignauit hæc dixiſſe. Hinc Helias duobus quinquagenariis ad ſe venientibus dixit, *Si homo Dei ſum deſcendat ignis de cœlo, & conſumat vos.* Quorum vtrorumque ſententia, quanta ſeueritatis ratione conualuit, terminus cauſæ monſtrauit. Nam & Simon æterna perditione interiit, & duos quinquagenatios deſuper veniens flamma conſumpſit. Virtus ergo ſubſequens teſtificatur, qua mente maledictionis ſententia promitur. Cùm enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum qui maledicitur vſque ad interitum maledictio abſorbet, ex vtriuſque fine colligitur, quia ab vno & intimo iudice, in reum ſententia ſumpta iaculatur.] Idem de aliis omnibus per ſanctos poſteriores vibratis maledictionibus eſt ſtatuendum. Illuſtria maximè ſunt exempla duo maledictionum à Iacobo Niſibeno intortarum, in puellas procaces, & iniquum Iudicem, quæ recitat Theodoretus in *Phil.* & eexmplum maledictionis Florentij in Vrſi cicuris interfectores, recitatum à S. Gregorio l. 3. dialog. cap. 15. Item exemplum maledictionis domus Hortenſij Senatoris per S. Quintianum Epiſcopum Aruernenſem, vt ſcribit Gregorius Turon. in vita Patrum cum de ſancto Quintiano. Quem verò latet maledictio ſancti Maclouij in ſuos Britannos Armoricos?

Quod ergo vniuersè de his & aliis maledictionibus, ob peccata aliquorum, zelo iuſtitiæ aut ex charitate intortis dicitur, æquè dicendum eſt de maledictionibus, ſiue malorum apprecationibus, quæ poſſent in calumniatores vibrari ex iiſdem motiuis, excluſo odio. Dicendum inquam eſt, eas poſſe labis puras eſſe. Tametſi ſpiritus noui Teſtamenti, ferè ſoleat aliud ferre; nec admodùm frequens ſit, vt ſancti calumniatores ſuos aliter ſpectent, quàm vt legatos adminiſtrationis Dominicæ, iuxta Marcum Eremitam l. de paradiſo *Sub initium.* Quod aliter dixit Chryſoſtomus homil. 22. in epiſtol. ad Rom. tractans illud *Benedicite perſequentibus vos, benedicite & nolite maledicere.* [Præmiorum procuratores ſunt, qui nos inſectantur.] Addit verò quod inſigniter ſoletur abſtinentem imprecationibus in calumniatorem, & cumulantem illum maledictionibus. [Si attentus fueris, aliam etiam præter iſtam tibi ipſi mercedem comparabis. Perſequutor ſiquidem mercedem tibi, quæ propter toleratam perſecutionem dabitur, procurabit. Tum verò illam, quæ ex eo eſt, quòd de illo benè loqueris, referes; magnum videlicet ſignum dilectionis eius quæ in Chriſtum eſt. Quemadmodùm enim qui perſequutori malè precatur, hoc ipſo declarat, quàm non vehementer gaudeat quòd pro Chriſto ita patitur: ita qui benè loquitur, multum erga Chriſtum amorem demonſtrat. Ne vituperes ergò inſectantem te, vt & tu maiorem recipias mercedem, & illum doceas quod alacritatis negotium iſtud tibi ſit, non coactionis; feſtiuæ iucunditatis, non calamitatis, aut triſtitiæ. Propterea & Chriſtus dicebat: *Gaudete, ſi quando dixerint omne malum verbum aduerſùs vos, mentientes.*]

Quæſtiuncula

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Liceátne contra calumniam ad diuinum iudicium prouocare.

FEcit hoc Sanctus Athanaſius, referente ſancto Epiphanio hær. 68 Nam cùm Conſtantinus Magnus, falſiloquiis quorundam Antiſtitum, etiam Catholicorum, qui pro ſancto Athanaſio contra Arianos alias ſteterant, inductus fuiſſet in fraudem, & perſuaſus quod ſanctus Athanaſius minatus eſſet ſe oſtiturum, ne frumentum pro more ex Ægypto Conſtantinopolim perueheretur; damnaſſet ſanctum Athanaſium inauditum, obſurdeſcens ad omnia quæ is pro ſe allegabat; iuſtè commotus Sanctus Athanaſius infracto animi robore, repoſuit. [Iudicabit Dominus inter me & te quoniam tu conſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ] Perilluſtre verò eſt exemplum Euſtachij lectoris de quo Palladius c. 141. Lauſiacæ. Is à filia presbyteri calumniam illati ſtupri paſſus, cùm ab Epiſcopo damnatus eſſet vt ſtuprator, filiam quidem calumniatricem pro vxore acceptam in parthenone vſque ad partus tempus incluſit; ipſe verò omni generi imbonitatis ſe dedidit in cella anguſta & ſordida, quam ſibi delegit, hæc Deum precatus cum cellam ſubiret. [Tu Domine meas actiones noſti, qui ſcis omnia quem nihil latet, neque eſt vllus locus occultus in quo quis ſe abſcondat à tuâ quæ omnia aſpicit poteſtate, qui vides omnia priuſquàm fiant. Tu ſolus vides profunda cogitationum, & omnis mentis conceptio à te cernitur, perinde ac ſi aſpicitur oculis. Tu cùm cogitatorum ſis acer examinator, perfectè iudicas. Tu es qui eos arguis qui appetuntur calumniis, cui nihil placet iniuſtum. Omne autem momentum ſtateræ iuſtitiæ, eſt à te ſemper, qui es lux ad quam non patet aditus, & omne opus hominis eſt coram te. Eſt ergo tui iuſti & immutabilis iudicij, ius quoque meum pronuntiare.] Audiuit Deus retra calumnia malignè grauatum Lectorem. Et cum dolores partus aduenissent, in felix calumniatrix adeò miſerè per nouem dies diſcruciata eſt, vt veritatem retegere ſit adacta, & innoxium pronuntiare quem calumniata erat Lectorem. Vnde Palladius grauiſſimè infert, quàm extimeſcenda ſit calumniæ irrogatio, quàm iuſtum Dei iudicium ab iniquè oppreſſo interpellatum, etiam in hac vita plectit, cumulaturum in tempore pœnas commeritas. Non rarò ſanè huiuſmodi prouocationes ad tribunal incorrupti Iudicis, morte ſubita aut condicta certò die excipi contigit. In quam rem inſigne exemplum recitat Ionas Abbas de Agreſtio Sancti Colombani calumniatore per ſanctum Euſtaſium ad diuinum iudicium citato, & ſubitò intra tempus illud vita functo vt eſt in Actis eiuſdem S. Euſtaſij cap. 6. Affine eſt, quod Rupertus Abbas Limpurgenſis ab Arnoldo Epiſcopo Spirenſi iniuſtè grauatus, denuntiauit ei in nomine Domini mortem ante annum exactum quæ conſecuta eſt, vt ſcribit Trithemius in Chron, Hirſaugienſi, cùm de præfectura Volmari Abbatis.

Ex his omnibus perſpicuum eſt, prouocationem ad diuinum iudicium per eum qui calumnia grauatur, & omni humano ſubſidio ad ſe tegendum vel purgandum deſtituitur, (etiam ſi non ſit homo compertæ ſanctitatis, ad quem fruſtra id reſtringit Torreblanca lib. 3. dæmonolog. cap. 28. num. 17) non eſſe per ſe loquendo illicitam. Neque ſanè aliud reuera eſt, quàm apprecatio, vt Deus aliquo prouidentiæ ſuæ aut iuſtitiæ vindicatiuæ opere, aperiat latentem veritatem, & oppreſſam innocentiam vindicet ac releuet. Qua in re nihil apparet vitioſum aut dedecens pietatem, vt ex

dictis ad quæſtiunc. 7. eſt manifeſtum. Et ita tradunt Cantipratanus lib. 2. Apũ cap. 35. Feuard in cap. 13 Eſther, Delrio lib. 4. Mag. c. 4. q. 6. ſect. 1. ac Lipſius in Monitis Politicis lib. 2. c. 11. qui multa exempla proferunt citationum ac prouocationum ad Dei iudicium, ab oppreſſis interpoſitarum, & celerem effectum ſortitarum, non ſine ſtupore tam exactæ Dei in afflictos prouidentiæ. Sicut autem prouocatio ad Deum iudicem circa alias oppreſſiones interpoſita, cùm omne aliud humanum ſubſidium deficeret, apud Deum rata, (quod euentus docuit,) atque adeò honeſta fuit; ita non eſt cur in oppreſſione per calumniam quæ aliter repelli nequeat, non poſſit eſſe huic remedio locus. Eſtque hæc via ſatis accommoda, ad continendos in officio, eos, qui facti vt neminem ſuper terram timeant, obſurdeſcunt ad clamorem pauperum. Exempla quæ Lipſius ſuprà collegit, magna ex parte ad huiuſmodi perſonas pertinent; nempè ad Clementem V. Philippum Pulchrum, Ferdinandum IV. quos ad Dei tribunal ad comparendum adegit. Addit Torreblanca lib. 3. dæmonologiæ c. 28. n. 10. & 11. exemplum Iudicis & Tabellionis Granatenſis, qui ab innoxio quem indefenſum oppreſſerant citati, eadem hebdomada perierunt. Ioannem Turſonem à Iudice iniquè oppreſſum, citaſſe Iudicem ad Dei tribunal, hunc verò miſerè vix obtruncato, corruiſſe ex equo exanimem, ſcribit Olaus lib. 4. hiſtor. Aquilonar. cap. 20. Claudo verbis ſancti Cypriani lib. de zelo & liuore. [Aliorum mors proficiat ad noſtram ſalutem, imprudentium pœna prouidentibus conferat ſanitatem.]

QVÆSTIVNCVLA IX.

An teneamur orare pro calumniantibus nos.

DVbitandi ratio ducitur ex illis Chriſti verbis Lucæ 6. *Orate pro calumniantibus vos.* Quibus verbis Chriſtus præter dilectionem & communia beneficia, impendi vult calumniatoribus preces, quibus vindictæ affectus à corde remoueantur. Nemo enim pro eo oret, cui iniuriam & debitum quod contrahit, nõ condonet? itaque oratio fuſa pro calumniatore, ſtirpitus eradicat voluntatem vindictæ, quam Deus tametſi vult ſibi relinqui, non tamen vult à nobis expeti, aut de ea diuinitus forte illata gaudium concipi, vt D. Auguſtinus affirmat in Pſal. 78. quamuis addat, fas eſſe gaudere de exercitio diuinæ iuſtitiæ, & inde reſultante proximi bono: quod habet quoque ſanctus Gregorius XXII. Moral. cap. 6. Videntur quidem aliquando Sancti, non modo non oraſſe pro ſuis calumniatoribus, ſed etiam eſſe illis imprecati mala, vt videre eſt apud ſanctum Auguſtinum ſerm. 39. de temp. qui allegat illa Pſal. 66. *Fiat menſa eorum coram ipſis in ſcandalum.* & illa ex cap. 6. Apocal. 6. quibus Martyres vindictam expoſcunt, & mala inferri petunt calumniatoribus ſuis. Verùm quod ad eas imprecationes attinet, ſanctus Auguſtinus, non animo imprecandi, ſed ſpiritu prophetico fuſas exiſtimat. Orationem verò Martyrum, ait ſpectare euerſionem regni peccati quod eſt in hominibus, nimirum vt idololatria euertatur, & tollantur peccata. Pro iis duntaxat calumniatoribus orandum eſſe negat B. Auguſtinus, qui ita calumniantur vt peccent ad mortem: quod faciunt, qui poſt agnitionem per gratiam Chriſti oppugnant fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam

Digitized by Google

gratiam qua recõciliati ſunt Deo, inuidiæ facinus agitantur: quale peccatum admiſit Alexander ille ærarius de quo expoſtulat ſanctus Paulus 2. Timot 4. Poſſe tamen pro his quoque calumniatoribus quamdiu ſuperſtites ſunt, fundi orationem, contendit Toletus in cap. 6. Lucæ annotat. 47. negatque id vetari 1. Ioan. 5. cùm dicitur *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis*. Senſus enim Ioannis duntaxat eſt, ſe quidem non ſpondere adeò facilem impetrationẽ pro peccante ad mortem, quàm promiſiſſet pro communia peccantibus; quamuis etiam pro peccantibus ad mortem, quamdiu ſuperſunt, & poſſunt reſipiſcere, fas ſit rogare. Plenius eum locum verſat idem Toletus in cap. 12. Lucæ annotat. 21.

His omnibus, ita ſuadetur conſultum eſſe orare pro calumniatoribus, vt tamen non præcipiatur, ſigillatim & in particulari Nefas quidem eſſet excludere calumniatores noſtros, ab oratione pro omnibus fuſa; quia officia communia nemini ſunt neganda, etiamſi calumniatori & hoſti, vt dicitur agendo de charitate. Nihil tamen eſt, quod per ſe loquendo, adigat & vrgeat ſub præcepto ad orandum in particulari pro calumniatore, quamuis id ſit fructuoſiſſimum conſilium: eoque citiùs pro ſeipſo exaudiendus ſit qui precatur, quò ardentius pro hoſte & calumniatore precatus fuerit, iuxta doctrinam S. Gregorij lib. 38. Moral c. 7.

CAPVT II.

De licita & illicita purgatione calumnia.

QVi calumnia grauatur, nitorem quandoque ſuum comprobare ſatagens adhibet certa media quibus ſe labis purum demonſtret. Eorum aliqua cenſentur legitima quæ donantur nomine *purgationis Canonicæ*, quia ſunt Canonibus & iuri Eccleſiaſtico conſentanea. Alia verò donantur nomine *purgationis vulgaris*, quia ex vulgi vſu inducta ſunt nec à iure probantur: imò aliqua expreſſè à iure improbantur. Feder. in Conſtit. Neopol. tit. 31. leges de eis teſtatur vulgò dictas *paribiles*, quòd per hæc media veritas pareret, ſiue appareret. De vtriſque his calumniæ purgationibus, dicendum eſt hoc capite; vt conſtet quando is qui calumnia grauatur, poſſit abſque labe, earum purgationum aliquam vſurpare.

QVÆSTIVNCVLA I.

Faſne ſit purgare calumniam interpoſito iuramento.

OMnino fas eſt, dũmodo adſint iuramenti liciti indiuiduæ comites; veritas, neceſſitas, reuerẽtia, Aſſumere enim cum illis conditionibus Deum in teſtem, vacat labe, imò eſt laude dignum & Deo honorificum. [Quid eſt iurare, niſi eius quem teſtaris fidei tuæ præſulem diuinam potentiam confiteri?] ait S. Ambroſius epiſtol. ad Valentinianum. Poteſt ergo abſque labe vſurpari iuramentum ad finem propoſitum. Omnis ſanè humanæ controuerſiæ finis eſt iuramentum; ex Apoſtolo Hebr. 6. Quidni igitur controuerſia de fama per calumniam violata, poſſit hoc modo finiri? Quæ generatim pro licito vſu iuramenti aſſertorij contra Valdenſes adducuntur ab Ebrardo lib. contra eos c. 14. huc aptari poſſunt. Et addenda ſunt quæ habent Caſtro V. *iuramentum* hæreſi 1. Valent. 2. 2. diſtinct. 6. quæſt. 7. puncto 3. Leſſius lib. de Iuſt. cap 42. num. 13. & Malderus 2. 2. tractat. 10. cap. 6. dub. 2. Exempla omni exceptione maiora vſurpatæ huius

ius purgationis,ſuppetũt quàm plurima.

Ac primùm quoad perſonas ſacras, etiam ſacerdotali & Epiſcopali honore inſignes lib. 5. Capitularium Reg. Franco cap. 34. poſt recenſitam longam & vbiuis gentium factam diſquiſitionem, circa modum purgandi calumniam ſacratali perſonæ impoſitam; deciditur vt exemplo Leonis Papæ, ſe purget à calumnia per iuramentum. Attingitur in ea re factum Leonis tertij, qui grauatus variis calumniis, cùm nullus eas probaret ne tamen maneret inexpurgatus, ipſe Pontifex coram Carolo Magno, & omnibus qui aderant Italiæ & Galliæ Epiſcopis, ac Comitatu immenſo, poſitis ſuper caput ſuum ſacris Euangeliis, in hæc verba iurans ſe purgauit. [Sic in die magni iudicij ſim particeps Euangelij, ſicut immunis ſum criminis falsò mihi ab iſtis obiecti.] Ita refert Monachus Sangall. in vita Caroli Magni. Sed in ordine Romano idem luculentius his verbis exprimitur. [Ego Leo Pontifex S. R. E. à nemine iudicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus, purgo me præſentibus vobis coram Deo & Angelis eius, qui conſcientiam nouit, & B. Petro Principe Apoſtolorum, in cuius conſpectu conſiſtimus; neque ſceleratas res quas mihi obiiciunt, perpetrâſſe; neque perpetrari iuſſiſſe; Deum teſtans, in cuius iudicium venturi ſumus & in cuius conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio non legibus vllis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem aut decretum in ſanctâ Eccleſiâ ſucceſſoribus meis & fratribus Coëpiſcopis imponere cupiens; ſed vt certiùs iniquis vos ſuſpicionibus liberem.] Pelagius Papa apud Anaſtaſium iurans, crucem & Euangelia capiti ſuo ſuperpoſuit. Aliorum Pontificum ſimiliter calumnias eluentium adhibito iuramento, exempla nonnulla annotat Pithæus in Onomaſtico ad Capitularia, V. *Purgatio.*

A laïcis eâdem purgationem ſæpè adhibitam conſtat. Et nominatim Hincmarus in cauſa Thetbergæ, approbat hanc purgationem Opuſc. de diuortio ad interrogat. 6. vbi diſertè ait, hanc purgationem Sacramenti (ſic enim appellari docet, quia in iuramento illud oculis fidei peruidetur, quod corporis oculis non conſpicitur;) & in Eccleſiaſticis & in externis legibus, vſitatiſſimam eſſe, & à primis ſeculis exortam. Cromerus item lib. 19. hiſtor. Polon. teſtatur, Sophiam Reginã de ſtupro inſimulatam, inter poſito per eam & ſeptem honeſtas ac nobiles fœminas iuramento, eſſe purgatam. Pro more enim de quo autor vitæ ſancti Eligij lib. 2. cap. 2. & multis exemplis illuſtrato à Ludouico Cerda in Aduerſ. ſacris c. 122. num. 14. Qui ſe iuramento purgabat, adhibebat quos vocabant *compurgatores*, id eſt amicos, qui iuramento interpoſito innocentiam & iiſdem primi iurantis, & calumniam paſſi, confirmabant. Idque eſt quod in iure aliquando memoratur nomine tertiæ, quartæ, aut quartædecimæ manus, vt videre eſt cap. *quoties* & cap. *inter ſollicitudines* de purgat. Canon. Hi enim compurgatores manu ſublata iuramentum concipiebant atteſtantes innocentiæ. Vnde illis verſus.

Pontificem parium manus expurget duodena:
Quinta ſacerdotem; leuitam tertia pœna.
Maior maiori, minor eſt adhibenda minori.

Agathenſe Concilium cap. *ſi legitimis* 2. quæſt. 5. hos pares, & compurgatores, vocat *ſocios eiuſdem ordinis.* Vides quid ſit quod Sophia Regina (vt referebam) ſeptem compurgatrices adhibuit, probâtibus id iurantium conſortium ſacris Canonibus. Quare de honeſtate huius purgationis (dummodo non deſint iurandi conditiones,) nulla poteſt eſſe controuerſia.

Digitized by Google

uerſia. Et perinde eſt ſiue iuramentum concipiatur ſuper crucem, ſiue ſuper Euangelia, ſiue ſuper Euchariſtiam, vt factũ eſt à duobus fratribus Aquiregienſis Ciuitatis, apud Victorem Vticenſem lib. 2. Permittamus verò Iuriſperitis, conſiderationem euentuum in quibus hæc purgatio deferri poteſt, & quandonam ſufficiens cenſeatur.

Illud potiùs attingendum eſt, an addi poſſit huic iuramento, execratio qua quis ſibi grande malum imprecetur ſi falſum iuret. Negat Annæus Robertus lib. 1. rerum iudicat. cap. 11. Sed contrarium eſt certum ex vſu Eccleſiæ, quæ in hunc modum concipi iuramentum præſcribit, *Sic me Deus adiuuet.* Quorum verborum ſenſus adæquatus, eam execrationem adiunctam habet, *Spolier Dei adiutorio, niſi res habet vt dico*, vt cum aliis bene notat Sanchez lib. 3. in decal. cap. 2. num. 38. Quid verò eſſe vitij poteſt in ea Dei vindicis aſſumptione in teſtem, qua continetur iuramentum execratorium, vt idem Sanchez explicauerat cap. 1. num. 5. Homo enim cum veritate, neceſſitate, ac reuerentia, Deum interpellat ad atteſtandum, vt ſuppono.

Quæstiuncula II.

Quid ſtatuendum de purgatione per crucem.

FVíſſe olim genus explorationis veri per Crucem, certum eſt, ex bene multis locis quæ ſignat Pithæus in Gloſſario ad Capitular. V. *Crucis examinatio*, ac nominatim ex lib. 3. Capitular. cap. 46. vbi dicitur. [Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere renuerit, campo vel cruce contendant.] Et lib. 5. cap. 125. vbi de periuro & eius accuſatore, [Stent ad Crucem, & ſi iurator vicerit, legem ſuam accuſator emendet.] Et eodem modo accipiendum eſt quod ibidem lib. 1. cap. 108. vetatur his verbis. [Sancitum eſt, vt nullus deinceps, quamlibet examinationem Crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio quæ eſt glorificatio, cuiuſlibet temeritate, contemptui habeatur.] Id enim non ad crucis ipſius explorationem, qualem aliquando per ignem factam conſtat, vt miraculo declararetur an eſſet legitima an ſuppoſititia iuxta decretum Concilij Cæſarauguſtani II. apud Baronium anno 596. vnde ſtropha de qua Matthiolus ad l. 5. Dioſc. c. 113. ſed ad explorationem veritatis innocentiæ, aut iuſtitiæ eſt referendum. Nam in ipſius Caroli Magni Teſtamento quod eſt apud Nauclerum, & eſt etiam à Pithæo editum, mandatur [vt ad declarationem rei dubiæ, iudicio Crucis, Dei voluntas & rerum veritas inquiratur. nec vnquam pro tali cauſa cuiuſlibet generis pugna, vel campus ad examinationem iudicetur.] Sermo ibi eſt de controuerſia propter terminos aut confinia regnorum, in qua conceditur iudicium Crucis, quod priuatis, in cauſis ordinariis negatur l. illo 1. c. 108. Similiter in Teſtamẽto Ludouici Pij mãdatur [vt ad declarationẽ rei dubiæ vexillo Crucis, Dei voluntas & rerum veritas inquiratur.] Et in Appẽdice 2. ad l. 4. Capitular. c. 33. dicitur, vt ſi Saxo obtendat ſibi ab aliquo illarum damnum, [& hoc contendere voluerit, in iudicio, aut in campo aut ad Crucem licentiam habeat.] Leges longobardorum 26. & 33. tit. *qualiter quis ſe defendere debeat*: te ſtente Cuiacio in l. 1. de Feud. tit. 1. huius probationis ac purgationis meminerunt, ſicut etiam Concilium apud Vermeriam c. 17. cùm mandat, vt coniuges de impotentia diſſidentes, [Exeant inde ad Crucem & ſi verum fuerit, ſeparentur.] Quare de veri exploratione & purgatione antiqua per crucem, res eſt explorata.

Cuiuſmodi verò fuerit ea purgatio, &

an nunc quoque ſit licita, ambiguum videri poteſt. Somniaſſe ſanè videtur Vitus Amerbachius Sectarius in Notis ad Conſtit. 34. Caroli Magni, cùm nequaquam refragante Godelmanno lib. 3. de Magis cap. 5. num.9 putauit huiuſmodi crucem fuiſſe quoddam genus armorum in crucis ſpeciem conformatorum. Sed & Torreblanca lib. 1. dæmonologiæ c. 23. num.26. putat Crucem fuiſſe genus armorum, non ad diſceptandum, ſed ad purgandum adductum. Hoc dico eſſe commentitium. Vſus enim armorum ad ſe purgandum abſque pugna, non apparet quis eſſe potuerit. Atqui ſuperiùs vidimus campum ſiue pugnam contradiſtingui iudicio Crucis. Imò in Teſtamento Caroli Magni prohibetur campus, & conceditur iudicium Crucis, diſerteque Ludouicus Pius mandat adhiberi *vexillum Crucis*, quod quis de aliquo armorum genere interpreterit.

Fortaſſis iudicium Crucis, aliud non fuit, quàm iuramentum contacta ſancta Cruce, aut iuramentum per Crucem, quale apud Moſchum cap. 116. oſtendebat, qui renuebat fratri reconciliari. Et eiuſdem iuramenti mentio eſt apud Nicetam Choniatem in Alexio Duca Murtzuflo n.4.verbis illis.[Qui Crucem Chriſti in humeros ſuſtuliſtis, perque eam & diuina oracula ſæpiùs iuraſtis.] Item Cedrenus in Conſtantino Leonis filio. [Miſſus eſt primarius ſacerdos Palatij, cum venerandis lignis: qui omnes in genua procumbere iuſſit, & iurare ſe vſque ad mortem perſeueraturos.] Et in Copronymo, refert iuramentum Anaſtaſij tenentis ſanctam Crucem. Videndus etiam Sigebertus in Chronico anno 770.Alia exempla habet Gretſerus lib. 2. de Cruce cap. 16. meritò eodem referens illud ex Actis Octauæ Synodi contra Photium, de Epiſcopis libellos propria ſubſcriptos ponentibus ſuper venerabilia ligna, id eſt ſuper ſanctam Crucem. Quamquam, quod in iiſdem Actis habetur, de præuaricatoribus propria chirographia tranſgreſſis, quæ fecerant præpoſita venerabili Cruce, referendum eſt ad prænotationem Crucis, propria adſcribentium manu in illis Chirographis factam, quandoquidem arguuntur *quod tranſgreſſi eſſent proprias Cruces*, id eſt ab ipſimet prænotatas & pictas Quod habent exempla apud Gretſerum lib. 2. cap. 19. & præmiſerat cap. 18. exempla de Cruce ſubnotata. Quod item factum liquet in Synodo apud Theodonis Villam, vbi Principes dicuntur inter ſubſcribendum, *ſingulas ſinguli feciſſe Cruces*. Sed hinc non excluditur iuramentum præterea factum, vel ſuper illã Crucẽ ſcriptam, vel ſuper particulã aliquam primæ Crucis cõtactu Chriſti ſanctificatæ, quod cenſebatur admodùm graue iuramentũ. Id enim iuramentum ab Epiſcopis illis præuaricatoribus fuiſſe emiſſum, eadem Acta Octauæ Synodi ſatis monſtrant, cum Epiſcopos illos vocant *Stauropatas* hoc eſt *Crucis conculcatores*, quo nomine donatur apud Zonaram Tomo 3. periurus Zoë Imperatrici Michaël Calaphates. Iudicium ergo per Crucem, & purgationem ad eam contactam vel præ entem, iam olim viguiſſe, diffiteri non licet; Fuiſſe autem eam purgationem labis expertem, dummodò reſecentur additamenta ſuperſtirioſa, nemo non videt & ſatis ſupra monſtratum eſt quæſtiunc. 1. Quòd ſi Carolus Magnus id genus purgationis & probationis auferre tentauit, extra litem de regni finibus; ratio fortaſſis fuit, ſanctus timor ne multi peierando perirent. Aut certè euentus aliquis ſupra naturam cum tentatione Dei expectabatur, qui meritò huius purgationis vſum reiici ſuaderet; quamuis non videtur Carolus euiciſſe quod intendebat, cùm poſtea quoque iudicium Crucis ſit vſurpatum. Ludouicus quidem III. recuſauit iuramentum per ſanctam

Crucem

Crucem laudi, quod Comeſtabilis Luxemburgius exigebat fidei datæ vadimonium, vt ſcribit Paulus Æmilius in Ludouico XI. Ea crux in Andenſi vrbe ſumma religione colebatur, eratque conſtans iam olim perſuaſio, nunquam ad eam Crucem perieratum impune, ſed ſemper periurum infeliciter mortuum eſſe antequàm annus effluerer. Rex ergo Ludouicus noluit ad eam Crucem iurare non quia id illicitum eſſet, ſed ob cauſas quas habebat perſpectas, nec noſtra refert exponere. Nobis ſatis in præſentia eſt, quod ex communi tunc ſenſu qui ſe ad eam Crucem purgabant, interponentes iuramentum ſyncerè & abſque dolo, erant innoxij & ab omni culpa immunes, vt & alij quilibet debitè ad eandem Crucem pro alia quauis cauſa iurantes.

Eſt tamen admodum veriſimile, *iudicium Crucis*, & purgationem per Crucem olim frequentem, continuiſſe ſortes ad Crucem, vt Delrio lib. 4. Mag. cap. 4. quæſt. 6. num. 2. & Gretſerus lib. 2. de Cruce cap. 21. docent ex legibus Friſonum tit. 14. §. 1. vbi quomodò hæc ſors Cruciata iacienda eſſet, minutè exponitur. Vnde ſicut purgatio per Monomachiam, à Longobardis tranſiit ad alias pleraſque nationes; ita etiam purgatio per iudicium ex ſortibus Sanctæ Crucis, tranſire ad alios potuit exemplo Friſonum. Fuit autem ea purgatio ſuperſtitioſa, & ab Eccleſia nequaquam probata; tanquam includens tentationem Dei, quippè poſtulans à Deo, & expectans effectum miraculoſum præter legem communem.

Tertium modum exponendi iudicium Crucis ſiue purgationem per Crucem qui videtur omnium appoſitiſſimus petere licet ex Marculpho Monacho formula 172. cuius titulus eſt *Notitia de Cruce euindicata*. Vbi quidam inſimulatus quod alienum fundum inuaſiſſet, decernente Iudice, iuſſus eſt per quadraginta duas noctes ſtare ad Crucem. Quod perficere ſtudens, ſed non vàlens, habitus eſt reus, mulctatuſque eſt pœna pecuniaria, inſuperque deiectione è poſſeſſione agri inuaſi qui euindicatur & eliidiatus Actori fuit, quia reus ad ipſam Crucem immotus ſtare non potuit, vt ferebant leges huius probationis, ſed ad Crucem cecidit, quod habitum eſt pro indicio cõpertæ inuaſionis fundi alienis Suppeditabit nonnulla ad huius probationis illuſtrationem Gretſerus lib. 2. de Cruce cap. 21. Hallucinatus verò eſt Lindebroggius in Gloſſario Veteri, legibus adiuncto, cum cenſuit, ad hoc Crucis iudicium pertinere quæ apud Bedam leguntur l. de remed. peccat. c. 4. &. 9. vbi periurus, in Cruce conſecrata, mulctatur annua pœnitentia. Eodemque refert quod Guibertus lib. 5. hiſtor. Hieroſol. refert, Podienſem Epiſcopum, præcepiſſe afferri Crucem, vt ſacramentum conciperetur & fieret verbis fides. Tandemque refert etiam ad hoc iudicium, quod in 8. Synodo, Stauropatæ quidam Epiſcopi, proprias Cruces aſpernati dicuntur. Nihil hæc omnia ad iudicium Crucis, ſiue probationem per Crucem, de qua hîc agimus. Nam duo priora ſpectant iuramentum ad crucem, ſiue contactam, ſiue præſentem præſtitum, & perfidè ac ſacrilegè violatum. Tertium verò ſpectat neglectum propriæ ſubſcriptionis, prænotata vel ſubnotata Cruce. Quæ omnia longè differunt à iudicio Crucis, ſiue à probatione & depulſione calumniæ, per ſtationem ad Crucem abſque caſu aut euerſione corporea eius qui fuiſſet inſimulatus alicuius noxæ.

***

Quæstiuncula III.

An purgatio per ſuſceptionem diuinæ Euchariſtiæ ſit legitima

NEgat Othomannus Sectarius Diſputatione de Feud. cap. 44. vocans *Furioſæ explorationis ſpeciem*; & probans; quia quod ad ſalutem inſtitutum eſt, non debet in execrationem ac perniciem verti. At vertitur in perniciem noxiorum, cùm ſumunt Euchariſtiam vt videantur innoxij. Hoc verò non eſt argumentari, ſed deſipere. Nam quis vrget adigitve noxios, vt ſumant Euchariſtiam, probaturi falsò ſuam innocentiam. Hoc illi ex ſua malitia faciunt. Itaque ſi ſumptio ſit illis in perniciem, non eſt culpa deferentis aut decernentis hanc purgationē ſed noxij male ſumentis. Sicut cùm impius quiſpiam ſumit Euchariſtiam in peccato mortali ſumit ſanè eam in ſuam perniciem: neque tamen Chriſtus qui ad ſalutem hoc Sacramentum inſtituit, in culpa eſt, ſed homo tantùm. Quare ſecluſa prohibitione humana, ac poteſtate facta, ab Eccleſiæ præſidibus. hanc calumniæ purgationem, poſſe eſſe honeſtam, pono extra dubium, contra Othomanicam nouationem furoris plenam, adperſus perantiquum Eccleſiæ vſum.

Eſſe enim probationis huius vſum iam olim receptum in Eccleſia, conſtat ex multis capitibus quæ collegit Gratianus 2. quæſt. 4. Accedunt exempla inſignia. Quem enim latet, quàm malè ceſſerit Lothario ſuſcepta de manu Adriani Papæ communio, ad ſuæ innocentiæ & non violatorum Nicolai Papæ mandatorum probationem? Videndus Sigebertus in Chron. anno 870. mox conſecuturam Lotharij & omnium qui eadem cum eo mala fide communicauerant, mortem deſcribens. E contrario ſanctus Gregorius VII. cum per calumnias ab Henrico Imperatore vexaretur, ſumptione Euchariſtiæ ſe purgauit, nihil idcirco damni paſſus, quia innocens erat: quod Henricus exemplum Lotharij veritus, renuit facere cùm à Gregorio vrgeretur, vt de probris quorum inſimulabatur, purgaret ſe ad eundem modum. Rem narrat diffusè & accuratè Lambertus ac ex eo Baronius anno 1077. Et benè renuit Henricus ſubire eam aleam, ſibi male conſcius, ea de quibus inſimulabatur, falsà probra non eſſe. Sibicho Spirenſis Epiſcopus, æquè ac Gregorius calumnioſe inſimulatus, purgauit ſe eodē modo: & quia innocens erat, illæſus abiit, vt ſcribit Krantzius lib. 4. Saxon. cap. 43. Eulalius Aruernis iubente Epiſcopo Quintiano, purgauit ſe ſuſceptione Euchariſtiæ, vt ſcribit Gregor. Turon. lib. 10. hiſtor. cap. 8. In Concilio Remenſi, Goffredus Monachus de Epiſcopi cæde falsò accuſatus, purgauit ſe hoc ipſo medio, quod ibi dicitur eſſe *ſolum verius & terribilius genus* purgationis calumniæ. Conſentiunt in huius purgationis honeſtate agnoſcenda DD. ad cap. *ſæpè* 2. quæſt. 5. vbi ex Concilio Vormatienſi cap. 15. Abbas furtum in Monaſterio admiſſum explorare iubetur, porrecta Monachis *in probationem*, Euchariſtia. Subſcribunt item Delrio 4. Mag. cap. 4. q. 3. ſect. 2. Suarez l. de irreligioſit. cap. 3. *in fine* Sanchez lib. 2. in decal. cap. 34. num. 13. qui rectè obſeruant. hanc purgationem nunquam fuiſſe decretam, vel adhibitam ad aliquam oſtenſionem miraculoſam; expectando ſcilicet vel poſtulando vt Deus per miraculum aliquod, veritatem occultam detegeret, quod fuiſſet tentare Deum, & intrinſecè malum decretum igitur aliquando eſt vel vſurpata hæc purgatio, ſolum in teſtimonium & quaſi iuramentum innocentiæ.

Ritum

Ritum & formam huius probationis, iuuat adſcribere ex Trithemio in Chron. Hirſaugięſi cùm de Volmaro Abbate, qui præeſſe cœpit anno 1121. Narrat ibi Trithemius, Rupertum Limpurgenſem Abbatem, grauatum ſuorum calumniis, quaſi reuelationem confinxiſſet, vt arctiſſimam abſtinentiam induceret, vrgente Arnoldo Spitenſi Epiſcopo, & probationem per corporis Chriſti perceptionem indicente; ante perceptionem iuraſſe in hac verba; ab Epiſcopo de conſilio Prælatorum & aliorum præſcripta. [Ego Rupertus Dei gratia Limpurgenſis Eccleſiæ Abbas, dico, affirmo, & iuro, coram omnipotente Deo, omnibus ſanctis eius, & vobis Domine Epiſcope Arnolde in animam meam, ſuper hoc corpus & ſanguinem Domini noſtri IESV CHRISTI verum, quod natum eſt ex Virgine Maria, paſſum & immolatum in ara Crucis pro nobis; quod reuelationes iſtæ quas ſcripſi, in parte, & in toto, non ſunt fictæ, non falſæ, non phantaſticæ, non Diabolicæ, non excogitatæ ab homine, non deceptoriæ, neque per humanam induſtriam adinuentæ; ſed mihi diuinitùs reuelatæ, veræ, ſobriæ, Angelicæ, & diuinæ. Sic me Deus, & hoc corpus Domini noſtri IESV CHRISTI quod in manibus meis teneo, nunc & in extrema hora mortis meæ, ac nouiſſimo die iudicij, adiuuet, ſaluet & ſuſcipiat. Et ſi aliter eſt quàm dixi, & iuraui, tunc hoc Domini noſtri IESV CHRISTI venerabile corpus, non pertranſeat guttur meum, ſed hæreat in faucibus meis, ſtrangulet me, ſuffocet me, ac interficiat me ſtatim in momento, & non ſit mihi locus in cœlo cum electis Dei, ſed ſit mihi portio cum Dathan & Abiron in inferno, & cum Iuda traditore, cum Herode & Pilato qui Dominum crucifixerunt, & cum Diabolo & Angelis eius in centro gehennæ, ſtatim abhinc, nunc & ſemper, ſine fine in æternum Amen.] Hactenus feralis formula concepti ab Ruperto iuramenti. Subiunxit verò Epiſcopus qui ſacrificabat, & Euchariſtiam Abbati in manum præbuerat. [Si ea quæ coram nobis lecta ſunt, non ſunt tibi veraciter à Deo reuelata, ſed ſunt vel per te, vel per alium, humanitus adinuenta, conficta, falſa, Diabolica, ſubdola, ſeu phantaſtica, non proueniat tibi hoc corpus Domini noſtri IESV CHRISTI ad ſalutem, nec tranſeat guttur tuum, ſed faciat in te iudicium, & mox interficiat te: & ſis autoritate Dei Omnipotentis & noſtra, Satanæ traditus in interitum corporis & animæ in ſempiternum, in experimentum veritatis, vt diſcant omnes, tuo interitu præmoniti, non illudere vel decipere ſanctam Eccleſiam Dei.] Reſpondit Abbas, intrepidè; *Amen*, & ſumpto abſque difficultate corpore Dominico, aſtruxit reuelationis quam produxerat veritatem; non abſque conſecuta in Epiſcopum vltione, cùm poſt menſes aliquot iteratò idem iuramentum repoſceret, & circa veritatem illius reuelationis vacillaret. Hæc narratio, vſum priſcum & modum huius probationis, manifeſtè proponit.

Nunc tamen hæc purgatio calumniæ non eſt in vſu, cenſeturque iure Eccleſiaſtico prohibita, vt notat Gretſerus l. 2. de Cruce c. 21. *in fine*, non quidem iure ſpeciali quo nominatim ſit interdictum hac purgatione, ſed iure generali lato cap. *ex tuarum* de purgat. Cano. vbi peregrina iudicia prohibentur. Adduci etiam poſſunt iura vetantia dari Euchariſtiam ſuſpectis: vt caput *dilecti* de purgat. Cano. & cap. *tribus* de conſecrat. diſtinct. 2. Atqui quoties duo confligunt, & vnus ſe innoxium aſſerit, alter negat, alteruter ſuſpectus eſt. Imminet ergo periculum irreuerentiæ, diuiniſſimi Sacramenti, ſi porrigatur ad diremptionem illius controuerſiæ, & maculæ impactæ

Digitized by Google

purgationem. Quid quòd difficile foret multos dedocere ne tentarent Deum, vſurpando hoc medium patefaciendi innocentiam? Facilè enim expectarent aut peterent miraculoſum aliquem effectum ad veritatis patefactionem: in quem finem communicantes, improbantur à D. Thoma 3. part. quæſt. 80. artic. 6. ad 3. & à Sayro in Claui Regia l. 4. c. 7. *in fine*, necnon à Valentia 2. 2. d. 6. quæſt. 14. puncto 1. *in fine*. Experientia porrò docuit, Deum non ſemper, impudenter communicantes ad purgationem culpæ cuius verè rei erant, miraculoſo effectu vltum eſſe, vt præter cætera docet exemplum Andronici apud Nicetam Choniatem ſub finem geſtorum Manuelis Comneni. Propter has ergo cauſas, hæc purgatio quamuis intrinſecè honeſta, & olim cum laude vſurpata, deſiit nunc eſſe in vſu. Et videtur eam iam olim improbaſſe Rex Francorum Robertus, ſcribens ad Leuthericum Senonenſem Hæreticum, prouocantem ad hanc probarionem, vt Helgaldus refert in Optimi Regis vita. Quanquam argumentum quo Rex vtebatur, non erat validum. Ex eo enim quod in formula probationis dicatur, *Si dignus es accipe*, infert Rex, cùm nullus ſit qui habeatur dignus probationem illam eſſe reſpuendam. Sed ea ratio nimis probaret, vt notum eſt.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Num purgatio calumniæ per Monomachiam, labe vacet.

HAnc purgationem conſtat fuiſſe olim frequentiſſimam, cùm apud Orientales, tum apud Occidentales. Nam Pachymeres l. 1. hiſtor. teſtatur, apud Imperatores Orientis fuiſſe vetuſti moris, vt qui dubij criminis rei eſſent, duello decertarent. Apud Occidentales verò nihil crebrius in Gallicanis Annalibus, & in hiſtoriis Longobardorum, ac Germanorum. Sub Guntranno Rege Curator ſaltuarius, cùm criminaretur bubalum in ſaltu cæſum ab vno quodam è Regiis Cubiculariis, iſte innocentiam ſuam duello aſſeruit, decernente Rege. Idem factum decernente Senatu Pariſienſi, cum Iacobus le Gris Carolo ſexto regnante, argueretur violatæ per vim vxoris Ioannis Carronges, quam eſſe calumniam contendebat Ioannes. In Belgio Ioannes Eſtinnenſis ſenex, iam ſeprennis clinicus ex paralyſi, iuſſu Deiparæ ad duellum prouocauit impium Iudæum, qui imaginem ſacram violarat, & accuſatus calumniam ſibi impingi querebatur. Sed Iudæus tametſi valentiſſimus, à ſene clinico reuictus nequitiæ eſt in eo duello. Sunt aliæ de hac purgatione innumeræ narrationes, in quibus cùm per ætatem, aut ſexum, aliaſve ob cauſas, is qui calumnia grauabatur non poſſet in campum prodire per ſeipſum, ſubmittebat ſuffectum quem vocabant *campionem datum*. Nam in legibus Longobardicis nihil aliud fuiſſe *dare campionem*, quàm duellare per tertium, notat Alciatus l. de ſingul. certam. cap. 35. Et abſolutè *Campionem* idem eſſe cum Vicario ad pugnam, multis monſtrat Hotomanus diſput. de Feudis cap. 45. & in Dictionario Feudali V. *Campio*.

Fateor hanc purgationem olim fuiſſe receptiſſimam. Fiebat autem non armis adhibitis, ſed fuſte ſeu baculo; nec ſpinoſo, nec cum aguſonibus, nec habente cornua, nec ex parte fuſtis ad modum vnguis, ſed æquali (vt denique ſanxit Feder. 2. in legg. Neapol. l. 2. titul. 37.) & ſcuto item ligneo. Sic enim l. 4. Capitular. cap. 23. decernitur vt ex vtraque contendentium parte, vnus aſſumatur [qui cum ſcutis & fuſtibus in campo decertent, vtra pars falſitatem vltra veritatem ſuo teſtimonio ſequatur.] Et ibidem

dem cap. 39. ſtatuitur, vt homini libero qui furti inſimuletur, liceat contra vnum ex accuſatoribus, cum ſcuto & fuſte in campo contendere. Eorumque armorum eſt mentio in duello condito inter campiones Henrici Vicecomitis Toarcij & Theodorici Abbatis S. Albini. Itémque in duello miſſi Stephani Comitis Engolimenſis, & Gulielmi pro malefica pugnantis, vt eam aſſereret labis puram, & falsò maleficij infamatam. Sed Gulielmus male mulctatus eſt, & ſuo nimiùm ſanguine coopertus, vt habetur in hiſtoria Comitum Engoliſmenſium, cum de Gulielmo Comite Arnaldi filio. Ex quo liquet, fruſtra pugnam duellantium ad id genus armorum reſtrictam eſſe, perinde ac ſi incruenta eſſet. Quo deliræ excuſationis genere, vſus Gallicanus Antiſtes apud Tilium, prodibat in aciem fuſte duntaxat armatus, ne legem Canonicam de pugna cruenta ſacris hominibus vetita infregiſſe videretur. Immenſi ſunt in omnibus antiquæ huius purgationis adiunctis exponendis, Iuretus ad Iuonis epiſtolam 168. Hotomanus in diſputat. de Feudis cap. 45. Alciatus l. de ſingul. certam, Picardus ad epiſtolam 39. S. Bernardi, Rouerius ad hiſtoriam ſuam S. Ioannis Reomaënſis not. 214. pag. 665. Quæ eſſent *veſtes vermicle*, quibuſcum ineundum eſſe pugnam edicebat Berthoaldus in Appendice ad Hiſtoriam Francorum Gregorij Turonenſis, num. 25. adhuc quæro.

Nihilominus hæc calumniæ purgatio, autoritate Eccleſiæ ſemper fuit improbata, vt liquet ex cap. *Monomachiam* 2. quæſt. 5. & ex cap. 1. & 2. de purgat. vulgar. Fusè quoque hanc probationem veri exagitat S. Agobardus, cùm in opuſculo de hoc argumento tum in Epiſtola ad Ludouicum Imperatorem pro abrogatione legis à Gundebado Burgundionum Rege Ariano latæ de veritate exquirenda, & calumnia purganda per duellum. Facta eſt ea abrogatio, & quidem ſeueriſſimè in Concilio Valentino anno 855. Ratio autem præcipua exagitandi hanc purgationem, eſt periculum animarum ex cæde in duello patrata; quo maximè ſpectauit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. c. 19. de reformat. generaliter, atque adeò in hoc etiam euentu, & ad hunc finem, conditum duellum damnans. De hac duelli labe & variis eius adiunctis, actum pleniſſimè l. 5. de virtut. ſect. 3. cap. 3. Accedit peculiare duelli in hunc finem initi probrum, nempe quòd ſordet tentatione Dei. Qui enim aſſumit duellum ad purgationem calumniæ, ſaltem virtualiter petit à Deo auxilium peculiare, vi cuius is pro quo ſtat veritas, victor euadat; alioqui nulla eſſet in duello proportio ad veritatem detegendam & purgandum innoxium. At ea petitio auxilij indebiti, & ſupra leges à Deo latas concupiti, eſt tentatio Dei, per ſe & antecedenter ad humanam prohibitionem illicita. Vnde non eſt mirum, ſi in pœna huius peccati, ſæpè contingit innoxium in duello ſuccumbere, & noxium vincere, vt traditur cap. 2. de purgat. vulg. & notat cum aliis Delrio 4. Magic. cap. 4. quæſt. 4 ſect. 2. & diſertè Luitprandus Rex verbis illis. [Incerti ſumus de iudicio Dei; & multos audiuimus per pugnam ſine iuſta cauſa ſuam cauſam perdere: ſed propter conſuetudinem gentis noſtræ, Longobardorum legem impiam vetare non poſſumus.]

*

QVÆSTIVNC

Q V Æ S T I V N C V L A V.

Faſne ſit ad calumniæ purgationem, pyram ſubire, aut prunas vel ferrum cadens contrectare manibus, aut pedibus calcare.

VSi ſunt ſunt his calumniæ purgationi us varij, & plerunque felici euentu; nimirum neque ambuſti contrectando vel calcando, neque læſi ab igne per illud incedendo. Petrum Maſſilienſem Presbyterum, cùm Antiochiæ inſimulatus eſſet hæreſeos; ad ſuæ innocentiæ confirmationem ipſa die Paraſceues, prehenſa lancea Chriſti per pyram per incenſiſſimam tranſiſſe illæſum ſcribit Paulus Æmil. l. 4. hiſtor. Franco. Richarda Imperatrix Caroli craſſi vxor labem adulterij falsò impactam, impunè prehenſo candente ferro eluit, ſin minus apud maritum, & apud quoſcunque prudentes vt l. 4. Annal. Boior. ſcribit Auentinus. De Emma Angliæ Regina ignitos vomeres calcante citra noxam, ad conteſtationem pudicitiæ falsò maculatæ, videndus Polydorus l. 8. hiſtor. Anglo. De S. Cunegunde, notiſſima eſt hiſtoria, ſiue vomeres calcauerit, ſiue ferrum candens prehenderit, ſiue vtrumque præſtiterit. Nam alterutro modo à variis recitatur ea narratio. Accuſatum interfecti Presbyteri per 12. vomeres ſe purgare iubetur in Concilio Mogunt. & ex eo in Pœnitent. Rom. tit. 1. cap. 1. inſimulatos immiſſi incendij nonnullos, eadem ferri candentis contrectatione abſque noxa purgaſſe calumniam, autor eſt Cæſarius l. 10. miracul. cap. 35. S. Brictius Turonenſis Antiſtes, innocentiam ſuam ab impacta illuuie probaturus, byrrum ſuum carbonibus illæſum exhibuit. Idem factum à S. Simplicio eiuſdem ſedis Epiſcopo, & ab eius vxore Virgine, vt narrat Gregorius Turon. de glor. Confeſſ. cap. 76. Quendam incendij inſimulatum, geſtato abſque læſione ferro candente, purgaſſe accuſationem; idem verò ferrum poſt annum à quopiam attrectatum, illius manum ambuſſiſſe, & idcirco incendij reum habitum eſſe, ſcribunt Krantzius l. 8. Vandal. c. 3. & Trithemius in Chronico cap. 22. ac Cæſarius lib. 10 cap. 36. De pio Monacho innoxia prunarum attrectatione purgante impudicitiæ calumniam, luculentam hiſtoriam narrat Leontius in Actis ſancti Ioannis Eleemoſynarij. In cauſa Patris Ioannis Hieronymi de turpitudine per calumniam accuſati tertium quendam è noſtris admouiſſe lucernæ digitum, vt fidem eius innocentiæ faceret nec fuiſſe læſum, habent Annales Domus Hiſpal. anno 1605. Quis credat etiam inter Ethnicos hæc viguiſſe? Sanè in Sophoclis Antigona vt memorat S. Cyrillus l. 10. in Iulianum *ferè in fine*, cuſtodes corporis Polynicis, calumniam negligentiæ paſſi, offerunt ſe ad purgationem, per iuſiurandum, ingreſſum intra pyram, & & ferri candentis contrectationem. Ibi vetus Interpres luculenter. Iapones ex priſco vſu ſolitos attrectatione ferri candentis probare innocentiam, & ad eum vſum adactum pium Chriſtianum, inuocato vero Deo ſe purgaſſe eo modo à calumnia, & illæſum fuiſſe ſcribit Trigaultius in triumphis martyrum Iapon. l. 1. cap. 25. Ipſos Ethnicos apud Malabares eam probationem adhibere, & aliquando Deo atteſtante veritati innocentes non lædi à ferro candente ſcribit Franciſcus Barretus.

Ritus quo olim ferrum candens præſcribebatur ad purgationem, his verbis refertur in formula S. Dunſtani. [Incipit adiuratio ferri. In ſimplo vnum pondus, in triplo tria ferrum æquiparet pondera. Et in illa adiuratione, non adſint niſi ieiuni. Et dictis hymnis, ſacerdos in loco vbi ferrum accenditur, adiurationem initiando

Digitized by Google

initiando inchoet.] Subditur ibidem triplex oratio ſuper ferrum. Tum ſubditur. [His peractis, aqua benedicta cunctis aſtantibus detur ad deguſtandum, & aſpergatur per totam domum, & ferrum proferatur, quod à culpato coram omnibus accipiatur, & per menſuram nouem pedum portetur, manus ſigilletur, ſub ſigillo ſeruetur, & poſt tres noctes aperiatur: & ſi mundus eſt, Deo gratuletur; ſi autem inſanies crudeſcens in veſtigio ferri, inueniatur culpabilis & immundus reputetur.] Quod initio dicitur de ſimplo & triplo, accipiendum eſt de crimine leuiore & teterriore, ad quæ ſimpla vel tripla probatio ſit accommodanda, vt in eadem formula dicitur, cum de probatione per aquam feruentem. Recluſio manus dicitur facienda poſt tres noctes, ex vſu Francorum, numerandi non per dies ſed per noctes, vt alibi notatum eſt. Negari non debet quin aliquando contigerit ferrum candens huiuſmodi ritu admotum, non ambuſſiſſe eum cui admouebatur.

Hæc quamuis ita ſe habuerint perſæpè, (non enim ſemper innocentes hoc medio ſunt deprehenſi, quia aliquando ignis in eos quoque vim ſuam exeruit:) tamen de honeſtate huius purgationis aliter nunc pronuntiandum eſt, quàm olim multi pronuntiarint. Olim ſiquidem præſertim ob prædictos euentus miraculoſos, hæc purgatio non modò habebatur honeſta, ſed etiam Chriſtianis congruentiſſima. Id quod tamen Iuo Carnotenſis epiſtol. 251. & 254. reſtringit ad euentum in quo præceſſerit ordinaria in tribunalibus accuſatio, & deficientibus aliis humanis ad veritatem eruendam ſubſidiis, aliud innocentiæ perfugium non ſuperſit. Tunc enim planè cenſet fas eſſe ad hanc purgationem confugere, ſaltem in cauſis laïcorum. Nam epiſtol. 91. & 251. ablegat hoc medium à cauſis Eccleſiaſticorum. Sic igitur olim res habuit, de quo plura Antonius Auguſtinus in Notis ad Pœnitent. Roman. titul. 1. cap. 1.

At poſtea (etiam ante Iuonem Carnotenſem,) hæc purgatio reprobata eſt in Eccleſia, tanquam continens tentationem Dei, atque adeò per ſe mala. Ita S. Gregorius vt refertur cap. *Mennam* 2. quæſt. 5. Quanquam ſitne S. Gregorij quod tanquam D. Gregorij ibi à Gratiano adducitur, meritò in dubium reuocat Delrio 4. Mag. cap. 4. quæſt. 4. ſect. 3. *ſub finem*. Diſertiſſimè verò probauit eam purgationem Stephanus V. adductus cap. *conſuluiſti* 2. q. 5. & allegatus quoque ac comprobatus ab Alexandro III. in Epiſtola ad Archiepiſcoqum Vpſallenſem eiuſque ſuffraganeos Gotthiæ Epiſcopos. Damnauerat quoque hanc purgationem Alexander II. adductus ex parte c. *Super cauſa* 2. quæſt. 5. cuius reſcripti plagula videtur attexta capiti *Mennam* 2. q. 5. quod ex Diuo Gregorio deſumptum eſt. Præterea Honor. III. cap. *dilecti filij* de vulg. purgat. hoc ipſum iudicium, id eſt hanc purgationem reiiciendam decernit. Et ratio in his iuribus ſæpè redditur, quòd hoc ſit diſſentaneum ab vſu Patrum, contineátque Dei tentationem, expoſcendo ab eo miraculum abſque neceſſitate, cùm ad communis bonis tuitionem ſatis eſſe poſſint media ſtatura à iure, per teſtium idoneorum & aliorum humanorum argumentorum allegationem. Apud Georgium Logothetam in Chronico Conſtantinopolitano reus cùm adigeretur à Michaële Comneno vt purgaret ſe contacto ferro candenti, planè recuſauit eam purgationem offerens ſe ad purgationem per pugnam. Reſpuit autem purgationem per globum ignitum (ſic enim ibi vocatur,) dicens ſe non eſſe præſtigiatorem. Metropolita autem vrgente ad probationem ferri, reſpondit reus; Indue ergo tu ſacram ſtolam & ferrum accenſum manibus meis

Digitized by Google

impône. Sed renuente Metropolita, id non Romanis ſed Barbaricis legibus factitari, dimiſſa eſt talis probatio, qua teus benè contendebat, fruſtra & cum tentatione Dei poſtulari miraculum, quæ eſt (vt vidiſti) doctrina Canonum. Subſcribunt huic doctrinæ communiter Iuriſperiti ad capita allegata, & Theologi cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 95. articul. 8. ad 3. & 3. part. quæſt. 80. articul. 6. *ad tertium*, Suarez l. de irreligioſit. cap. 3. num. 8. Val. 2. 2. diſt. 6. quæſt. 14. part. 1. Leſſius l. de Iuſtit. cap. 45. dub. 1. num. 3. Ex Moralibus Sanchez l. 2. in decalog. cap. 34. n. 12. Sayrus in clavi l. 4. cap. 7. *in fine*, poſt autores Mallei malefic. part. 3. quæſt. 17. In S. Agobardi opere contra Monomachiam, etiamſi ſemel vnico verbo improbatur hæc abuſio, tamen nullam ſpecialem eius exagitationem deprehendo, contra quàm præfert titulus Opuſculi.

Nec obiici poteſt diuinum ſuffragium, quo ſæpè contigit innoxios hac ratione deregi. Nam tametſi verum eſt, Deum aliquando patrocinatum eſſe innocentiæ, vt manifeſtum fuit in exemplis initio adductis; tamen tunc ita tulit beneplacitum Dei, ſiue ad innocentis liberationem, ſiue quia ſpeciali inſtinctu propulerat ad vſurpationem huius medij, vt veritas eluceret & calumnia reuinceretur. Perſæpè tamen ſuccubuit innocentia adhibito hoc medio. Vnde Iuo Carnot. epiſtol. 74. agens de milite adulterij inſimulato, qui purgare ſe voluerat contactu ferri candentis & ambuſtus fuerat, reſpondet in hæc verba. [Cauterium (id eſt ambuſtio) militis nullum tibi certum præbet argumentum, cùm per examinationem ferri candentis, occulto Dei iudicio, multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes ſæpè damnatos. Præterea cùm talis examinatio ſit in Deum tentatio, non eſt mirum ſi diuino iudicio deſeritur, cùm incautè & ſine iudiciali ſententia ab aliquo ſuſcipitur.] Innuit quòd ex eius expreſſionibus locis ſupra retulimus, de honeſtate huius purgationis per Iudicem indictæ in cauſa Laïci, cùm omnia alia veritatis competiendæ media deficiunt. Verùm ſi *hæc* eſt tentatio Dei, vt Iuo admittit, quis Iudex poteſt decernere vt adhibeatur? Nam tentatio Dei eſt aliquid intrinſecè malum, & diſpoſitioni humanæ ſubductum, in quacunque cauſa: in quo etiam inconſequenter loquitur Iuo, concedens vſum huius medij tantùm in cauſa Laïca, cùm tamen omnia ſint paria quoad cauſam Eccleſiaſticam.

Vt vt verò iſta apud Iuonem cohæreant, nobis in præſentia ſatis eſt, agnoſci ab eo fallaciam huius purgationis, nec ſemper innocentem feliciter vſum eſſe hoc medio. Et è contrario perſona noxia, fœliciter hac probatione vſa legitur. Scribunt enim Nider & Sprengerus parte 3. Mallei quæſt. 17. *in fine*, famoſam maleficam in dominio Comitum de Furſtemberg, prouocantem ad purgationem ferri candentis, cùm adiudicata eſſet ad illud per tres duntaxat paſſus geſtandum, per ſex paſſus geſtaſſe indemnem, & ad vlteriùs geſtandum ſe obtuliſſe, cùm tamen certò eſſet noxia. Vide etiam Cæſarium l. 10. cap. 35. Aliud in hanc rem inſigne exemplum legitur apud Cantacuſenum l. 3. hiſtor. cap. 27. quem exſcripſit Bzouius anno 1341. num. 19. Eſt igitur, hoc remedium, fallax. Alia porro fuit ratio purgationis Numer. 5. præſcriptæ ad explorationem adulterij. Nam ea purgatio cùm eſſet à Deo ipſo indicta, erat certa per ſtabile & iuge miraculum in tali euentu. Circa vſum autem purgationis de qua agimus, nulla extat diuina inſtitutio, aut vniuerſalis approbatio, vt per ſe liquet ex antedictis, & fuſiùs proſequitur Crespetius l. 4. de immortalitat. animæ diſcurſu 6. digreſſ. 2. Conſultò prætermiſi exempla varia ignis

exploratorij,

exploratorij, miraculo roborata, quæ congeſſit Roſuedius l. de fide hæret. ſeru. cap. 12. Cur autem prætereunda duxerim, ratio eſt quia non ſpectant calumniam.

QVÆSTIVNCVLA VI.

An purgatio calumniæ per aquam feruentem, ſit improbanda.

AGnoſcit hoc (vt vocabant,) iudicium, ſiue hanc purgationem labis falsò impactæ vacare vitio, Hincmarus Opuſcul. de diuortio ad interrogat. *6.* & fuit plurimorum praxis. Sicut enim aliqui ferrum candens manu prehendebant ad purgationem, ita alij aquæ feruentiſſimæ immittebant manum, vel etiam brachij magnam partem. Quòd ſi illæſi abirent, habebantur innoxij; ſin minùs ſuccumbebant. Priuſquam verò manus aquæ immitteretur, præibat multiplex oratio ſuper purgandum hoc medio, eiúſque ad ſacram Euchariſtiam admotio, ac multiplex aquæ calefaciendæ exorciſmus, tandémque feruefactio aquæ, & manus in eam immiſſio ad certam menſuram, quam funiculo & lapide ei appenſo dimetiebantur. In ritu S. Dunſtani ſic habetur. [Accipiat homo in aqua feruente lapidem qui per funem ſuſpendatur in ſimpla probatione per menſuram palmæ, in tripla autem, vnius vlnæ] Extractam deinde manum inuoluebant, & ſigillo publico obſignatam per triduum ſeruabant, vt ſi quæ fraus aut magica opera interueniſſet, intra illud tempus euaneſceret, iuxta præmiſſa circa purgationem contacto ferro candenti. Patent hæc omnia partim ex l. 4. Annal. Boior. vbi forma ritualis aquam calefaciendam initiandi recitatur: partim ex Iureto ad calcem Epiſtolarum Iuonis Carnotenſis, pleráque ex antiquis formulis exorciſmorum in eam rem deſcribente, quæ acumulauit & aliunde quoque locupletata retulit Delrio l. 4. Mag. cap. 4. quæſt. 4. ſect. 4. Et alia habet Pithæus in Gloſſario ad Capitularia V. *Aqua indicia.*

Quamuis autem is fuerit vſus antiquus, tamen Eccleſia hanc purgationem reprobauit, vt conſtat ex decreto Stephani V. quod Alexander III. Epiſtola ad Archiepiſcopum Vpſallenſem firmauit. [Aquæ feruentis (inquit Stephanus) examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent canones. Et quod SS. Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum.] Ratio cur hæc purgatio calumniæ ſit reprobata, eadem eſt cum illa quam proximè aſſignabamus, circa purgationem per ferrum candens: nimirum quòd hæc ſit quædam Dei tentatio, quæ pio homini meritò eſt auerſanda. Et hîc quoque verum eſt, olim pleroſque non fuiſſe læſos ab aqua feruente. Sed illud extrordinarium Dei opus, repenſum ſimplicitati ſanctæ, ac bonæ fidei ex qua hæc purgatio ſuſcipiebatur, non eſt trahendum ad confirmationem honeſtatis talis medij, cùm deeſt ſpecialis Dei inſtinctus, vt in ſimili diximus circa ferrum candens, impune aliquando attrectatum perſpicuo miraculo. Affinis eſt huic probationi, & æquè reprobanda, ea qua præter cæteras vti Malabares ſcribit Franciſcus Barretus in relatione de rebus Malabaricis. Ait enim vſu apud eam gentem fuiſſe receptum, brachium nudum in feruentis olei dolium immittere ad veritatis aſſertionem & criminis impacti purgationem.

***

Digitized by Google

QVÆSTIVNCVLA VII.

Num purgatio per aquam frigidam, licita ſit & admittenda.

EXponendum imprimis eſt, cuiuſmodi eſſet hæc purgatio. Cenſuit Delrio 4. Mag. cap. 4. quæſt. 4. c. 4. hanc purgationem fuiſſe duplicem, nempe & per immerſionem perſonæ innoxiæ, & per immiſſionem manus in aquam frigidam, cui Deus vim adurendi æquè tribueret atque aquæ feruenti: quod confirmat ex Actis S. Gangulphi, qui vxorem mœcham iuſſit manum immittere fonti gelido, vnde educta eſt ambuſta & cute nudata. In ea item contentione quæ Ludouico Regi & Carolo Craſſo patruo interceſſit circa regni fines, Ludouicus vt ſuam iuſtitiam conteſtaretur, ſubmiſit decem homines cum aqua calida, & totidem cum frigida, ac etiam decem cum ferro candenti: iubens eos experiri iudicio, adhibitis his mediis ad veritatem patefaciendam. Et cùm illæſi euaſiſſent, ac nihilominus Carolus pertinax eſſet in iniuriæ irrogatione, ad arma ſe conuertit felici ſucceſſu. Rem narrat ex Aimoino Baronius anno 876. Hinc ergo colligit Delrio, purgationem hanc non fuiſſe ſemper per immerſionem, ſed aliquando per manus immiſſionem, ſicut in aqua feruenti moris erat. Nihil tamen hîc video, quod euincat vſum illum purgationis per aquam frigidam adurentem. Quod enim narratur de adultera per S. Gangulphum in fonte probata, non videtur ad rem facere. Nam fons ille erat fons aquæ calidæ, tametſi non immodicè calentis vt diſertè habent Acta. Quid ſi ergo ob aliquam natiuam mixturam, conſecutus eſt is effectus qui referebatur? Ac vt non diffiteat verius eſſe quod ſpeciali miraculo ita tunc contigerit, in adulteræ pœnam ſimul & confuſionem, ac viri ſancti conſolationem, tamen nihil hoc ad negotium de quo agimus, & ad aſſertionem tanti tamque extraordinarij miraculi, quantum eſt quod Autor cum quo agimus inducere nititur. De Legatis Ludouici, nihil video quod huc ſpectet. Nam ſi operoſum fuit afferre aquam in quam decem viri toti mergerentur, operoſum etiam fuit afferre aquam calidam tanto interuallo, niſi ſi ignis continuò ſubiiciebatur in itinere, quod videtur minùs aptum. Itaque facilè admiſerim, neque aquam ſiue calidam ſiue frigidam, neque ferrum candens ab iis eſſe allatum, ſed miſſos eſſe, vt nomine Ludouici hanc probationem peragerent. Nam probationes & purgationes, potuiſſe à parte per tertiam perſonam peragi, docet hæc de Ludouico narratio, & expreſsè Hincmarus Opuſcul. de diuortio ad Interrogat 6. referens Thetbergam per procuratorem qui illæſus in purgatione euaſerat, proſpexiſſe ſibi, & calumniam eluiſſe. Quare donec aliquid proferatur vrgentius, purgationem per aquam frigidam, intelligamus ſitam fuiſſe in immerſione in aquam. Colligabantur enim manus dextra & pes ſiniſter, necnon manus ſiniſtra & pes dexter, ſicque colligati deiiciebantur in aquam conſecratam certo ritu, de quo latè Iuretus ad Iuonem & Delrio quæſt. illa 4. ſect. 4. ac Pithæus in Gloſſario ad Capitularia V. *aquæ iudicium.* Si mergerentur, habebantur innoxij: ſi verò ſuperferrentur aquæ, cenſebantur conuicti, & cauſa cadebant. Cenſebantur autem conuicti qui aquis ſuperferebantur, eó quòd aqua videretur eos reſpuere, æquè ac ferrum de manubrio elapſum, vt dicitur in adiuratione aquæ ex formula S. Dunſtani Dorobernenſis, vbi etiam hæc verba leguntur, quibus rogatur Deus aquis infundere eam virtutem, [vt innocentes à crimine cuius examinatio ageretur, more aquæ in ſe reciperent, & in profundum

dum pertraherent conſcios autem criminis à ſe repellerent atque reiicerent, nec paterentur reiicere corpus quod ab onere bonitatis euacuatum, ventus iniquitatis alleuauit, & in hanc conſtituit: ſed quod caret pondere virtutis, pondere propriæ ſubſtantiæ in aquis.] Similia iterantur in adiuratione tertiæ.

Approbat late hanc purgationem Hincmarus Opuſc. de diuortio Lotharij & Thetbergæ ad Interrogationem 6. qua petitum fuerat quid de hac purgatione ſentiret; [quoniam quidam dicunt nullius eſſe auctoritatis, ſiue credulitatis, iudicium quod fieri ſolet per aquam calidam ſiue frigidam, neque per ferrum calidum, ſed adinuentiones ſunt humani arbitrij, in quibus ſæpiſſimè per maleficia, falſitas locum obtinet veritatis, & ideò credenda eſſe non debent.] Reſpondet poſtmodum ad hanc poſtulationem Hincmarus; [ad inueſtiganda & comprobanda & quaſi oculato viſui præſentanda, quæ dubia vel obſcura, quæ ex lege iudiciario ordine comprobari vel conuinci non poſſunt, duo ſanxit auctoritas, iudicium ſcilicet & iuramentum.] Multis autem de honeſtate purgationis iuratoriæ adductis, de iudicio ſiue de purgatione per aquam, ſubdit. Chriſtianitatem ex antiquo frequentaſſe iudiciū aquæ, tum frigidæ tum ignitæ. Quam vtramque purgationem, prædelineatam cenſet in diluuio Noëtico quod perdidit impios ſaluis innocentibus; & in igne cœlitus demiſſo in Pentapolitanos qui iuſtum Loth cum ſuis non læſit, impios euertit, vt etiam fiet per ignem in conſpectu Iudicis exarſurum & hoſtes eius vaſtaturum, ſaluis & illæſis iuſtis. Sigillatim verò de purgatione per aquam frigidam, tametſi fatetur in eo claudicare comparationem cum figura propoſita, quod innoxij in diluuio non ſunt ſubmerſi, vt neque filij Iſraël in mari rubro ſed ſoli Ægypij, neque S. Petrus quando à Chriſto prohibitus eſt merſione: quæ omnia obtecta fatetur huic vſui à viro ſagacis (vt ait,) ingenij cuius locum exſcribit, cum in hac purgatione innocens emergeret. Tametſi inquam eam diſſimilitudinem cum figura propoſita agnoſcit Hincmarus; perſtat tamen in ſententia, & multa congerit de huius purgationis ſimilitudine cum baptiſmo, quem ait eſſe iudicium quoddam; & è contrario iudicium iſtud ſiue purgationem eſſe quendam baptiſmum, in quo ad inuocationem, veritatis quæ Deus eſt, is qui veritatem ſuo mendacio cupit obtegere, in aquis ſuper quas vox Dei maieſtatis intonuit, non poteſt mergi, reſpuente pura aquæ natura, mendacem & noxium hominem. Quod verò hæc aquæ frigidæ purgatio reprobata diceretur in Capitularibus Auguſtorum, negat Hincmarus verum eſſe de iis Capitularibus quæ in Synodis confecta eſſent. Quod denique aliqui apponebant hanc eſſe quaſi iterationem baptiſmatis, negat Hincmarus rectè dici, cum neque deferentium, neque obeuntium hanc purgationem, animus ferat, baptiſmum quod eſt ſacramentorum primum, conferre aut ſuſcipere. Quare conſtanter honeſtatem huius purgationis aſtruit Hincmarus, tanquam à diuinis (vt ait,) viris inductæ. In calce tamen diſputationis de hoc argumento, admonet, vt vnuſquiſque hac in re ita abundet in ſenſu ſuo, vt à fide Catholica, & ſedis Apoſtolicæ traditione non diſcrepet; ſe verò paratum ſine contentione ſano intellectui cedere, & libentiſſimè ab aliis diſcere, profitetur.

Benè iſta & prudenter Hincmarus. Sententia verò pro qua pugnat, reproba eſt, & damnata cap. *Mennam* 2. quæſt. 5. & c. *ex tuarum* de purgat: Cano Ac vt planè euaneſceret huius ac ſimilium

lium purgationum vſus, cùm cenſeretur neceſſaria ad validitatem, benedictio aut conſecratio aquæ per ſacrum Miniſtrum, vetuit Innoc. III. in Concilio Generali, ne quis è Clero vllam huiuſmodi benedictionem aut conſecrationem adhiberet, vt videre eſt cap. *ſententiam* ne Cler. vel Mon. Ratio eſt illa ipſa quæ ſæpe antea eſt inculcata, ducta ex tentatione Dei in hoc facto. Verùm porrò eſt S. Bernardum ſerm. 66. in Cant. referre, hunc purgationis modum ſuo tempore vſurpatum eſſe à plene Catholica, ad internotionem eorum qui ſe Catholicos mentiebantur, & reuera erant Hæretici. Tamen ſanctus Bernardus refert tantum, non etiam approbat, quod à rudi plebecula ex zelo non ſecundum ſcientiam geſtum eſt. Hunc enim fuiſſe plebeculæ errorem, docent nos rectorum Eccleſię decreta interdicentia huiuſmodi probatione. & quidem vniuerſaliter ne crimine quidem maleficij excepto, pro quo vnus quidam Iuriſperitus Germanus Adolphus Scribonius ſubſcribente Henrico Kormanno l. de miraculis viuorum §. *de probationibus* pag. mihi 264. à Delrio latè impugnatus l. illo 4. cap. 4. q. 5. ſect. 2. & à Godelmanno lib. 3. de Magia cap. 4. à num. 23. limitationem ex ſuo cerebro adhibuit. Sed vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Fallaciam huius purgationis, & interdum verè reos colligatis artubus in frigidum coniectos, merſos eſſe, quod ſignum eſſe volunt inocentiæ, exemplis firmant Godelmannus lib. 3. de Magia cap. 4. num. 35. & Ioannes Althuſius admonit. ad Iudicem, ac Dubrauius lib. 8. hiſtor Bohem. cum de Vratiſlao Rege ſagas Bohemicas explorante.

In Capitularibus l. vltimo additione 4. cap. 81. hæc probatio aquæ frigidæ, damnata diſertè eſt, tametſi illuc vſque vſurpata dicitur, & damnatur vniuerſaliter nullo euentu dempto, quia veriſimile eſt deprehenſum frequentibus experimentis fuiſſe huius purgationis fallaciam. Nec malè Creſpetus de odio Satanæ diſcurſu 10 arbitratur has eſſe reliquias Ethniciſmi, quo vt eſt apud Zozimum lib. 1. hiſtor. cum de Aureliano, in templo quodam Ægyptio Biblum inter ac Heliopolim, lacus erat factitius, in quem ſolemnibus Veneris feſtis coniecta donaria, ſi fundum peterent ac mergerentur, grata Deæ cenſebantur: ingrata verò ſi ſupernatarent, quantumuis grauata non leui ſuperpondio. Et ſimili exploratione vſos erga prolem ſuam Celtas Rhenanos, conſtat ex Tacito de mor. Germ. & Claudiano lib. 2. in Ruff. Inde ergo cenſet Creſpetius manaſſe probationem aquæ frigidæ, quam ex Aymoino refert lib. 5. hiſt. Franco. cap. 34. & ex Rhenano lib. 2. rerum Germanic. Suo tempore (atque adeò non ita pridem, hanc aquæ frigidæ probationem valde frequentem fuiſſe in VVeſtphalia, teſtatur Binsfeldius latè aduersus eam pugnans Tract. de Confeſſionibus Maleficarum dub. 1. ante ſolutionem argumentorum principalium pag. mihi 343.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Quid cenſendum de probationibus ad quoſdam Fontes, noxæ vel innocentiæ indices.

Reſpondeo mira quædam in hanc rē ab antiquis prodita quæ vniuersè improbare vel cōprobare non videtur facile. v. g. uEſtachius l. 7. n. 11. de amoribus Iſnerici tradit Actecomij & Daphnopoli fontem fuiſſe, quem ſubeunte puella violati pudicitiæ floris ſuſpecta ſi quidem falsò grauaretur, aqua perſtabat, ſi verò ſecus eſſet. aqua illico turbida euadebat. De ſtyge fonte propè Epheſum ſimilia ſcribit

ſcribit Achilles Tatius lib. 8. de Clithophontis amoribus verbis illis. [Cum aliqua violatæ pudicitiæ arguitur, eum in fontem deſcendere compellitur cuius vnda medias tibias attingit:Iudicium autem fieri hoc pacto conſueuit. Quæ delata eſt, falsò ſe inſimulari iurat, iusjurandumque in ta ella deſcriptum collo ſuo alligatum ſuſtinens in fontem deſcendit: ac ſi verum iusjurandum iurauerit, aqua omnino immota manet:Sin minùs,intumeſcit, atque ad collum vſque ſe attollens, tabellam contingit.]Æquè in periuro vlto ia vi potitur fons in Puluij cuius & Theophraſtus lib. de admir. audit. meminit & Stephanusde Vrbibus.Probabant ergo i i innocentiam interpoſito iuramento qui alicuius ſceleris infamia grauabantur. Iuramentum autem in tabella ſcriptum ai icie ant in aquam ſupernatante ſi calumniam paſſi eſſent tabella: eadem autem merſa & euaneſcente & continuò flammatis ac vſtionem patientibus ſi peierallent qui erant inſimulati: Apud Philoſtratum lib. 1. de vita Apollonij cap.4. alia probatio ad fontem iuxta Tyanam qui cum frigidus ſcaturiat,ebullit non ſecus ac lebes igne calefactus. Eius aqua pu os ac in ontes & iurantes ſanctè nec con pectu nec guſtu violat Noxios verò atque periuros mulctat apertè. Nam pota in manus pedeſque ac oculos periu i graſſatur, puſtuliſque ac vomicis vniuerſum eius corpus dehoneſtat, ac ne moueri quidem & diſcedere ſinit, ſed coram ip a aqua noxam & periurium deplorare adigit. Apud Solinum quoque cap. 10 polyhiſtoris fontes quidem à quibus ocularíæ diſſipantur æg itudines iidem coarguendis furibus aut depellendæ, calumniæ de furto commodant. [Nam quiſquis Sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Vbi periurium non eſt cernit clariùs. Si perfidia abnuit, detegitur facinus cœcitate, & captus oculis, admiſſum tenebris fatetur.] Æquè innoxia eſt calumniam paſſis aqua gurgitis Olachæ in Bithynia, periuros autem & verè delatos faterique ſcelus abnuentes mulctat illicò, ita vt flammam vrentem pati videantur teſte Plinio lib. 31. cap. 2. Fertur & illud ad furti probationem in Badenſibus thermis quæ ad Rhenum ſunt adhiberi, vt ſcribit Ioachimus Vadianus ad librum 3. Melæ, [Fonticulus ibi eſt feruentis aquæ. in quem ſi quis pullum gallinamue aut aliud huiuſce generis merſerit facilè deplumatur volucris. Si furto ſubtraxerit, nihil efficitur calore, nec plumæ ſoluuntur,aperto furti iudicio.]

Hæc & huiuſmodi alia probationum genera detegendæ calumniæ vel reuincendæ noxæ impactæ olim adhibita non eſt quod ad præſtigias referantur ſaltem omnia, nimirum quæ conſtanter, & vniformiter eueniebant. De cauſa autem ambigi poteſt & ex eius dignotione pendet probationis illius honeſtas aut vitiū. Certum eſt id non poſſe referri ad vim aquæ naturalem. Vnde enim tanta vis aquæ fontanæ vt noxium latentem detegat tactu vel etiam conſpectu ſolo plectat renuentem ſcelus fateri atque periurum? Vt Deus talia per ſeip um vel bonos Angelos præſtiterit in vltionem iniquitatis & periurij deteſtationem, cōtingere potuit, tametſi nullæ extant de ea re tabulæ ſponſionis diuinæ. Veriſimillimum tamen eſt ea omnia Satanæ artificio eſſe peracta,quandoquidem paſſim admiſcei antur ſuperſtitioſi ritus,nec ſolet Deus citra benedictionem Eccleſiaſticam prodigere (vt ita dicam) miracula operando ſupra naturam circa elementa. Itaque dæmon eſt qui ſpecie aliqua ſanctimoniæ & illa coercitione periurij vel retectione ſceleris reuera admiſſi & perperam à reo negati naturales ipſius Satanæ vires non ſuperante vt ex alibi dictis conſtat fouebat ſuperſtitionem.

Nec

Digitized by Google

Nec in hac tantum materia Satan aliquod honeſtatis ac virtutis ſtudium viſus eſt oſtendere ſed etiam in aliis quæ æquè ad probationem vſui erant vel eſſe poterant, ita tamen vt admiſceretur redolens Satanam fermentum nequitiæ. Sic enim vt Alamannius ad arcanam Procopij hiſtoriam notauit pag. 84. Byzantij iam inde à Conſtantini æuo erat ſtatua Veneris ad quam fœminæ adulteræ vel puellæ ſtupro contaminatæ probari poterant. Ad eam quippè ſtatuam accedentes Virgines abibant ſecuræ. Quæ verò extra thorum legitimum fœdatæ fuerant rerectis pudendis ac reductis manu inuiſibili veſtibus pudefactæ abibant: durauitque ea noxiarum pudefactio donec ſoror vxoris Iuſtini Imperatoris patefacta ad eum modum ſua probra cum illac fortè tranſiſſet non ferens comminui ſtatuam curauit Operam dæmoniacam facilè eſt in ea remictione ſceleris deprehēdere;tum quod ad Veneris ſtatuam fiebat, tum quod ea contrucidatio pudoris per reiectionem locorum muliebrium à Deo & puris Sāctorum Angelorum ſpiritibus abhorret longiſſimè: vt propterea ne in ipſis quidem energumenis Deus probrum illud pudoris ſineret,iuxta Seuerum dialog. 3. de vita S. Martini teſtantem ſi quando vir Sanctus exorcizandis enegumenis daret operam,ſolitum accidere vt plures ſublatis in ſublime pedibus penderent nec defluerēt tamen veſtes ſuper faciem ne verecundiam faceret nudata pars corporum fuiſſetque id perpetuum ad S. Felicis Natali ædem ſacram in quam multi concurrebant energumeni, ſignificari videtur illis ſancti Paulini verſibus Natali 7.

His etiam potiora, tamen ſpectata profabor
Ante alios illum cui membra vetuſtior hoſtis
Obſidet, ad ſacri pia limina Martyris, ægra
Excuſſum de plebe rapi, admotumque ſacratis
Ante fores Sancti cancellis, corpore verſo
Suſpendi, pedibus ſpectantem tecta ſupinis.
Quodque magis mirum atque ſacrum eſt nec in ora relapſis
Veſtibus vt rigidis aut ad veſtigia ſutis
Corporis omne ſacrum caſto velatur operto
Scilicet vt diuini operis reuerentia teſtis
Corporibus maneat, nec pœna dæmon in ipſa
Qua cruciatur ouet, nudis prodendo pudorem
Artubus; illæſo grauiùs torquetur honeſto.
Recta licet verſis ſedeant cum tegmina membris.

Sicut igitur ex ea pudoris contrucidatione quæ ad Byzantinam ſtatuam fiebat, Satanæ ſpurcitias amantis opera reuincitur, ſic adiuncta ſuperſtitioſa ad eos quos diximus veluti exploratorios fontes paſſim interuenientia ſuadent Satanæ artificio omnia illa contigiſſe ac proinde ſecluſa inuincibili ignorantia non potuiſſe abſque culpa vſurpari eam innocentiæ probationem & calumniæ depulſionem.

QVÆSTIVNCVLA IX.

Num purgatio per panem & caſeum, labe vacauerit.

HÆc purgatio locum aliquando (tametſi infrequentiùs,) habuit: vt conſtat ex formula ſancti Dunſtani Dorobernenſis, deſcripta à Pithæo in Gloſſario ad Capitularia V. *Aqua iudicium.* Ibi enim præmittitur hic titulus. *Incipit exorciſmus*

exorciſmus panis hordeacei, vel caſei ad probationem veri. Subitur [vt ſacerdos ante omnia faciat lætanias, & omnes qui intusſunt cum eo, ieiuni ſint, & ſic incipiat exorciſmum.] In eo poſcitur à Deo, vt emittat ſpiritum ſuum ſuper creaturam panis aut caſei, contra iniquum hominem, qui iniuſtè iurauit, & inficiatus eſt quod reuera admiſit. Itaque ſignificatur purgationem iuramenti anteceſſiſſe, & idem ſignificatur in Exorciſmo ſecundo, quoad perceptionem diuinæ Euchariſtiæ. Sic enim ibi dicitur [Qui reus & conſcius eſt rei præfatæ, ad hoc pabulum ſanctificati panis vel caſei, & præſertim per Dominici corporis & ſanguinis communionem quam accepit, tremat & tremendo palleat, & nutabundus in omnibus membris appareat.] Apparet ex his verbis, anteceſſiſſe quoque huic purgationi, perceptionem diuinæ Euchariſtiæ. Effectus huius purgationis, inſinuatur in poſtremis verbis proximè relatis. Qui enim eo tremore & vacillatione carebat, habebatur innocens. Idem pronuntiabatur, ſi non poſſet glutire panem aut caſeum ſanctificatum, iuxta illud in primo exorciſmo poſtulatum. [Fac eum Domine in viſceribus anguſtari, eiuſque guttur conclude vt panem vel caſeum iſtum in tuo nomine Sanctificatum, deuorare non poſſit *&c.*] Et in ſecundo exorciſmo, petitur vt reus ad appoſitam ei pro oſtentione veritatis creaturam panis ſanctificati vel caſei, faux eius claudatur, guttur eius ſtranguletur, & in nomine tuo ante illud reiiciatur quàm deuoretur.] De innoxiis verò additur in exorciſmo 3. [Quatenus innocentes ſine vlla difficultate hoc pabulum probationis degluriant. Obnoxij aut obtrepidante mentis ſtatu, & totius compagine corporis vacillante quod in tuo ſancto nomine conſecratur & benedicitur, nullatenus deuorandi valitudinem percipiant: ſed coram omnibus inualitudine confuſi, quod præſumptione immerita ſuſceperunt, cum irriſione proiiciant.]

Hoc totum meritò abiit in deſuetudinem, quippè pertinens ad probationes vulgares ab Eccleſia improbatas, & ſordens tentatione Dei, à quo malè expetitur miraculum, præſertim poſt adhibitum iuramentum, & præmiſſam diuinæ Euchariſtiæ perceptionem. Si enim Deus tolerans in multa patientia vaſa iræ, noluit miraculum vllum exhibere in iuramento & communione eius qui ſuſpectus eſt alicuius ſceleris, quomodo ſollicitatur, vt per panem & caſeum, benedictione aliqua initiatos, patret miraculum.

QVÆSTIVNCVLA X.

Crocodilina probatio, cuiuſmodi.

QVam dicam probationem *crocodilinam*, intelligetur ex eo quod in relatione de rebus Malabaricis, à Franciſco Barrero ſcriptum legi. Affirmat ille, Malabares cùm exploranda eſt alicuius innocentia, vel ferrò candenti manibus eius immiſſo, vel brachio nudo intra feruentis olei dolium iniecto, (de quibus calumniæ probationibus ſuprà egimus:) vel denique per Crocodilum id præſtare ſolitos. Iubetur enim qui delatus eſt, fluuiolum tranare quem infeſtum habet Crocodilus; à quo ſi indemnis abeat qui delatus eſt, innocens exiſtimatur; ſin minùs, habetur pro comperto nocente.

Hinc habetur expeditio difficultatis propoſitæ circa huius probationis honeſtatem, aut inhoneſtatem. Dicendum enim haud dubiè eſt, hanc probationem eſſe ſceleris pleniſſimam. Nam Crocodilus, eſt animal homini infenſiſſimum, eoque nomine, à Delphino hominis amiciſſimo, habitum pro hoſte

Digitized by Google

capitaliſſimo. Tanta verò ferocitate ac pernicitate irruit in hominem Crocodilus nihil reueritus, vt propterea apud Ægyptios habeteur pro impudentiæ ſymbolo, vt ſcribit Clemens Alexandrinus ſtrom. 5. Tam trucem ergo beſtiam, tam homini infenſam, ſtatuere exploratricem innocentiæ hominis delati; vt ſi Crocodilus tranâti fluuiolum parcat cùm eum poſſet facilè intercipere, habeatur innocens, ſin minùs iuſta & vera cenſeatur delatio; quid aliud eſt, quàm grande miraculum abſque neceſſitate expoſcere? At hoc ſordet peccato tentationis Dei. Narrat pro magno miraculo Palladius cap. 150. Lauſ. quod improuidè ad Crocodilum pro foſſæ margine extenſum, cùm eum mortuum putaret, accedens, irruentis beſtiæ rictum, inuocato Dei nomine euaſiſſet. Idem cap. 59. refert, Abbatem Hellenium interemiſſe iuſſione Simplicij crocodilum, cui fluuiū tranſmittens inſederat, exemplo S. Pachomij, vt huius acta produnt cap. 19. Interemiſſe autem quia multos interemerat, & interēpturus erat ſi ſuperfuiſſet, quamuis ipſe diuino beneficio, vſus eſſet Crocodilo vectore. Quo item beneficio ſupra naturam collato, Sanctus Antonius referente Sancto Athanaſio, illæſus à Crocodilis, Nili partem tranauit. Hæc ſupra naturam beneficia atque miracula, ad calumniæ reuictionem depoſcere, eſt tentare Deum; atque adeò ſordet peccato.

CAPVT III.

De calumniæ occaſione, data vel accepta vitioſè.

QVæ hactenus tradidimus, ſpectant præſertim ad calumniam ex mera calumniatoris malignitate impactam innocenti. Quia verò is qui reipſa labe vacat, interdum præbet occaſionem alteri pronuntiandi de eo aliter quàm res habeat; videndum eſt qualis in ea re culpa poſſit reperiri, & an ſit obligatio remouendi calumniæ occaſionem, cùm ad propriæ famæ indemnitatem, tum ne frater pereat propter quem Chriſtus mortuus eſt.

Statuendum verò inprimis eſt, non eſſe ſemper malum ponere aliquam occaſionem è qua alij inducantur ad calumniandum, ſuppoſito quod non ea mente ponatur vt alij impingant, ſed ex idonea aliqua cauſa. Nam ſi id eſſet illicitum, æquè peccaret quiſquis alteri occaſionem aliquam offerret ad malè agendum. At hoc eſſet obſtruere viam innumeris bonis, quæ omittēda eſſent ne ficremus aliis in muſcipulam per meram inſipientiam eorum. Et è contrario inde aperiretur aditus multis malis, quæ conſequerentur, niſi permiſſis aliquibus occaſionibus delinquendi, probari ac deprehendi poſſent qui ſyncerè agunt. Videſis Sanchem lib. 10. de Matrim. diſp. 12. num. 52. & 53. Deus ipſe multa ſæpe facit, non neſcius homines vitio ſuo inde arrepturos occaſionem malè agendi, ac etiam calumniandi ſuam iuſtitiam, vt cum ſinit bonos hìc opprimi ab impiis, & iniquos benedici. Fateor non eſſe dandam calumniæ occaſionem, directè & meditatò: Id enim rectè damnat Sanctus Baſilius epiſtol. 54. verbis illis. [Quòd quidem vita hominis calumniis non ſit obnoxia, difficillimum eſſe, ne dicam impoſſibile, & ipſe perſuaſus ſum, & bonitatem tuam arbitror non ambigere. Nullam verò calumniandi occaſionem dare, neque iis qui actiones noſtras ſtudio obſeruant neque qui calumniæ gratia lapſibus noſtris inſidiantur, id demum & poſſibile eſt & proprium virorum prudentium & vitam ſuam ad pietatis ſcopum attemperantium.] Præclarè item

in

Digitized by Google

in hanc rem S. Athanaſius in Exhortatione ad Monachos, vbi cùm præſcripſiſſet quæ cauenda eſſent ſacris hominibus agendo cum mulieribus, addit ea à ſe propoſita; [Non quò mihi fas ſit de his qui verè ſemel deuota Deo pectora dicauerunt, ſecùs æſtimare aliquid, ſed vt ex abundanti, ſic omne quod, fingi poteſt tanquam poſſit & credi caueamus, ne in nullo famæ noſtræ vulnere, ſerpat nata ab occaſione ſuſpicio. Ipſa famæ ſemina priuſquam linguis nutriantur, intereant. Non tantùm nobis fides facti, ſed poſſibilitas etiam religanda mendacij. Beata enim vita eſt præclara, de qua nihil licet falſitari. Neque ego hoc iudicium meum, auſterus cenſor arripui, ſed cœleſte imperium monitor blandus aſſumpſi. Nam & ſic ait Apoſtolus. *Zelans vos Dei Zelo, deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, ſciens ſcriptum eſſe.; *Ne ponatis offenſionem vel ſcandalum fratri.* Et iterum. *Sine offenſione eſtote Iudæis & gentibus, & Eccleſiæ Dei.* Et iterum. *Non ergo blaſphement bonum noſtrum.* Et iterum. *Vt quid enim libertas noſtra iudicetur ab infideli conſcientia.* Et iterum, *Omnia autem veſtra, honeſtè fiant.* Et iterum. *Commendantes vos metipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.* Et iterum. *Prouideamus bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Et iterum. *Vt is qui ex aduerſo eſt, confundatur, nihil habens dicere mali.* Neque me præterit ſecularis laboris inuidiam in obtrectationem ſemper religionis ardere, & mordacem malignis rumoribus dentem impreſſum dicacitatis infigere. Vtatur ſua mundus natura, dum nihil in noſtra inueniat diſciplina. Falſitas ex more iactetur, dum nec veriſimile quidem poſſit eſſe quod dicitur. Nemo ideo debet contemnere vulnus infamiæ, quia ſemper conſueuerit tumor ſimulare; ſed eò attentiùs præcauere quòd ſoleat etiam ficta componere. Nemo ab obtrectationis metu redditur obtrectandi ſolemnitate ſecurus. Neque eſt negligentiæ cauſa, ſollicitudinis continuata materia. Sit igitur pudoris ac reuerentiæ veſtræ, tuta ac circumſpecta cuſtodia.] Hæc ibi Sanctus Athanaſius (ſi tamen magnus Athanaſius, & non potiùs autor Latinus) vt oſtendat, non eſſe dandam directè & meditatò occaſionem calumniæ, quam humana malignitas vltrò tam facilè arripit.

Hoc ipſum eſt, quod ſæpè negant Patres, ſufficere cuique debere teſtimonium ſuæ conſcientiæ, ſed cauendum etiam eſſe aliorum ſcandalum, faciendo aliquid quod præbeat occaſionem calumniæ. Videndus Sanctus Baſilius Regula 64. ex breuioribus, Origenes homil. 2. in Numer. S. Ambroſius in Pſalmum 118. ad verſum 5. ſanctus Auguſtinus in Pſalmum 30. concione 2. ad illud *ſuper omnes inimicos*, Chryſologus ſerm. 27. Antiochus homil. 50. S. Chyſoſtomus frequenter, ſed nominatim homil. 7. in Geneſ. & in Pſalmum 49. ad illud, *aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*, & homilia ne ſcandalum cuiquam ponamus, ac ſermone ne Regulares fœminæ viris cohabitent, cap. 5. & ſerm. ſequenti qui eſt contra Concubin. cap. 5. Quibus haud grauatè accenſuerim, Raymundum Iordani, cognomento Idiotam, Scriptorem & pium & eruditum, Operis de Oculo myſtico nuper refoſſi cap. 6. num 13. Quamuis igitur non ſit danda calumniæ occaſio directè & conſultò ac ex intentione, tamen aliud eſt occaſio data, aliud accepta. Vniuerſaliter itaque loquendo, non poteſt vitio verti, quòd quis faciat aliquid, ex quo alius occaſionem arripiat calumniæ, eique affingendi quod non fecit.

Abundamus in hanc rem exemplis Sanctorum. Luculentum eſt ſancti Ambroſij exemplum, qui vt à ſe abalienaret animos eorum à quibus poſcebatur in

in Epiſcopum Mediolanenſem, egreſſus Eccleſiam, tribunal ſibi parari fecit, ait ineius Actis Paulinus, & addit. [Tunc contra conſuetudinem ſuam, tormenta iuſſit perſonis adhibere. Quod cùm faceret, populus nihilominus acclamabat, Peccatum tuum ſuper nos. Sed non ſimiliter is populus tunc clamauit, ſicut populus Iudæorum. Illi enim vocibus ſuis ſanguinem Dominicum effuderunt, dicentes, *ſanguis huius ſuper nos.* Iſti verò catechumenum ſcientes, fideli voce remiſſionem illi peccatorum omnium per baptiſmatis gratiam promittebant. Tunc ille turbatus reuertens domum, philoſophiam profiteri voluit, futurus quidem ſed verus Philoſophus Chriſti, qui contemptis ſecularibus pōpis, piſcatorum ſecuturus eſſet veſtigia, qui Chriſto populos congregarunt, non fucis verborum, ſed ſimplici ſermone, & veræ fidei ratione, miſſi ſine pera, ſine virga, etiam ipſos Philoſophos conuerterunt. Quod vbi ne faceret reuocatus eſt, publicas mulieres publicè ad ſe ingredi fecit, ad hoc tantùm, vt viſis his, populi intētio reuocaretur. At verò populus magiſque magis clamabat; Peccatum tuum ſuper nos. At ille cùm videret nihil intentionem ſuam proficere poſſe, fugam parauit.]

S. Simplicius Turonenſis, vt recitat eiuſdem poſtea Eccleſiæ præſes Gregorius lib. de glor. Confeſſ. cap. 76. cùm eſſet in ſæculo & nobiliſſimus & ditiſſimus, coniugem ſortitus eſt pari nobilitate; & cùm eſſent ambo Chriſtianæ perfectionis ſtudioſiſſimi, ita vtebantur communi toro, vt tamen ſe neſcirent coniuges, ſed impolluti & incoinquinati perſtiterint, ſeruientes Deo in omni ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, tametſi coram hominibus, hoc eſſe putarentur quod præferebat communis vita, & commune amborum ſtratum. Cum autem contigiſſet, defuncto Egemonio Simplicium in Antiſtitem Turonenſem eligi, vxor virgo, non eſt paſſa à toro S. Simplicij iam Epiſcopi, ſubmoueri, nec diſſenſit S. Antiſtes. Qua ex re vterque, magna infamia apud populū tunc magna ex parte adhuc incredulum laborauit. Et qui fideles iam erant, magno ſcandalo tacti, de coniugibus per continuatū coniugij vſum, Epiſcopale munus dehoneſtantibus, calumnioſè obloquebantur, ita vt adueniente Natali Domini, non vltrà furorem ſuum continens populus; ad mulierem (vtcunque in viro Pontificiam autoritatem reueritus,) accurreret, & ingenti cum clamore ac expoſtulatione, de ſanctitate Pontificia per eius cum Simplicio conſortium tori violata, ſenſum ſuum expromeret. Non tulit pia & ſoror & coniux, calumniæ illius prorogationem, ſua taciturnitate faciendam. Itaque cùm adeſſet puella quæ ad vſum herę foculum prunis refertum tenebat; virum coram omni populo conteſtata, & innocentiam ſuam profeſſa, prunas ex igni tabulo in pallium iactas, excepit ac circiter horam tenuit, illæſo planè pallio. Tum affata virum, vrget vt ipſe quoque ſuo velamine prunas excipiat, & mitiorem (vt vocabat,) ſolito ignem, vt oſtenderent innoxiæ flammæ extinctas in ipſis ſemper fuiſſe flammas luxuriæ. Excepit igitur ipſe quoque ignem planè illæſus, tanta populi admiratione ſimul ac gratulatione, vt intra ſeptiduum vltra mille homines ex iis qui adhuc increduli perſtiterant, ſacris baptiſmi laticibus perfundi expetierint. Itaque erat perſpicua calumnia, qua populus pios coniuges poſt Simplicij inaugurationem toro maculato vſos eſſe expoſtulabat. Et tamen videtur datum illis ab his SS. coniugibus in quo calumniam conſtruerent, vt illæ populi voces docent. [Incredibile eſt, mulierem viro iunctam, pollui non poſſe: ſed nec vir poterit artubus mulieris iunctus, à coitu abſtinere. Sic

etenim

etenim Salomonis Prouerbia proferunt; *Nemo tangens picem mundus poterit eſſe: neque in ſinu ignem quis geſtans, non cremabitur.*]

S. Simeon Salus de induſtria multa faciebat ex quibus perſpiciebat ſe haberi ſtultum, cùm tamen maximè ſaperet. Deſcribens inſtituta Religioſorum Nicephorus l. 14. cap. 50. notat pleroſque ex eis, quo tempore Eudocia Imperatrix peregrinata eſt Hieroſolymam, vt ad perfectam ſui contemptionem & affectuum omnium ſubactionem poſſent pertingere, in mundum recurriſſe, & geſtibus quibuſdam incompoſititiis, dementes ſe eſſe aſſimulantes, extremam animæ tunicam (ſic Plato nominat ſuperbiam,) exuere anniſos eſſe. Ioannem de Mirabili, celebrat Gulielmus Pariſ. l. de moral. cap. 10. quòd multa faceret in ſpeciem abſurda, vt eſſet nullo loco apud homines & delirus haberetur. Addenſauit multa exempla talia Raderus 2. part. Virid. SS. cap. 3. quod eſt de Sanctis qui finxere ſtultitiam, hoc eſt qui conſultò ac meditatò fecerunt ea ex quibus præuidebant impingendam ſibi eſſe notam fatuitatis: quibus attexit alios toto cap. 4. qui nulla ſua, (vt ait,) culpa, pro fatuis & ſimplicibus habiti, de ſeipſis & ſæculi faſtu egregiè triumpharunt. Nec dubium quin horum plerique ea feciſſent, è quibus petendam videbant calumniæ materiam, ob diſſentaneum de talibus operibus Chriſti & ſæculi ſenſum. Vt cùm S. Eduardus, pauperem vtroque pede claudum dorſo ſubuectum, è palatio in templum aſportauit ex diuino monito; vnde Sanctus Rex, ſe ſubſannandum ac pro deliro habendum, non ignorabat.

Sed vix poteſt in hoc genere poſitæ calumniandi occaſionis, luculentius quicquam proferri iis quæ Leontius Epiſcopus Neapoleos, in Actis S. Ioannis Eleemoſynarij prodidit, de Vitali ſanctiſſimo Monacho. Hic verò vt intelligatur quàm non ſit aliquando damnandum, ponere id vnde alij accipiant calumniandi occaſionem, adſcribendus eſt locus integer, tametſi longiuſculus. Sic igitur habet Leontius. [Alius quidam ſenex Monachus, qui vitam agebat perfectam, nomine *Vitalis*, volens magni Ioannis facere periculum, num præter alia, quæ habebat bona, ne eſſet quidem facilis ad condemnandum, cùm quietem & ſilentium ageret in monaſterio magni Seridonis, venit Alexandriam. Quò cùm veniſſet, exercet vitæ genus, quod apud homines quidem eſt valdè probroſum & obnoxium vituperationi, & quod multis afferre poteſt offenſionem: Deo autem erat valdè gratum. Ingreſſus enim ciuitatem ſenex, iam ſexaginta annos natus & ampliùs, ſuum in id conferebat ſtudium, vt deſcriberet omnes meretrices quæ erant in proſtibulis. Porò autem incipit etiam ſeruire mercede, pacto inito, ſe quotidie duodecim obolos accepturum, quorum vno lupinos quidem emens, eos comedebat poſt occaſum ſolis: reliquos dicens; hæc accipe, & conſerua te mihi hac nocte impollutam. Quòd cùm faceret, ſtabat tota nocte in angulo habitaculi illius mulieris, genu flectens, & linguam pſalmis exercens aſſiduè, & ſupplices manus pro ea ad Deum tendens. Manè autem exiens, eam adigebat iureiurando, ſe nemini id eſſe indicaturam. Vnam itaque ex iis, quæ auſa fuit contemptui habere iuſiurandum, & aperire arcana, fecit ſenex precibus poſſideri à dæmone, adeò vt nulla deinceps auſa fuerit eius vitam enuntiare. Ipſe autem volens effugere gloriam ex hominibus, & animas dedocere à peccatis, quando erat apud aliquam mercenarius, accipiens quod datum fuerat, cùm eſſet abiturus, fingebat apud ſe dicere omnibus audientibus; Abeamus iam infelix ſenex. Scis enim quod illa te expectat; Illam ſignificans, ad quam erat

 diuer

Digitized by Google

diuerſurus. Ad eos autem, qui irridebant, & eum probris ac maledictis impetebant, ſe excuſans tanquam pro mala, quæ fiebat, reuerà bona actione. Quid verò? An non ego quoque ſum ex iis qui carnem geſtant, & cedunt eius legibus? An ſolis prohibitū eſt Monachis manere extra corporis volnptates? Non ſunt ipſi quoque participes naturaliū, affectionū ſimiliter atque alij? Deinde quibuſdam conſulentibus & dicentibus. Vnam ſaltem tibi accipe, mutato veſtitu; & ne ſis tam multis offenſioni, vt neque Deus per te blaſphemetur, neque Monachorum ſpecioſus habitus probro afficiatur, & omnium iudicium in tuum caput attrahatur. Multis hæc ei dicentibus, ille ſe ſimulans iraſci & ægrè ferre, ſed non ego (inquit,) vos audiam: Dicebátque cum magno clamore: Quid mea refert, ſi vos vt dicitis offendimini? Diſcite à me. Quid rei mecum eſt vobis? Ex veſtro, (inquit,) conſilio, cum fœmina coniungar matrimonio, & me iniiciam in curas innumerabiles, & de victu ſollicitudines. Ceſſate me ludificari & criminari, non eſtis enim mei iudices; Res meæ ſint mihi curæ, eſt enim alius, qui eſt iudicaturus orbem terræ, qui etiam reddet vnicuique ſecundum opus ſuum. Multi ergo hæc verba audientes, cum acerbitate & vociferatione; alij, quidem quidem ceſſabant reprehendere, eius impudentiam timentes & audaciam: alij verò conabantur eum apud Sanctum criminari. Sed ille vt qui à Deo didicerat, quali virtute eſſet ſenex, minimè attendebat ea quæ dicebātur ab ipſis, vt qui ante oculos ſemper deſcriptum haberet illud exciſi monachi. Suadebat autem omnino vitare accuſationes quæ fiebant aduerſus monachos, præclarum illud verbum Imperatoris Conſtantini in ore habens, qui in Nicæna ſynodo libellos accuſationum datos aduerſus aliquos Epiſcopos, non admiſit, dicens. Si in Epiſcopum aut Monachum fornicantem incidiſſem, ſuſtuliſſem meam chlamydem, & ei impoſuiſſem, vt à nullo oculo videretur: vt qui rectè ſciret, quod delicta talium virorum ſi multis fiant manifeſta, non ſolùm efficiunt vt contemnantur, quæ ſunt honore digna & reuerentiâ: ſed etiam magnum præbent incitamentum & occaſionem ad vitium. Sed ſic quidem magnus ille repellebat calumnias, quæ intentabantur aduersùs magnum ſenem. Ille autem non ceſſabat ab hac operatione, ſed etiamſi probro & dedecore à multis afficeretur, ipſe vnum ſolùm ſpectabat, nempè ſalutem animarum. Iis verò qui aduersùs eos linguam mouebant, peccati ſui precabatur veniam. Quòd autem hoc ſtudium non fuit ei infrugiferum & inutile, ſed multis attulit ſalutem, hinc eſt manifeſtum. Videntes enim mulieres eius per noctem ſtationem, & linguam diuina perpetuò canentem, & pro earum mutatione & vt ſeruarentur, aſſiduam precationem; deſiſtentes à malis actionibus gerebant curam temperantiæ: & aliæ quidem legitimo coniungebantur matrimonio; aliæ autem ſic manebant, deſiſtentes à flagitioſis actionibus, aliæ verò mundo perfectè renuntiantes, vitam eligebant monaſticam, quandiu fuit in vita ſuperſtes. Ecce quemadmodum ſimulando nequitiam, à malis moribus traduxit malas mulieres. Quamobrem cùm aliquando egrederetur ex habitaculo eius, quæ primum locum tenebat inter meretrices, ei occurrit quidam libidinoſus, propter hoc ipſum ingrediens, vt datâ pecuniâ expleret libidinem, & ſancto impingit colaphum. Quouſque dicens, ô Chriſti illuſor, non deſiſtes à malis actionibus? Ad hæc, homo ille admirabilis, Miſer, inquit, eſt tibi incutiendus cc laphus, vt tota ferè Alexandria ad tuos clamores congregetur. Non multum intercceſſit temporis, & vir ille diuinus migrauit ad Dominum,

Dominum, cùm eſſet in paruâ quadâm cellâ, quam conſtruxerat in loco qui dicitur *Porta Solis*: in qua quoddam paruum habens oratorium faciebat in eo multas ſynaxes. Quo in loco congregabatur etiam multitudo impudicarum mulierum, quæ conſequebantur ab eo curationem, adeò vt qui vitam agebant libidinoſam & voluptariam, & iraſcerentur & ſuccenſerent, vt cui propter rem, malam ſcilicet inuiderent, dicentes: Quomodò fieri potuit, vt hic impoſtor tam multas ad ſe traxerit?]

Quæ potuit in ſpeciem vrgentior calumniandi occaſio præberi, quàm hic S. Monachus præbebat. Et tamen certum eſt eum vacaſſe culpa, & qui eum idcirco reprehendebant, temerè ac per calumniam iudicaſſe. Audi enim quæ Leontius ſubiicit. [Cùm dormiſſet ergo (Vitalis Monachus,) ſicut dictum eſt, & nemo ſenſiſſet, accedit repentè quidam deformis Æthiops ad virum libidinoſum, qui ei colaphum impegerat, & eius genis incutit grauem & validum colaphum, adeò vt eius ſonus ad maximum vſque ſpatium fuerit exauditus. Qui deinde ei dixit; Accipe hunc colaphum, quem ad te miſit Monachus Vitalis, ſicut prædixit. Protinus ergo miſer volutabatur correptus à dæmone, & ad ipſum fuit congregata tota ferè Alexandria, ſicut ille vir iuſtus prædixerat. Cùm itaque vix tandem poſt multum tempus ad ſe rediiſſet, rumpit veſtes, & ſurgens, curſu contendit ad ſancti domunculam, Miſerere mei, clamans, ſerue Dei Vitalis, qui in Deum & in te, multum peccaui. Omnibus ergo videntibus qui aderant, poſtquàm domui ſenis appropinquauit, ipſum iaciens & diſcerpens dæmonium dimiſit. Cùm ergo hæc vidiſſent ingreſſi domunculam inuenerunt Sanctum, qui genuflexerat, & Deo per precationem animam commendatam emiſerat. Deinde humi adſpicientes, vident ſcripturam quæ ſic habebat: Viri Alexandrini, nolite aliquid iudicare ante tempus, donec veniat Dominus. Confitebatur itaque omnibus præſentibus, is qui liberatus fuerat à dæmone, mala quæ Sancto fecerat, & quæ audiuit prophetice ab eo dicta, quæ etiam paſſus eſt. Fuerunt ergò hæc ſtatim renuntiata Patriarchæ, & ipſe cùm ſimul veniſſet cùm toto clero, vidit legit eam, quæ erat humi ſcripturam, paulò pòſt dixit: Si fuiſſem inductus verbis eorum, qui calumniabantur, fuiſſet mihi incuſſus ille colaphus. Tunc etiam congregatur vniuerſum agmen meretricum ad iuſta facienda venerando corpori. Quæ quidem eum efferebant cum aromatibus & lampadibus, valdè deflentes priuationem eius doctrinæ, à qua ad eas magna manabat vtilitas: & tunc exponebant eius vitam, iis quæ dicebantur, fidem omnibus modis facientes, quòd nō ob aliquod malum ad eas ingrediebatur, & nec viſus ſit vlli earum ne manum quidem admouiſſe, aut ad latus omnino accubuiſſe. Ad eos autem, qui illarum reprehendebant ſilentium, & dicebant, eas fuiſſe multis cauſam offenſionis, illius præceptum adducebant ad ſui excuſationem: & quæ à dæmone inflicta fuerat, plagam, ad diſciplinam ei quæ non obedierat. Ipſe autem qui colaphum dederat, & contrà acceperat, nunquam intermiſit, cùm dæmon eum reliquiſſet, Beati ſepulchro aſſidere; quod effectum eſt theſaurus multorum miraculorum, & illius commemorationem de more cum pſalmis peragere. Deinde paucis pòſt annis reponitur in monaſterio monachi Seridonis: & cùm illi fuiſſet tradita Beati Vitalis cella, propter magnam in ipſum fidem, illic vitam quietam in ſilentio tranſegit perpetuò, donec peruenit ad finem vitæ præſentis. Præterea autem Patriarcha quoque magnas Deo agebat gratias, quòd non permiſiſſet, vt aliquid diceret aut

cogitaret

cogitaret indignum beatâ illâ & glorioſâ animâ. Alioqui autem multi quoque ex iis qui habitabant Alexandriam, meliores euaſerunt, qui propenſi ad condemnandum, & hanc malam didicerant conſuetudinem.]

Iuuat ex iiſdem S. Ioannis Eleemoſynarij Actis, aliud exemplum proferre, ab eodem S. Ioanne, ex vita cuiuſdam (vt ait,) magni ex Patribus, recitatum ad frænandum quorundum facilitatem in pronuntiando de aliis, etiamſi videantur aliquam calumniæ occaſionem præbere per ſua opera. Sic ergo ibi habetur, aliquantò pòſt. [In Tyrum ciuitatem venerant duo Monachi, aliquo fungentes miniſterio. Alterum verò eorum, cùm veniſſet in quemdam locum, quædam meretrix, cui nomen erat Porphyria, ſequebatur clamans: Venerande pater, ſerua me, ſicut olim IESVS CHRISTVS meretricem. Ille autem humanarum rerum nihil reputans, eam manu acceptam, multis videntibus, egreditur per mediam ciuitatem. Manauit itaque fama in omnes partes, quòd ille monachus in vxorem accepiſſet Porphyriam. Cum ipſo autem obiens meretrix, vrbes & vicos; incidit in infantem humi iacentem. Quem quidem cùm benignè ſuſtuliſſet vt aleret, ſecum eum portabat. Cùm aliquo autem tempore veniſſent Tyrij in eum locum vbi verſabantur, & meretricem vidiſſent in vlnis tenere infantem, veluti irridentes, & egregium hunc virum ludificantes, Reuera, ei dicebant, à ſcopo non aberraſti, Pulcher enim tibi filius natus eſt ex monacho. Qui etiam Tyrum reuerſi, eam rem vbique diſſeminarunt, quòd ea ex monacho, peperiſſet filium, qui illius expreſſam conſecrauit effigiem. Ita ferè ſunt homines prompti ad credendum ſuſpicionibus, & maximè, qui ſunt mali & flagitioſi, & à ſe habent acceptam credendi occaſionem. Statim enim tanquã è propinquo ſeipſos teſtes accipientes, alios accuſant facilè, ſimul quidem ſe volentes explere deliciis talium cogitationum & verborum & cupientes eſſe alios ſimiliter improbos, & ſic ſtudentes vitare plagas, quæ inferuntur eis à conſcientiâ. Monachus autem cùm totondiſſet Porphyriam, & ei monaſticum impoſuiſſet habitum, vocat eam *Pelagiam*, & concedit ei, vt in monaſterio virginum agat ſilentium. Cùm præſciuiſſet diem ſui deceſſus, illa quoque accepta, redit Tyrum. Eam autem puer quoque ſequebatur, iam ſeptem annos natus. Ad omnes verò peruenit fama eorum aduentus, quòd ſcilicet reuertitur Porphyria cum monacho, ſuo coniuge. Deinde cùm ægrotaſſet monachus, & ad mortem iam ſpectaret, plurimi ad eum acceſſerunt ex habitatoribus, eius viſitandi gratia. In quorum conſpectu cùm iuſſiſſet afferri thuribulum plenum calentibus carbonibus, accipit eos carbones, & infundit in ſignum, & omnibus audientibus, Benedictus (inquit,) Dominus, qui olim rubum ſeruauit incombuſtum, is mihi fuerit teſtis fidelis quod quomodò meas veſtes non attigit hæc quæ eſt in igne vrendi vis, ita nec ego attigi mulierem toto tempore vitæ meæ. His auditis omnes ſtupuerunt, Deo dantes gloriam, qui eos qui ipſum in occulto colunt, ſcit apertè glorificare. Hæc cum feciſſet & dixiſſet monachus, in manus Dei deponit animam Propterea vobis omnibus ſuadeo, ô filij ſpirituales, ſicut etiam priùs dixi, non eſſe promptos ad condemnationem.]

Ex his igitur Sanctorum exemplis, liquet non eſſe ſemper malum, facere id ex quo alij occaſionem calumniæ accipiant. In exemplis enim propoſitis, quibus Deus ipſe deſcriptus eſt ſuffragator; iudicium ſpectatorum, erat calumnioſum ſaltem materialiter: & tamen fundabatur in facto Sanctorum, è quo ſpectatores ſumebant ſic vel ſic de ſanctis pronuntiandi

tiandi occaſionem. Dico iudicium ſpectatorum fuiſſe *ſaltem materialiter calumnioſum*, quia imponebatur Sanctis probrum ab eis alienum, & falsò imponebatur, quod eſt ſaltem materialiter calumnioſum dedecus. Et tamen non erat ſemper opus interuenire malum animum, qui eſt veluti forma calumniæ. Imò apud pleroſque, poterat omnino deeſſe temeritas iudicandi, cuius excluſione exulabat peccatum, ab eo reipſa falſo iudicio, & eius expreſſione vocali. Quotieſcunque enim occurrunt alicui motiua & argumenta quæ inuincibiliter indicat ſufficientia ad formandum tale iudicium, abeſt temeritas, quæ cum rationabili iudicandi fundamento minimè cohæret. Itaque cum pleriſque, facta Sanctorum inuincibiliter videntur idonea ad fundandum tale iudicium; (v. g. quod turpitudinem aliquam machinarentur,) non erat temeritas in illis iudiciis: ac proinde expreſſio illorum iudiciorum, poterat vacare labe iniuſtitiæ, & eſſe expers calumniæ formalis, quæ virulentiam in probri falſi impoſitione neceſſariò continet. Plerumque tamen interueniſſe calumniam formalem, eſt per ſe clarum ex pœnis à Deo repenſis, quæ ſupponunt temeritatem iudicij, atque adeò culpam ſpectatoris, non ſatis expendentis adiuncta negotij; nec admetientis impoſitionem probri ad indicia quæ apparent. Non raro enim pernicia ingenia atque præpropera in iudicio de rebus aliorum ferendo, minùs attentè & valdè perfunctoriè æſtimant fundamenta iudicandi; & ex illis malè libratis, affingunt perſonæ quod eſt ab ea alienum; & tunc ſicut iudicium ſordet temeritate; ita & expreſſio eius continet calumniam.

Eò igitur rem deduximus, vt in falſi probri impoſitione poſſit aliquando eſſe formalis calumnia, aliquando non eſſe; & aliquando poſſit eſſe peccatum eius qui ſic iudicat & loquitur, aliquando verò poſſit abeſſe eius peccatum. Sicut è contrario, aliquando perſona faciens id vnde ſpectator mouetur ad ſic iudicandum, poteſt vacare culpa; aliquando verò ſic ſe gerens, non euadet noxam. Ratio illius diuerſitatis quoad ſpectatores, aſſignata proximè eſt penes fundamentorum ſiue motiuorum iudicandi varietatem, diuerſo modo penetratam. Ex parte verò perſonarum ex quarum facto ſumitur ſic iudicandi occaſio, diſcrimen petendum eſt, ex cauſa inducente ad operandum illud ex quo alius ſumpturus agnoſcitur temerè iudicandi occaſionem. Si enim nulla ſic ſe gerendi cauſa ſubſit, vel certè nulla proportionata incommodo cuius occaſio præbetur, interueniet culpa in eo agendi modo. Reſolutio eſt peruulgata, cùm agitur de ſcandalo generali, quo quis citra intentionem directam ruinæ alterius, & moralis cauſa peccati per alium admiſſi ob occaſionem quam præbet, & ab alio accipiendam præuidet, cùm teneretur non præbere: id eſt cùm teneretur non operari. Nam ſi is qui operatus eſt id vnde alius ruinæ occaſionem ſumpſit non tenebatur operatione abſtinere; ſed ob rationabilem cauſam præponderantem poſitioni offendiculi in quod alius incurret, potuit ſic agere, non cenſebitur moralis cauſa ruinæ alienæ, vt in multis ſingularibus euentibus diligenter æquè ac eruditè monſtrat Sanchez l. 1. in decalog. c. 7. Idem ergo ſtatuo in hoc negotio; in quo tamen præter quaſi ſubſtantiam operis, penſanda ſunt accuratè omnia adiuncta eius, vt fecit prudenter ille Anachoreta qui aditus ab Iſaaco Syro, improbauit conſilium quo iſte tunc iunior propoſuerat die Dominica pro foribus templi in vrbe conſiſtere, & prima luce ibidem ſumere ientaculum: vt quotcunque ad Eccleſiam venirent, id eſt ciues omnes haberent eum pro comedone & gulæ mancipio. Negauit Anachoreta

Rrr hoc

hoc eſſe ſanum conſilium; quòd nihil eſſet vnde Iſaac ad ſic agendum vrgeretur; & multa eſſent quæ reuocare à tali operatione deberent. Quòd enim Iſaac homo eſſet latens, nec egens ea humilitatis ſaburra, ne fortè efferretur; deerat ex parte eius neceſſitas ad illud proterendæ famæ ſuæ fundamentum omnibus palàm ſubminiſtrandum. Ex parte verò Tyronum periculum inſtabat, ne exemplo Iſaaci euerſi ruerent in exitium, & detrimentum inſigne virtutis caperent. Communitati item Monachorum, haud leuis plaga apud improuidos ſæculares impendebat; pleriſque omnibus vnius factum malè perceptum & indiligenter libratum, atque adeò labis damnatum, ad omnes omnino Monachos pro abuſione ſæcularium transfuſuris. Itaque autor fuit Iſaaco Anachoreta, vt dimiſſa ea agendi ratione apud multos incommoda & damnoſa; ſi adeò ſitiret contemptionem, auidè arriperet quotidianas patiendi opprobria occaſiones. Sapienter profectò, & dignè homine cœleſtibus luminibus affluente. Hoc ipſum proportione ſeruata, ad quodnis calumniæ argumentum accommodare par fuerit.

SECTIO IV.

Tropologica.

PROPONENDA reſtant incentiua quibus mores componantur, tum ad perpeſſionem calumniæ quoad grauatum falſo probro, tum ad cauendam calumniæ irrogationem, eiúſve ſi fortè irrogata fuerit, vulnus obducendum, quod ſpectat calumniatorem; tum denique ad ſepiendas aures ſpinis, nec temerè credendum calumniis quibus viri boni ſemper ſordidantur. Ad hæc tria capita, omnis morum doctrina ad hoc calumniæ negotium ſpectans, reducenda eſt; collectis ſtudioſè, vt gratior & amœnior ſit diſputatio, dictis Patrum ad hanc rem pertinentibus.

CAPVT I.

Verba & voces quibus exemplo Sanctorum, dolor ex falſi probri impactione leniri queat.

NE multitudo (vt aſſolet, inuehat confuſionem, redigam quæ potentiora apud Sacros Doctores calumniam paſſorum ſolatia, in aliquot ſyllabos.

I. Non eſt miſer qui patitur, ſed qui infert calumniam.

SAnctus Cyprianus epiſt. 55. quæ eſt ad Cornelium n. 79. [Non qui audit, ſed qui facit conuicium miſer eſt; nec qui à fratre vapulat, ſed qui fratrem cædit, in lege peccator eſt. Et cùm nocentes innocentibus iniuriam faciunt, illi patiuntur iniuriam, qui facere ſe credunt. Denique hinc illis pertuſa mens, & hebes animus, & ſenſus alienus eſt.

Syneſius epiſt. 67. rogans Theophylum Alexandrinum, vt Sacerdotes vetaret ſacerdotibus dicas impingere, quod aliqui fecerant. [Scribe obſecro (inquit,) & edicto præcipe, ne cui ſimile quicquam facere liceat. Nam & magno me beneficio deuinxeris, & eos mecum qui tranquilliori animo ſunt, & oppreſſis ſubuenies, & multò ampliori beneficio eos ipſos affeceris qui iniuriam faciunt. Maius bonum ſit, maiore à malo liberari; maius

maius autem malum eſt inferre quàm perpeti iniuriam : illud enim proprium malum eſt, hoc alienum.]

S. Hieronymus epiſtol. 77. quæ eſt ad Marcum Celedenſem, alludens ad locum ex S. Cypriano annotatum, ſic ſcribit. [Decreueram quidem vtendum mihi pſalmiſtæ voce dicentis ; *Cùm conſiſteret aduerſum me peccator, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Et iterum : *Ego verò tanquam ſurdus non audiebam, & tanquam mutus non aperiens os ſuum, & factus ſum ſicut homo non audiens.* Sed quia charitas omnia ſuperat, & propoſitum vincit affectus ; non tam iniuriam facientibus reddo vicem, quàm tibi reſpondeo poſtulanti. Apud Chriſtianos enim, non qui paritur, (vt ait quidam,) ſed qui facit contumeliam, miſer eſt.]

Creditus Chryſoſtomus orat. de Ioſeph ; [Obtinet apud eum (Putipharem, falſitas, veritas exulat. In cuſtodia innocens, quia reus eſſe noluit, religatur. Cur in innocencentem graſſaris importuna tentatio ? Cur appetis iuſtum ? Cur ſanctum perſequeris ? Ioſeph enim innocentiâ reus eſt, non culpâ : caſtitate, non adulterio, offendit. Cuſtoditi pudoris non violati, hoſtis eſt. Vim paſſus eſt ipſe, non fecit, iniuriam accepit, non irrogauit. Peccauit quia peccare noluit, non quia peccauit : quinimo pœnam meruit, quia peccare pertimuit. Eat licet in carcerem iuſtus, coniiciatur in vincula, in cuſtodiam relegetur, iniuria iniurioſi eſt, non innocentis: pœna lædentis eſt, non læſi. Supplicium ſi merui, patior: ſi non merui ille patitur, qui irrogauit. Reus quem peccatum non pœna caſtigat, ſpectat ſuum ſupplicium. Qui quod patitur non meretur, ſi pœna torqueretur, quia tormentum non meretur, quod patitur. Adeò tormentum quod irrogas, pateris; quod tribuis ſentis ; quod infers, ipſe torqueris.]

Genuinus Chryſoſtomus homil. 2. ad popul. *ſub finem.* [Contumelia, non à contumeliantium ſententia, ſed à patientium affectu conſtituitur, vel deſtruitur. Verbi gratia, multa quidem in te fanda atque nefanda contumelioſè egit: ſi contumelias deriſeris, ſi verba non ſuſceperis, & vulnere ſuperior ſis contumeliam non es paſſus. Et quemadmodùm ſi corpus adamantinum haberemus, & ſi innumeris vndique telis percuteremur, non tamen vulnera reciperemus: non enim à manu tela torquente, ſed à corporibus patientibus vulnera fiunt ; Sic & hìc non à contumeliantium inſania, ſed à patientium contumelias imbecillitate, iniuriæ, & iniuriarum contumeliæ conſtituuntur. Si enim philoſophari ſciamus, nec contumeliâ affici poſſumus, nec quicquam graue pati. Ille iniuriam intulit ; non ſenſiſti nec doluiſti, non es iniuriam paſſus, ſed & magis percuſſiſti, quam percuſſus es] Rurſus homil. 3. in epiſtol. ad Rom. aſſumit, impios à Deo dimiſſos, non læſiſſe Deum, addítque. [Quanquam illi iniuriam fecerunt, tamen ipſe non accepit. Neque ſanè eius gloria, aliqua ex parte lacera, ac mutila facta eſt, ſed manet ipſe omnino laudandus. Si enim ſæpè fit, vt qui philoſophatur, nihil incommodi ab iis patiatur, à quibus in contumeliam trahitur ; multò magis de Deo id ſentiendum nobis eſt, cuius natura neque lædi, neque verti, cuius gloria neque immutari, neque moueri poteſt. Etenim homines hac potiſſimùm in re ſimiles Deo efficiuntur, quoties mali nihil patiuntur ab iis, qui ipſis incommodare volunt : quoties nihil læduntur, ab iis qui lædunt : nihil vapulant ab iis qui verberant ; nihil irridentur ab aliis ipſos irridentibus. Dices, id verò quî fieri poteſt ? fieri admodùm poteſt : cùm ille videlicet factis non indoluerit. Quî verò fit, (inquit,) vt ille minimè indoleat

quî? Datur quidem & non indolere. Etenim quæro ego ex te; Si te infantulus tuus contumeliâ afficeret, ecquid contumeliam exiſtimares? Quid autem? Doleret tibi? Nequaquam: Sin autem doleret, tum eſſes riſu dignus. Ad eundem modum erga proximos afficiamur; ſic fiet, vt moleſti nihil patiamur. Nam qui nos iniuriâ afficiunt, ſunt infantulis dementiores: neque tamen id laboremus, vt ne iniuriâ afficiamur, verùm vt iniuriâ affecti, forti ac generoſo animo feramus. Hic demum eſt ſolidus honor. Quid ita? Quoniam hoc, nempè iniuriam fortiter ferre, in manu tua poſitum eſt: Illud nempè iniuriam inferre, in alterius, nónne vides adamantem, dum feritur, percutere? At natura huius (inquis,) ita habet. Et tibi quoque ab ipſa voluntate accidere illud idem non poteſt, quod à naturâ illi accidit? Quid autem? Nónne vides infantes in fornace minimè vri, & Danielem in lacu nihil mali pati? Id ipſum & nunc quoque exiſtere poteſt.]

S. Auguſtinus ſerm. 27. in Pſal. 118. [Quid eſt quòd dicit *redime me à calumniis*; id eſt à criminibus falſis, quæ illi nocere non poſſunt? Crimen quoque falſum quod eſt calumnia reum non facit hominem, niſi apud iudicem hominem. Vbi autem Deus iudex eſt, nullus falſo crimine læditur: quia non cui obiicitur, ſed obiicienti potiùs imputatur.]

S. Maximus in Collatione cum Principibus in Secretario, grauatus à Troilo multis calumniis, reſpondet [Iam dixi & iterum dico. Si vnum tantummodo ex iis quæ dicitis, eſt verum & Satanas Deus eſt. Si enim non eſt Deus, ſed apoſtata, & ea ſuper quibus accuſor falſa ſunt, & minimè ſubſiſtentia. Veruntamen quicquid iubetis facere, facite. Deum colens, non iniuriam patior.]

II. *Qui calumniam ſubiit, non dehoneſtatur.*

HAnc veritatem fortiſſimè euincit Ludouicus Carbo l. de pacific. inimic. cap. 50. ex eo præſertim, quòd ſicut honor eſt in honorante non in honorato, ita & infamia in eo eſt qui infamiam infert. Error autem popularis eſt, quo contrarius ſenſus inualuit; id quod cum Coſmo Aldana l contra vulgi errata, idem Carbo confirmat. Sed audiamus Patres.

Arnobius l. 1. reſpondens illi Ethnicorum aduersùs Chriſtianam religionem criminationi, quòd Chriſtus eius autor, ignominioſa necnon ceteris quibuſuis deſtinati ſolita morte occubuiſſet; monſtrat imprimis ex ſenſu ipſorum Ethnicorum, homines alioqui pios & probos, etiamſi per calumniam oppreſſi, morte turpiſſima defuncti ſint, infames non eſſe. Quod oſtendit ex Pythagora, qui ſuſpectus factus coniurationis, viuus in fano conflagrauit. Item ex Socrate, Aquilio, Trebonio, Regulo, qui per tetras mortes infamiam non ſubiuere, ſed in magno honore fuerunt apud poſteros. Tum concludit. [Nemo vnquam innocens malè interemptus, infamis eſt, nec turpitudinis alicuius commaculatur nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatem.] Idem æquè diffundere licet ad omne probrum falsò impactû etiamſi citra mortem.

Ennodius lib. 2. epiſtol. 12. [Quis putet contumeliam, quæ ſolam conſcientiam deſtinantis affligit? Improborum natura eſt, hoc ſentire de omnibus, quod merentur; & in malis ſolatium nuſquam videre innocentiam. Tormenta ſunt maculatæ conuerſationis, non ſibi credere eſſe participes.]

Petrus Bleſenſis Epiſtol. 45. agens de S. Thoma Cantuarienſi, multorum calumniis ante martyrium grauato. [Quicquid

quid machinabatur ad eius infamiam humana malitia, eidem conuertebat Dominus ad coronam. De ipſo capite noſtro IESV-CHRISTO, dicit Iſaias. *Nos putauimus eum leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum*, & nos quidem pretioſiſſimum Chriſti membrum, leproſum reputauimus & abiectum. Hæc eſt lepra quæ in Sanctos Domini ſe diffundit. De hac leprâ in Leuitico memini me legiſſe. *Si effloruerit lepra diſcurrens in cute, ſacerdos lepram mūdiſſimam iudicabit.* Cùm omnis lepra immūda ſit lepra infamiæ quæ ſanctorum afficit innocentiā, munda eſt: nam cùm exteriùs excurrat ſiniſtra opinio, cùm exterius mentiatur iniquitas ſibi, Sāctorum animæ in manu Dei ſunt, iuſtique verba exterioris contumeliæ contemnētes exterioris contumeliæ contemnentes, de theſauro conſcientiæ ſunt ſecuri. Nota in Chriſto huius lepræ veſtigia, quæ à capite in membra, à patre in filios deriuatur. Curabat Dominus languentes; & violator ſabbati dicebatur. *Non eſt*, dicebant, *hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* Eiiciebat dæmones & hoc maleficiis adſcribebāt. *In Beelzebub principe dæmoniorum*, inquiunt, *eiicit dæmonia.* Nunc Samaritanum, nunc filium fabri, eum vocabant. Ideò deſcribit eum Zacharias ſordidis veſtibus indutū: quod ei & imitatoribus eius conuenit, vt in veſte ſordidâ ſit decor mentis, & in cute leproſa, ſit munditia cordis, & inter contumelias detractorum, pura & munda conſcientia ſit in Sanctis. Propterea ſponſa in Canticis dicit *Nigra ſum ſed formoſa.*]

Poſſem ſi luberet, huc quoque aduocare ſapientes Ethnicorum. Idem ſanè illis viſum. Muſæus breuiter. [Pati iniuriam non eſt turpe, quia peccatum nō admittit.] Pleniùs Seneca in Conſol. ad Helniam cap. 13. Sic ſcribens. [Ignominia tu putas quemquam ſapientem, moueri poſſe, qui omnia in ſe repoſuit, qui ab opinionibus vulgi ſeceſſit? Plus etiam quam ignominia eſt mors ignominioſa, Socrates tamen eodem illo vultu quo aliquando ſolus triginta tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intrauit, ignominiam ipſi loco detracturus. Neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. Quis vſque eo ad conſpiciendam veritatem excæcatus eſt, vt ignominiam putet M. Catonis fuiſſe, duplicem in petitione præturæ & conſulatus repulſam? Ignominia illa, præturæ, & conſulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur. Nemo ab alio contemnitur, niſi à ſe antè contemptus eſt. Humilis, & proiectus animus, fit iſti contumeliæ opportunus. Qui verò aduerſus ſæuiſſimos caſus ſe extollit, & ea mala quibus alij opprimuntur, euertit, ipſas miſerias, infularum loco habet: quando ira affecti ſumus, vt nihil æque magnum apud nos admirationem occupet, quàm homo fortiter miſer. Ducebatur Athenis ad ſupplicium Ariſtides: cui quiſquis occurrebat, deiiciebat oculos, & ingemiſcebat, non tanquam In hominem iuſtum, ſed tanquam in ipſam iuſtitiam animaduerteretur. Inuentus eſt tamen, qui faciem eius inſpiceret: Poterat ob hoc moleſtè ferre, quòd ſciebat neminem id auſurum puri oris. At ille abſterſit faciem, & ſubridens ait comitanti ſe magiſtratui: Admone iſtum, ne poſtea tam improbè oſcitet. Hoc fuit contumeliæ ipſi contumeliam facere. Scio quoſdam dicere, contemptu nihil eſſe grauius, mortem ipſis potiorem videri. His ego reſpondebo, & exilium ſæpè contemptione omni carere. Si magnus vir cecidit, magnus iacuit. Non magis illum putes cōtemni, quam, cùm ædium ſacrarum ruinæ calcantur, quas religioſi æquè ac ſtantes adorant.

VII. Diſpar

III. Diſpar calumniantium poteſtas & voluntas.

SAnctus. Hieronymus l. 2. in Ruffinũ *ſub finẽ.*[Benè quod malitia non habet tantas vires quantos conatus perierat innocentia, ſi ſemper nequitiæ iuncta eſſet potentia;&totum quicquid cupit,calumnia præualeret.]

Creditus Chryſoſtomus ſerm. de ſancta Suſanna tom. 1. lat. [Putaſtis fratres tanquam ad meritum pertinere , ſi falſi teſtes non præualeant ſuper innocentem. Non eſt magnum meritum ; ſi non præualeat falſum teſtimonium, aduerſus dominum non præualeret. Ipſe Dominus noſter Chriſtus , per linguam falſorum teſtium eſt crucifixus. Sed etiam ipſi quidem falſi teſtes ad horam præualuerunt : reſurrectio , quid nocuerunt?Demonſtrauit ergo ſeruis exemplum ne falſos teſtes perhorreſcant : & cùm cæduntur, non timeant. Poſſunt enim facere malam famam , non poſſunt interficere conſcientiam.]

Sedulius lib. 5. Paſchali hac ex cauſa confert calumniam cum igne in ſpinis ; cuius acrem ac validam cremandi vim hebetat & obtundit materia tantæ acritudinis incapax. Agens igitur de calumniis Chriſto impoſitis ſic canit.

——————falſis agitatum teſtibus ardet
Concilium,iam iamque volant mendacia mille
In Dominum , vanis hominum conflata labellis ;
Et pereunt leuitate ſua velut ignis oberrans
Arentes ſtipulas, vires cui ſumma cremandi
Materies infirma rapit , victoque furore.
Labitur inualida deformis gloria flamma.

IV. Euaneſcit ſeriùs ocyùs calumnia.

Docuit hoc Chriſtus ipſe iuxta ſancti Chryſoſtomi interpretationem.Nam homil. 35.in Matth. tractans illud *Nihil eſt opertum , quod non reueletur , neque abſconditum quod non ſciatur,*ſic habet. [Hoc huiuſmodi eſt. Sufficere vobis debet illa conſolatio quod me quoque Magiſtrum, ſimilibus iniuriis ac contumeliis lacerarunt. Si verò adhuc dolore vexamini quòd malè audituri propter me ſitis,illud dolorem veſtrum ſedet quod non multò poſtea, ab omni ſuſpicione liberabimini Cuius enim rei gratia grauiter contumelias fertis ? An grauis iniuria eſt, quia Magos & Seductores, vos vocant? Certè non multò pòſt,Saluatores vos,benefactoreſque totius orbis terrarum prædicabunt. Tempus enim quod obumbrata omnia declarat ac detegit , & illorum aduerſùs vos ementita verba redarguet ; & virtutis veſtræ ſplendorem accendet. Nam quando reipſa benefactores eſſe cognoſcimini , quando videbunt omnes , veræ virtutis cuſtores vos eſſe, tunc aduerſariorum] veſtrorum ſermonem contemnent , veritati rerum adhærentes. Sic illi mendaces , maledici, falſique aliorum accuſatores videbuntur: vos autem vel Sole ipſo clariores eritis atque illuſtriores.longa enim ſpatia temporis , omnem tubarum clangorem in prædicandis meritis veſtris ſuperabunt, teſteſque claritatis veſtræ vniuerſos ſimul habebitis homines.]

S. Hilarius in Pſal. 123. ad illud *Torrentem pertranſiuit anima noſtra.* [Ecce Diaboli & ſuorum irruentes impetus , & ex turbidis motibus concitatos furenteſque procurſus , tempeſtates temporariæ torrentes. Sed hæc intolerabilis aqua animam non tranſit,in qua Deus habitat. Intolerabilis autem eſt , Deo vacuis. His autem in quibus Deus eſt, torrens repentinus eſt. Poſt paululum verò, ad tranſeundi

eundi facultatem aridus & exhauſtus. Atque vt nullus hîc de aquis ſenſus eſſet, conſequitur: *Benedictus Dominus, qui non dedit vos in captionem dentibus eorum.* Et qui ſunt torrentium dentes ſunt planè ad clamandum apprehendendumque vehementes.]

Theophilus Alexandrinus Epiſtola. 1. Paſchali *ſub finem*, expoſtulans de falſis fratribus qui ebrij Origenis amore calumniabatur Catholicos Antiſtites Origenẽ dãnantes. [Gentiliũ in nos odia ſuperãt, & diiectione eorũ in nos maledicta congeminant, diuturnque obſidẽt fores, nec audire metuunt cum Iudæis; *filios genui & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt.* Qui mihi videntur neſcire, omne verbum veritatis non habens fundamentum, etſi ad horam, audientem illexerit, vt putet verum eſſe quod non eſt, paulatim diſſolui & in nihilum redigi, vniuerſamque ſententiam quæ in morem torrentis de peſſima mẽte profertur, obruere autorem ſuum, & literas ſyllabaſque quibus erat contexta, perdentem, abſque ſenſu & ſono, & vlla imagine derelinqui, & inſtar venenatiſſimi colubri percutere prolatorem ſuum, ſtatimque retrahere caput & quaſi in foramine mentis tabeſcere atque conſumi. Nam mendaciorum finis, interitus eſt.

Hieronymus Epiſtol. ad Furiam, facillimam & admodum protenſam calumniæ diſſipationem, primum proponit, verbis illis. [Rumores turpiſſimos ſerunt; &, quod ab ipſis egreſſum eſt; id ab aliis audiſſe ſe ſimulant, iidem authores, & exaggeratores. Exit fama de mendacio: quæ cum ad matronas peruenerit, & earum linguis fuerit ventilata, prouincias penetrat. Videas pleraſque tabido ore ſæuire, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis, carpere Chriſtianos. Hic aliqua, cui circa humeros hyacinthina læna eſt. Rancidulum quiddam balba de nare locuta, Perſtrepit, ac tenero ſupplantat verba palato. Omnis conſonat chorus, & latrant vniuerſa ſubſellia. Iunguntur noſtri Ordinis, qui & toduntur & rodunt, aduerſus nos loquaces, pro ſe muti.] Quàm verò facilè, hæc adeò ſtrepera & late patens calumniæ diffuſio euaneſcat, ſic exponit ibidem D. Hieronymus, ſub Epiſtolæ finem. [Falſus rumor citò opprimitur, & vita poſterior iudicat de priore. Fieri quidem non poteſt, vt abſque morſu hominum, vitæ huius curriculum quis pertranſeat: malorumque ſolatium, bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen citò ignis ſtipulæ conqueſcit; & exundans flamma, deficientibus nutrimentis, paulatim emoritur. Si anno præterito fama mentita eſt, aut certè ſi verùm dixit; ceſſet vitium, ceſſabit & rumor.]

S. Godefridus Comes Cappenbergenſis, cùm ob calcatum generosè ſeculum multis calumniis oneraretur, didicit id quod poſtea egregiè docuit, calumniam temnere ob euaniditatem eius. Itaque in ſancti viri Actis cap. 20. hæc ex eo præclara doctrina adducitur. [Cùm fratres exhortaretur non curare labia iniqua, & detrahentium inepta mendacia, quia imperitos tantùm falſus honor iuuat, & mendax infamia terret; Mendacium (inquit,) diu ſubſiſtere non valet; veritas autem ſtabilis perſeuerat & ſolida. Mendacium enim in præcipiti ſedet equo, veritas autem in aſino Et rectà planè ſimilitudo, veritatem ſedere in aſino, quia & Dominus meus qui ait, *Ego ſum veritas*, ſedere in aſino dignatus eſt.] Mendacij ſeſſio in equo præcipiti, celerem eius diſſipationem inſinuat. Hoc eſt quod Demoſthenem monuiſſe accepimus διαβολὴ καιρῷ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεται τοῖς ἀκούουσι τὴν ὑπόληψιν· χρόνῳ δὲ πάντῃ ἀσθενεστέρα γίνεται. [Calumnia in occaſione apud audientes valet, tempore infirmatur.]

V. Oratio

V. Oratio, potens munimentum contra calumniam.

HOc clypeo muniuit ſe Suſanna, fœdiſſimis grauata calumniis. Muniuit & Dauid, à labiis iniquis & à lingua doloſa impetitus. Fecere plerique omnes Sanctorum, cùm ſimiliter per calumniam proſcinderentur. Faciendum & nobis exemplo Sanctorum Et ad id impellimur à Patribus.

Theodoretus in Pſalm. 118. ad illud, *non calumnientur mihi ſuperbi*. [Triſtis eſt calumnia, licèt magnam mercedem in ſe habeat: in hanc mirabilis incidit Ioſeph, & alij innumeri. Iubet autem etiam Dominus, vt obſecremus, ne intremus in tentationem, nihil igitur abſurdum neque Vates fecit, cùm hanc petitionem petierit. Vehementer enim dura eſt ſuperborum & potentium hominum calumnia: iniuſtitia enim cum potentiâ cõiuncta, maiorem efficit perniciem.]

Arnobius iunior in Pſalm. 108. *initio* [Venimus ad Pſalmum centeſimum octauum, quem Apoſtolus Petrus interpretatur in Iudam Iſcariotem. Huius nos pediſſequi, viam quam ipſe aperuit ambulemus: homo perfectus interiorem ſuum alloquitur, dicens: *Deus laudem meam ne tacueris*, quaſi qui dicat, homines vituperationes in me excitant falſas Tu Deus meus laudem meam non taceas Redi ad conſcientiam tuam ô homo Dei, qui Chriſtum ſequeris. Et cùm os peccacatoris & doloſi ſuper te apertum fuerit; gratulare, ſecurus eſto. Quia os peccatoris ad vituperationem tuam aperitur in terra, & ad laudem tuam os Dei aperitur in cœlo. Loquantur aduersũ te, ſicut Phariſæi cõtra Dominũ lingua doloſa, & ſermonibus odij circumeant te, & expugnẽt te gratis. Non tibi gratis, non vitio tuo ſit, non culpa tua ſit, ſed eorum mendacium veritati tuæ ſeruiat. Seruit enim mendacium veritati, ſi famam non timeas hominum. Nihil enim agit fall[...] teſtis niſi vt ipſam commaculet. Si tim[...]es hoc, ſeruus effectus es: ſi non times; [l]iber es. Time ergo ſolum Deum & de bo[n]a conſcientia præſumens, ſentiat ſe pr[o]poſiti tui fama eſſe ancillam, & eam co[m]pelle ſeruire magis quà imperare virtut[i]. Nam ſi eam timueris, eris omnium qu[i] obtrectare poterunt ſeruus. Et timebi[s] verum dicere, ne de te falſa confingant Dicas forſitan. Et quid faciam ſi vulne[r]auerint opinionem meam? Hoc fac quod iſte fecit, cuius carnem exponis: *Pro [e]o*, inquit, *vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam*. Oſtendit tibi quid facias.]

VI. Dei iudicium, forte in calumnia ſolamen.

SIc ſe ſolabatur S. Baſilius Epiſtol. 86. graui calumnia appetitus. [Quo putas (inquit,) animum meum dolore affecit fama càlumniæ illius quàm mihi offuderunt quidam non metuentes iudicem perditurum omnes loquentes mendacium. Tantò videlicet, vt propè totam noctem, propter dilectionis tuæ verba inſomnem duxerim, ita ipſa cordis mei penetralia concepta mœſtitia occupauit. Reuera namque vt Salomon inquit, *calumnia virum humiliat*. Et nemo ita ſtupidus eſt qui animo nullam ſentiat moleſtiam, & ad terram vſque non deiiciatur, ſi incidat in ora ad mentiendum procliuia. At neceſſe eſt, vt omnia feramus, omnia patienter toleremus, vltionem ipſorum Domino committentes, qui non deſpiciet nos. Nam qui calumniatur pauperem, factorem illius ad iracundiam prouocat. Qui nouam hanc intentatæ nobis calumniæ fabulam compoſuerunt, videntur prorſus nullam habere Domino fidem, qui rationem nos in die iudicij de verbo ocioſo reddituros eſſe pronuntiauit.

Sanctus

Sanctus Ambroſius lib. 2. de Abrah. cap. 6. *in fine.* [Plerique ſunt quo nequiores, eò tectiores, qui hominum ſubterfugiunt indaginem, vbi res ſine arbitro geruntur, vt falſo teſtimonio iuſtus circumueniatur. Manet autem ante Deum iuſtus, etiamſi condemnetur ab hominibus, quia Deus non iudiciorum exitus, nec cum intextis nequitiæ commentis negotia, ſed nudam ſpectat negotiorum naturam. In examine autem hominum, falſæ opinionis error plerunque obducit vim veritatis. Manebat autem apud Deum Suſanna pudica valde, etiam cùm damnaretur adulterij quia Deus non aſſertionibus falſorum, facti examinabit fidem, ſed intimæ conſcientiam mentis interrogabit.]

Idem lib. de fuga ſæculi cap. 9. [Cùm intenderetur calumnia, ſi aſſenſus negaretur adulterio, ingemuit Suſanna, & dixit; *Anguſtia mihi adſunt vndique Si enim hoc fecero, morte æterna peribo. Si autem non fecero, non effugiam manus veſtras.* Melius tamen iudicauit crimen potiùs fugere quàm periculum. Plorauit itaque cùm crimen obiiceretur, plorauit cùm ſibi de pudica & caſta adulteri iudicium vindicarent; non mortem deplorans, ſed caſtitatis calumniam. Religionis iniuriam plorauit, & effudit ſuper ſe non corpus, ſed animam. Effudiſſet enim corpus, ſi carnalibus acquieuiſſet. Denique cùm morte damnaretur, exclamauit quaſi iudex reorum, arbitra calumniantium: & innocentis conſcientiæ authoritate, diuinam ſibi in iudicium accerſiuit cognitionem, non timore mortis percita, ſed arguentis cenſuræ poteſtate præcelſa. Suſanna ergo fugit ſeculum, & ideo ſe credidit, ad illam arcem ciuitatis æternæ fugiens, quæ totum mundum complectitur, quoniam intra Deum ſunt omnia.]

S. Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 30. [Cùm abſque venia ſuos perſequi, & vexati ab illis dicar, mœrorem audientium minuit: qui faciliùs iniurias nonnunquam perferunt, quando certiores ſunt non impunè iniuriantes euaſuros. dicitur. *Mihi vindictam, ego retribuam,* dicit *Dominus:* Beatus quoque Paulus à Pontifice quodam cæſus, hanc habuit conſolationem. Quid enim dixit? *Cadet te Deus mure dealbate.* Humanæ igitur imbecillitatis hæc etiam cura eſt, vt credas non vitaturos ſupplicia, iniuriantes.]

Huc recidit, ſuggeſtum à Tertulliano aduerſus calumniam munimentum. Hæc enim præter cætera habet lib. de patientia cap. 8. [Ipſam animam, ipſumque corpus, in ſæculo iſto expoſitum omnibus ad iniuriam gerimus, eiuſque iniuriæ patientiam ſubimus: minorum delibatione lædemur? Abſit à ſeruo Chriſti tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus præparata, in friuolis excidat. Si manu quis tentauerit prouocare, præſto eſt Dominica monela, *Verberãti te* (inquit) *in faciem, etiam alteram genam obuerte.* Fatigetur improbitas, patientia tua. Quiuis, ictus ille ſit dolore & contumelia contritus, grauiùs à Domino vapulat. Plus improbum illum cædis ſuſtinendo. Ab eo enim vapulabit, cuius gratia ſuſtines.] Quod eſt dicere; Expecta Dominum & viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum; cuius iudicium in calumniatores tuos non tardabit.

***

VII. Ingens meritum patientis calumniam.

HÆc erit defenſio calumniam paſſi in die Iudicij, vt benè obſeruauit Creditus Ambroſius II. Timot. 4. ad illud *in prima mea defenſione, nemo mihi affuit.* [Paſſio (inquit) Chriſtianis vita eſt, & perſecutio defenſio. Preſſura enim illa pro iuſtitia, defendit illum in die iudicij, reos conſtituens perfidos.] Tegetur ergo ac defendetur in illis ſummis anguſtiis, qui calumnia grauatus hîc fuerit, quod proprium munus eſt meritorum.

S. Iſidorus Peluſ. lib. 2. epiſtol. 263. in vno exemplo particulari monſtrat quàm ſit meritorum ferax calumniæ perpeſſio. [Quo tempore (inquit,) Ægyptia illa; libidinoſa, inquam, illa mulier, quæ vt perſuaſu facilis, ita etiã ad perſuadẽdum miram vim habebat; (vt plurimùm enim eiuſmodi ingenio eſſe videtur mulier) inſano pudiciſſimi iuuenis Ioſephi amore deflagrauit; cumque eum nullis ſermonibus ad ſtuprum inducere poſſet, ad vim ei inferendam ſe conuertit; atque ille ſtrenui cuiuſdam athletæ inſtar, exuta veſte (arreptam enim eam tenebat illa libidine temulẽta;) indumentis quidem nudus, verùm ab adulterio purus excedens, pudicitiæ coronam adeptus eſt: tum verò illa mœrens ſedebat, reuera quia quod cupiebat, minimè aſſecuta fuerat: falſa autem ſpecie, ob fictam caſtitatem. Cùm itaque maritus veniſſet, aut quòd accuſari metueret, aut quòd Ioſephum vlciſci vellet, acerbiſſimè iraſcitur, ac cupiditatem omnem, mœrorem, metum contumeliam & iracundiam admiſcens animo voluebat quonam pacto de eo ſupplicium ſumeret. Et quidem eius criminis quo ipſa accuſari debebat, eum inſimulat. Maritus autem ne facta quidem ipſi pro ſe dicendi facultate, in carcerem eum coniicit. At verò incorruptus ille oculus, pudicitiæ legiſlator & arbiter, ad regium thronum, ipſum euexit. Quocirca nos quoque nec calumniam, nec obtrectationem, aliud quicquam eorum quæ grauia & acerba eſſe videntur, graue eſſe exiſtimemus: verùm peccatum ſolum. Atque ita omnino aut in hac, aut in altera vita pretioſiſſimas coronas conſequemur.]

VIII. Chriſtus calumniis oppreſſus, patientium calumniam munimentum.

SAnctus Auguſtinus ſerm. 26. in Pſal. 118. ad illud, *Suſcipe ſeruum tuum in bonum, non calumnientur mihi ſuperbi.* [Multæ poſſunt intelligi calumniæ ſuperborum, à quibus humilitas Chriſtiana deſpicitur: ſed illa vel maxima eſt, ſi homines in hoc loco accipiuntur ſuperbi; qui à nobis mortuũ calumniantur coli. Humilitas quippè iſta Chriſtiana, Chriſti morte inſinuatur, commendaturque diuinitus. Hæc autem calumnia vtriſque infidelibus, id eſt Iudæis, gentibuſque communis eſt. Habent calumnias ſuas etiam hæretici, ſingulis quibuſque hæreſibus proprias. Habent & ſchiſmatici: quos omnes ſuperbia de membrorum Chriſti cõpage præcedit. Ipſius autem Diaboli calumnia quanta vel qualis eſt, qui calumniatus eſt iuſto, dicens; *Nunquid gratis colit Iob Dominum?* Quorum omnium calumniæ ſuperborum, tanquam colubrorum venena, vincuntur cum vigilantiſſima & diligentiſſima pietate, Chriſtus crucifixus attenditur: propter quod præfigurandum, Moyſes Deo miſerante ac iubente,

iubente, exaltauit in eremo ſimilitudinem ſerpentis in ligno: vt ſimilitudo carnis peccati, crucifigenda præfiguraretur in Chriſto. Hanc intuentes ſaluiferam crucem, omne calumniantium ſuperborum virus expellimus.]

Idem ſanctus Auguſtinus enarrat. in Pſal. 68. conc. 1. ad illud *quoniam propter te ſuſtinui opprobrium*, quod ex perſona Chriſti dictum ſupponit. [Ideò (inquit,) prior ille ſuſtinuit opprobria, vt nos ſuſtinere diſceremus. Et ſi ille qui non habebat quod illi obiiciebatur, quantò magis nos, qui etſi non habemus peccatum, quod nobis obiicit inimicus, habemus tamen alterum quòd dignè in nobis flagelletur? Neſcio quis te furem dicit, & non es fur. Audis opprobrium; Non tamen ſic non es fur, vt non ſis aliquid, quod Deo diſplicet. Porrò ſi ille qui omnino nihil rapuerat, qui veriſſimè dixerat, *Ecce venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, dictus eſt peccator, dictus eſt iniquus, dictus eſt Beelzebub, dictus eſt inſanus; Tu dignaris ſerue, audire pro meritis tuis, quod Dominus audiuit nullis meritis ſuis. Ille venit vt tibi præberet exemplum. Quaſi gratis hoc fecerit, ſi tu non proficis. Quare enim ille audiuit, niſi vt tu cum audires, non deficeres? Ecce tu audis, & deficis: Fruſtra ergo ille audiuit; non enim propter ſe, ſed propter te audiuit.]

Ruffinus lib. 1. Inuectiu. in ſanctum Hieronymum, *initio*, attingens literas quibus commonitus fuerat de ſibi impoſitis (vt ipſe quidem contendebat,) falſis probris, ſic habet. [Recordatus ſum ſermonis prophetici, qui ait: *Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum machera acuta*. Verùm ad hæc vulnera quæ infliguntur ex lingua, inter homines medicus penè nullus eſt. Et ideò conuerti me ad IESVM, cœleſtem medicum: qui mihi antidotum potentiſſimum dedit de Euangelij ſui pyxide prolatum: quod vim doloris, ſpe futuri apud ſe iuſti examinis ſolaretur. Potio ergò ipſa quam temperauit IESVS, hæc erant verba. *Beati*, inquit, *eſtis cum vos perſecuti fuerint homines: & dixerint aduerſus vos omne malum, mentientes. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis.* Sic enim perſecuti ſunt homines & prophetas qui erant ante nos. Et ego quidem hoc quod in me eſt medicamento contentus, de reliquo ſilere decreueram dicens apud meipſum. *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis nos, licet indignos domeſticos eius?* Etſi illi dictum eſt, quia ſeductor eſt. & ſeducit turbas: ego cur indigner ſi audiam me hæreticum dici? Et pro ingenij tarditate, vel potiùs cæcitate talpam nominari? Et cum Dominus meus, immò omnium Deus Chriſtus, dictus eſt homo vorax; & vini potator; amicus publicanorum & peccatorum; ego cur indigner ſi audiam homo carnalis & in deliciis degens?]

Creditus Hieronymus Epiſtola ad Oceanum de ferendis opprobriis quæ habetur tom. 9. ſerie 3. multus eſt in vrgendo Chriſti exemplo ad firmandum pectus eorum qui calumniis onerantur.

Tertullianus lib. de patientia cap. 8. hortans ad patientiam in calumnioſo conuicio. [Si linguæ amaritudo, maledicto ſiue conuicio eruperit, reſpice dictum, *cum vos maledixerint, gaudete* Dominus ipſe maledictus in lege eſt, & tamen ſolus eſt benedictus. Igitur Dominum ſerui conſequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti eſſe poſſimus. Si parum æquanimiter audiam

dictum aliquod in me proteruum aut nequam, reddam & ipſe amaritudinis vicem neceſſe eſt, aut cruciabor impatientia muta. Cùm ergo percuſſero maledicto, quomodò ſecutus inueniar doctrinam Domini qua traditum eſt, non vaſculorum inquinamentis, ſed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari. Item manere nos omnis vani & ſuperuacui dicti reatum? Sequitur ergo vt à quo nòs Dominus arcet, idem ab alio æquanimiter pati admoneat.]

Exemplum quod S. Petri Martyris Ord. Prædic. locupletiora Acta ſuppeditant, eſt in hanc rem inſigne. Degebat vir Sanctus in S. Ioannis Baptiſtæ cœnobio, propè vrbem Inſubriæ, Comum. Ibi quadam die, cum ſolito ardentiùs in preceſſe dediſſet, effudiſſetque in conſpectu Dei animam ſuam, Diuæ Agnes, Chaterina, atque Cecilia, erga quas peculiari pietate ferebatur, affuerunt oranti, conſpicua ſpecie obuerſantes, & ignitos de rebus cœleſtibus ſermones cum eo miſcentes; & quidem voce contenta, ita vt ab eiuſdem cœnobij fratre illac fortè tranſeûte audirentur: & non ſine ſtupore, quod fœminæ (vti rebatur) cœnobium ſubiiſſent & ſancti viri cubiculum. Nec ita multò pòſt in cœnobitico ad mulctas conſeſſu, is ipſe qui notarat, criminationem viro Sancto impegit, quod fœminas in cubiculum induxiſſet, & collocutus cum iiſdem eſſet ſemotis arbitris. Nec vir Sanctus, (fauorem cœleſtem premendum ratus,) aliud excuſauit, quàm quòd inſignis eſſet peccator. Moderator itaque, ratus Petrum per ſimplicitatem admiſiſſe in cubiculum vrbanas fœminas, eum in Picenum ablegat, vbi ad menſes complures, imaginarium lapſum concluſus expiauit. Tandem humani aliquid paſſus, & blandè cum Chriſto cruci confixo cuius imago præ oculis erat, expoſtulans de ea tractatione, in tanta ſua innocentia reſponſum à Chriſto ex Cruce accepit, quod omnem illi deterſit mœrorem. Ego verò quid commerueram, vt ſic cõfigerer? Quæ mea peccata, facere me opprobrium hominibus? Diſce itaque exemplo meo, patienter excipere, calũnias irrogatas, ſciens quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Simile exemplum Ioãnis Peccami, Ord. Minorum, recitatur à VVadingo ad annum 1278. num. 29.

IX. Omnes ſancti & ſanctæ Dei, calumniis ſemper patuerunt; maximè verò qui ſanctiores & Eccleſiæ fructuoſiores, Magno quorumuis, calumnia grauatorum, ſolatio.

SOrtem hanc ſemper fuiſſe Sanctorum, vt calumniis oneraretur, intelligi poteſt ex calce ſectionis primæ, vbi actum de obnoxiis calumniæ, & ex tota ſect. 2. vbi innumera calumniarum exempla ſunt allegata, quibus varios ſanctos inquinari contigit. Nunc ſubdamus generatim nonnulla in hanc rem, Patrum oracula.

Theodoretus epiſtola 83. grauatus horrenda calumnia huc confugit. [Maximo (inquit) calumniam patientibus ſolatio ſunt quæ in diuina ſcriptura commemorantur. Cum enim effrenatæ linguæ mendaciis confixus quiſpiam, acutos doloris aculeos exceperit, admirandi Ioſephi hiſtoriæ recordatur: & ſimulacrum continentiæ, virtutúmque omnium Magiſtrum, videns accuſatum per calumniam, & quaſi alienas nuptias violaſſet, concluſum vinctúmque & longo tempore in cuſtodia

detentum,

centrum, narrationis huius remedio mitigat dolorem. Eodémque modo mitiſſimum Dauid animaduertens, qui à Saule tanquam Tyrannus fuerat eiectus, inimicum bis & cepiſſe, & illæſum dimiſiſſe rurſus triſtitiæ vtilem adhibet medicinam. Cùm verò ipſum etiam Chriſtum Dominum viderit, factorem ſæculorum, omnium conditorem, verum Deum, veri Dei filium, ſeductorem à ſceleſtis Iudæis appellatum: non iam conſolationem tantummodò, ſed lætitiam maximam capit, vt qui communione Dominica dignus habitus ſit.]

S. Cyrillus in calce Apologiæ ad Theodoſium. [Recordatus ſum ſeruatoris noſtri omnium, dicentis: *Beati eſtis cùm probris vos affecerint, & inſectati fuerint, & dixerint omne malum verbum aduerſum vos, propter me, mentientes: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra eſt in cælis.* Sic enim & Prophetas perſecuti ſunt, qui ante vos fuerunt. Quando enim iniquitatis pater Satanas Eccleſiis, & iis qui rectam fidem habent laqueum ſubſtruere conatur, & Apoſtolicæ & Euangelicæ fidei traditionẽ per ſuos ſatellites adulterare audit, vbi qui ſeruantes ſunt rectæ fidei veritatem illi opponunt, & iis quæ recta ſunt peruertunt, reſiſtunt, Chriſtum habentes belli ſocium & auxiliatorem, qui ipſa veritas eſt: Tum ſcilicet omnis mendacij pater, multos qui mentiantur excitat; Tum ferox illa ſycophantarum multitudo iis qui piè viuere volunt, aduerſatur. Et ipſos etiam Prophetas hoc paſſos eſſe inuenimus. Prophetauit namque ſuo tempore Beatus Amos, atque Iſraëlitas vehementer reprehendit, quòd dilectionem erga Deum neglexiſſent, & leges ſibi datas contemnerent. Verùm in medium prodiit, & reſtitit illi Paſhur, Erat autem hic Pſeudopropheta, & cultor dæmoniorum, detulitque ad Regem Iſraëlis, virum verè ſanctum ac prophetam, ad hunc modum illum accuſans: *Factiones contra te molitur Amos. Terra non poterit ſuſtinere omnes ſermones eius.* Conſimiliter & Beatus Hieremias propheta, peccantem Iſraëlem vias ſuas corrigere iuſſit. Verùm non defuerunt delatores. Incitarunt autem contra eum Sedechiam & reliquos qui regni ſedem adminiſtrarunt. Erat hæc cauſa grauis quidem ac verè moleſta: verùm Deo probari & amicum eſſe, pluris ducebant, quàm ſuam ipſorum vitam, atque ita permanebant in eo quod ſtudioſè agebant, ſcriptum ſcientes: *Cor regis eſt in manu Dei, quocunque volet inclinabit illud.* Reddidit enim Iudaicarum rerum gubernatores clementes, ac miſericordiæ ſtudioſos, vt ſæpenumero exacerbati ſint. Sed omittamus quæ illi acciderunt, tanquam omnibus nota, mentionémque faciamus celeberrimi ac beatiſſimi patris noſtri Athanaſij, qui olim Alexandriæ veſtræ Epiſcopus fuit. Impugnabat ille peruerſam Arij opinionem. Nugacitatis verò illius aſſentatores, perſeueranter illum calumniabantur, petulantem & infrenem linguam aduerſus eum exerentes. Nec contenti mendaciis, brachium hominis cuiuſdam abſciderant quod circunferentes horrendum videntibus ſpectaculum obiiciebant, dicentes illud ipſum abſcidiſſe Athanaſium; contendebántque Arſenium quendam nomine, crudelitatem hanc eſſe perpeſſum. Perſeuerarunt autem hoc pacto ſeducentes multo tempore, donec Arſenius ille qui abſconditus fuerat, adhuc viuus deprehenderetur, atque ita vix tandem improbitatis ipſorum deprehenſus eſt conatus. Erat ſycophantia iſta animis liberis, bonámque

conſcientiam habentibus moleſta & acerba: concidet atque vehementer animus eorum, quibus iſta acciderant, & moleſtiſſimū erat indubitatò fruſtra his qui nihil læſerant, inſidiatos eſſe. Verùm quod iſta iis accidant, qui veritatem adminiſtrant, diuina ſcriptura pronuntiauit. Dixit enim: *Ad mortem vſque certa pro veritate, & Dominus pugnabit pro te.* Præterea & ipſe Dominus noſter IESVS CHRISTVS, diſcipulos ſuos ad bonam inſtruens confidentiam, ſuadénſque vt quoduis mendacium, & labores in perſecutionibus ferendos contemnerent: *Si me* (inquit,) *perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si Patremfamiliàs Beelzebub vocarunt, quantò magis domeſticos eius?* Pudore autem eos affecit, idque valdè vtiliter, inculcans illud: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſupra Dominum ſuum.* Si namque Chriſto contradixerunt, quæ noſtri erit habenda ratio? Etſi contra quemuis ſanctum ſtructæ ſunt calumniæ, quomodò minimi nos effugeremus?]

Hincmarus Opuſcul. in Hincmarum iuniorem in præfatione, multis, vt queritur, grauatus calumniis ſolatur ſe exemplo Sanctorum talia perpeſſorum. [Benedictus Dominus (inquit,) qui ſecundum promiſſionem ſuam qua dixit, *à flagello linguæ abſconderis. Libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa*, adiuuit & conſolatus eſt me. Mox telum falſitatis, ſcuto veritatis reſpondendo reieci. Quæ animi dolore compunctus, non amaritudinis liuore ſtimulatus, dico, ſciens capiti ac Saluatori noſtro mendaciter multa fuiſſe obiecta; ſed & productos aduersùs eos falſos teſtes fuiſſe. Nam & Romanæ ſedis Pontificibus, Damaſo, Sixto, & Leoni tertio; verùm & aliarum inſignium Eccleſiarū Præſulibus, Athanaſio ſcilicet Alexandrino, Ioanni Conſtantinopolitano, Cæcilio Carthaginenſi, ſanctitate fidei & operationis, atque ſcientiæ doctrina præclaris, necnon & quàmplurimis aliis venerandis Epiſcopis, ab hominibus inuidis, & eorum locum, ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus, ſed non habere meritum illorum ſtudentibus, mortalia & nefaria crimina falsò impacta, & vſque ad Eccleſiaſtica iudicia & cognitionem publicam fuiſſe perducta legimus. Sunt enim huiuſmodi vipereæ nequitiæ homines qui licèt priùs eorum mentes propria rodat inuidia, in hoc tamen ſuas tegere poſſe iniquitates putant, ſi alios infamia modo quolibet maculare curauerint: quorum criminationes iidem viri ſancti patientiſſimè tolerauerunt, & conſtantiſſimè (adiuuante Domino) reiecerunt. Et horum, ſicut ſcriptum eſt, intuens exitum conuerſationis, fidem mihi neceſſe eſt imitari, & vſu compertus & de te in me prorſus expertus, quia phreneticus ſæpè, nulli maiorem alapam dare ſolet, quàm ipſi medico qui eum curare volet.]

X. *Cur tot ſuorum calumnias, patiatur Deus.*

SAnctus Chryſoſtomus homil. 5. de patientia Iob. [Multos audiui dicentes, ille & ille manſuetus quidem, miriſque exiſtens homo, ab altero iniquo quodam malóque quotidie in iudicium trahitur, alter iniquè calumniatur; alter aduerſus eſt, inquit, alter præcipitatus, & Deus hæc fieri permiſit. Quare? Ne citò in inſaniam eleuentur mirabilium magnitudine, ac operum perfectione: permiſit eos Deus affligi: atque ne maiorem de humana natura, cæteri habeant ſuſpicationem, Deos,

Deos, non homines eoſdem eſſe dicentes. Et vbi Dei virtus appareat, per infirmos, per vinctos vincens & ſuperans, prædicationem ſuam adaugens, atque vti illorum ipſorum patientia manifeſtior fiat, non pro mercede ſeruientium, ſed ad bonam tam abunde voluntatem oſtendendam. Et vti poſt tot mala tempeſtiuè atque opportunè ſancta eorum mens appareat, omnéſque ſtimulati aduerſis, abundantius, & ſolatium habeant, & fomentum, ad illos reſpicientes, atque memoriam habentes eorum malorum quæ ſibi ipſis contigerunt. Atque vti quando exhortamur vos ad illorum virtutem, & ad veſtrum dicimus vnumquemque, imitare Paulum, zelo Petrum ſequere; nequaqam exiſtimetis geſtorum excellentia, perfectionéque, altera eos participaſſe natura, propterea ad imitationem pigriùs excitemini: atque cùm oportet aliquot vos, vel beatos dicere, vel miſeros, dicamus quos quidem & beatos exiſtimari decet, quódve in ærumna, miſeriáque conſtitutos.]

Origenes homil. 2. in Pſalm. 38. ad illud *obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti*; obſeruat, Deum quoſdam quaſi agones, inter ſuos & calumniatores ac conuiciatores conſtituere, ad præbenda ſuis exercitia patientiæ.

S. Gregorius l. 9. regiſtri epiſtol. 39. qua ſolatur Theoctiſtam patritiam calumniis impiorum grauatam, hoc Dei conſilium in permittendis piorum calumniis aperit. [De ſtultorum vocibus, Excellentia veſtra turbari nullatenus debet: maximè quia in omnipotentis Dei miſericordia, tunc certa fiducia eſt, quando pro bono opere aduerſitatis aliquid in hoc mundo recipitur, vt plena merces in æterna retributione ſeruetur. Vnde in ſancto Euangelio veritas dicit: *Beati eritis cùm aduerſum vos omne malum dixerint homines, mentientes, propter nomen meum.* Qui in conſolatione noſtra, ſua in exemplum adducere opprobria dignatus eſt, dicens, *Si patremfamiliâs, Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* Sunt autem plurimi, qui vitam bonorum amplius quàm debent, laudant: & ne qua elatio de laude ſurrepat, permittit omnipotens Deus, malos in obtrectationem & obiurgationem prorumpere: vt ſi quæ culpa in ore laudantium naſcitur, ab ore vituperantium ſuffocetur. Hinc eſt ergo quòd Doctor gentium, ſe in prædicatione currere teſtatur *per infamiam & bonam famam.* Qui etiam dicit; *Vt ſeductores, & veraces.* Si ergò fuerunt qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc ſeductorem vocarent, quis nunc Chriſtianus debet indignum ducere, pro Chriſto iniurias audire?]

Non raro conſilium Dei in permiſſione alicuius calumniæ, ſpectat mulctæ illationem, ob aliam aliquam noxam latentem vel inexpiatam: vt docemur triplici exemplo quod retulit ſanctus Ephrem Opuſcul. cui titulus eſt, *Confeſſio & ſui ipſius reprehenſio.* Ibi doctum ſe ab Angelo refert, cauſam calumniæ ob quam diu hæſit in carcere, fuiſſe delictum & ignorantiam anterioris ætatis, quæ nondum tunc expiarat, vt retulimus l. 3. cap. de furti calumnia. Addit verò duobus ſecum captiuis æquè per calumniam, quorum vnus cædis patratæ inſimulabatur, alter violati alieni thori. Neuter quod impingebatur, admiſerat; Sed prior pereuntem in aquis, negata crudeliter ope, hauriri vorticibus ſiuerat; Alter puellæ à fratribus per calumniam oppreſſæ aduerſatus, fratribus adiutor falſa teſtificando fuerat per calumniam exturbare

illam

illam hæreditate, quod & pe. fecerant. Hoc conſilio Deus retributor iniquitatum in tempore, permiſit illos grauari calumniis prædictis, vt ea ratione eluerent maculas illas anteriores. Similiter ergo ſæpè ſe gerit cum aliis quoad aliquid falsò impactum innoxiis, ſed quos expedit ſic expurgari ab aliis maculis.

XI. Dei conſcientiæ teſtimonium, pectori æs triplex in irrogatione calumniæ.

SAnctus Gregorius l. 6. regiſt. indict. 15. epiſt. 14. conſolans Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem calumniis appetitum. [Antiquus humani generis inimicus, quibus vos linguarum iaculis, & malorum cordium inſidiis exiſtimauit impetendos: relatione multorum iamdudum me audiſſe cognoſcite. Sed in cunctis, quæ in hac vita aduerſa proueniunt, ſola eſt, ſicut noſtis, omnipotentis Dei diſtrictio penſanda, atque ad eot ſemper proprium recurrendum: vt nullius nos ibi lingua implicet, vbi conſcientia non accuſat. Quem enim conſcientia defendit, & inter accuſationem liber eſt; & liber vel ſine accuſatione eſſe non poteſt, ſi ſola quæ interiùs audit, conſcientia accuſat.]

Idem lib. 8. Epiſtol. 45. ad Palladium Presbyterum mole calumniarum oppreſſum. [Epiſtolis dilectionis tuæ ſuſceptis, filium meum Simplicium requirere curaui, & qua tentatione tua charitas vrgeretur, inueni: de qua tamen verbi mei conſolatione non indiget, cùm ipſa veritas dicat: *Si patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* Qui iterum dicit: *Si de hoc mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Sed quia de hoc mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Mundum videlicet corda carnalia deſignans, quæ diligunt mundum. Hæc igitur cùm perfectè ſcire audiam, miror dilectionem tuam verbis hominum contriſtatam. Inter verba enim laudantium ſiue vituperantium, ad mentem ſemper recurrendum eſt: & ſi in ea non inuenitur bonum quod de vobis dicitur, magna triſtitia generari debet; Et rurſum ſi in ea non inuenitur malum, quod de vobis homines loquuntur in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudant, & conſcientia accuſet? Aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? Habemus Paulum dicentem; *Gloria noſtra hæc eſt; teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Iob quoque dicit; *Ecce in cælo teſtis meus.* Si ergo nobis eſt teſtis in cœlo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt Quid aliud detrahentes faciunt, niſi in puluerem ſufflant, atque in oculos ſuos terram excitant; vt vnde plùs detrectione perflant, inde magis nihil veritatis videant?]

S. Auguſtinus l. de bono viduit. cap. 22. præfatus non eſſe negligendam Chriſtiano famam bonam, ſubdit. [Sed quoniam quantalibet humana cautela ſuſpiciones maleuolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare; vbi pro exiſtimatione noſtra quicquid rectè poſſumus fecerimus, ſi aliqui de nobis, vel malè fingendo, vel malè credendo, famam noſtram decolorare conantur; adſit conſcientiæ ſolatium, planéque etiam gaudium, quòd merces noſtra magna eſt in cœlis: etiam cùm dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen iuſtéque viuentibus. Illa enim merces, tanquam ſtipendium eſt militantium, per arma iuſtitiæ, non ſolùm dextera, verùm etiam ſiniſtra, per glo-

riam

riam ſcilicet & ignobilitatem , per infamiam & bonam famam.]

Quanti eſſe debeat hoc Dei & conſcientiæ ſolantis teſtimonium, poteſt à contrario oſtendi cùm S. Ambroſio vel vt alij volunt Maximo Taurinenſi ſer. 2. de Chriſti accuſat. vbi rectè ſtatuitur qui ab alio condemnatur, poſſe declinare iudicium. At quem conſcientia condemnat (idem eſt de Deo vt benè Chryſologus ſerm. 26.) nulla ratione poſſe effugere. Similiter ergo is quem omnes purgant, nihilominus ſemper ſordet, niſi à Deo & conſcientia purgetur : Cui autem id obtigerit, mundus ac nitens & ſecurus eſt.

XII. Vno obtrectante , alium innocentiæ præconem prouidet Deus.

NOn ſinit Deus , pietatem quam ad tempus calumniis offundi patitur, obrui prorſus, ita vt nullo modo micet eius ſplendor. Itaque cùm ex vna parte calumniator famæ pij viri celebrent. Notatum id egregiè eſt in Chriſto cruci confixo, quem impij innumeris calumniis onerabant; Sanctus autem latro diuinitus permotus , inſigni præconio honeſtauit, vt ex Arnoldo Bonæ Vallis Abbate obſeruare memini in Tractatione de ſancto Latrone cap. 17. §. 7.

Luculentum exemplum in hanc rem extat in Actis ſancti Spiridionis Epiſcopi Thrymiruntis, quem Deus ad pij viri per calumnias oppreſſi purgationem & liberationem adeſſe prouidit. Sic porrò habent Acta. [Alius qui erat autem ipſe quoque Sancto amicus, (erat virtutis ſtudioſus, & ideò improbos homines mouerat ad inuidiam, & aliquorum criminum accuſabatur per calumniam ;) comprehenſus à Præſide ciuitatis , coniicitur in carcerem ; protinus verò damnatur capitis. Cùm autem propè eſſet dies præſtitutus , præuenit ſanctus, qui hoc præſciuerat , & feſtinat liberare amicum à calamitate : Erat verò tunc hyems vehementiſſima , & qui præterfluebat torrens , cùm valdè inundaſſet , & è ſuis eſſet effuſus limitibus , ei valdè fluebat in tranſitu : neque poterat omninò tranſmitti. Ille autem Ieſum Naue , & quæ ille fecerat mente verſans , & arcæ tranſitum reputans , & credens eundem eſſe ſicut erat, Deum : & perinde atque ſeruo vtens torrente ; Sta, inquit , communis hoc tibi imperat Dominus, & ego tranſibo : Vir autem ſeruabitur , pro quo properamus , & multas Deo preces fundimus. Sic dixit, & quod dictum fuerat, protinus fit compos fluuij , & ſiſtit fluentum : Cedit verò via non ſolùm Spiridioni, ſed aliis etiam viatoribus. De cætero nihil ampliùs illis malum occurrit & dubium. Quod ergo ab eo factum eſt tranſeundo , non fuit minus admirabile , quàm id quod inſtituerat facere. Ex hoc autem illud quoque faciliùs & meliùs eſt perfectum. Nam cùm qui cum eo ambulabant , vidiſſent quod factum fuerat , eum præcurrentes & venientes quamprimùm in ciuitatem, fiunt præclari præcones eius quod factum fuerat : & Præſes partim quidem ſtupefactus, partim autem timore correptus, ne virum qui talia poteſt, cerneretur offendere, repentè eius amicum relaxat è vinculis , & eum Sancto largitur. Is autem eo accepto eſt reuerſus , cùm ex vna cauſa duo effeciſſet : nempè fluenti quidem repreſſiſſet impetum, hominem verò benignè liberaſſet à calamitate.]

Digitized by Google

XIII. *Non rarò calumniam paſſis, prouiſum ſupra naturæ ordinem.*

SVpperunt varia exempla miraculorum in eum finem diuinitùs patratorum, vt qui patiebantur calumniam, eriperentur; & innoxij ſicut reuera erant, detegerentur. Seligo nonnulla. Ioannes Moſchus in Limonario c. 108. inducit Abbatem Iſidorum in Samo inſula Abbatem, ſic diſſerentem. [Eſt in octauo huius ciuitatis milliario, vicus habens etiam Eccleſiam. In hac Presbyter quidam fuit valdè mirabilis, quem parentes inuitum & renitentem vxorem accipere compulerunt. Verùm ille non ſolùm voluptatis illecebra captus non eſt, quamuis iuuenis exiſteret, & legitimæ coniunctus vxori, ſe & ipſam induxit caſtè ſecum ac pudicè viuere. Didicerunt igitur ambo pſalterium, ambóque ſimul in Eccleſia pſallebant, ſeruantes ſeipſos virgines vſque in finem. Hic itaque Preſbyter die quadam, falſa calumnia apud Epiſcopum accuſatus eſt. Quem Epiſcopus ignorans inſtitutum eius, accerſiuit ex vico, & miſit in carcerem, in quem ſolebant peccantes clerici includi, & cuſtodiri. Cùm igitur eſſet in carcere, adueniente ſancto die Dominico, apparuit iuuenis formoſus valdè, dixitque ei. Surge Presbyter, vade in Eccleſiam tuam, vt ſanctam oblationem offeras. Ait illi Presbyter: Non poſſum, quia incluſus ſum. Dixit ei is qui apparuerat. Ego tibi aperio carcerem. Veni, ſequere me. Aperiénſque ianuam, ante illum exiit. Cùm verò egreſſi eſſent, ambulauit ille vſque dum mille paſſibus diſtaret à vico Presbyteri. Facta autem die, qui cuſtodiebat carcerem, ingreſſus eſt, requirens eum, vbi clauſus fuerat. Et non inueniens perrexit ad Epiſcopum, dicens: Effugit Presbyter, me habente clauem. Putans igitur Epiſcopus, quia effugiſſet, miſit vnum de ſeruis Epiſcopatus, dicens: Vade & vide ſi Presbyter in vico ſuo eſt, nihilque illi interim dicas. Profectus ergo puer, illum inuenit in Eccleſia, ſanctam oblationem offerentem. Reuerſúſque dixit Epiſcopo, illic eſſe Presbyterum ac eum ſe reperiſſe, offerentem ſacrificium. Epiſcopus autem magis contra illum indignatus, iurauit, quòd in craſtinum eum cum ſumma ignominia reduceret. Sequenti autem nocte, apparuit Presbytero is qui primo apparuerat, dicens; Veni vt eamus, vbi te Epiſcopus incluſerat in ciuitate. Aſſumenſque illum, adduxit rurſum, & repoſuit in carcere, ignorante cuſtode carceris. Manè verò diei ſequentis, didicit à carcerario Epiſcopus, quia in cuſtodia Presbyter, ſe ignorante inuentus eſſet. Mittens Epiſcopus ſciſcitabatur à Presbytero, quomodò de carcere exiſſet, & quomodò rurſus abſque carcerarij notitia ingreſſus eſſet. Qui reſpondit: Iuuenis quidam ſpecioſus valdè, & optimè veſtitus, Epiſcopatus veſtri (vt dicebat,) miniſter, aperuit mihi oſtium, & præcedebat me vſque ad vnum milliare propè vicum nocte Dominicæ; idemque rurſus ſequenti nocte veniens, reduxit me. Epiſcopus igitur accerſiuit omnes ſeruos Epiſcopatus, ſed nullum ex ipſis recognouit Preſbyter. Tunc intellexit Epiſcopus, quòd Angelus Dei fuerat, qui hoc egiſſet, ne virtus Presbyteri prorſus occultaretur; ſed vt omnes diſcerent; & glorificarent Deum, qui glorificantes ſe

glorificat

glorificat de ipſo valdè ædificatus, dimiſit illum à ſe in pace, multa contra eos clamans, qui illum iniuſtè accuſauerunt.]

Affine eſt miraculum quod de Epiſcopo ciuitatis Rumelli apud Agapetum Papam paſſo calumniam, recitat idem Moſchus cap. 150. & retuli ſect. 3. de calumnia ſacrilegij.

Suſcitatum à Palladio Anachoreta defunctum vt innoxium crimine homicidij per calumniam grauatum exitio ſubduceret ſcribit Theodoretus, adductus ſect. 2. cap. 1.

XIV. Micat ſplendidiùs poſt calumniam, obſcurata aliquandiu virtus: & ſicut veritas ventilata, plus rutilat.

HÆc eſt inſignis, calumnia oppreſſorum conſolatio, quæ Patres non præteriit; præſertim cum Ioſephi nubila tempora conſiderant. Ioſephi namque nitorem affuſæ nebulæ aliquandiu obtexerunt: ſed quæ Dei fuit benignitas, poſt caliginem lux ſplendidior ac nitentior ei fulſit. Simile eſt quod circa veritatem ſpeculatiuam aliquamdiu ventilatam notatum eſt à Caſſiano l. 1. de Incarnat. cap. 6. Diſertè item de Iuſtitia Nicol. I. epiſtol. 8. quæ eſt ad Michaëlem Imperatorem [Iuſtitia ſæpiùs ventilata, clariùs ſplendeſcit in lucem.] Qui enim contra ius fáſque per calumniam grauatus ac veluti obtenebratus erat, fauente denique Deo, diſcuſſo ritè negotio, eò nitentiori fulgore emicat, quò ſuffuſus ad tempus teteriorem in modum & obnubilatus denſiùs videbatur. Sed audiamus in hanc rem aliquos Patres.

Philo l. de Ioſeph cùm eum calumniis vndecunque oppreſſum, in carcere diu detentum deſcripſiſſet, clariorem deinceps eo nubilo diſcuſſo ſic exhibet. [Pharao eum protegem inſtituit, vel Regem potiùs, relicto ſibi ſolo imperij nomine, poteſtatem illi cedens, & agens quicquid pertinebat ad honorem iuuenis; dat ei regium annulum ſignatorium, veſtem auguſtam, torquem auream, currum ſecundum à regio, atque ita iubet per vrbem circumuehi præcedente præcone & indicante noui Magiſtratus electionem: nomen quoque nouum indit ei, quod Interpretem ſignificat lingua vernacula, & nuptam dat filiam clariſſimi apud Ægyprios viri qui Solis habebat Sacerdotium. Id actum eſt circiter annum eius trigeſimum. Hi ſunt euentus piorum: nam etiamſi procliuantur, tamen non corruunt, ſed erecti ſtant firmiter ne ſupplantari queant. Quis enim expectaſſet intra vnam diem è ſeruo Dominum, è vincto præſtantiſſimum omnium, è carcerarij vicario protegem fieri, regiam inhabitare pro carcere, extrema ignominia verſa in honorem maximum? Facta ſunt tamen hæc & fient ſæpiùs, quando Deo placuerit, modò ſubſidat aliqua probitatis ſcintilla in animo, quam neceſſe eſt per occaſionem excandeſcere.] Senſus extremæ periodi eſt viris bonis calumnia grauatis identidem contingere idem quod Ioſepho, vt ſcilicet poſt nubila lucem aſpiciant & enubilata caligine illis quandoque per hominum malitiam incubante luce denique ſerena & deterſi veluti cœli amœnitate perfruantur. Ita Chriſto calumniis ad tempus grauato accidiſſe, & in eo comprobatam eſſe veritatem typi exem-

pliique Ioſephi, præclarè monſtrat Arnobius in Pſalm. 104. Theodoricus Rex ad Antonium Polenſem Epiſcopum lib. 4 variar. Caſſiodori epiſtol. 44 [Sanctitatis veſtræ animus non grauetur, nec ſe fallacibus verbis doleat accuſatum. Multò maior eſt opinio purgata, quàm ſi deſinentibus querelis non fuerit impetita.]

CAPVT II.

Paræneſis ad calumniatorem, vt calumnia abſtineat, illatam eluat, ac deinceps mentem mutet.

QVæ hactenus toto opere ſparſim de calumniæ virulentia & tetris effectibus ſunt diſputata, ſatis ſuperque eſſe poſſunt ad abſterrendum calumniatorem, eúmque vrgendum, vt & calumniam quo loco par eſt habeat in poſterum, & vulnus per eam iam irrogatam illatum, ſollicitè obducat. Nihilominus quandoquidem fructus ex vniuerſa tractatione colligendos proponere hîc inſtituimus, non poſſumus miſſam facere breuem ſynopſim incentiuorum, quibus calumniator & à calumniæ illatione retrahatur, & ad eandem iam illatam ſarciendam excitetur.

Non eſt autem quòd magna vis fiat in communi omnium de calumniatoribus ſenſu, ac pœnis humanis. Quanquam enim negari non poteſt, quin calumniator deprehenſus inſigni vbique flagret infamia; tamen non eſt ea pœna tanti, apud homines contrucidati pudoris, cuiuſmodi ſunt calumniatores. Quinetiam ſolitos ridere duriorem pœnam, ſcribit Plinius in Traiani panegyr. Deſcribens enim prudentiſſimi illius Imperatoris iuſtam ſeueritatem aduersùs calumnioſos delatores, quorum ſupina ora retortáſque ceruices pulchro ſpectaculo à Traiano exhibitas gratulatur; addit Plinius, delatores iſtos, non vt antea, exſanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandam præbuiſſe punctis, & notas ſuas riſiſſe. Significat frontis inuſtionem lege Remmia calumniatoribus conſtitutam, vt notaui ſect. 1. cap. 4. & in opere de Stigmatiſmo ſect. 2. cap. 3. Has & ſi quæ fuerunt aliæ in calumniatores conſtitutæ humanis decretis pœnæ, negabam magna contentione vrgendas eſſe, cùm certum ſit ex doctrina Sanctorum, falſiloquos innocentiæ iuſtorum denigratores indeclinabiliter multandos pœnis longè grauiſſimis; ac quod omne damnorum genus complectitur, exterminandos. Sic enim apud Origenem homil. 3. in Pſalm. 36. *in fine*, expreſſum habetur quod vulgatus ibi verſ. 22. habet, benedicentes iuſto, terram eſſe hæredituros; maledicentes autem ei diſperituros. Quanquam maledictio vniuerſalius quid eſt, quàm calumnia, tamen, calumnia genus eſt maledictionis reprobæ; & eo loco Origenis diſertè cadit in calumniam, vt ex ſubiecto eius loco perſpicuum erit. [*Qui benedicunt eum*, (inquit Origenes gloſſans verba Pſaltis,) id eſt, qui benedicunt iuſtum, *hæreditabunt terram*. Quam terram? Terram illam bonam; terram multam hæreditabunt, illam fluentem lac & mel, vbi ſunt bona illa quæ verè bona ſunt, illam

illam poſſidebunt qui benedicunt iuſtum, *maledicentes vero eum exterminabuntur.* Et vobis parum videbitur interdum malè loqui de Sanctis, & perleue eſt vobis dicere de ſeruis Dei, ille talis, & talis eſt: ille fingit, & ille ſæculum diligit: ille autem impoſtor eſt. Non audis quia qui maledicunt iuſtum, exterminabuntur? Aut in hoc parum vobis videtur, audite alibi Deum dicentem ad iuſtum: *Inimicus ero inimicis tuis, aduerſabor aduerſariis tuis.* Videtis quanti periculi ſit inimicari iuſtis, vel malè loqui de ſanctis. Si enim verè credimus illud quod dixit Dominus de vnoquoque ſeruorum ſuorum, quia *eſuriui & non dediſtis mihi manducare*, & ea quæ addit, & dicit, *Quia qui vni ex minimis meis fecit, mihi fecit*, conſequens eſt, vt hoc dicat. Qui maledicebatis me recipit de me, & falſa contra me loquebamini & accuſabatis me. Et ſi dixerimus, Domine quando tibi maledimus aut quando detraximus, aut quando falſa contra te locuti ſumus? tunc dicet ad nos, *Amen dico vobis, quia quod feciſtis, vni ex meis minimis, mihi feciſtis.* Sicut enim dantes manducare vni ex iſtis, mihi dediſtis; & ſicut induentes vnum ex iſtis, me induiſtis: ita maledicentes vni ex iſtis, mihi maledixiſtis; & ſi benedixiſtis, vel honoraſtis vnum ex his, mihi benedixiſtis & me honoraſtis, ſicut & alibi nihilominus dicit, *Qui vos recipit, me recipit & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Propterea ergo contineamus linguam noſtram, & ſeruos Domini admiremus, & benedicamus iuſtos, & nunquam detrahamus de eis; nec aperiamus os noſtrum ad malè loquendum, ne fortè exterminemur.]

Non eſt exiſtimandum, hoc exterminium calumniatoribus à Pſalte intentatum, differri in longa tempora hoc eſt in alteram vitam. Nam tametſi ibi maximè, Deus iudex iuſtus calumniam plectet, & ſeruos ſuos monſtrabit innoxios; tamen iam ex hac vita, & quidem abſque longa comperendinatione, rependi pro calumnia exterminationem, (id eſt vt ſonat phraſis Hebraica, quod notauit Veſthemerus exciſionem & præmaturam mortem,) exempla docent. Duo inſignia de ſancti Ambroſij recens demortui calumniatoribus, recenſet his verbis Paulinus in ipſo fine vitæ S. Antiſtitis. [Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen Eccleſiæ Mediolanenſis, cùm in conuiuio poſitus, in quo erant nonnulli militares religioſi, detraheret memoriæ ſacerdotis, aſpernãtibus illis, & deferentibus linguam nequam, ſubitò, vulnere percuſſus graui, de eodem loco in quo iacebat, alienis manibus ſubleuatus, in lectulum poſitus eſt, atque inde ad ſepulchrum vſque perductus. In vrbe etiam Carthaginenſi, cùm apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelij Epiſcopi, ad conuiuum conueniſſem vnà cum Vincẽtio Coloſſitano Epiſcopo, Maurano etiam Epiſcopo Bolitano ſed & aliis Epiſcopis & Diaconibus; tunc Maurano Epiſcopo detrahenti ſancto viro, retuli exitum presbyteri ſuperiùs memorati: quod ille de alio dictum, de ſe oraculum, maturo ſuo exitu comprobauit. Nam de eodem loco in quo iacebat, cùm ſubitò vulnere ingenti eſſet percuſſus, alienis manibus ad lectum portatus eſt, atque inde ad Domum in qua habitabat reductus, diem clauſit.]

Luctuoſius fuit quod recitat Palladius cap. 40. Lauſ. ob multiplex exitium æternum Biothanatarum, ex calumnia ortum habens. Nam ij D. Ambroſij calumniatores quos retulimus, fortaſſis reſipuerunt, nec per tempus ſtetit quominus reſipiſcerent, & vexario potuit auditui eorum intellectum dare. Sic igitur ibi Palladius, agẽs de cœtu monialium Tabenneſiotarum ciuitatis Spaniæ, ſiue Panopoleos. [In hoc monaſterio fœminarum, hæc res accidit. Sutor ſecularis cùm traieciſſet per ignorantiam, quærebat opus: egreſſa autem vna iunior quàm eius poſtularet ratio, (eſt enim locus deſertus,) inuita eum conuenit, deditque ei reſponſum: Nos habemus noſtros ſutores. Alia autem quæ eius viderat colloquium, cum proceſſu temporis inter eas exorta eſſet contentio, ex Diaboli ſuggeſtione, præ ſummâ malitiâ & animi excandeſcentiâ, eam calumniata eſt apud fraternitatem, propter id colloquium. Cùm qua concurrerunt paucæ, quæ non adeò magnâ ferebantur malitiâ. Illa autem dolore confecta, vt quæ talem ſubiiſſet calũniam, quæ ne in eius quidem mentem venerat, nec rem potuiſſet tolerare, ſe clàm iecit in fluuium, & ſic obiit. Cùm autem id ſenſiſſet ea quæ ipſam fuerat calumniata, & vidiſſet ſe malitioſè eam fuiſſe calũniatã, fraternitati tantũ attuliſſe dolorem; ipſa quoque ſe clã ſuffocauit, cùm factum ægrè ferret. Cùm autẽ veniſſet presbyter, reliquæ virgines ei rem renunciauerũt. Iuſſit itaque pro nullâ harũ fieri oblationem. Eas autẽ quæ non pacẽ agebant, vt quæ conſciæ erant illius quæ fuerat calumniata, & quæ dicta ſunt crediderant, ſeptenniũ ſegregauit, eas excommunicans.]

Elucet in hoc exemplo manifeſtiſſimè quòd eſt apud Ennodium lib. 2. epiſtol. 12. [Autorem repetunt tela, quæ indocilis aduerſus alterum manus emiſerit.] Idem in Præcepto de Cellulanis. [Nulli dubium eſt, hominem qui carnalis concupiſcentiæ illecebras, ſacri amator inſtituti, magiſtra viuendi arte domuerit, & præceptorum falce cœleſtium, erraticos palmites de conuerſationis ſuæ radice ſuſtulerit, vitali traditurus incendio, fructuoſa plantaria, ad ſupernũ fouere volitura compendium, vnde annuas diuina iuſſa capiunt penſiones, & eum ſicut ſynceritate innocentiæ, ita opinionis luce gratulari. Nec bonorum facem meritorum maledicentis credendum eſt extingui poſſe conflatu. Quomodo & ſi dente tangatur inuidi ſplendor vitæ, vmbram venenatæ oblocutionis excludit, Auctorem repetũt tenebræ, quę ad inuoluendum iubar aptantur: nitorem ſyderum, nox infuſa non obruit; Ad genium claritatis proficit cum obſcuritate conflictus: lunaris globi miniſterium, die recedente plus rutilat, & placet ſuo lumine, dum fugat alienum. Sub externum ius non mittitur, qui lucem facere vt auctor aſſumit.] Et mox de inconcuſſa & illæſa piorum ad omnes calumniæ turbines ſecuritate, retorto tantum in autores nocumento: [Exercentur quidem ſanctæ animæ ſermonibus æmulorum, & ad gloriæ augmenta deputant, quicquid contra earum meritum accuſator ingeſſerit: ſicut doctor gentium clamat, homines oblocutionibus exerceri. Vt ſolent arbores, quæ ad terræ penetralia validis radicibus peruenerunt deſpicere flabra ventorum, & certamina procellarum, ſtabilitate propria animante contemnere: ſic illi repudiantes ſuperſtitioſi quæ impacta fuerat caligo figmenti

figmenti, per ſudum radios bonæ conuerſationis oſtendunt. Nam dum quis illorum obiectis, conſcientia teſte congreditur, ad triumphi ſpem interna æſtimatione percurrit.] Vt non eſſet verum vbiuis, quod in exemplis propoſitis ex Palladio liquidò cernitur, & ab Ennodio iure confirmatur, ea ipſa infamationis & alterius generis mala quorum quis alteri per calumniam autor fuerit, recidere in calumniatorem; ſemper tamen & vbique valet, quòd cadat in laqueum quem innocenti ſtruxit, iuxta egregiam D. Auguſtini doctrinam in Pſal. 34. ad illud; *Gratis abſconderunt mihi corruptionem muſcipulæ ſuæ.* Vulgara habet, *interitum laquei ſui.* Id eſt laqueum ſuum mortiferum. Sic igitur ibi D. Auguſtinus. [Quid eſt *gratis*? Quibus nihil malè feci, quibus nihil nocui. *Vanè exprobrauerunt animā meam.* Quid eſt *vanè* Falſa dicentes, nihil probantes. Veniat illis muſcipula qnam ignorant. Magnifica retribntio, nihil iuſtius. Illi abſconderunt muſcipulam, vt ego ignorarem: illis veniat muſcipula quam ignorant. Nam ego ſcio muſcipulam ipſorum. Quæ autem muſcipula illis ventura eſt? Illa quam ignorant. Audiamus ne fortè dicat, illa veniat illis muſcipula quam ignorant. Fortè aliam ipſi abſconderunt, alia aliis ventura eſt. Non. Sed quid? *Criniculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Inde decipiuntur, vnde decipere voluerunt. Inde illis nocere conati ſunt. Sequitur enim, *Et captio quam occultauerunt; comprehendat illos.* Tanquam ſi quiſquam veneni calicem præparet alicui, & oblitus bibat. Et tanquam ſi foueam fodiat quiſquam, in qua quiſque inimicus eius in tenebris incidat: & ille oblitus quod foderat, ambulans ea via, priùs illuc cadat. Prorſus fratres mei ita credite, ita certiſtote: ita ſi eſt in vobis excellentior prudentiæ ratio, videte atque perſpicite. Nemo malus, qui non ſibi priùs noceat. Sic enim eſſe putate malitiam, quomodò ignem. Incendere vis aliquid aliud: illud quod admoues, priùs ardet; niſi ardeat, non incēdit. Facula eſt, hanc faculā apponis vt aliquid incendat: numquid non ipſa facula quā apponis, prior ardet, vt aliquid poſſit incēdere? Malitia autē procedit ex te, & quem priùs vaſtat niſi te? Quò profundit ramum, lædit; vbi radicem habet non lædit? Equidem dico, quod malitia tua, vt alteri non noceat fieri poteſt: vt autem tibi non noceat, fieri non poteſt. Nam quid nocuit Sancto viro Iob, de quo prælocuti ſumus? Quomodò in alio Pſalmo dicitur, *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Quid fit de acuta nouacula? Capilli, res ſuperfluæ deciduntur. Quid ego facis ei quem vis nocere? Si nequaquam tibi ad malum conſentiat cui vis nocere, non malitia tua ei nocitura eſt, ſed ſua. Si autem intus ipſe malitiâ careat, & cor mundum ſubdat illi voci dicenti, *Salus tua ego ſum,* forinſecùs oppugnas interiorem hominem, non expugnas: malitia tamen tua ab interiore tuo procedit, te priùs inanem reddidit. Tn putris es intus, vnde iſte vermis proceſſit, intus nihil integrum dereliquit. Et captio quam occultauerunt, comprehendat eos, & in muſcipula incidant in ipſa.]

Quis vetet in calumniatorem, alterius euerſione ſemetipſum euertentem transferre quod Petronius Afranius lepido Epigrammate, de Cato picæ voratore his verbis ſcripſit.

Mordaces morſu ſolitus cōſumere mures,

Inuiſum

Inuiſum & domibus perdere dente genus;
Catus in obſcuro cepit pro ſorice picam,
Multiloquumque vorax ſorbuit ore caput.
Pœna tamen præſens pradonem plectit edacem,
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam.
Faucibus obſeſſis vitalis ſemita ceſſit,
Et ſatur eſcali vulnere captor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta perenne?
Hoſtem pica ſuum, mortua diſcruciat.

Ita planè calumniatori contigit. Ab eo ipſo namque quem vorauit & abſorbuit, miſerè conficitur.

CAPVT III.

Monita Auditoribus, de non temerè credendo calumniæ.

INtereſt permagni ad obſtruendum calumniarum aditum, auditores quoque apud quos calumnia in alios ſtruitur, informare. Nam ſi auditores non præberent calumniatori bibulas patulas aures, ſed iuxta ſapientis monitum ſepirent eas ſpinis; ferè deeſſet qui calumnias ingereret. Quia verò iuris noſtri plerunque non eſt, aures corporis occludere calumniis, illud ſaltem annitendum, ne facilis aſſenſus iiſdem præbeatur ex ſolo vano rumore, non ſatis inſpecta re, nec altera aure delato ſeruata,

Improborum id eſſe peculiare vitium, vt temerè credant quæ per calumniam iactantur in innoxios, Exploratum eſſe debet, recteque conſtitutum eſt à Menandro, cuius illa ſunt præclarè dicta.

Calumniis quiſquis fidem præbet citò,
Aut ipſe mente moribuſque eſt improbus,
Aut mente eadem caſſus, & prorſus puer.

Rationem optimam illius facilitatis malorum in aſſentiẽdo calumniæ, reddit S. Ioannes Eleemoſynarius, referente Leontio Epiſcopo Neapoleos, geſtorum Sanctis Antiſtitis ſcriptore. Narrata enim calumnia in probum ac pium Monachum, quod ex Porphyria meretrice ſuſcepiſſet puellum, qui tamen à Porphyria Monachi ſalutaribus monitis informata, benignè è media via in qua expoſitus iacebat, ſublatus fuerat, additur in illis Actis, eum rumorem quaquauerſum eſſe diſſeminatum, & paſſim creditum. [Ita ferè ſunt homines prompti ad credendum ſuſpicionibus, & maximè qui ſunt mali & flagitioſi, & à ſe habent acceptam credendi occaſionem. Statim enim tanquam è propinquo teſtes ſeipſos accipientes, alios accuſant facilè, ſimul, quidem ſe volentes explere deliciis talium cogitationum & verborum, & cupientes eſſe alios ſimiliter improbos, & ſic ſtudentes vitare plagas quæ inferuntur eis à conſcientia] Præiuerat S. Athanaſius in Apolog. ad Conſtantium, vbi credulos calumniis in Scriptura memoratos monſtrat fuiſſe impios Sic enim ſcribit de Arianis. [Digni ſunt quos auerteris

auerſeris, odioque habeas, quòd quales ipſi ſunt, tales etiam ſuos auditores æſtiment, perſuadeantque ſibi calumnias apud te plurimum valituras, exemplo à Doeg mutuato, cuius inſidiæ contra ſacerdotes plurimùm valuere; ſed auditor ibi Saül ille iniuſtus fuit. Iezabelis quoque itidem calumniæ noxam religioſiſſimo Nabuthæ intulerunt; verùm & ibi, Achab ille malus & præuaricator, aurem præbuit. Contrà ſanctiſſimus ille Dauid, cuius te imitatorem pro omnium votis eſſe decet (id enim nemo non optat,) iſtiuſmodi homines ad ſe nequaquam admittit, ſed vt rabioſos canes auerſatur, ita dicens, *Detrahentem clanculum proximo ſuo, perſequebar.* Seruabat enim præceptum hoc: *Non recipies rumorem vanum.*] Verùm laus quam hîc Dauidi pangit S. Athanaſius, & quod inde probat viros iuſtos ægrè aſſentiri calumniæ, infirmari videtur aut etiam ſubrui, exemplo iudicij à Dauide lati contra Miphiboſethum Ionathæ filiū, quem ad falſam Sibæ calumniatoris delationem euertit bonis. Vnde plerique Patrum temeritatem iudicij Dauidis in eo euentu ſugillant, nec aliter excuſant, quàm ex obreptione illi facta in tanta negotiorum denſitate. S. Gregorius lib. 1. dialog c.4. prolata ſurreptione qua Romano Pontifici aduerſus S Equitium ſtructa calumnia fuerat, cùm Petrus qui ibi cum ſancto Gregorio colloquitur, mirari ſe diceret, tanto Pontifici excidiſſe vt temerè crederet, reſpondit. [Quid miraris Petre, quia fallimur qui homines ſumus? An menti excidit quòd Dauid qui prophetiæ ſpiritum habere conſueuerat, contra innocentem Ionathæ filium ſententiam dedit, cùm verba pueri mentientis audiuit? quod tamen quia per Dauid factum eſt, & occulto Dei iudicio iuſtum credimus & tamen humana ratione qualiter iuſtum fuerit, non videmus. Quid ergo mirum ſi ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non ſumus? Multum verò eſt, quod vniuſcuiuſque præſulis mentem curarum denſitas vaſtat. Cumque animus diuiditur ad multa, fit minor ad ſingula tantoque ei in vna qualibet re ſurripitur, quantò latiùs multis occupatur.]

Theodoretus l.1. hiſt. Eccleſ. c.33. Conſtantinum vtcunque excuſaturus qui implanatus à falſi nominis Epiſcopis, præproperum in S. Athanaſium iudicium condemnatorium tulerat, adducit exemplum Dauidi æquè à ſibi calumniatore decepti. [Fidem (inquit) adhibuit Epiſcopis qui occultare ſtudebant veritatem, illuſtrem quandam vitæ ſpeciem præ ſe ferentes, qua Imperatorem dolo deluſerunt. Neque ſanè eos fugit qui ſunt in ſacris literis eruditi, Dauidem Prophetam, teuera deceptum fuiſſe. Quem non Pontifex ſed verna & verbero (Sibam dico qui falſum crimen contra Miphiboſeth detulit ad Regem, illiuſque agrum ſuum ita reddidit) veteratoriè circumuenit. Atque iſta quidem dico non quò Prophetam inſimulem, ſed quò pro Imperatore reſpondeam, oſtendamque humanæ naturæ imbecillitatem, & doceam ſimul non ſolis accuſatoribus credendum; quamuis digni videantur quibus ſit habenda fides, ſed alteram aurem integram ſeruandam reo.]

Petrus Damiani l.1 Epiſt. 4. dolens S. Leonem IX. calumniatoribus ipſius Petri aſſenſum eſſe faciliùs quàm par fuerat, ſic ad eum ſcribit. [Hoc ſaltem dicam accuſatoribus meis, quod plebs Iſraëlitica dixit prædicatoribus ſuis: *Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum co-*

ram Pharaone & ſeruls eius. Antiquus namque hoſtis, timens ne ego poſſem vobis ſuggerendo deſtruere quod ille in iſtis partibus non deſinit quotidie nouis adinuentionibus fabricare, malignātium aduerſum me linguas exacuit; complices ſuos ad componenda mendacia, quoddam ſibi velut organum fecit, per vaſcula ſua crepuit, & malitiæ ſuæ virus ſacris auribus inſtillauit. Et quid mirum, ſi Domino meo tantis oppreſſo negotiis verſuta calliditas hominum ſubrepere potuit, cū & Dauid, qui prophetico plenus erat ſpiritu, dum Sibæ inconſultiùs credidit, innocentē protinus Miphiboſeth ſententiæ proſcriptionis addixit? Tantumque apud eum falſæ accuſationis ſermo præualuit, vt plectibilem ſeruum in herilis conſortium hæreditatis aſciſceret, & infidelitatis reum libertatis dignum præmio iudicaret.]

Hæc apertè ferunt; Dauidem nimis credulum Sibæ calumniatori fuiſſe, & temerè aſſenſum præbuiſſe calumniæ, tametſi non deſunt qui Dauidem hic quoque illimem ſtatuant; & latè Petrus Ioannes Oliui q. 5. textuali, expendens amorem perpetuum Sibæ in Miphiboſethum quem quaſi filium nutriuerat, vt proinde non ſit veriſimile eum falſa narraſſe, præſertim cum non cogitaret quale præmiū rependendum eſſet calumniæ. Expendit inſuper totius cognationis Saulis odium in Dauidem, vt ex Semei coniicere licet. Miphiboſetho igitur non occurrente cum Siba vrgentiſſimo indicio captata per eum in regnum regreſſio, facta credibilis Dauidi eſt abſque temeritate. Addit idem Autor, Dauidem cum Sibæ dixit *Tua ſint omnia*, id non denuntiaſſe definitè ac immobiliter, priuſquàm per ſe vel per delegatum rem diſcuſſiſſet; vnde in ea ſententia ſubintelligebatur conditio, *ſi contrarium eius quod tu dicis, non inuenero.* Meditatur præterea defuiſſe Miphiboſetho vel vnum fide dignum teſtem, eorum quæ pro ſe excuſauit: nec capillus impexus & intonſus, ac illoti eius pedes, admodum fulciebant eius cauſam; cum potuiſſet in omnem euentum doloſè eas notas mœroris, ob turbas excitatas ſeruare, mox poſiturus ſi penes Abſalonem ſtetiſſet victoria. Quanquam ne nihil etiā aliquali probabilitati innocentiæ Miphiboſethi deferre videretur, temperauit Dauid audito Miphiboſetho ſententiam, bonorum medietate eidem reſeruata, altera autem ſeruo eius addicta, atque adeo non penitus à Miphiboſetho abalienata.

Hæc pro Dauide & Siba autor ille, ſed contra Miphiboſethum, quem plerique Patrum agnoſcunt innoxium, & calumnia ingrati ſerui apud malè credulum Dauidem iniuria circumuentum. Nec dubitant ij Patres admittere humani quippiam in ea re obrepſiſſe Dauidi pro more magnorum qui ſunt in terra, quibus nihil accidit ſiue frequentius ſiue damnoſius, quàm ignoratio veri, vt dico in Morali diſtinctione 1. num. 152. cui labi nectitur vt plurimum credulitas eorum quæ ad eos perferuntur; & quia ſola renuntiantur, vera apparent; ac vix poſſunt exactè diſcuti, ob negotiorum denſitatem aliò auertentem Principis animum. [Eſt vitium (ait ſanctus Bernardus libr. 2. de conſiderat. cap. 14. alloquens Eugenium Papam,) cuius ſi te immunem ſentis inter omnes quos noui ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis me iudice ſolitarius, quia veracitèr ſingulariterque leuaſti te ſupra te, iuxta Prophetam. Facilitas

crudelitatis hæc eſt, cuius callidiſſimæ vulpeculæ, magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in abſentes.] Hæc Dauidi impoſuiſſe viſa eſt aliquibus Patribus, in cauſa Miphiboſethi, quò attentiores eſſe par eſt alios, ne ibi offendat vbi vir tantus impegit, caueantque ſupra omnia ne calumniatori ſoli aures aperiant, inaudito altero qui appetitur. Ego tamen ſuprà ſection. 2. ſerie 2. cap. 10. Dauidem hac in parte purgatum dedi, nec temerè calumniæ credidiſſe monſtraui.

Deus vt nobis hac in parte exemplo præiret, non ad rumorem fert iudicium, ſed quaſi cunctabundus & moroſus ad credendum, ait ſe deſcenſurum, vt videat verane fuerit delatio quam de criminoſis acceperat. Notauit hoc ſanctus Gregorius l. 6. indict. 15. epiſtol. 13. ſcribens ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem calumniis oneratum, præfatus morem Satanæ eſſe grauare calumniis innoxios. Addit enim. (De veſtra igitur ſanctitate abſit à Chriſtianorum iudicio: vt ea quæ maledicorum hominum rumoribus confiſta ſunt, credamus in qualicunque modulo ſuſpicionis adduci: quia ex ſacri eloquij teſtimonio tenemus, vt maiora mala cùm forſitan dicuntur niſi probata credi non debeant: ſed probata citiùs vlciſci. Nam ipſe qui omnia creauit, & cuncta quæ condidit intuetur Deus, malorum grauium vltione commotus, ait; *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ aſcendit ad me, deſcendam vt videam vtrum clamorem quem audiui, opere compleuerint, & vlciſcar, an non eſt ita vt ſciam?* Quò enim deſcenderet Deus, vt quæ eſſent facta cognoſceret? Aut quid non is qui vbique eſt ſciret? Sed vt noſtræ ignorantiæ exemplum diſcretionis daret, quatenus deberemus mala grauia audita non credere: ipſe ſe dicit ad cognoſcendum deſcendere, de quo omnibus liquet, quia & non deſcendens omnia ſciret. Hæc igitur dixi, vt nimiæ eſſe leuitatis oſtenderem, ſi quis mala grauia credere ſtudeat, quæ probari non poſſunt.]

Petrus Damiani ad eandem mentem ſic habet l. 1. epiſtol. 4. ſcribens ad ſanctum Leonem IX. qui facilis fuerat ad aſſentiendum iis quibus ipſe Petrus fuerat paſſus calumniam. [Si creatoris noſtri facta vigilanter attendimus, ad credenda cuiuſlibet mala fidem adhibere facilè non debemus. Ipſe enim, cuius oculis nuda, & aperta ſunt omnia, non dedignatus eſt dicere: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Quod profectò ad nihil aliud dictum videtur, niſi vt humana doceatur ignorantia, ſine experimentis, audita non credere, incognita non leuiter adiudicare, nec ante ſententiam promere, quàm rem dubiam teſtimoniis approbarit.

Ne pateant faciles ſæuis rumoribus aures. Quæ neſcire iuuat, credere non libeat, ait Proſper Epigram. 21. Adducuntur in eandem ſententiam permultì alij in Gemitu Columbæ de iudiciis ſæculi. Formabat itaque meritò ſe ad hoc exemplum Petrus Cellenſis l. 7. epiſtola 9. delationes quibus pulſabatur, non fouens, vel prouocans nimia credulitate & facilitate aſſenſus. (Ne-

Digitized by Google

que ſubitaneus (inquit,) neque repentinus ſoleo res magnas diſponere, ſed cum multa maturi conſilij deliberatione, finis cauſarum appenſione. Inde eſt amice chariſſime quòd non ſtatim credo omni ſpiritui propter illum qui transfigurat ſe in Angelum lucis, & ſub pallio conſultationis, offert ſæpè venenum deceptionis. Vitium autem eſt, omnibus credere & nulli. Exemplo igitur illius, qui omnia nouit antequam fiant, & tamen deſcendit per Angelos, probare vtrum clamor Sodomorum qui aſcenderat ad cœlum, opere compleretur, an non; diu ſubſtiti acquieſcere rumoribus quotidianis de fratribus noſtris.]

S. Baſilius ſuam item hac in parte praxim, & moroſum ac cunctabundum ad calumnias aſſenſum, memorat epiſtol. 54. dicens, id ſe hauſiſſe ex præcepto ſpirituali, quo vetamur admittere eum qui infamia aliqua proximum notat.

Etiam Ethnici ſolo lumine naturæ ducti non conſultis diuinis oraculis, facilitatem hanc credendi calumniatoribus, ſeuere damnarunt. Seneca l. 2. de Ira cap. 29. egregiè id præſtat his verbis. [Ex his quæ nos offendunt; alia renuntiantur nobis, alia ipſi audimus, aut vidimus. His quæ narrata ſunt, non debemus citò credere. Multi ementiuntur, vt decipiant: multi, quia decepti ſunt. Alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluiſſe factam. Eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit. Eſt ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, & ex longinquo, tutóque ſpeculetur, quos commiſit. De paruula ſumma iudicaturo, tibi, res ſine teſte non probaretur. Teſtis ſine iureiurando non valeret: vtrique parti dares aduocationem, dares tempus, nec ſemel audires. Magis enim veritas elucet, quò ſæpius ad manum venit. Amicum condemnas de præſentibus, antequàm audias, antequàm interroges? Illi antequàm aut accuſatorem ſuum noſſe liceat, aut crimen, iraſceris? Iam enim, iam quid vtrimque diceretur, audiſti? Hic ipſe qui ad te detulit, deſinet dicere, ſi probare debuerit. Non eſt, inquit, quòd me protrahas. Ego productus negabo. Alioqui nihil vnquam tibi dicam. Eodem tempore & inſtigat, & ipſe ſe certamini & pugnæ ſubtrahit. Qui dicere tibi niſi clàm non vult, penè non dicit. Quid eſt iniquius, quàm ſecretò credere, palàm iraſci?]

Lucianus lucubrationem edidit integram. de non temerè credendo calumniæ. Extremam clauſulam qua obſignat longam ea de re diſputationem, iuuat adſcribere. Retulerat etiam innocentiſſimos quoſque, per calumniam fuiſſe notatos, & ab iis ſæpè inſimulatos, qui minùs debuerant. Tum addit, interrogans quandoquidem non omnibus planè aliquid deferentibus negari fides poteſt. [Quid igitur faciet vir prudens in re ambiguâ? Sanè opinor quod Homerus in Sirenum fabulâ docet, pernicioſas talium ſermonum delicias nauigio prætereat, obturet aures, nec paſſim aperiat affectui cuipiam obnoxiis: ſed ianitore ſedulo ac fido adhibito, ratione videlicet ac iudicio animi, recta dicentes recluſis foribus excipiat, inutiles nugas abdito peſſulo arceat. Nempe ridiculum fuerit, datum ædibus ianitorem, officio ſuo defungi, aures mentéque vulgo patere Poſteaquam ergo tale quiddam calumniatum audieris, tute apud animum tuum rem ipſam perpende. Nihil attinet, qualis ſit qui accuſat, nihil ad rem faciunt alieni

mores

mores, nihil accuſationis acrimonia: quin eo maiore cura rem diſcute, quò inſtructior venit delator. Neque item credere conuenit iudicio & exiſtimationi alterius, imò accuſantis odio: ſed ſuum veri examen apud nos accuratè ſeruandum eſt, ſuæ item calumniatoris inuidentiæ, partes dandæ: denique quod vtrinque argumenta ſuaſerint, ſtatuendum. Tum vel odiſſe, vel amare, quem diligenter explorauimus, licèt priuſquàm id factum ſit, calumniæ concedere in primo ſtatim congreſſu, hercle nimis quàm puerile eſt, ac indignum viro, longéque à iuſtitia ſemotum.

Herodianus lib. 7. [Calumnia res iniquiſſima, in qua duo quidem ſunt qui inferant iniuriam, vnus qui ferat.] Tertius iſte, is ipſe eſt qui calumniam patitur, duo priores ſunt calumniator, & qui calumniatori aſſenſum præbet, temerè ac bibulis auribus excipiens delationem.

EX MARCI ANTONII MVRETI LYRICO CARMINE, contra Calumniam.

NON ſic timenda eſt in Lybiæ iugis,
Quæ matre rupta, viſcere naſcitur:
Non ſcorpij cauda minaces
Non geniti ſub aquis Chelydri.
Non herba tetro noxia gramine;
Quamcunque tellus Theſſalis educat:
Non illa quam ſtillante rictu,
Spuma canis genuit triformis:
Dira vt latentis tela calumniæ;
Quam Dite tellus ſuſtulit ex Patre
Nefariam; inſomneſque fictis
Criminibus premere efficacem.
Hæc conglobatis ſuſpicionibus
Beli nepotem perdidit, hæc mala
Adegit ad potum cicutæ,
Innocuum Sophiæ parentem.
Dum Phœbus Indos exoriens nouo
Afflabit igni; Bæticolas cadens
Non vlla Theſida modeſti
Sæcla pudicitiam tacebunt:
Aggreſſa blandis hunc ſua fraudibus
Nouerca pellax, quid iuuenum decus
Labentis iſtud ver iuuentæ
Perdis, ait, tenerumque florem?
Cur editorum per iuga montium
Antris latentes perſequeris feras
Tibi abſque telis, retibuſque
Præda domi melior parata eſt.

INDEX

Rerum præcipuarum quæ in hoc volumine continentur.

A

S. Acepſimas.

PER ſexaginta annos mãſit incluſus. p. 438
A quibuſdam hoc diabolicæ paſſioni, aut fatuitati tributum. ibid.
Quàm ſit immanis hæc calumnia. ib.

Adamus.

Adamus ſocietatis cum Satana infamatur. p. 136
Calumnia hæc caſtigatione digniſſima oſtenditur. ibid.
A Rabbinis malè feriatis dehoneſtatus. p. 441
Refelluntur Rabbinorum nugamenta de Adamo. ibid.

Adelais

Adelais Auguſta inceſtæ coniunctionis cum Othone Imperatore accuſatur. p. 186. 187
Ipſius vita ab Odilone Cluniacenſi conſcripta omnibus virtutum radiis præfulgens inceſtas Adelaidis nuptias ad Calumniam referendas eſſe perſuadet. ibid.

Adrianus I.

Simoniæ ſuſpectus fuit. p. 125
Calumnia hæc repellitur. ibid.

Adrianus VI.

Auaritiæ notatus. p. 345
Purgatur ab hac calumnia. ibid.

S. Ætherius.

Calumniam ſuſtinuit ſacrilegæ commixtionis. p. 194
Liberatur ab hac calumnia. ibid

S. Agobardus.

Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, annumeratur Iconomachis. p. 87
Reiicitur hæc calumnia. ibid.

Agricola.

Agricola Voburgenſis infamatus deſperationis. p. 405
Deus ipſe calumniæ huius depulſor ibid.

Albertus Magnus.

Apud aliquos ſpurciloquus audiuit, & obſtetricationis peritus. pag. 361
Depellitur calumnia. ibid.
A non paucis magus eſt habitus. p. 149.
Refellitur hæc calumnia. p. 150

Albertus

Albertus Dux Brunſuuicenſis.

Albertus dux Brunſuuicenſis, & Bremenſis Archiepiſcopus *Androgynus* dictus. p. 440

Fuiſſe calumniam monſtrarum eſt per multiplicem inſpectionem cui ſe ſubiecit. p. 441

Alexander III.

Magnæ arrogantiæ notatur quod Federicum Venetiis ad valuas Eccleſiæ S. Marci iuſſerit coram vniuerſo populo humi proſterni & veniam poſcere, proſtratique collo pedem impoſuerit. p. 320. 321

Hæc fabuloſa & per calumniam impacta eſſe oſtenduntur. ibid.

Alexius Protoſtator.

Per calumniam magiæ incuſatus p. 149.

S. Ambroſius.

Ambroſius Aëtianiſmi inſimulatur. p. 83

Perperam & calumnioſè errorem illum impoſuit Medina. ibid.

Ambroſius tanquam prodigus ab Arrianis reprehenſus. p. 347

Exploditur ab Auguſtino hæc calumnia. ibid.

Ambroſius à S. Hieronymo dictus plagiarius p. 251

Verba Rufini purgantis eam calumniam teferuntur. ibid.

Ammonius.

Ammonium abiecto Chriſtianiſmo tranſiiſſe ad Ethniciſmum, manifeſta eſt calumnia. p. 55

Anachoreta.

Anachoretæ, cuiuſdam miſanthropiæ incuſati. p. 308

Item inertiæ & inutilitatis in genus humanum. ibid.

Iſta ſimul refellit & damnat Auguſtinus. ibid.

Anaſtaſius Imperator.

Quàm ſtrenuus calumniator fuerit. p. 172.

Synodum Chalcedonenſem infamauit vt Neſtorianam. ibid.

Symmachum vt Manichæum. ibid.

Anaſtaſius Sinaita.

Prodigalitatis & profuſionis in rerum Eccleſiæ diſpenſatione accuſatus. p. 349

Defenditur ab Euagrio. ibid.

Eximiè laudatus à S. Gregorio. ibid.

Anaſtaſius II.

Anaſtaſius II. Romanus Pontifex mala morte proſtratus dicitur, & cur. p. 445.

Euertitur fundamentum iſtius calumniæ. p. 446

Andreas Chius.

Calumnia immanium blaſphemiarum pulſatus eſt. p. 108

Mendaces oſtenduntur qui maculauerunt illum. ibid.

Andreas Meſſenius.

Quomodo calumniam furti ſit paſſus. p. 241.

S. Angadriſſina.

S. Angadriſſina leproſis per calumniam annumerata. 438

Precibus à Deo euicit, vt ſpecioſitas qua omnibus erat admirabilis, deformaretur. ibid.

Lepra quâ ad tempus ſorduit, vt ſemper virginitate niteret, non potuit ad probrũ pię Virginis pertinere. ib.

S. Angelus.

S. Angelus ex Ordine Carmelitarum hypocrita triſtis eſt appellatus. p. 329

Quantum abfuerit ab hypocriſi monſtratur. ibid.

Anna.

Anna mater Samuëlis, temulentiæ notata eſt ab Heli. p. 357

Eum habuit propugnatorem, quem habuerat calumniatorem. ibid.

Anna inſimulata eſt ob ſterilitatem à Deo illatam in pœnam culparum. p. 431

Euaneſcit

Euaneſcit hæc calumnia. ibid. & 432

S. Anno.

S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus molitionis in Rempublicam reus per calumniam factus. p. 294
Qua ratione calumniam repulerit. p. 294
De immoderata clementia redargutus. p. 375
Ab aliis contrariæ calumniæ nota fuit inuſtus. ibid.
Repelluntur hæ calumniæ. ibid.

S. Anſelmus.

Anſelmus & eius magiſter Lantfrancus, calumniam paſſi ſunt, quod eſſent Tritheitæ. p. 75
Calumniam refellit ipſe Anſelmus. p. 75
Anſelmus Cant. Epiſc. de ſchiſmate notatus. p. 92
Quàm falsò tali probro afficeretur ipſemet exponit. ibid.
Anſelmus inſimulatus ſuperbiæ & adamatæ prælationis. p. 320
Interpoſito iuramento ſe purgat. ibid.

S. Antonius Vlyſſiponenſis.

Leuitatis & inconſtantiæ notatus, & cur? p. 430
Nota hæc eſt apertè calumnia, neque vllo modo ferri debet. ibid.

Antiſtes.

Antiſtites è religioſo ſtatu aſſumptos apoſtatas à vulgo cenſeri refert Valdenſis. p. 153
Quam atrox ſit hæc calumnia. ibid.

Apoſtaſia.

Apoſtaſia continet receſſum plenum à fide Chriſti cum tranſgreſſione ad alium cultum. p. 54
Eſt horrendum peccatum. ibid.
Calumniam deſertæ per apoſtaſiam Chriſtianæ fidei quinam ſubiere p. 55
Apoſtaſia à Religioſo Ordine eſt Crimen horrendum. pag. 152
Quinam tam tetræ labis infamia calumnioſè grauati. ibid.

Apoſtoli.

Dicti ſunt Ebrij & muſto pleni. pag. 358
Quam fuerit pinguis hæc calumnia, monſtrat S. Fulgentius. ibid.

Arnulphus.

Inſimulatus eſt turpis conſuetudinis cum Regina. p. 195
Calumniatores eius à Deo confuſi. ib.

Aſclepas.

Altaris ſacrilegè euerſi inſimulatus. p. 131
Fuit merâ calumnia ibid.

Aſſentatio.

Aſſentatione nihil familiarius in aulis. p. 271
Eſt oleum peccatoris. ibid.
Aſſentationis fœditas. ibid.
Viri aliquot inſignes aſſentationis falsò notati. ibid.

S. Athanaſius.

Athanaſius molitionis in Rempublicam pulſatus ſæpe. p. 287
Ex Sozomeno calumniæ impactio, & eius dilutio fit manifeſta. ibid. & ſeq.
Athanaſius ſuperbiæ & quidem ineffabilis notatus. p. 312
Calumnia hæc malè materiata oſtenditur. p. 313
Athanaſius auaritiæ ab Arianis infamatus. p. 342
Recenſentur variæ aduerſus eundem calumniç & refelluntur. ibid. & pag. 129. 131. 132. 144 158. 189. 239. 249
S. Athanaſius de ignauia bono Paſtore indigna, eſt infamatus. pag. 598
Hanc calumniam diluit ipſe in Apologia de fuga. ibid.

Atheiſmus.

Atheiſmi probrū quale, ac quātū p. 40.

Huius ſceleris inſimulati olim Chriſtiani omnes. p.41
Vnde hæc calumnia in Chriſtianos manarit. ibid.
Diſpellitur hæc calumnia. p.42
Atheiſmi ſcelus Papæ & Cardinalibus impactum à Caluino. ibid.
Quod hæc ſit calumnia etiam viuicomburio digniſſima oſtenditur. p.43

Auaritia.

Auaro nihil nequius. p.341
Auaritia vocatur Idololatria. ibid.
Quinam viri ſancti hoc probro per calumniam notati. ibid.

Auerſio.

Auerſus à piis & religioſis Affectus quam grauis culpa. p. 274
Qui notati ſint huius probri per Calumniam. p.275
Auerſio à principe per odium quam fœda ſit macula. p. 279
Calumnias hac in parte ſuſtinuerunt Sancti Dei. p. 280

S. Auguſtinus.

Calumniam paſſus, quaſi docuiſſet, nuptias à Deo inſtitutas non fuiſſe. p. 69
Diluit calumniam. ibid.
Ætianiſmi inſimulatur. p. 83
Perperam & calumnioſè errorem illum ei impoſuit Medina. p.83
Auguſtinus ſub extremam vitam paſſus eſt calumniam refuſæ in Deum ruinæ hominis peccatoris, & ſubductæ eidem poteſtatis ſuæ ſalutis. p. 84
Fuiſſe calumniam latè proſequitur author. ibid.
S. Auguſtinus grauatus eſt infamia multarum blaſphemiarum. p.105
Calumniæ iſtæ à Proſpero collectæ & depulſæ. ibid.
Auguſtinus à Secundino Manichæo ambitionis accuſatus. p.315
Refertur ab ipſomet Auguſtino, & refellitur hæc calumnia. ibid.
Calumniam ſuperbiæ paſſus cum Ordine ſacro initiandus eſſet p.313

Aurelianenſis Puella.

Calumniam paſſa magiæ. p.151
Vnde manauerit occaſio calumniæ. ibid.
Eluitur Calumnia. ibid.

Auſonius.

Auſonius ſcripſit licentius nonnulla quibus aures caſtæ offenduntur. p. 56
Nec idololatra, nec fidei deſertor vnquam fuit. ibid.

Auſtregiſilus.

Furti poſtulatus eſt. p. 241
Eius innocentia qua ratione comperta. p.242

S. Auxentius.

Ab homine impio planus & Impoſtor vocatus. 262. 263
Malignitas impij Calumniatoris exprimitur à Metaphraſte. ibid.

B

S. Baſilius.

Reus de fide Chriſtiana violata eſt factus. p. 65
Impoſitas ſibi circa fidem calumnias fortiter repulit. ibid.
Calumniam Tritheiſmi eluit. ibid.
Suam rectam fidem de Spiritus ſancti Deitate exponit. ibid.
Immenſis præconiis à SS. PP. honeſtatus. ibid.
Auream doctrinæ luſciniam, vocat Nyſſenus. ibid.
Quod ad Apollinarem ſcripſiſſet, inſimulatus eſt ſocietatis cum eo. p. 96.
Diluit hanc calumniam Baſilius vno verbo. ibid.
Baſilius ambitionis inſimulatus. pag. 313
Refert ipſe calumniam & refellit. ibid.

S. Bavo.

S. Bauo.

Inter latrones numeratus. p. 178
Hæc eſt manifeſta calumnia. Ibid.

Bellarminus.

Bellarminus captatæ perperam nouitatis damnatur. p. 335
Calumnia diſpellitur. ibid.

S. Bernardus.

S. Bernardus ignorantiæ bonarum literarum notatus. p. 424
Refelluntur eius calumniatores. ibid.
Referuntur aliæ de eodem calumniæ & refutantur. p. 212. 223. 264. 275. 276.

Berno.

Berno Abbas impotentiſſimi animi accuſatus. p. 370
Calumnia fuiſſe monſtratur. ibid.

Bertulphus.

Diſſipatæ apud Vambertum Comitem rei domeſticæ pulſatus. p. 243
Ab impacta furti & infidelitatis labe quomodo purgetur. ibidem

Boetius.

Boetius falſo accuſatus molitionis in Rempublicam. p. 290
Cauſa indiſcuſſa damnatus & capite percuſſus. ibid.
Calumniam hanc ſibi ſtructam deſcripſit in carcere. ibid.

S. Bonifacius.

S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus inſcitiæ damnatus. 422
Hæc criminatio iniqua, & calumnioſa oſtenditur. ibid.

Bonifacius VII.

Simoniacis annumeratus. 127
Reiicitur hæc calumnia. ibid.

Bonifacius VIII.

Rabie mortuus dicitur. 449
Hæc eſt mera calumnia. ibid.

S. Bonitus.

S. Bonitus calumniâ grauatur natalium valde infamium. p. 302
Amouetur hæc calumnia. ibid.

Bruno Andegauenſis Epiſc.

Societatis cum Berengario Sacramentariorum parente paſſim inſimulatur. 99
Repellitur hæc calumnia. 100

S. Bruno.

S. Brunoni quàm atrox hypocriſis labes impacta ſit. 328
Fuſte vel flammis repellenda dicitur hæc calumnia. ibid.

C

Calumnia. Calumniator.

Calumniæ natura, & varia adiuncta. p. 5
Sumitur aliquando in bonam partem. ibid.
Sonat interdum oppreſſionem quamcunque & violentiam. ibid.
Sumitur hîc pro falſa inſimulatione. ibid.
Calumnia quid, & quotuplex. ibid.
Calumniæ virus & malignitas. p. 7
Peccatum diabolicum præ cæteris cenſetur. ibid. & ſeqq.
Calumniator ad ſummum iniquitatis verticem prouectus. p. 14
Si in ipſo vertice iniquitatis locus aliquis eminentior, & veluti ſupremus apex cogitari poteſt, adſcribendus eſt Sanctorum calumniatoribus. ibid.
Calumniæ malignitas æſtimata ex acerbitate qua immerentem perfundit. p. 16
Calumniæ virus ex mœrore iuſti, ibid. & ſeqq.
Pœnarum atrocitas Calumniatoribus omni iure ſtatuta. p. 20 & ſeqq.
Calumniæ fontes. p. 24. & ſeqq.
Calumniatorum Genius. p. 28. & ſeq.
Qui maximè Calumniatores. p. 32. & ſeqq.
Qui magis obnoxij Calumniæ. p. 36. & ſeqq.
Triplex calumniarum ſeries, in Deum,

Digitized by Google

Proximum, perſonam ipſam cui labes imponitur. p. 40

Cardinalis.

Cardinalibus exprobratur atheiſmus à Caluino. p. 42

Falſitas huius calumniæ. p. 43

Carion.

Suſpicionem monſtroſæ fœditatis incurrit. p. 175

Quo facinore nefariæ ſuſpicionis fons occluſus. ibid.

Cartuſiani.

Tanquam ſui ipſorum oſores & homicidæ notati. p. 406

Liberantur ab hac calumnia. ibid.

Caſſius.

Bibacitatis eſt inſimulatus. p. 359

Fundamentum huius calumniæ vanum oſtenditur. ibid.

S. Catharina Suetica.

Fatuæ & ridiculæ ſuperſtitionis nomine damnata. p. 121

Eluitur hæc calumnia. ibid.

Catharina Senenſis.

A Vidua circa caſtimoniam infamata. p. 205

Chriſtus ſe calumniantium voces in ipſorum capita retorturum pollicetur. ibid.

Catholici.

Catholicos omnes apoſtaſiæ à Chriſto per calumniam damnabant Donatiſtæ. p. 55

Catholici Africani tanquam polluti communione traditorum infamati ſunt. 96

Amouetur calumnia. ibid.

Iidem quarundam cædium ſunt inſimulati. p. 157

Fuiſſe calumniam oſtenditur ex verbis Auguſtini. ibid.

Catholici hodierni paſſim blaſphemiæ notati à ſectariis, & cur? p. 108

Catholicorum variæ calumniæ referuntur & refelluntur. p. 228. 257. 325. 352. 376. 420

S. Cæſarius.

Magus à Luxurio Conſulari Magus pronunciatus eſt. p. 142

Refellitur hæc calumnia. ibid.

Proditionis calumnia grauatus. p. 289

Vindicatur ab hac calumnia. ibid.

Chriſtiana fides vide fides.

Chriſtiani.

Chriſtianis olim atheiſmi labes affiĉta. p. 41

Idololatriæ calumniam ſubiuere. p. 45

Quis autor calumniæ de capite aſini à Chriſtianis adorato. ibid.

Plurium Deorum cultores eſſe, calumniati, quod Trinitatem colerent. ibid.

Carthagine propoſita pictura cum eiuſmodi inſcriptione, *Deus Chriſtianorum Onnychites.* ibid.

Adoratio genitalium ſacerdotis Chriſtianis impacta per calumniam. p. 46

Solis cultus Chriſtianis affictus, ob adorationem Dei ad Orientem. ibid.

Chriſtiani olim notati Iudaiſmi, ſed perperam, & ex calumnia. p. 51

Vide alias Chriſtianorum calumnias. 155. 181. 228. 248. 260. 280. 285. 291. 296. 301. 304. 325. 352. 376. 395. 401. 420. & 426.

Chriſtus.

Calumnioſè blaſphemus audiuit. p. 102

Magiæ & ſocietatis cum ſatana per calumniam horrendiſſimam inſimulatus. p. 138

Latro & latronum ductor appellatus ab Hierocle. p. 168

Aliæ de Chriſto Calumniæ referuntur & refutantur. pag. 116. 138. 168. 232. 250. 285. 300. 311. 351. 357. 381. 394. 401. 418. 429.

Chune.

Chunegunde Z.
Calumniam de violata thori fide eſt paſſa, & quidem modo plane ſingulari. 213
Clemens. VI.
Cædis Conradini Sueui & Federici Auſtriaci à Carolo Andegauenſi victore patratæ, auctor fuiſſe inſimulatur. p. 166
Hoc ſpectat ad calumniam. ibid.
Clemens. V.
Imperatorem Henricum VII letho dediſſe inſimulatus eſt porrecta ei Euchariſtia veneno perfuſa. p. 171
Clementem abfuiſſe quam longiſſimè ab eo ſcelere demonſtratur. ibid.
Iniqui in Templarios iudicij à non paucis notatur. p. 236
Immanis eſt calumnia. ibid.
Clemens. VII.
Notatur Zeli præferuidi & non in iudicio ob præciſum ab Eccleſiæ corpore Henricum VIII. Angliæ Regem. p. 372
hæc Calumnia ex meris mendaciis contexta. ibid.
Clerus.
Clerus vniuerſus auaritiæ nomine male audit à laicis. p. 343
Iniuſtiſſimè hæc labes vniuerſo Clero appingitur. ibid.
Cæcus.
Creditus eſt ſuo aut parentum peccato incurriſſe Cœcitatem. p. 435
Chriſtus repulit labem falsò aut Cœco aut parentibus eius illatam. ibid.
Cæleſtinus. I.
Neſtorianiſmi Calumniam paſſus. p. 70
Refellitur Calumnia. ibid.
Notatur artificioſæ adulationis. p. 272
Refutatur hæc Calumnia. ibid.
S. Colmannus.
In Auſtria tanquam proditor ac hoſtium explorator tenetur quod illi per calumniam affligitur. p. 294
Comes Mutinenſis.
A Maria Aragona de turpitudine interpellatur. p. 211
hoc ad Calumniam pertinet. ibid.
Concilium Conſtantienſe.
Periurij inſimulatur à pleriſque hæreticis ob violatam fidem datam. 110
Hæc eſt aperta Calumnia. ibid.
Conſtantinus magnus.
Arrianiſmi à quibuſdam inſimulatus pag. 61
Refellitur Calumnia. p. 62
Liberius Papa vocat *Beatum Conſtantinum.* ibid.
Fundamenta Calumniæ Conſtantino impactæ admodum ruinoſa. ibid. & 63.
A Donaſtitis iniqui iudicij notatur. pag. 233.
Hæc labes diluitur. p. 234
A Zozymo magnæ rapacitatis accuſatur. p. 247
Refutatur hæc calumnia. ibid.
Per Calumniam vilitatis naturalium inſimulatur. p. 301
Ab Eunapio ambitionis notatur. pag. 312
Reiicitur hæc Calumnia. ibid.
A Variis Ethnicis immanis auaritiæ Inſimulatur. p. 341
Ab hac Calumnia liberatur. ibid.
Calumnioſè à ſpurciloquo Iuliano Ignauiæ notatur. p. 397
S. Cornelius.
De ſocietate cum lapſis in Idololatriam calumniam ſubiit. p. 95
Exponitur Cornelij innocentia. ib.
Stultæ benignitatis inſimulatur. pag. 373.
Eſt Calumnia. 374
Criſpus.
A Fauſta nouerca de Inceſtu apud patrem eſt accuſatus. p. 185
Fuiſſe Calumniam teſtatur S. Hieronymus. ibid.

Digitized by Google

Cupiditas.

Cupiditas immoderata fons calumniæ. p.26

S. Cyprianus.

Apud Clerum Romanum ex falſa delatione Ignauiæ notatus eſt. pag. 396

Calumniam fuiſſe monſtratur. ibid.

Cyrillus Alexand.

Cyrillus Alexandrinus, hæreſis Apollinariſtarum per calumniam reus factus eſt. p.71

Hæc calumnia ab ipſomet Cyrillo diſpulſa. ibid.

Omnium Patrum ſignaculum appellatus. ibid.

D

S. Damaſus Romanus.

Adulterij eſt accuſatus. p.109

Pinguem calumniam fuiſſe oſtéditur. ibid.

Daniel Stylites.

Attentati homicidij inſimulatur. pag. 162

Abſtergitur calumnia. ibid.

Calumnioſè à ſcorto per hæreticos ſubornato captatæ turpitudinis accuſatus fuit. p.193

Ab impuro hæretico guloſitatis notatur. p.354

Hoc ad meram calumniam pertinet. 355

Idem à Gottho, ſui blanditiæ inſimulatur. p.391

Hæc calumnia malignè illi impingitur. ibid.

David.

Hebetis pietatis & ſtolidæ in Dei Cultu operæ eſt accuſatus. p. 114

Meram fuiſſe calumniam monſtratur. 115.

Iniqui Iudicij ſemel & iterum per calumniam notatus eſt. p.231

A Sophiſtis mendacij calumniam ſuſtinuit eo quod dixerit Pſalmo 15. *Omnis homo mendax.* p.259

Deus.

Deus totius perfectionis Idæa abſolutiſſima, inconſtantiæ Calumniam ſuſtinuit,& cur? p.428

S. Dionyſius Alexandrinus.

S. Dionyſius Alex. accuſatus eſt Arianiſmi. p.59

Eius accuſationi viſus eſt ſubſcribere Gennadius. ibid.

Perperam fuiſſe accuſatum, ex profeſſo tradit S. Athanaſius. p.60.

Diſcipuli Chriſti.

Diſcipuli Chriſti apud Ethnicos Magi habiti ſunt. p.140

Refellit accuratè hanc calumniam Euſebius. ibid.

Iidem ſeductores dicti ſunt. p.261

Calumniam fuiſſe monſtratur. ibid.

Dominicani Patres.

Veneficij ſunt inſimulati. p.171

Hanc fuiſſe tetram calumniam oſtenditur. p.173

Duſtanus Cantuarienſis.

In iuuentute Magus eſt habitus. pag. 147.

Refellitur hæc calumnia. ibid.

Eduardus Rex.

Fatuus & inſanus eſt habitus. pag. 388

Remouetur hæc macula ibid. & pag. 389.

Eliſæus propheta.

Ab Achabo cauſa objectiua cladis vaſtantis per ſummam calumniam dictus eſt. p.295

Ab impijs Iudæis veſanis & emotæ mentis habitus eſt. p.380

Mera eſt calumnia. ibid. & 381.

Probroſæ perpeſſionis accuſatur. pag. 437

Fundamentum calumniæ euertitur. ibid.

Elizabetha Hungar.

Elizabetha Hungariæ Regis filia ſuperſtitionis eſt notata. p.123

Eluitur calumnia. ibid.

Elizabetha

Elizabetha Luſitan.
Elizabetha Luſitaniæ Regis filia violatæ fidei coniugalis calumniam eſt paſſa. p. 211

Emma.
De ſacrilega conſuetudine eſt inſimulata. p. 204
Atrox fuit Calumnia. ibid.

S. Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus.
Paſſus eſt calumniatores qui de eius miraculis & multis & magnis obloquebantur. p. 247

S. Ephrem.
Calumnioſè fur eſt habitus. p. 239
Occaſio eius calumniæ. ibid.

S. Epiphanius.
Epiphanij Salaminæ Cypri Epiſcopi ſinceriſſima fides. p. 66
Effuſi in eius præconia grauiſſimi Patres. ibid.
Vt Ichonomachum molitus eſt eum traducere Caluinus. p. 67
Hæc macula detergitur. ibid.
Epiphanij Charitas per calumniam interpretata dilapidatio rerum Eccleſiæ. p. 348

Epiſcopus.
Epiſcopi Germani apud ipſum Pontificem de ſocietate cum Vngaris Ethnicis eorumque in Catholicos inductione calumniam paſſi ſunt. p. 98

SS. Eremita.
SS. Eremitæ deſperaſſe ſemetipſos & homicidæ ſui ipſorum fuiſſe per calumniam dicti ſunt. p. 403

Eucharistia.
Euchariſtiæ adoratio ab iis qui Chriſtum non agnoſcunt eſſe Deum, idololatria reputatur. p. 47

Eudoxia.
Inſimulatur iniquæ ſocietatis cum Genſerico Vandalo homine Ariano. p. 99
Calumniam fuiſſe oſtenditur. ibid.

Eugenia.
S Eugenia Philippi Auguſtalis filia de ſacrilega turpitudine calumniam eſt paſſa. p. 201
Eadem calumniam paſſa eſt quaſi ſpecie medendi & præſtandi in nomine Chriſti miracula vim inferre cogitaſſet primariæ mulieri. p. 326

Eugenius Carthaginenſis.
De maleficiis fuit accuſatus. p. 146
Phariſaica omnino calumnia. ibid.

Euphraſia.
Eximia Euphraſiæ virtus à quibuſdam Hypocriſis eſt interpretata. p. 327. & 328
Calumnia hæc ſeuerè vlta. ibid.

S. Euſtathius Antiochenus.
S. Euſtathius Antioch. Sabellianiſmi calumniam paſſus. p. 64
Conſubſtantialitatis Patris & Verbi propugnator fuit. ibid.
A S. Chryſoſtomo plena laudatione exornatus. ibid.
Mulier impura Infantem recens editum detulit ad Epiſcopos dicens ſe eum ex Euſtathio concepiſſe. p. 189
Deus hanc æquiuocationem calumnioſam texexit. ibid.

F

Fauſtus Rhegienſis.
Circa doctrinam de gratiâ & libero arbitrio malè audiuit. p. 87
Exagitatus à Claudio Mameteo circa corporeitatem rerum quarumcunque creatarum. ibid.
In quo ſuſtinuerit calumniam? ibid.

Falix II. Papa.
Turpi morte obiiſſe dicitur. p. 445
Hac calumnia eſt ab iis excogitata qui Fælicis Pontificatum non habuerunt pro legitimo. ibid.

Fides Chriſtiana.
Calumniam ſuſtinuit quòd noua eſſet. p. 331
Defenditur. ibid.

Filij

Digitized by Google

Filij Prophetarum.

Filij Prophetarum à vulgo inſani habiti ſunt. p. 38

Purgatur hæc Calumnia. ibid.

Formoſus Papa.

Per ambitum ſedem Catholicam occupaſſe eſt iactatus. p. 320

Mera eſt Calumnia. ibid.

Franciſcus Petrarcha.

Magus, ſortilegus, & hæreticus aliquando audiuit. p. 150

Reiicitur calumnia. ibid.

S. Franciſcus Paulanus.

Franciſci Paulani vita, hypocriſis à quibuſdam exiſtimata. p. 330

Inſigni miraculo diſpulit ipſe calumniam. ibid.

S. Franciſcus.

A ciuibus ſuis habitus eſt inſanus. p. 389

Quàm ſapientiſſimè de falſa mundi prudentia triumpharit. ibid.

G

Gangulphus.

HEbes ac vecors à pleriſque eſt habitus. p. 119

Calumnia hæc qualiter punita. ibid.

B. Genouefa.

B. Genouefa apud maritum nequiſſimè ſuſtinuit adulterij calumniam. p. 216

S. Gerebernus.

Seductor dictus eſt. p. 265

ab impacta calumnia purgatur. ibid.

Gerfredus Monachus.

De veneficiis eſt accuſatus. p. 171

Hæc eſt aperta calumnia. ibid.

S. Goaris Presbyter.

A ruſtico de magia illicita calumniam eſt paſſus. p. 148

Gregorius.

Turpitudinis eſt infamatus p. 194

Confeſſione Eudociæ quam dæmon occupauit labis purus eſt renunciatus. ibid.

Gregorius falſiloquii per indiligentiam in deſcribendis Sanctorum rebus accuſatur. p. 26

Refellitur hæc calumnia. ibid

Gregorius Nazianzenus hæreticorum inſectationis inſimulatur. p. 9

mera eſt calumnia. ibid

Idem captatæ alienæ vxoris calumniam eſt paſſus. p. 31

Gregorius. V I. Simoniæ accuſatus eſt. p. 12

Repellitur calumnia. ibid

Greg. V I I. Rom. Pontifex damnatus eſt hæreſeos Berengarianæ. p. 7

Recenſentur aliæ aduerſus eundem calumniæ. ibid

Refelluntur. ibid

A Schiſmaticis ſimoniæ eſt inſimulatus. p. 12

hoc inter calumnias eſt recenſetum. ibid

Idem inceſtæ conſuetudinis eſt notatus. p. 197

Calumnioſiſſimè ex ea parte eſt appetitus. ibid

Idem per calumniam infimo ac penè ſordido loco natus ſcribitur. p. 30

Idem inconſiderati præiudicij eſt inſimulatus. p. 37

Reiicitur hæc calumnia. ibid

Gregorius Agrigentinus Magiæ nomine eſt infamatus. p. 14

Atrociſſima eſt hæc calumnia. ibid

Gregorius patriarcha de inceſta cum ſorore conſuetudine varios eſt expertus calumniatores. p. 18

Gregorio Neocæſarienſi impacta eſt de fornicatione calumnia. p. 21

Gregorius Magnus prodigalitatis & viuus & mortuus eſt accuſatus. pag. 349

Purgatur hæc calumnia. ibid

Idem à Mauricio Imperatore ſimplex eſt apellatus. 37

Purgatur ab impacta calumnia. ibid

Idem in pœnam peccati quod admiſerat continuo pedum ac ſtomachi dolore dicitur mulctatus. p. 43

Atro

Digitized by Google

Atrox eſt calumnia. ibid.

Gualterus.

A Rege inſanus eſt pronunciatus. pag. 389

Hanc calumniam diluit Petrus Bleſenſis. ibid.

Guilla.

Guilla Oberti Marchionis coniux in adulterij calumniam incurrit. pag. 212

Amouetur calumnia. ibid.

Gulielmus Epiſcopus.

Iniuriâ & per calumniam remiſſionis eſt inſimulatus. p.375

Gundeberga.

Machinationis cædis mariti calumniam ſuſtinuit. p.163

H

Hæreſis.

HÆreſis ſpecies atheiæ. p.57

Quouis peccato terrior. p.58

Quam multi viri graues & ſancti hanc labem malignè impoſitam ſuſtinuerint. ibid.

Signantur nonnulli. ibid.

Heduigis.

Heduigis Poloniæ Regina infamis probri per calumniam eſt notata. p.215

S. Helena.

Helena mater Conſtantini magni eiuraſſe Chriſtianiſmum in infantia ſuſceptum, & Iudæis adhæſiſſe ad tempus, labore autem ac ſtudio Conſtantini filij ad Chriſtianos regreſſa eſſe, per calumniam dicitur. p.52

Eadem quod inueniendę Cruci dominicæ nauarit operam à Caluino ſtultæ curioſitatis eſt notata. pag. 412

Hæc eſt rabies calumniandi Caluino digna. ibid.

Henricus Suſo.

Homicidij ſuſtinuit calumniã. p.172

Henricus Senonenſis.

Per calumniam ſimoniæ eſt accuſatus. p.128.

S. Hieronymus.

Sabellianiſmi, & aliarum hæreſum eſt accuſatus. p.68

Eius fidei profeſſio calumniæ reuincit aduerſarios. ibid.

A Luthero infamatus eſt Arrianiſius. ibid.

Calumnia oſtenditur. ibid.

Inſimulatus Manichæiſmi quoad nuptiarum ſanctitatem. ibid.

Apologiam conſcripſit. p.69

Qua ratione aduerſus quaſcunque ſuſpiciones firmiſſimè communitur. ibid.

Idem oſor & lacerator ordinis monaſtici ſuo tempore eſt habitus. pag. 275

Remouetur hæc macula. ibid.

Idem turpis commercij notam ſubiit. p.190

Depellitur calumnia. ibid.

Idem per calumniam à Ruffino & aliis plagij eſt inſimulatus. p.252

Immenſæ inuidiæ eſt notatus. p.366

Calumnia refutatur. ibid.

Mente alienatus fuiſſe dicitur. pag. 366

Confutatur hæc calumnia. ibid.

Hilarion.

Calumniam magicarum artium ſuſtinuit. p.145

Hilarius.

Purgatur à labe materialis hæreſis, ei à Claud. Mamerco adſcriptæ. p.81

Hildegundis.

Virum ementita Ioſeph eſt appellata. p.144

Furti inſimulatur. ibid.

Deus ipſe calumniam depulit. ibid.

Hormiſdas Papa.

Pertinaciæ & obfirmationis nimiæ in ſententia propria eſt inſimulatus. p.427

Digitized by Google

Calumnia remouetur. ibid.

Hoſpitius.

Per calumniam homicidij reus eſt habitus. p.162

Hugo.

Recenſitum eſt à pleriſque illi angelum Satanæ datum fuiſſe. p.439
Atrociſſima eſt calumnia. ibid.

I

Iacob Patriarcha.

Labis Aſtrologiæ iudiciariæ notatur. p.411
Amouetur hæc macula. ibid.

Idololatria.

Quàm horrenda ſit idololatriæ macula. p.43
Dicta Patrum aduersùs Idololatriam. p.44
Chriſtianis, & viris pleriſque magnis olim hæc labes aſficta. 45.& ſeqq.

Ignatius Loyola.

A Conſtantino Caetano calumnioſè plagij incuſatur. p.255

Ignatius Conſtantinop.

Ob calumniam conſpirationis in Imperatorem in ſepulchro eſt incluſus. p.293

Imago.

Imaginum cultus non eſt idololatria. p. 47

Inuidia.

Inuidia fons calumniæ. p.25

Ioanna Darcia.

Calumniam magiæ eſt paſſa. p.151

Iob.

Ab Elia Buzite blaſphemiæ eſt inſimulatus. p.102
hoc ad calumniam pertinet. ibid.
Idem ab vxore improuida ſimplicitatis notam ſuſtinuit. p.376
Mera fuit calumnia. ibid.

Ioannes XXII.

Horrendæ hæreſeos à Caluino eſt notatus. p.76
Idem calumnioſe ab Ochamo de Blaſphemia eſt accuſatus. p.107

Ioannes Capiſtranus.

Inuidiæ eſt inſimulatus. p.368
Labes diſpellitur. ibid.

Ioannes Columbinus.

Hæreſis notam ſubiit. p.77
Diſcutitur hæc calumnia. ibid.

S. Ioannes Damaſcenus.

S.Ioan.Damaſcenus,quòd Iudaiſmum aliquando amplexus, eoque adiurato Chriſtianis adiunctus dicitur, atrox eſt in virum ſanctiſſimum calumnia. p. 53
Hallucinatio ex eius cognomento ſeu ſcommate *Manſur.* ibid.

Ioannes Duns Scotus.

Illius Doctrina formaliter hæretica dicitur. p.89
Idem viuus ſepultus & è tumulo caput alliſiſſe ac præ rabie manus ſuas voraſſe fertur. p.451
Reiicitur hæc calumnia. ibid.

Ioannes Eleemoſynarius.

Fatuæ profuſionis in pauperes eſt inſimulatus. p.350
Calumnia hæc planè eſt euerſa. ibid.

Ioannes Chryſoſtomus.

De malitia fœminarum diſputans calumniam paſſus eſt. p.281
Sacrilegij eſt accuſatus, quare? pag. 133
Purgat ipſe hanc calumniam. ibid.
Infamatus ſacrilegi concubitus. pag. 192
Ipſemet diluit hanc calumniam. ibid.
Ab Eudocia & partiariis, faſtus & arrogantiæ ac inſolentiæ eſt inſimulatus. p.314
Fuit hæc manifeſta calumnia. ibid.
Defenditur ab inſimulatione æmulationis & inuidiæ in Seuerianum Epiſcopum Gabalorum. p.365

Ioannes Iappo.

Per calumniam ignauus habitus fuit. p.399

Ioannes

Ioannes Piſtorius.
Horrenda morte periiſſe dictus eſt. p. 451
Hoc ad calumniam ſpectat. ibid.
Ioannes Picus.
Iniquiſſimo iudicio plagij eſt notatus. p 255
Iordanus.
Calumniam mollitudinis ſuſtinuit. ibid.
Idem exitum ſortitus eſt luctuoſum. p. 450
Scandalum ex eius morte conſecutum amouetur. ibid.
Ioſephus Anchieta.
Apud nonnullos tetram magiæ calumniam paſſus eſt. p.151
Ioſephus Patriarcha.
De adulterio calumniam atrociſſimam paſſus eſt. p.207
Ingratitudinis à ſpurca hera calumnioſe eſt notatus. p.278
Iſidora Virgo.
Pro ſimplice & hebete inter ſorores eſt habita. p.377
Calumnia abſtergitur. p.378
Iſidorus.
Per atrocem calumniam de crimine peſſimo eſt accuſatus. p.176
Idem plagij notam ſuſtinuit. p.253
Probrum remouetur. ibid.
Iudaiſmus.
A quo tempore inſimulari falsò Iudaiſmi, inter calumnias annumerandum. p.50
Iudaiſmi probrum quinam viri probi ſuſtinuerunt. ibid.
Iudices Catholici.
Iniqui iudicij paſſim à ſectariis incuſantur. p.237
Iulianus Cæſarinus.
Pejerandi author & magiſter fuiſſe dicitur. p.114
Remouetur hæc macula. ibid.
Iulius II.
Per ſimoniam ſubiiſſe thronum apoſtolicum dictus eſt. p.128
Eluitur hæc calumnia. ibid.
Idem obſcuriſſimis natalibus dehoneſtatus eſt. p. 303
Hæc eſt aperta calumnia. ibid.
Iuſtinianus Imperator.
Summæ in Beliſarium ingratitudinis inſimulatur. p.279
Eſt calumnia. ibid.
Iutta.
Turpis commercij calumniam paſſa eſt. p.205
Iuuenis Anonymus.
Nefandi inceſtus per calumniam eſt accuſatus. p.187

L

Laurentius.
Laurentius & Pergentinus fratres tanquam malefici damnati. pag. 143.
Qua ratione diſpulerint hanc calumniam. ibid.
S. Lebuinus.
Dictus à quibuſdam Magus. pag. 144
Refutatur hæc calumnia. ibid.
Liberius.
Liberius Rom. Pont. Arianiſmo ſorduiſſe dicitur. p.64
Formula fidei cui ſubſcripſit Liberius pura & nitens plenéque Catholica agnoſcitur à S. Hilario. p. 65
Qui Liberium ab Ariana hæreſi, pleniſſimè purgent. ibid.
S. Lioba.
S. Lioba Abbatiſſa; eiuſque congregatio calumniam infanticidij ſtuprum ſacrilegum conſecuti paſſa eſt. p. 164
Deus inſigni miraculo calumniam patefecit & innoxias purgauit. ibid.
Liuor Vide *Inuidia*
S. Lucianus Martyr.
Calumniam Arianiſmi ſuſtinuit. pag. 61
Collaudatur à S. Athanaſio. ibid.

Eccleſiæ eius laboribus vſæ ſunt ad longum tempus. ibid.
Eius fidei confeſſio catholiciſſima. ibid.
Luciano potuit calumnia impingi ex multorum eius diſcipulorum præcipitatione in Arrianiſmum. ibid.

Ludouicus IX.

S. Ludouici pia opera ſuperſtitioſæ inſulſitatis à quibuſdam mundi ſapientibus damnata. p.120
Deus hanc calumniam abſterſit. ibid.

S. Lupus.

S. Lupus Senonenſis de Veroſiæ ancillæ Dei amore impuro accuſatus eſt. p. 195
Frequentia eius miracula labem quam calumnia ſynceris & puriſſimis affectibus affricare tentabat, prorſus excuſſit. ibid.

M

S. Macarius Alexandrinus.

De illato puellæ ſtupro accuſatus. p. 189.
Diuinitus ab hac calumnia eſt purgatus. ibid.

Macedonius.

Multiplicibus calumniis appetitus de crimine peſſimo accuſatur. pag. 176
Qua ratione aduerſarios confuderit, & calumniam depulerit. ibid.

Maclouius.

Auaritiæ eſt inſimulatus. p.344
Malignitas & vanitas huius calumniæ ex grauitate diuinæ iræ in caniatores eſt deprehenſa. ibid.

tres Magi.

Magiæ illicitæ & ſocietatis cum dæmone ſunt inſimulati. p.140
Calumnia hæc primitiis gentium falsò irrogata depulſa eſt. ibid.

Malachias Hybernus.

Falſitatis & mendacij per calumniam eſt inſimulatus. p.264

Manuel Comnenus.

Ambitionis & captatæ inanis gloriæ patrem, auum, cæteroſque cognatos ſuos incuſauit. p.321

Marcellinus.

S. Marcellinus Rom. Pontifex idololatriæ eſt accuſatus. p.48
Aquibus conficta fuerit hæc calumnia. ibid.
S. Marcellinus Notariorum Tribunus quod Heracliano Tyranno qui in Africa aduerſus Honorium rebellarat adhæſiſſet, calumnia eſt oneratus. p.288

Marcellus.

S. Marcellus Abbas per calumniam & ex mera temeritate latentis ſuperbiæ eſt notatus. p.316

S. Marcus Euangeliſta.

Ad Epiſcopatum poſtulatus ab ea ſarcina ſic abhorruiſſe dicitur vt pollicem ſibi abſciderit. p.408
Hoc illi per calumniam eſt affictum. ibid.

Marcus Salus.

Ab omnibus pro fatuo habitus. pag. 388
Quis eius ſapientiæ teſtimonium dederit. ibid.

Mardochæus.

Ab aliquibus ſuperbiæ notatus. pag. p. 115
Quàm ab arrogantia, & ſuperbia abfuerit. ibid.

Beatiſſima Virgo Maria.

B. V. Mariam turpiter fœdatam Chriſtum concepiſſe quis dixerit. p. 174
Quanta ſit Blaſphemia? ibid.

S. Maria Magdalena.

Inter meretrices apud Rauiſium & Zuingerum numerata eſt. pag. 218.
Calumnioſum eſt. p. 219
Prodigalitatis à Iuda eſt dãnata. p.346

Sarcit

Sarcio Chriſtus hanc breuem famæ Ancillæ ſuæ detritionem per calumniatorem æternaturo cum Dei Eccleſia præconio. p.347

Maria Doloroſa.

De furto argentei ſcyphi eſt inſimulata. p.244

Deus variis miraculis famulæ ſuæ innocentiam prodidit. ibid.

Maria Imperatrix Orientis.

A marito accuſata eſt quod vitæ ipſius eſſet inſidiata, apparato ei veneno. p.170

Collaudata Mariæ innocentiâ magni illius æui Patres calumniam hanc redarguerunt. ibid.

Maria Franciæ regina.

Apud Maritum de interempto per veneficium Ludouico priuigno calumniam eſt paſſa. p.172

Maria Brabantina.

Per meras planeque inanes ſuſpiciones violatæ fidei coniugalis calumnia eſt grauata. p.215.&.216.

Marrani.

Ea vox quid ſonet. p.53

Aliqui per calumniam iudaiſmi labe notati. ibid.& 54

Martianus Auguſtus.

De homicidio delatus. p.161

Martianum tutante numine diſcuſſa calumnia. ibid.

S. Martina.

De Magia & pacto cum Satana eſt accuſata. 143

Deus collato virgini cælitus robore hanc retudit calumniam pag. 144

S. Martinus I.

Hæreſeos inſimulatus nominatim quoad Deiparam. p.72

Ipſiuſmet verbis calumnia diſpellitur. p.73.

Falsò contra imperium molitionum & rebellionis eſt accuſatus. pag. 291

Diluitur hæc calumnia, ibid.

SS. Martyres.

Ab ipſiſmet Chriſtianis ſuperbiæ ſunt inſimulati. p.319

Hanc fuiſſe malignitatis & ignorantiæ plenam calumniam oſtenditur. ibid.

SS. Martyres falsò ab ethnicis & aliis impiis ob flagitia non ob Chriſti confeſſionem ſupplicia ſuſtinuiſſe dicti ſunt. p.434

Martyrius.

Pro Neſtoriano habitus, p.72

Eius calumniæ artificem exilio multauit Leo Imperator. ibid.

S. Maruthas.

Calumnioſo Magorum artificio grauium malorum quæ Perſidi imminere prænuntiauerunt eſt inſimulatus. p.297

S. Maurus.

Per calumniam horrendæ ambitionis magia cumulatæ eſt inſimulatus. p.316

S. Maximus monachus.

Ab Abbate Monothelita ſeductor eſt dictus. p.263

Ab Origene quantum abhorruerit ipſemet declarauit reſponſo illo dato ad calumniam Mennæ Pſeudoabbatis. ibid.

Maximus monachus & Martyr.

Odio habuiſſe Heraclium Imperatorem & malis verbis inſectatus dictus eſt. p.283

Diluitur hæc calumnia. ibid.

Proditionis per atrociſſimam calumniam eſt inſimulatus. p.292

Melchiades.

Melchiades Pontifex Romanus idololatriæ calumniatus. p. 48

De illius nitore ſigillatim verba S. Auguſtini. ibid.& p.49

S. Meletius.

Sabellianiſmi accuſatus per calumniam, p.64

Integer fidei, & labiis purus fuit. ibid.
Græcorum omnium præconiis clarus. ibid.
Melito Sardenſis.
Inſimulatur quod Deum cenſuerit corporeum. p.80
Purgatur à calumnia. p. 81
Mercurius.
De Magia & pacto cum Satana calumnioſiſſimè eſt accuſatus. pag. 143
S. Methodius.
Methodius velut idololatra punitus. p.49
Purgatur ab impacta idololatriæ calumnia. ibid.
Methodius ſubornata muliere quæ ſe ei commixtam fateretur, magnam contraxit infamiam. pag. 196
Mulier ab Imperatore intentatis grauibus pœnis territa ſtropham detexit & à quibus ac quomodo ad calumniam viro ſancto ſtruendam adducta eſſet patefecit. pag. 197
F F. Minores.
Notati ſunt inuidiæ. p.367
Demonſtrat hanc eſſe pinguem calumniam Diuus Bonauentura. ibid.
Monachi Antiqui.
A Zozymo Ethnico ob auaritiam ſugillantur, qua in ſpeciem pauperes, omnia poſſiderent. p.342
Liberantur ab hac calumnia. ibid.
Moniales.
Quibuſdam in ſe ipſas ſæuiiſſe & ad mortem ſuam cooperatæ viſæ ſunt. p.402
Reiicitur hæc calumnia. ibid.
Moyſes.
Inſimulatur furti eò quòd idola Ægypti ſit furatus. p. 39
Hoc eſt apertum mendacium & calumnia pinguiſſima. ibid.
Inter Magos numeratur. p.136
Hæc eſt horrenda in virum ſanctiſſimum calumnia. ibid.
Fatuiſſimus & omnium mortalium imperitiſſimus fuit dictus. p.417
Hæc mendaciſſima fuit calumnia. ibid.
Moyſem lepra ſorduiſſe, refertur. pag. 436
Hæc omnia manifeſtæ calumniæ reuincuntur ex ſcriptura. ibid.
Mulier Vercellenſis.
A marito adulterij accuſata. pag. 209
Diluitur calumnia. ibid.

N

Naboth.
PEr ſuppoſitos falſos teſtes accuſatus eſt quod benedixiſſet Deum pag. 102
Ea erat mera calumnia per impiam mulierem fabricata & per impios ei aſſenſos Nabotho impacta. ibid.
Quod tenax paternæ hæreditatis Regiam cupiditatem fruſtratus eſſet, arte Impiæ Iezabelis per calumniam eſt oppreſſus. p.280
S. Nantouinus.
De peſſimo crimine inſimulatus quaſi puerum de ſtupro appellaſſet. pag. 178
Illius innocentiam Deus multis illuſtrauit miraculis. p.178
S. Narciſſus Epiſcopus.
Quam falsò impoſitam exceperit labem, & quomodo agente innoxij cauſam Deo ſit abſterſa, refertur. pag.188
S. Nemeſis Ægyptius.
Latrocinij calumniam ſuſtinuit. pag. 169
Beata plane huius ſancti ſors quod Chriſtum tanquam latronem inter latrones pendentem eſt imitatus, mortis

mortis per calumniam genere. ibid. & 170

Nemeſius.

Tanquam Magus & cædium per præſtigias patrator eſt habitus tantum quia Dei hoſtibus ita viſum. ibid.

Nicolaus.

Nicolaus I. ſocietatis cum impiis accuſatus eſt. p.98

Hæc eſt mera calumnia. ibid.

Superbiæ & arrogantiæ Tyrannicæ arguitur. p.318

Refellitur hæc calumnia. ibid.

Nicolaus Diaconus habitus à pleriſque eſt auctor ſpurciſſimæ hæreſis Nicolaitarum qua coniugiorum indifferentia admittitur atque adeo inceſtæ copulationes approbantur. p. 180

Hanc tamen fuiſſe calumniam in Nicolaum nec illi adſcribi poſſe ſpurcam illam hæreſim graues DD. prodiderunt. ibid.

S. Nilus Calaber.

Calumniator deterrimus dictus eſt ipſoque Diaboli calumniatorum anteſignani nomine notatus. pag. 222

En calumnia calumniæ ſancto viro impacta ſimulque eius depulſio factis reuincentibus falſiloquij inanitatem. ibid.

S. Norbertus.

Cum immane cædis periculum impendens ab immiſſis ſicariis & tumultu plebis in eum concitatæ euaſiſſet diuino nutu, ab aduerſariis magus eſt habitus. p.146

Impoſtor & falſarius, ac ſeductor eſt appellatus. p.165

Liberatur ab hac calumnia. ibid.

Nugna.

A filiis apud maritum adulterij calumniam eſt paſſa. p.215

O

Obmuteſcere.

Obmuteſcere & ſilere à bonis nihil excuſando an ſit licitum. pag 453

Odalricus Aquenſis Epiſcopus.

De ſacrilegio laico à Fileſaco infamatur. p.126

Hæc fuit aduerſus ipſum calumnia. ibid.

Odium.

Odium fons calumniæ. pag. 25. & ſeqq.

Oelbertus.

Malignitate ſicariorum calumnia homicidij oneratus. p.170

Odo Abbas.

A ſuis Monachis homicidij eſt accuſatus. p.165

Abbatis innocentia & malignitas calumniatorum demonſtratur. ibid.

A ſuiſmet monachis per calumniam prodigalitatis & bonorum dilapidationis eſt accuſatus. p.351

Origenes.

Origenes idololatriæ inſimulatus. p. 47

Origenem vel externo actu fuiſſe idololatram calumnia eſt. p.48

Oſius.

Oſius Cordubenſis Epiſcopus ore verſo & ceruicē diſtorta de ſella eliſus in terram, animam efflaſſe dicitur. pag. 444

Calumnia de eius horrenda morte per ſe concidit. p.445

Otho Magnus.

Morte diuinitus ſubito illata cecidiſſe ſcribitur. p.447

Concidit ei ſuperſtructa calumnia. p.448

Othomarus

De turpitudine cum muliere impudica eſt accuſatus. p.195

Eius innocentiæ & calumniatorum malignitas

Digitized by Google

malignitati eſt atteſtata corporis incorruptela poſt decennium deprehenſa, & ingens vis miraculorum ad eius tumulum. p.196

P

Papa.

PApa atheiſmi inſimulatus à Caluino. p 42
Ab eodem denominari ſolet Antichriſtus. p.43
Quanta calumnia. ibid.

S. Paphnutius,

Forti eſt accuſatus. p.240
Calumniæ concinnationem & purgationem diuinitus adhibitam deſcribit Caſſianus. ibid.

Patres veteris teſtamenti.

Ebrietatis notati ſunt ab homine Germano. p.356
eſt Calumnia. p.357

Paulinus.

Paulinus, ſecundus eo nomine Antioch. Epiſcopus Sabellianiſmi inſimulatus. p.64
Diluit impactum probrum. ibid.
Eius intima conſuetudo cum S. Hieronymo hæreticis omnibus infenſiſſimo. ibid.
Adulterij eſt inſimulatus. p.210
Liberatur ab hac calumnia. p.211
Quod calcato faſtu mundano vilitatem Crucis amplexatus eſſet inſanire creditus eſt. p.386
Ipſemet hanc calumniam refellit. ibid.

S. Paulus.

Inſimulatur Blaſphemiæ. p.103
Id calumnioſè à Plotino affingitur Apoſtolo. ibid.
A Feſto Proconſule creditus eſt inſanire. p.383
Remouetur hæc macula. ibid.
A quodam Ethnico rudis & indoctus eſt habitus. p.419
Euertitur hæc calumnia. p.420

Petrus à Luxembourg.

Schiſmaticus à pleriſque eſt habitus. p. 92
Abfuit à B. Petro hæc labes. ibid.

Petrus Bleſenſis.

Paſſus turpitudinis calumniam, archidiaconatu Bathonienſi deiectus eſt. p. 197
Depulſio calumniæ inſinuatur. ibid.
Quod Regibus adularetur, & eos celaret ſcitu neceſſaria, & è contrario mala illos doceret à Religioſis & ſacris hominibus calumniam ſuſtinuit. p.269
Per calumniam adulator principis dictus eſt. p.273
Hoc ille probrum depellit. ibid.
Delator dictus eſt à Canonico regulari. p.276
Ipſe calumniam ſe hac in parte paſſum conteſtatur, p.277

S. Petrus Apoſtolorum Princeps.

Ab impio deſertore Iuliano Hypocriſis notatus eſt. p.324
Calumnia hæc fuit maledicentiſſimi Iuliani ibid.
Sæuitiæ & crudelitatis præ zelo incondito calumniam paſſus eſt ab impio Porphyrio. p.369
Ab impiis quibus fidem Chriſti annuntiabat, pro inſano habitus eſt. p.388.
Deus verſa in honorem ignominia, gloriæ corona eum circumdedit. ibid.

S. Petrus de Murono.

Inſimulatus eſt hebetudinis & ſimplicitatis. p.379
Hæc eſt pura calumnia. ibid.

Petrus Ioannes Oliui.

Petrus Ioannes Oliui Ordinis Minorum, quod zelo diuini honoris & ſtudio puritatis ordinis ſui in gliſcentes abuſiones fuiſſet animoſior inter hoſtes Ordinis eſt recenſitus. p. 277

Vbertinus de Caſalis forti Apologia eum eſt tutatus. p. 278

Petrus Lombardus.

Per calumniam plagij eſt inſimulatus. p. 253

Petrus Petronius.

Huic Dei ſeruo, Petrus Dorlandus in Chron. Cartuſ. lib. 5. cap. 1. tribuit quod ne ſacerdotio initiaretur, pollicem ſibi abſciderit. p. 410

Eſt calumnia. ibid.

Philibertus Abbas.

De calumnia impacta eſt accuſatus. p. 222

Liberatur ab hac calumnia. ibid.

Philippus Abbas.

Turpis maculæ inſimulatus. pag. 178

Tantam labem calumnioſè Philippo affictam, fuiſſe, ac peruersè diſſeminatam euentus docuit. p. 179

Philo.

Quod factus ſit è Chriſtiano Iudæus, aperta calumnia eſt. p. 50. & 51

Pius Monachus.

Puellam ſpecioſam, quam ex Iudaiſmo ad Chriſtum adduxerat, circumducebat ſtipem cogens pro ea vt ali & in parthenone quopiam ſacro collocari poſſet. p. 193.

Calumniam paſſus eſt quaſi ad turpem vſum puellam duceret. ibid.

Plato Monachus.

Quaſi eſſet ſchiſmaticus calumniam ſuſtinuit. p. 91

Superbus & vanæ gloriæ captator dictus eſt. p 318

Atrocem hanc calumniam Deus ipſe diſpulit. ibid.

Ab impuris hominibus dictus eſt delirare. p 388

Abſterſa eſt hæc calumnia. ibid.

Polycarpus.

Polycarpus Smyrnenſium Epiſcopus princeps latronum dictus eſt. pag. 369

Hæc eſt atrox in ſancti Polycarpi famam graſſatio. ibid.

Porphyria, aliàs, Pelagia.

Prolis ex Monacho conceptæ infamata. p. 203

Qualiter hæc infamia deterſa ſit. ibid.

Potho Abbas.

Apud Carolum Magnum accuſatus eſt à falſis & diſcolis fratribus ipsũ inſimulantibus quod cum orandum eſſet pro Imperatore, receſſiſſet. pag. 283

Mera erat calumnia. ibid.

SS. Proceſſus & Martinianus.

Calumniam paſſi ſunt Magiæ nefariæ. p. 142

S. Prætextatus.

Per atrociſſimam calumniam furti eſt accuſatus. p. 242

Epiſcopus calumniam ſubiit quod multa aduerſus Regem machinatus eſſet, pecuniaſque regias ei ſubripuiſſet. p. 290. & 291

Proſper.

Proſper vir eruditus & ſanctus de quantis blaſphemiis calumniam ſit paſſus præfatio eius ad obiectiones Vincentianas liquidò exhibet. ibid.

Prothus, & Hyacinthus.

Vocati ſunt autores artis magicæ quod Deum colerent. p. 143

Vniuerſum eorum maleficium erat quod verum Deum colerent. ibid.

Pulcheria.

S. Pulcheria Auguſta à Matthia Flauio Illyrico ſuperſtitionis inſimulatur. p. 118

R

Religioſi.

Religioſi qui alios inſtituta ipſorum capeſſentes vel iuuant vel nō repellunt calumniā paſſim ſuſti-

nent quod eos ſeduxerint. p. 266

Rembertus.

S. Rembertus Archiepiſcopus Rhemenſis quod in captiuorum Chriſtianorum redemptionem eſſet largiſſimus improuidæ & profuſæ rerum ſacrarum dilapidationis notatus eſt. p. 350

Hanc calumniam ipſemet repulit. ibid.

Omnibus quæ habebat in captiuorum redemptionem conſumptis ad ſacra vaſa in eundem finem manum admouit, quod alij ſacrilegij damnarunt. p. 134. & 135

Refellitur hæc calumnia. ibid.

B. Richardis.

Calumniam apud maritum paſſa eſt violatæ coniugalis fidei. p. 214

Impoſitæ labis pars nulla eius famæ adhæſit. ibid.

S. Richardus Epiſcopus Cantuarienſis.

Inſimulatus eſt auaritiæ per calumniam, teſte Bleſenſi, qui eius fuit Cancellarius. p. 344. & 345

Robertus de Abruſcellis.

Robertus de Abruſcellis fundator Ordinis Fontis Ebrardi inſignis ſuperſtitionis eſt inſimulatus. p. 118

Calumnioſum illud inſanæ ac propudioſæ ſuperſtitionis Roberto affictæ commentum prorſus euertitur. ibid.

Robertus S. Bernardi Nepos.

Apoſtaſiæ notatus eſt. p. 153

Refellitur hæc calumnia. ibid.

Robertus Bellarminus.

Reus factus eſt multorum infanticidiorum. p. 167

Quam malè conſarcinata fuerit hæc calumnia in hominem viræ innocentiſſimæ, & totius ſanctitatis viuum ſimulachrum. ibid.

Non à ſectariis tantum quorum fuit malleus indefeſſus, ſed à Catholicis, iiſque Religioſis calumniator audiuit. p. 115

Eſt mera calumnia. ibid.

Romualdus.

Quàm immanis probri infamia reſperſus ſit? p. 177

Petrus Damiani calumniam hanc ſimul refert & diluit. ibid.

Rupertus Abbas.

Superſtitionis & vanæ nouitatis nomine eſt accerſitus. p. 120

Deus querelam ei impactam, calumniosam declarauit. ibid.

S.

S. Sabas.

A Suis quibuſdam traductus eſt vt hebes ac ſimplex. p. 378

Fuit indigniſſima calumnia. ibid.

Sacerdotes Catholici & Exorciſtæ.

Magiæ paſſim à ſectariis damnantur. p. 141

Hæc calumnia, æquè inſulſa eſt ac blaſphema. ibid.

Salomon.

Salomonem, ex quo infatuatum eſt cor eius per mulieres, Magiæ dediſſe operam. p. 137

Hoc ad calumniam planè pertinet. ibid.

A multis ſpurius eſt habitus. p. 299

Eſt calumnia. ibid.

S. Sebaſtianus.

Inſignis ingratitudinis inſimulatus. p. 279

Refutatur hæc calumnia. ibid.

S. Seraphia.

A Præſide Maga habita eſt. p. 142

Qua ratione calumniam ipſa diluerit. ibid.

Sergius Papa.

Sergius Papa, cùm mulierem ex inceſto coitu enixam corrupiſſe diceretur & pater pueri paſſim conclamaretur, calumniam repulit interuentu S. Althelmi. p. 195

Seruus.

Seruus viri nobilis furti inſimulatus. p. 244

Purgatur ab hac calumnia. ibid.

Seuerianus.

Seuerianus Epiſcopus Gabalorum à Serapione S. Ioannis Chryſoſtomi Diacono per calumniam blaſphemiæ eſt accuſatus. p. 103

Sidonius Apollinaris.

Prodigus & dilapidator rerum Eccleſiæ eſt habitus. p. 348

Deus hanc calumniam vindicauit. ibid.

Sigebertus Rex.

Inſimulatus eſt nimiæ facilitatis in condonandis iniuriis. p. 374

Mera eſt calumnia. ibid.

Simeon Salus.

Societatis cum dæmone calumniam ſuſtinuit. p. 146

Geminata erat calumnia. ibid.

Simeon Stylites.

A nonnullis captatæ per inſolitam vitæ rationem vanæ gloriæ eſt inſimulatus. p. 315

Purgatur ab hac macula. ibid.

Captatæ nouitatis nomine proci ſſus eſt. p. 333

Diluitur hæc calumnia. ibid.

Fulgure percuſſus interiit. p. 446

Quod hæc mors non fuerit argumentum irati Numinis, oſtenditur. ibid.

Simeon Treuirenſis.

Per indigniſſimam calumniandi petulantiam iactatus eſt cauſa eluuionum quibus omnia vaſtabantur. p. 297

Deus cæleſtibus operibus innocentiæ ſancti ſui eſt atteſtatus. ibid.

Sixtus III.

Accuſatus eſt de ſtupro Chryſogonitæ Virginis conſecratæ. p. 192

Eſt calumnia. ibid.

Societas Ieſu.

Societati Ieſu variæ referuntur impactæ calumniæ. p. 269. & 426

Socij Paderbornenſes.

Occiſi pueruli criminationem ſuſtinuerunt. p. 167

Fuiſſe calumniam, & quidem perridiculam docuit euentus. ibid.

Spes.

Spes commodi ex alterius dehoneſtatione, calumniæ fons. p. 26

Spiridion Epiſcopus.

S. Spiridion per impudentiam fœminæ calumniator audiuit. p. 221

Deus vltor fuit iniquitatis & ſanctum virum nota calumniæ liberauit. ibid.

S. Staniſlaus.

S. Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus de ſublato furtinè agro alieno poſtulatus apud Bolellaum Poloniæ regem, quem patiebatur infenſum, quod de immanibus eius ſceleribus imperterrita libertate redargueret. p. 242

Quomodo abſterſa ſit calumnia. ibid.

Stephanus Monachus.

Per calumniam oneratus eſt variis opprobriis, ac nominatim quod cum Anna nobili vidua inter moniales ab ipſo cooptata turpem conſuetudinem haberet. p. 196

In ancillam viri ſancti & Annæ heræ ſuæ calumniatricem, Deus exemplum

Digitized by Google

plum ſtatuit. ibid.

Suſanna.

Suſanna ab impuris iudicibus calumniam adulterij paſſa diuinitus erepta eſt furori calumniatorum. p.208

Syluanus.

Calumniam eſt paſſus de tentata inſignis matronæ pudicitia. ibid.

Sylueriꝰ Papa.

Simoniacè intruſus ab Anaſtaſio ſcribitur. p. 124
Calumniam eſſe in ſanctiſſimum Pontificem apparet. ibid.
Reus factus eſt proditionis per atrocem calumniam. p.290

Syluester II.

S. Syluester II. Magus fuit habitus. p.148.
Liberatur ab hac calumnia. ibid.
Apoſtaſiæ & aliis probris infamibus oneratus. p.152
Calumnia eſt male materiata de Sylueſtro ex Monacho apoſtata. ibid.
Dictus eſt obiiſſe obtorto per Sațanam collo &extracta violentur anima ex pacto inito de ſummi pontificatus adeptione ſub ea mercede. pag. 448
Hæc eſt portentoſiſſima calumnia. ibid.

Symmachus.

Symmachus ab Anaſtaſio Imper. infamatus eſt vt Manichæus. pag. 72
Probrum hoc quomodo ipſe Pontifex depulerit. ibid.
Malignitate ſchiſmaticorum adulterij eſt accuſatus. p.211
Eam accuſationem fuiſſe meram calumniam perſpicuum fuit. ibid.

Symphorianus.

Calumniam ſubiit ſeditionis. pag. 287

Synodus.

Synodum Chalcedonenſem infamauit vt Neſtorianam Anaſtaſius Imperator. p.72
Repellitur hæc calumnia. ibid.

T

Taraſius Conſtantinop.

Simoniacè ordinatos recepiſſe accuſatus eſt. p.125
Hanc fuiſſe meram calumniam dubitare non licet. ibid.

Terberga.

De inceſta turpitudine cum fratre accuſata eſt. p.175
Quò pertingat malignitas calumniæ. ibid.

Theodoretus.

Circa fidem ſuſtinuit calumniam, & pro Neſtoriano, & Chriſti in duos filios ſectore eſt habitus, eoque nomine ſede pulſus. p.17
Ne mortui quidem cineribus pax fuit. ibid.
Eius iampridem vita functi imaginem curru inuectam, ſpecie triumphãtis cum hymnis & canticis Cyprum introduxere Neſtoriani. ibid.
Calumniam de duplici in Chriſto perſona ipſemet egregiè depulit. p.72

Theodorus Mopſueſt.

Notatus Iudaicæ ſuperſtitionis. pag. 52
Fundamentum ſic notandi Theodorum. ibid.

Reuincitur.

Reuincitur hæc calumnia. ibid.

Theodoſius.

Turpis commercij cum Pulcheria ſorore inſimulatus eſt. p.185
Fuit abominationis referta calumnia. ibid.

Theognoſtus Conſtantinop.

Ab homine Arriano accuſatus eſt quòd Arcadio & Eudoxiæ clam maledixiſſet. 282
Eluitur hæc calumnia. ibid.

Thomas Apoſtolus.

Apud Sagamum Regem per calumniam accuſatus eſt de homicidio. p.155

Thomas Aquinas.

S. Thomas Aquinas multorum articulorum hæreſi ſordentium eſt inſimulatus. p.89
Hoc reiicitur. ibid.

Thomas Cantipratanus.

Quod liberius ſtrinxiſſet calamum in abuſiones quorumdam monaſteriorum inimicus iis habitus eſt. p. 277
Calumnia hæc prorſus euertitur. ibid.

Thomas Cantuarienſis.

Quod aduerſus rapacitatem Henrici Anglorum regis bona ſibi Eccleſiaſtica vſurpantis fortiter obniteretur, damnatus eſt zeli immoderati. p.371
Calumnia B. Martyri impacta refellitur. ibid.

Thomas Sanchez.

A pleriſque fori rabulis ſpurcus audiuit. p.362
Hæc eſt aperta calumnia. ibid.

Tobias

Superſtitioſus ac ſimplex fuit ab vxore vocatus p.116
Deus ipſe calumniam diluit. ibidem.

V

Valentinianus Auguſtus.

Calumniam paſſus eſt à Socrate, referente ipſum Valentinianum Iuſtinæ Virginis inceſto amore captum. p.208
Quàm ſit atrox hæc calumnia. ibid.

Valentinianus II.

Valentiniani cadauer ſuſpendio infamatum eſt vt laqueo voluntariè præ deſperatione periiſſe crederetur. p.402
Fuit horrenda calumnia. ibid.

Valentinianus III.

Paſſim adulterij infamia grauatur. p. 289
Remouetur hæc labes. ibid.

Valerianus Cemelienſis.

Tanquam Semipelagianus traductus eſt, tentata omnibus machinis relatione eius in librorum prohibitorum indicem, & cur? p.86
Diluitur probrum ſcriptori labis puro perperam impoſitum. ibid.

Venefrida.

Quod ſtuprum paſſa eſſet, mortem ſibi conſciuiſſe ad eam maculam eluendam, quis ſcripſerit. pag. 404
Hæc eſt aperta calumnia. ibid.

S. Victor I.

S. Victor I. hæreſeos Homouſioniſtarum

rum

rum accuſatus, p. 64
Fuiſſe meram calumniam ſcribit Euſebius. ibid.

Victorinus.

Victorinus Pictauienſis, Epiſcopus, infamatus eſt hæreſeos Quartadecimanorum. p. 63
Oſtenditur quàm grauis ſit hæc calumnia. ibid.
Sub Diocletiano Martyr mortuus eſt. ibid.
Optatus Mileuit. eum vt inſignem hæreſum debellatorem celebrauit. p. 64
S. Hieronymus *inclytum* vocat. ibid.

Vigilius Papa.

Vigilius Papa à Theodora Auguſta perfidiæ inſimulatus. p. 257
Liberatur ab hac macula. ibid.

Vincentius Ferrerius.

Quo genere calumniæ notatus. p. 199
Qua ratione purgatus, ibid.

Virgilius Presbyter.

Delatus falsò eſt ad S. Bonifacium Moguntinum, tanquam aſſertor plurium Mundorum. p. 73
Calumniam euentus monſtrauit. ibid.

S. Vitus.

A Valeriano præſide inſimulatus magiæ conſtanter negauit ſe magum eſſe. p. 144

Vitalis Monachus.

Quo genere obſequij Deum demereri aggreſſus. p. 193
Tanquã ſcortator paſſim proſciſſus. ib.
Qua ratione omnis fuligo calumniæ, quæ Sancto viro adhæſerat eſt deterſa, ibid.

VVandregiſilus.

Ambitionis & ſuperbiæ notam ſubiit. p. 317.
Hoc ad calumniam ſpectat. ibid.

VViborada.

Infamata eſt multiplicis turpitudinis & nominatim nefariæ commiſtionis aſſiduę cum germano fratre Hitone. p. 186
Amouetur hæc calumnia. ibid.

VVillelmus Abbas

Nouis indies calumniis grauatus ſed nominatim auaritiæ, p. 345

Z

Zacharias Papa,

Notatum ſe labe ſimoniæ occaſione pecuniarũ quas ab iis expetiſſet quibus pallium conferebat, ipſemet ſcribit & calumniam depellit. p. 125

Zephyrinus Papa.

Mollitiei ac ignauiæ remiſſionis diſciplinam Eccleſiaſticam euertentis accuſatus eſt. p. 373
Refutatur calumnia. ibid.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

6-2-1

Digitized by Google